THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA.

THEOLOGIA

MORALIS UNIVERSA.

THEOLOGIA

MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

PIO IX. PONTIFICI M.

DICATA.

AUCTORE

CANONICO PETRO SCAVINI NOVARIENSI

ECCLESIÆ CATHEDRALIS PRÆPOSITO.

EDITIO TERTIA HISPANA

JUXTA SEPTIMAM AB AUCTORE PROMULGATAM, QUÆ EST OMNIUM ABSOLUTISSIMA.

Cum notis italice in hispanum translatis, quoad tractatum sextum juri civili Hispaniæ, vel canonico, vel doctrinæ S. Alphonsi M. de Liguorio de novo accommodatum, cum add. definitionum, privilegiorum militarium atque tractatus Bullæ S. Cruciatæ.

Á

Josepho Morgades et Gili Pbro.

IN SACRA THEOLOGIA DOCTORE ET SACRORUM CANONUM IN SEMINARIO TRIDENTINO BARCINONENSI PROFESSORE.

—

TOMUS SECUNDUS.



DE ORDINARII LICENTIA.

BARCINONE.

APUD JACOBUM SUBIRANA, IN PLATEA DE [illegible]

MDCCCLIX.

ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
Se 9L
Alma, California

ST. IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
T 2036.
SAN FRANCISCO, CAL.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Barcinone: Ex typis Vincentii Magriñá, in via dicta del Arco de San Silvestre, 4. 1859.

TRACTATUS OCTAVUS

DE

VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PRÆAMBULA.

Q. 1. *Quid est virtus Theologica et an necessaria?*

R. Ad 1: Virtus theologica, quæ pro objecto suo immediato habet Deum uti auctorem gratiæ et gloriæ, ab Augustino definitur: *bona qualitas seu habitus mentis, quo recte vivitur, et quem Deus in nobis sine nobis operatur;* ideo dicitur etiam virtus infusa, ut distinguatur a virtute naturali, quæ potest naturaliter acquiri. Differt quoque tum a Religione, quia hæc directe non habet pro suo objecto Deum, sed ejus cultum; tum a cæteris virtutibus moralibus, quarum item objectum immediatum diversum est. In hoc tamen cum morali concordat, quod hominis actiones ad normam legis æqualiter alliciat, et ejus voluntatem provocet ad boni prosecutionem, ac ideo utraque ad principia actuum humanorum allicientia merito revocatur.

R. Ad 2: Cum Angelico: virtus theologica est profecto necessaria; nam cum homo tendat per virtutem in beatitudinem suam, cumque duplex sit hominis beatitudo, altera *naturalis*, ad quam pervenire ipse potest per virtutem naturæ suæ, altera vero *supernaturalis*, ad quam sua virtute non sufficit; ideo necesse est, ut homini divinitus superaddantur virtutes supernaturales, quales sunt Theologicæ, quibus in finem et beatitudinem quoque supernaturalem, ad quam est a Deo sublimatus, tendere et pervenire valeat (1). Imo habitus virtutum Theologicarum ipsis infantibus est necessarius necessitate medii; cum sine ipso nemo justificari, neque cum Christo uniri possit (2).

Q. 2. *Quot sunt virtutes Theologicæ?*

R. Virtutes theologicæ sunt: *fides*, *spes* et *charitas*. Ut recte moveamur in finem, oportet: 1 nos illum cognoscere ac credere; quia voluntas non fertur in incognitum; 2 finem illum sic cognitum a nobis exoptari, quia item voluntas ferri non potest in id, quod pertimescit; 3 et finem illum a nobis amari; non enim desideratur, nisi quod haberi speratur et simul diligitur. Hoc modo explicatur origo virtutum theologicarum; *fidei*, qua Deum cog-

(1) 1, 2, q. 62, a. 1. (2) Tridentinum, sess. 6, c. 7 *de R.*

noscimus; *spei,* qua nos ipsum obtenturos esse aliquando speramus; *charitatis,* qua eundem amamus. Singulas sic recensuit Apostolus: *nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc* (1): quasi diceret *neque plures neque pauciores sunt.*—Ratione originis primum locum tenet *fides,* cum sit initium omnis justificationis. Ratione præstantiæ *charitas,* dicente Apostolo: *major horum est charitas;* est enim complementum et perfectio cæterarum. Hinc recte Augustinus: *domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur* (2).

DISPUTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM

DE FIDEI NOMINE, NATURA AC DIVISIONE.

Q. 1. *Quid est fides?*

R. Fidei nomen multipliciter sumitur: 1 pro fidelitate in promissis juxta illud: *numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit* (3)? 2 pro ipsis promissis: sic Apostolus dicit de quibusdam viduis, quod *primam fidem irritam fecerunt* (4); 3 pro conscientia ac intima persuasione juxta illud: *omne quod non est ex fide, peccatum est* (5); 4 pro fiducia, secundum illud: *postulet autem in fide, nihil hæsitans* (6); 5 pro argumento ad suadendum, quo sensu Paulus: *Deus... statuit diem, in quo judicaturus est orbem... fidem præbens omnibus* (7); 6 pro ipsa doctrina et objecto fidei, ut in Symbolo Athanasii: *hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit;* 7 tandem fides sumitur communius, ut in præsentiarum, *pro assensu intellectus nostri ob alterius auctoritatem:* si est ob auctoritatem hominis, fides est humana; si ob auctoritatem Dei, est fides divina.

Apostolus sic fidem definivit, ut sit: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (8). *Substantia*, idest basis et inchoatio; quidquid enim aliis supponitur et substernitur, nomen substantiæ, quod a *substando* dictum est, sortitur. *Sperandarum rerum,* non quod ea solum credamus, quæ sperantur, nam plura credimus, quin sint spei nostræ objectum; sed *quia fides principaliter est de his, quæ videnda speramus in patria* (9).— *Argumentum non apparentium*, id est juxta textum græcum *convictio* seu demonstratio firma rerum, quæ non videntur; quæ ideo verissima esse creduntur ac si manifestis demonstrationibus nobis essent nota. Hæc definitio convenit etiam Patriarcharum fidei: eam tamen præsenti statui magis acco-

(1) I Cor. 13. (2) Serm. 27 *de Verb. Apost.* (3) Rom. 3.
(4) I Tim. 5. (5) Rom. 14. (6) Jac. 1. (7) Actor. 17.
(8) Hebr. 11.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 2.
(9) S. Thom. 2, 2, q. 1, a. 6.

modando, fidem sic definimus, ut sit *virtus Theologica divinitus infusa, qua libero ac pio voluntatis affectu iis omnibus firmiter assentimur, quæ Deus revelavit, et quæ Ecclesia credenda proposuit ob Dei ipsius veracitatem.*

Dicitur: 1 *virtus Theologica,* quæ nempe Deum directe respicit, ad discrimen virtutum moralium, quæ ad Deum nonnisi indirecte referuntur; — 2 *divinitus infusa;* quia fides est donum supernaturale divinum. Hinc Apostolus: *vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis* etc. (1); — 3 *qua libero ac pio voluntatis affectu,* ut sic fides nostra distinguatur a dæmonum fide, qui etsi credant et contremiscant (2), non tamen libere ac pie veritatibus assentiuntur: unde eorum fides neque divina est neque infusa; — 4 *firmiter assentimur;* quia assensus fidei debet esse sine ulla errandi formidine: alioquin hæsitatio esset, non fides; — 5 *iis omnibus quæ Deus revelavit,* quæ quidem constituunt objectum fidei materiale. Dicimus *omnibus,* ut refellatur nonnullorum hæreticorum doctrina, qui distinguentes inter articulos fundamentales et non fundamentales fidei, dicunt, primos necessario esse credendos, non autem secundos; nam singula fidei objecta, quæcumque ea sint, æque habent eamdem veritatem, ut credantur, nempe veracitatem divinam falli ac fallere nesciam (3); — 6 *et quæ nobis Ecclesia credenda proposuit,* quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiæ propositionem, dicente Augustino: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas* (4); — 7 *ob Dei ipsius veracitatem;* quia veritas infallibilis, quæ est ipse Deus, constituit objectum fidei formale, id est rationem formalem ob quam credimus. Hinc Apostolus: *fides ex auditu, auditus autem* (seu assensus) *per verbum Christi* (5).

Fidei natura collocanda est in actu intellectus, quo creduntur dogmata: est contra Calvinistas, qui docent fidem non esse assensum, quo veritates revelatæ firmiter creduntur; sed fiduciam, qua certo credimus nos et promissionum Dei et ejus justitiæ participes fieri. Probatur catholica veritas: 1 ex Scripturis, ubi distinguitur fides a spe: *nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc* (6): at si fides et spes idem sonarent, non essent *tria,* sed *duo;* 2 ex Patribus: unus sit Augustinus, qui fidem collocat in actu intellectus, quo creduntur dogmata: spem vero in actu voluntatis, quo sperantur res promissæ: *aliquid etiam quod non speratur, credi potest; quis namque fidelium pœnas non credit impiorum? nec sperat tamen* (7).

Q. 2. *Quomodo fides dividitur?*

R. Triplici modo fides dividitur:

1. In *habitualem,* quæ est *habitus supernaturaliter infusus, permanenter habilitans ad actus fidei eliciendos;* et in *actualem,* quæ est *actualis, firma ac supernaturalis adhæsio rebus revelatis, et ab Ecclesia ad credendum propositis:* hæc si exterius prodeat, exterior; si autem intus in animo lateat, interior appellatur.

(1) Phil. 1. (2) Jac. 2.

(3) *V.* Ciercià, *De Eccles. Christi.* — Arciv. Charvas, *Guida del Catechismo valdese, ossia difesa del Cattolicismo, vol.* I, p. 3, ragion. 3.

(4) L. contra Epist. fund. c. 5. — *V.* Bolgeni, *L'economia della fede cristiana.*

(5) Rom. 10. (6) I Corinth. 13. (7) *Enchir.* c. 8.

2. In *explicitam* et in *implicitam:* explicita fides illa est, qua aliquis fidei articulus creditur in se, sub propriis ac particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur: v. g. qui expresse credit Deum trinum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, habet fidem explicitam Trinitatis: sic etiam credit explicite mysterium Incarnationis, qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam, et Christum esse Deum et hominem.— Implicita vero fides illa est, qua aliquid creditur non in se et in propriis terminis particularibus, sed in alio, in quo illud continetur: sic qui credit in Christum Deum et hominem, eo ipso implicite credit in duplicem ejus voluntatem, etsi eam ignoret. Fides ipsa implicita iterum duplex ab accuratioribus solet distingui: vel enim credimus aliquid in alio, tamquam in principio universali, cui adhæremus, ut cum quis in communi credit quidquid credit Ecclesia, quin tamen aliquid particulare (neque etiam in confuso vel in umbra) sciat aut credat; vel credimus aliquid in alio jam ut in umbra et figura, per quam nempe ipsa veritas credenda confuse significatur: ut cum quis credit, Deum esse missurum Salvationem, sed nesciat media, quibus id sit acturus. Prima dicitur fides implicita latiori sensu: altera vero fides implicita sensu stricto ac proprio; est tamen utraque semper fides implicita.

3. In *formatam,* quæ dicitur etiam *fides viva;* et in *informem*, quæ dicitur etiam *fides mortua.*— *Viva* est quæ gratiam habitualem, sive charitatem sibi conjunctam habet: talis est fides hominis justi. *Mortua* est quæ caret justitia et charitate: talis est fides hominis in statu mortalis culpæ constituti.

Quolibet peccato mortali ita fidem extingui, ut nulla amplius in peccatoribus admittenda sit neque *viva* neque *mortua*, et si quæ adhuc remanere videatur, ea non sit fides vera, nempe divina, sed mere humana, docuit Calvinus, Quesnellus, aliique de Schola Jansenistarum. Sed veritas catholica est, fidem *veram,* nempe divinam, esse posse etiam sine charitate, ac proinde fidem *informem* sive mortuam esse admittendam uti veram ac divinam fidem.

Probatur: 1 ex Scripturis: *si habuero omnem fidem,* ait Apostolus, *ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* (1); sed fides, quæ montes transfert est fides vera et divina; ergo hæc a charitate sejuncta potest in natura sua esse. *Quid proderit fratres mei,* inquit S. Jacobus, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum* (2)? Hic pariter sermo est de fide non humana, sed divina, ideoque vera: atqui hæc dicitur subsistere posse etiam per se et sine charitate; — 2 ex Patribus: pro omnibus unus sit Augustinus, *qui de fide et operibus* totus in eo est, ut ostendat neminem debere salutem æternam sperare, si fidem habeat sine charitatis operibus;—3 ex Tridentino: *siquis dixerit, amissa per peccatum gratia* (en charitatis mortem), *simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit* (3);—4 ex Pontificum Oraculis: Alexander VII hanc sub n. 12 propositionem damnavit: *quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videan-*

(1) I Cor. 13. (2) Ep. c. 2. (3) Sess. 6, can. 28.

tur credere, non est fides divina. Clemens XI aliam similem in Quesnello Jansenismi professore valde insigni confixit; dicendum ergo, charitatem quidem esse non posse sine vera fide, quia fides vera est ejus fundamentum: sed veram fidem esse posse sine charitate; nam stat fundamentum sine ædificio.

Sed si fides (inquies) *in statu peccati mortalis, sive sejuncta a charitate, est fides mortua; ergo amplius non existit, sicuti cessat existere homo actu quo moritur; vel saltem fides quæ remanet, non erit amplius fides vera, nempe divina.*

Resp. neg. *conseq.* et *paritatem:* fides enim sine charitate dicitur quidem *mortua*, sed non quasi cesset existere, quemadmodum mori dicitur homo; bene vero quia operationem in Christiano cessat habere in ordine ad vitam æternam, eo modo quo corpus dicitur *mortuum*, quod existit quidem, sed vita destitutum: hanc comparationem suppeditat Jacobus: *sicut... corpus sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est* (1). Atqui corpus hominis, etiamsi mortuum sit, quia sine anima, adhuc remanet verum corpus humanum; ergo a pari fides, etiamsi mortua, quia sine charitate, adhuc remanet vera fides, nempe divina. In quo enim sita est fidei divinæ natura? profecto in hoc, quod faciat nos assentiri rebus a Deo revelatis ob divinam veracitatem; atqui assensus iste etiam sine charitate haberi potest.

Imo si sermo sit de merito, quod Theologi vocant *de congruo*, ipsa fides mortua meritoria est apud Deum; opera enim meritoria *de congruo* præcedunt justificationem: *nec ipsa remissio peccatorum*, inquit Augustinus, *sine aliquo merito est, si fides hanc impetret* (2). Si res ita non esset, quis amplius peccatores hortaretur, ut se vehementer commendent Dei misericordiæ et Beatæ Virgini, quæ est *refugium peccatorum*, ut in Christi gratiam reverti possint? Quapropter qui absolute et sine ulla restrictione pronuntiat *fidem sine charitate non esse meritoriam*, nobis videtur cum Quesnello sentire, cujus erat hæc thesis damnata sub n. 56: *Deus non remunerat nisi charitatem.*

CAPUT SECUNDUM

DE FIDEI OBJECTO, REGULA, ANALYSI AC SUBJECTO.

Q. 1. *Quodnam est objectum fidei?*

R. 1: *Materiale* fidei objectum (seu materies, circa quam fides nostra occupatur, sive quod credere tenemur) est Deus ipse, et illud omne quod ab eo revelatum fuit. Deus quidem ipse est objectum primarium et proprium: cætera vero ab eo revelata objectum minus proprium et secundarium. *Si vero*, ait D. Thomas, *consideremus materialiter ea, quibus fides assentitur, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum* (3), sive tamquam principium a quo procedunt, sive tamquam finem ad quem tendunt.

R. 2: Objectum vero *formale* fidei seu formalis ratio, quæ nos movet ad

(1) Ep. c. 2. (2) Epist. 194, c. 5, n. 19. (3) 2, 2, q. 1, a. 1.

credendum, est testimonium divinum, sive Deus ipse uti summe verax, imo et prima veritas; omnis namque fides innititur testimonio verum dicentis: ideo enim alicui credimus, quia verax est et vera semper loquitur. Ergo summa Dei veracitas est ratio fundamentalis nostræ fidei, seu motivum ultimum determinans assensum nostrum. Hoc sane sensu inquiebat Apostolus: *cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicuti est vere) verbum Dei* (1). Et in actu fidei expresse dicimus: *credo, Domine, quidquid revelasti, quia summe verax es, qui nec falli nec fallere potes.* Hinc perbelle ajebat Cassianus: *Deus hoc dixit? verbum illius summa ratio est: removeo disputationes; sola mihi sufficit ad credulitatem persona dicentis* (2).

Q. 2. *Quænam est regula fidei?*

R. Regula fidei dicitur illud omne, quod verum fidei objectum vel continet vel declarat: tres vulgo assignantur fidei regulæ: Scriptura, divina traditio et Ecclesia. Quoniam vero neque S. Scriptura neque traditio veritates in se contentas viva voce explicant, idcirco appellari solent regulæ fidei mortuæ seu inanimatæ; Ecclesia autem, quæ Scripturam et traditionem clara ac infallibili auctoritate explicat, dicitur regula viva seu animata (3). Vel etiam dici potest, quod Scriptura et traditio sunt fontes, quæ fidem continent; Ecclesia vero est via seu medium, quo a Deo revelatæ veritates, et in Scriptura et traditione contentæ certo nobis innotescunt: unde patet duo requiri, ut aliquid catholicæ fidei dogma dicatur, Deum revelantem, et Ecclesiam proponentem. Hæretici unam tantum admittunt fidei regulam, nempe sacram Scripturam, medium autem ad Scripturam intelligendam reponunt adhuc in ipsa Scripturæ lectione, in sensu privato, in Spiritus Sancti motione et in examinis via; sed falluntur.

Ad 1: præter Scripturam etiam divinæ traditiones sunt admittendæ tamquam divinæ fidei regulæ: decretorium est illud Apostoli: *fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* (4). In quæ verba scripsit Chrysostomus: *hinc patet quod non omnia per epistolam, sed multa etiam sine litteris; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.* Adde: primæ Ecclesiæ conditæ sunt et plures diu extiterunt sine Scripturis, saltem novi Testamenti; sola igitur traditione illæ fidelium collectiones veritates a Deo revelatas tunc cognoscebant.

2: Medium ad certo cognoscendas veritates a Deo revelatas debet esse: 1 *certum, securum* atque *aptum* ad omnes dubietates solvendas; secus non posset obtinere assensum firmum et immutabilem; 2 *universale;* si enim omnes vocati sunt ad fidem, omnibus obvia esse debet regula, qua fidem ipsam firmiter assequantur ac teneant; 3 *perpetuum:* quantum fides, tantum

(1) I Tess. 2.

(2) *De Incarn.* l. IV, c. 7. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 4.

(3) Propositio Ecclesiæ dicitur etiam regula *proxima* fidei; Verbum autem Dei sive scriptum sive traditum, in quo divina revelatio continetur, regula fidei *remota.*

(4) II *ad Tessal.* 2. — *V* Milner, *Il fine di una Religione controversa.* — Wiseman, *Conferenze intorno alle principali dottrine della Chiesa cattolica.* — Málou, *Della lettura della Bibbia in lingua volgare.* — Perrone, *Il Protestantesimo e la Regola di Fede.* — Moehler, *Dell' unità della Chiesa*, c. 2. — Charvas, *Guida del catecumeno valdese*, ecc. par. 4. — Liguori, *Opera dogmatica etc. sess.* 4, § 8.

ejus regula perdurare debet; sed fides est usque ad consummationem sæculorum duratura. — Si ita est jam patet, medium istud non potest constituere neque sacra Scriptura, cum multa difficilia et obscura contineat, et ea in omnibus fidelium manibus non versetur; neque motio divini Spiritus, quam nimis facile quisque fingere potest; neque sensus privatus, alioquin tot haberemus sententias quot capita; neque examinis via, tunc enim paucissimi fidei veritates assequerentur: cum alii ingenii tarditate, alii rerum temporalium cura et cupiditatum amore ad eas assequendas impedirentur. Et vel ipsi paucissimi, nonnisi cum plurium errorum admixtione, et uni aliis in pluribus dissentientes, veritates fidei sibi compararent. Hoc patet ex protestantibus: quot lites inter illos quoad ipsa primaria fidei capita (1)! unde unitas fidei apud illos penitus evanuit. Dicendum ergo cum Catholicis medium tutum, facile, omnibus obvium ad cognoscendas veritates revelatas in auctoritate viva ac infallibili reponendum esse; et sane major hominum pars sola regitur auctoritate (2). Hæc autem auctoritas viva et infallibilis in nullo alio reperiri potest, nisi in visibili et perpetuo Ecclesiæ magisterio; Ecclesia enim dicitur: *columna et firmamentum veritatis,* quam quidem *qui non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (3).

Objiciunt protestantes: *nos committere circulum vitiosum; nam credimus sacram Scripturam propter auctoritatem Ecclesiæ, et credimus auctoritatem Ecclesiæ propter Scripturam.* — R. Nos credimus primario auctoritatem Ecclesiæ non propter Scripturas, sed propter notas ipsius Ecclesiæ ac motiva credibilitatis: et sane nascente Ecclesia, nondum erant Scripturæ, et tamen jam certa erat veracitas Ecclesiæ. Quod autem secundario ejus veracitas firmetur etiam per Scripturam, non est circulus vitiosus; nam id est sub diversa ratione; et jam firmata Ecclesiæ infallibilitate. Nempe de veracitate et infallibilitate Ecclesiæ nobis jam constat aliunde: nam primo ex motivis credibilitatis probamus, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, ac proin omnia etiam dogmata illius esse vera; secundo ex hoc principio ulterius inferimus probamusque sacram Scripturam esse Verbum Dei, quia nempe Ecclesia vera et infallibilis hæc docet; tertio ex Scriptura autem divina sic certo jam cognita, ipsa Ecclesiæ infallibilitas, quæ jam prius aliunde erat primo probata, ulterius et quasi secundo probatur et confirmatur sine ullo vitioso circulo. — Exemplum habemus in humanis: sit nuntius, qui deferat litteras Regis: quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur indicia credibilitatis, et ubi de illa constat, acceptantur litteræ Regis propter veracitatem nuntii: verum contentis in litteris Re-

(1) *V.* Bousset, *Storia delle variazioni delle Chiese de' protestanti.* — Moehler. *La simbolica, ossia esposizione delle antitesi dogmatiche tra i cattolici ed i protestanti.* — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico,* §§ 266 et seqq.: Origine storica e costituzione delle sette eterodosse. — *Annali Religiosi,* vol I, ser. I. art.: il principio protestante di appellarsi alla S. Scrittura sovversivo della dottrina protestante, e confermativo della feda cattolica ecc.

(2) Quæ auctoritas libertatem non destruit: aquellos son intelectualmente mas libres, que tienen medios mas fáciles para venir en posesion de la verdad, no los que tienen mayor libertad para buscarla con sus propios medios. Ad rem Auctor libri, *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, c. 4: la schiavitú del protestantismo.

(3) I Tim. 3; et Matth. 18.

gis creditur non propter veracitatem nuntii, sed Regis: et si in iis Regis litteris asseratur veritas nuntii, ea firmatur et magis creditur propter veracitatem Regis. Neque ideo est circulus vitiosus; nam eadem creduntur, sed sub ratione diversa (1) (*A*).

Q. 3. *Quid est fidei analysis?*

R. Analysis seu resolutio fidei est illa mentis operatio, qua pervenitur ad rationes, quæ assensum nostrum determinant: seu est discussio principiorum, propter quæ creditur aliqua veritas. Unde quando credimus v. g. tres in Deo esse Personas, ideo nos credere dicimus, divina agente gratia, quia id Deus revelavit in Scripturis; ideo vero nos credere hoc revelatum in Scripturis, quia illud testatur Ecclesia; ideo demum nos testimonio Ecclesiæ tuto fidem habere, quia Ecclesia pro se habet omnia credibilitatis et infallibilitatis motiva (2). Actus ergo fidei quinque importat, veritatem revelatam, auctoritatem Dei revelantis, Ecclesiam proponentem, motiva credibilitatis de veracitate Ecclesiæ nos tutos reddentia, tandem gratiam Dei assensum nostrum dirigentem atque ad statum supernaturalem elevantem; fides enim est donum supernaturale, et nemo venit ad Christum, nisi Pater cœlestis traxerit eum: idque Tridentinum definivit (3).

Primus tamen et ultimus annulus, a quo fides incipit et in quem desinit, constituendus est in divino testimonio ab Ecclesia proposito: nempe divinum testimonium est ratio formalis cur credimus, Ecclesia vero est judex infallibilis seu viva et infallibilis auctoritas, quæ nos certos reddit hoc vel illud esse revelatum, ut nulli dissensioni sit locus. *Quæ quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia* (ut verbis utamur Pii papæ IX), *quæ a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiæ Caput, Principem et Pastorem, cujus fidem numquam defecturam promisit, ædificata, suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinæ, dignitatis, honoris ac potestatis hæredes et vindices* (Encycl. *Qui pluribus*, anno 1846).

Q. 4. *Quid requiritur, ut propositio ad fidem divinam pertineat?*

R. Ecclesiæ propositio est via, qua revelatio divina nobis infallibiliter innotescit; sicuti revelatio divina est via qua nobis innotescit Verbum Dei. Porro propositiones aliæ sunt *explicite* revelatæ, quas nullum est dubium ad fidem catholicam pertinere: explicita enim revelata propositio est, quæ immediate seu propriis aut synonimis verbis in deposito divinæ revelationis

(1) Ad rem Moehler, *Dell' unitá della Chiesa*, c. 2: «La Iglesia católica no se mueve dentro un círculo vicioso, cuando no cree en el Evangelio, sino porque ella misma se da el testimonio de credibilidad. Ella se cree á si misma y sabe el porque: ¿deberia acaso creer mas á los herejes que á ella misma? como la Iglesia mira á si y á sus tradiciones por las cuales el Evangelio escrito ha sido transmitido como divino; por esto la Iglesia lo mira como divino. La Iglesia, el Evangelio y las tradiciones estan y estarán siempre acordes entre sí.» *V.* Billuart, *Cursus Theol. de regulis fidei.* — Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, p. 7, sect. 1, nn. 8 et 9. — Sardagna. *Theol. dogmatico-polemica*, tr. III. — Mayer, *Tractatus prævii de vera Relig.* p. 2. — Carbonius, *Theol. revelata.*

(2) Hac methodo omnes fideles ad eliciendum actum fidei rationabilem facile deducuntur. *V.* exemplum apud Gaume, *Catech. di persever.* p. 2, lez. XVII.

(3) Jo. 6; et Trident. sess. 6, c. 6.

continetur: hujusmodi sunt quæ in Scripturis de Christi ortu, vitæ genere, morte, resurrectione et ascensione exhibentur: item veritates quæ totius Religionis nostræ sunt fundamentum, ut trinitas Personarum in Deo, Christi divinitas, ab eoque facta hominum redemptio. Hinc etiam antequam de iis definitio ab Ecclesia edita esset, merito ut hæretici habiti sunt et condemnati, qui eas negabant; Ecclesia enim definiendo libros sacros Verbum Dei continere, has veritates sufficienter proposuerat uti revelatas ac fide catholica credendas. — Aliæ propositiones seu veritates sunt *implicite* tantum revelatæ, et illæ sunt, quæ nonnisi mediante aliqua illatione vel ratiocinio ab explicite revelatis deducuntur (1): cujusmodi est quæ docet humanam in Christo voluntatem a divina plane distinctam inesse; item quæ adstruit absolutam Baptismi necessitatem quoad infantes etiam a fidelibus parentibus ortos; item quæ tradit, valere Baptismum etiam ab infideli homine administratum, etc. (2). Quæ quidem tunc tantum constituerunt catholicæ fidei dogma, quando id definitum fuit ab Ecclesia christianæ doctrinæ custode, interprete et magistra.

Alii tamen diversam rationem assignant; ajunt, inquirendum esse a quibus præmissis deducatur nostra conclusio. Nam ea potest deduci tum a duobus præmissis revelatis, ut ista: *omnes Apostoli repleti sunt Spiritu Sancto; atqui Matthæus erat Apostolus; ergo Matthæus repletus est Spiritu Sancto.* Tum ex majori generali revelata, et minori non revelata: v. g. *vera Christi Ecclesia debet esse una, sancta, catholica, apostolica: atqui Ecclesia romana est una, sancta, catholica, apostolica; ergo est vera Christi Ecclesia.* Tum ex majori generali omnino certa, sed non revelata, et ex minori revelata: v. g. *omnis homo est risibilis; atqui Christus verus est homo; ergo Christus est risibilis.* His positis dicimus: — 1 propositiones ex duabus præmissis revelatis legitime deductæ, ad fidem divinam pertinent; nam in ipsa propositione revelata formaliter continentur: in hoc quippe natura syllogismi sita est, ut prima præmissarum conclusionem in se contineat, et altera eam esse contentam manifestet; — 2 idem dicendum, si propositiones ex majori generali revelata et minori non revelata deductæ sint; nam adhuc in propositione revelata formaliter continentur: in propositione enim generali continentur, et minor non revelata declarat eas esse contentas (3); — 3 si vero conclusio deducatur ex majori universali omnino certa, sed non revelata et ex minori revelata, utrum ad divinam fidem pertineat, disputant. Alii cum

(1) Propositiones mediate tantum revelatæ solent etiam dici *conclusiones theologicæ.*

(2) Si contracte et obscure aliquid in Verbo Dei contineatur, etsi proxime et immediate in eo contentum sit, adhuc requirit Ecclesiæ declarationem, ut tamquam catholicum dogma, veritas illa ab omnibus accipiatur. — *V.* Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. XXIV: *Se un fatto dogmatico deciso dalla Chiesa sia oggetto di fede teologica.* — Tournely, *Prælectiones* etc.

(3) Sed omnino requiritur, ut *minor* sit absolute certa, uti est in supra laudato exemplo de romana Ecclesia: alioquin firmissimus præberi non posset assensus ad fidem requisitus. Unde si minor esset tantum moraliter certa, conclusio ad objectum fidei non pertineret, et propositio ei adversa non esset hæretica, sed erronea. Hinc in hoc exemplo: *infans legitime baptizatus et ante usum rationis moriens, est sanctus; atqui Petrus ante usum rationis mortuus, legitime fuit baptizatus; ergo Petrus est sanctus:* hæc conclusio ad fidem non pertinet; quia moraliter tantum certum est Petrum fuisse legitime baptizatum, nisi ad summum respectu baptizantis, aut nisi tot fuerint testes, ut absolute certum sit nihil essentiale fuisse omissum.

Antoine, Cano, Vazquez, etc., affirmant; nam talis conclusio necessariam habet connexionem cum propositione revelata: ergo eam vi testimonii divini credere debemus. Sed Lugo, Suarez, Lhermenier aliique probabiliter contendunt, conclusionem illam veram quidem esse veritate theologica; non autem veritate revelata. Sane illa propositio non est vera veritate revelata, ideo neque de fide divina credenda, quæ directe non creditur vi divini testimonii, sed vi illationis theologicæ; atqui talis est hæc nostra (de qua hic agimus) conclusio. Adde: illa assertio non est de ipsa fide divina, cujus major (ideo et conclusio) sine errore in fide negari potest; atqui id evenit in casu nostro: qui sane negaret hominem esse risibilem, errorem diceret, non hæresim; nam proprie non negaret aliquid revelatum. Si tamen accederet definitio Ecclesiæ, tunc nullum amplius dubium est, conclusionem illam esse de fide catholica tenendam; Ecclesiæ enim est de veritate doctrinæ infallibiliter judicare (1).

Criteria, indicia et argumenta, quibus dignoscit Ecclesia an aliquid revera in divina revelatione contineatur, sunt Patrum scripta, libri liturgici, dies festi, acta Martyrum, perpetuus fidelium sensus, et vel ipsorum hæreticorum testimonia; sunt item monumenta archeologica; denique inter omnia eminet primumque sibi locum vindicat juge ac vivum Ecclesiæ magisterium. Multipliciter autem potest ab Ecclesia aliqua veritas catholica definiri: —1 *directe*, et est cum veritas ab Eclesia expresse, seu conceptis verbis credenda proponitur, prout ordinarie fit;—2 *indirecte*, cum nempe *in obliquo* veritas tenenda proponitur, *in recto* autem infallibilitas Ecclesiæ, quæ ita statuit, uti est illud: *si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit* (2); 3 *tacite*, cum ab Ecclesia factum, quod a jure pendet et in eo fundatur, sancitur, uti est illud: *si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit* (3). Hujus canonis objectum per se meram attingit disciplinam; attamen canon dogmaticus est, eo quod jus involvat seu potestatem Ecclesiæ in tali disciplina sancienda.

Q. 5. *An fidei objecta lapsu temporis creverint?*

R. Veterum præsertim scholasticorum communis erat sententia cum D. Thoma (4) fidem catholicam quoad substantiam credendorum semper eamdem fuisse vel ab ipso mundi exordio, et tantum novas explicationes successive obtinuisse; omnia enim dogmata jam satis implicite continebantur in fide Dei et divinæ providentiæ; hinc Augustinus : *tempora variata sunt, non*

(1) Propositio quæ annuntiat rem sicuti est, sed in deposito revelationis nec mediate nec immediate contentam, dicitur *certa*, uti est propositio quæ docet dari actus in specie sua et in abstracto indifferentes. Si vero gravibus, sed non inconcussis nitatur momentis, tantum *probabilis* dicitur, ut sunt Theologorum opiniones; si enim adhuc opiniones sunt, de probabilitatis finibus non exeunt. At si propositio in deposito divinæ revelationis sit contenta, adeo ut nihil amplius desit ut sit fide catholica credenda, nisi Ecclesiæ definitio, dicitur *proxima fidei*.

(2) Trident. sess. 24, can. 7. — *V.* card. Perrone, *Disquisitio theolog. de immaculato V. M. conceptu.*

(3) Tridentinum, sess. 22, can. 7.

(4) 2, 2, q. 1, a. 7.

fides (1).—Verum plures recentiores cum Antoine docent: 1 objecta fidei ab Adamo ad Apostolos inclusive crevere non tantum secundum quid, quatenus quædam fuerunt pedetentim explicata; sed etiam simpliciter, quatenus aliquid novi fuit revelatum. Sane complura in lege naturæ revelata sunt Abrahamo aliisque Patriarchis: complura item innotuere per Moysen aliosque Prophetas in lege scripta, quæ nequeunt haberi ut nudæ explicationes primæ revelationis: et merito ex Augustino, *nam gradatim et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit* (2); 2 ab Apostolis usque ad nos objectum fidei *simpliciter* non crevit; tum quia Spiritus Sanctus docuit Apostolos *omnem veritatem* (3); tum quia Ecclesia numquam sibi attribuit potestatem dogma novum revelandi. Crevit tamen et crescit *secundum quid*, quatenus revelatio jam facta, per auctoritatem Ecclesiæ infallibilem vel explicatur vel ad singularia objecta applicatur, vel controversa certificatur, quod tamen non est condere nova dogmata (4).

Q. 6. *Quid de revelationibus privatis tenendum est, quas Sanctis plerisque factas scimus etiam post Apostolorum ætatem?*

R. Privatæ revelationes ad fidem catholicam non pertinent; fides enim nostra, ait Angelicus, non innititur revelationibus quibuscumque; sed iis dumtaxat, quæ Patriarchis, Prophetis et Apostolis factæ sunt, et idcirco fideles dicuntur in Scripturis *superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (5). Neque facessit, quod Ecclesia nonnullas approbaverit, ut sanctarum Birgittæ ac Catharinæ Senensis; cum enim Ecclesia id agit, numquam easdem revelationes nobis credendas proponit uti dogma catholicum; sed sua approbatione solum intendit declarare nihil in ipsis contineri contra fidem, aut bonos mores: nempe tamquam pias et absque ulla superstitione prudenter recipi posse, licet adhuc, salva fide, ab iis possit recedi, si fiat, ut ait Benedictus XIV (6), *cum debita moderatione, non sine ratione et citra contemptum.*

Ex quo recte concluditur, generatim loquendo, neminem teneri reapse credere tali revelationi: nec si credat, talem assensum posse esse fidei catholicæ aut divinæ, cum non innitatur divino testimonio, sed testimonio humano, id est personæ, cui revelatio facta est. Diximus *generatim loquendo;* etenim non tantum persona cui fit revelatio, sed etiam persona ad quam dirigitur revelatio (ut si Deus alicui revelet quod talis Prælatus non recte se gerit), si proponatur cum sufficientibus argumentis rite probatis, eam credere debet; Deus enim illi loquitur per alium, et proinde ab eo exigit fidem (7).

(1) Tract. 45 in Jo.

(2) *Q. ex novo Test.* c. 86.—Ad rem doctiss. Klee in suo opere. *La Storia dei dogmi*, vol. I sub initio: «La substancia de los dogmas fué y subsiste siempre la misma, pero su formacion dogmática progresa con el tiempo al par con la razon veraz y sincera, que los medita, y contra los falaces y subjetivos esfuerzos de quien los ataca.» *V. Amico Cattolico.* Milano vol. XII, ser. 1.ª, art. le variazioni in dottrina. (3) Joann. 5 et 16.

(4) *V.* Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum, quæ de rebus fidei et morum a Conciliis et summis Pontificibus emanarunt.* Lipsiæ et Neapoli.

(5) Eph. 2.—D. Thomas, 1 p. q. 1, a. 8.

(6) L. III, c. ult. *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum Canonizatione.*

(7) Imo quod pertinet ad illum, cui fit revelatio, sunt qui cum Gotti docent hanc credi debere

Quomodo (quæres) *se gerere debet Confessarius cum pœnitente, qui sibi a Deo factas revelationes affirmat?* — Confessarius admodum caute procedat, maxime cum mulieribus, ita ut non sit nimis credulus, sed neque omnino incredulus: *prænonendus lector est*, inquit doctissimus Blosius, *ne perversum quorumdam hominum judicium sequatur, qui revelationes et visiones ceu vanissima somnia contemnendo se parum spirituales esse ostentant.* En regulæ generatim in hac re: 1 jubeat pœnitenti, ut sibi referat omnia, quæ videt et audit sive vera sive falsa: ipse tamen neque de iis cognoscendi desiderium ostendat, nec quæ sibi manifestantur, aliis aperiat; 2 caveat, ne peculiarem existimationem animæ illius manifestet; multo minus alios ad illam mittat, ut ejus precibus se commendent. Imo ostendat se illam non facere majoris quam cæteras, sicque in humilitate et timore eamdem contineat; 3 si percipiat ipsam in perfectione proficere, adjuvet, et animosiorem faciat, uti historia Ecclesiastica nos docet fecisse S. Franciscum Borgia, et B. d'Alcantara cum S. Theresia, quam tutam fecerunt supernaturalia dona, quibus effulgebat, vere esse a Deo; 4 eam hortetur, ut initio orationis uti præludium præ oculis sibi ponat aliquod vitæ et passionis Christi Domini nostri caput *(B)*.

Q. 7. *Quodnam est fidei subjectum?*

R. Subjectum fidei aliud est proximum, aliud remotum. *Proximum* est ipsa facultas seu potentia personæ, in qua fides residet: hæc nihil aliud est, quam intellectus; *credere,* ait D. Augustinus, *est cum assensu cogitare:* atqui cogitatio residet in intellectu; ergo et credere, ac proinde etiam fides. Adde ex Apostolo: fidei succedit visio patriæ: *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* atqui visio est in intellectu, ergo et fides (1). — Subjectum fidei *remotum* est persona fidei capax: eam porro habuerunt et Angeli et homines in eorum prima conditione; cum enim homo et Angeli in prima sui conditione donati quidem fuerint gratia, sed hæc in ipsis non esset consummata, ita ut Deum per essentiam videre possent; oportuit iisdem quamdam fuisse inchoationem speratæ beatitudinis. Quæ quidem inchoatio locum habet in voluntate per spem et charitatem, in intellectu per fidem.

Quid (quæres) *de beatis, damnatis, animabus purgantibus atque infidelibus? habentne veram fidem?* — R. 1 Quoad beatos dicimus: cum fides ex Apostolo sit *argumentum non apparentium,* id est *certa apprehensio eorum,*

fide divina theologica: et consequenter quæcumque ipsi revelantur a Deo esse objectum materiale fidei divinæ; cum prima Veritas sit ratio propria et proxima assentiendi omnibus quæ revelantur, quibuscumque revelentur. Sed negant alii ipsum posse privatæ revelationi credere ex fide catholica, qua Christianus est; cum hæc revelatio non contineatur in ambitu objecti formalis catholicæ fidei, sed ex alio speciali lumine superno eruatur. *V.* Benedictus XIV, *loc. cit.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.* append. 1, n. 19, ubi etiam de locutionibus et visionibus.

(1) I Cor. 13. — Verum ad illius assensum requiritur etiam pia in nobis liberæ voluntatis affectio, et idcirco dicimus fidem esse etiam penes voluntatem: et Apostolus ad Rom. x habet: *corde... creditur ad justitiam*; *ore autem confessio fit ad salutem.* Sane mens nostra numquam ad assensum determinatur, nisi vel ab ipsa veritate per suam evidentiam, vel a voluntate per liberam sui motionem. Atqui in rebus fidei non potest mens nostra determinari ad assensum per veritatis evidentiam, cum res fidei non sint apparentes; ergo determinatur per liberam ac piam voluntatis motionem: Ideo fides est meritoria apud Deum. *S. Thomas.*

quæ non videntur, ut exponit Angelicus (1), beati autem jam *facie ad faciem* contemplentur, quæ nos non videmus nisi per *speculum in ænigmate,* consequenter aperta res est, fidem in beatis non reperiri (2); — 2 ad damnatos quod attinet, cum ex eoden Apostolo fides sit *sperandarum substantia rerum,* et donum valde insigne gratiæ divinæ, cumque damnati nulla amplius spe recreari possint in eorum suppliciis sine fine duraturis, iis divina fides non competit; — 3 idem valet de dæmonibus: etsi enim, dicente Jacobo, *dæmones credunt et contremiscunt;* hæc eorum fides non est supernaturalis, sed naturalis, coacta et orta ex evidentia rerum; — 4 quod pertinet ad animas purgantes, cum ipsæ nondum videant Deum *facie ad faciem et sicuti est*, patet in iis adhuc fidem manere; — 5 tandem ad infideles quod spectat, ut ipsum per se nomen sonat, fidem non habent.

Quid (dices) *de hæretico, qui quosdam articulos credit et quosdam rejicit?*— R. Vel agitur de hæretico materiali, qui nempe credere paratus est quidquid Ecclesia catholica credit, et ex ignorantia tantum in quibusdam fidei dogmatibus errat; quia nondum Ecclesiæ sensum est assecutus. Vel agitur de hæretico formali, qui nempe post assecutum Ecclesiæ sensum adhuc in quibusdam assentiri recusat.

Si 1, hæreticus ille totam et integram fidem habet *in habitu;* nam non errat pertinaciter : sic nemo negaverit veram fidem habuisse S. Cyprianum etiam actu, quo Baptisma ab hæreticis collatum rejiciebat uti invalidum. Si 2, Durandus aliique pauci existimant veram fidem in hæreticis formalibus aliqualiter adhuc manere relate ad eos articulos, quos credunt. Communis tamen et verior sententia cum D. Thoma negat; etenim sicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita discredere unum articulum contrariatur fidei : atqui charitas non remanet in homine post unum peccatum mortale; ergo nec fides in eo, qui discredit unum articulum fidei. Adde: qui nonnulla credit, et nonnulla rejicit, agit ex proprio judicio, ideoque non ex fide, ut argumentatur D. Augustinus (3). Adde: fides habet unum medium credendi, *scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiæ intelligentis sane*; *et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret:* ita Angelicus (4). Hinc Apostolus de quibusdam, qui tantum negabant corporum resurrectionem, generatim ait, *circa fidem naufragaverunt* (5).

CAPUT TERTIUM.

DE FIDEI PROPRIETATIBUS.

Plures sunt fidei divinæ proprietates, seu plures requiruntur conditiones, ut fides divina uti genuina habeatur. Oportet nempe, ut sit: 1 *libera:* legitur enim: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; *qui vero non credi-*

(1) 2, 2, q. 4, a. 1.

(2) Sed quomodo sciunt quæ nondum sunt, ut futura resurrectio, judicium generale, aliæque veritates futuræ? — R. Communius docent Theologi, beatos hæc non scire per fidem divinam sicuti nós; sed illa in Deo videre intuitive.

(3) L. XVII, c. 3 contra Faustum. (4) 2, 2, q. 5, a. 3. (5) I Tim. 1.

derit, condemnabitur (1): quæ verba evidenter supponunt possibilitatem credendi et non credendi; 2 *honesta:* sane si laudabilis est fides humana, multo magis divina juxta illud: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (2); 3 *supernaturalis:* fides enim hæc nostra tendit ad Deum supernaturaliter cognitum: ergo ejus actus supernaturalis est; 4 *una:* juxta illud Apostoli: *unus Dominus, una fides, unum baptisma* (3): et verè una est tantum ratio formalis credendi, scilicet Dei veracitas, 5 *meritoria:* hinc Tridentinum docet fidem præparare hominem ad justificationem (4): et Apostolus de Judicibus et Prophetis dicit: *per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones* (5); 6 *obscura:* ex parte nempe rei revelatæ: alioquin de ea non haberetur fides, sed scientia. Revelatio quidem fidei existentiam infallibiliter aperit, sed naturam ejus non manifestat; cæterum hoc non impedit, quominus fides omnimodam habeat certitudinem, credibilitatem et necessitatem.

ARTICULUS I. — *De fidei certitudine ac credibilitate.*

Q. 1. *Quanta est fidei certitudo?*

R. Tanta est fidei certitudo quanta est ipsa Dei revelantis auctoritas: huic enim soli tamquam objecto suo *formali* innititur; atqui Dei auctoritas in revelando certissima est, ergo et fides nostra. *Major* a nemine impugnatur: *minor* rejicitur a Priscillianistis, a Manichæis et a quibusdam aliis, qui contendebant Deum mendacii esse capacem. Sed est atrox blasphemia, auctoritas enim Dei in revelando est quædam quasi complexio tum ex infinita sapientia, qua res uti sunt, ita novit, ut falli non possit; tum ex infinita bonitate, qua res uti sunt, ita nobis vult revelare, ut non possit fallere. Hinc in Scripturis legitur: *non est Deus quasi homo, ut mentiatur: est autem Deus verax; omnis autem homo mendax.* Unde tuti exclamare debemus cum Apostolo: *scio.... cui credidi, et certus sum* (6).

Accedit ratio: 1 Deus est summa veritas; atqui si in revelando mentiri posset sive de potestate ordinaria sive de extraordinaria, jam non esset summa veritas; 2 Deus est ens perfectissimum, ideo ejusdem naturæ omnino repugnat agere malum; quia semper est contrarietas boni et mali, veri et falsi; 3 fides supernaturalis et utilis ad salutem requirit assensum certum ac firmum; sed hic assensus haberi non potest sine certa ac firmâ revelatione: hinc Innocentius XI hanc sub n. 21 damnavit propositionem: *assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne locutus sit Deus.*

Imo assensus fidei est certior ipsa cognitione naturali; nam fides innititur veritati divinæ, cognitio vero naturalis rationi humanæ; ergo concludit Angelicus: *multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione quæ falli potest* (7). Unde ait D. Petrus: *habemus firmiorem propheticum sermonem* (8). Sed hoc intelligen-

(1) Marc. 16. (2) I Jo. 5. (3) Eph. 4.
(4) Sess. 6, c. 6 (5) Hebr. 11. (6) Num. 23; Rom. 3; et II Tim. 1.
(7) 2, 2, q. 4, a. 8. (8) Ep. 2, c. 1.

dum de certitudine fidei secundum *appretiationem,* non secundum *intensionem.* Nam sæpe contingit, ut scientia clarius percipiatur ab intellectu, atque ut connexio scientiæ cum veritate magis appareat, quam connexio fidei cum eadem ; cognitiones enim naturales utpote captui nostro accommodatæ magis animum quietant, oblectant ac veluti satiant.

Q. 2. *An fides major vel minor esse possit in uno, quam in alio?*

R. Cum Contensonio: non ideo fides potest dici major vel minor, quasi ipsa possit aliquem articulum repudiare; tunc enim fides foret infidelis, quod absurdum est. Neque dicitur major vel minor ex parte objecti formalis, cum hoc sit unum et simplex, nempe prima veritas.

Quare ex parte solius objecti materialis potest dici fides major vel minor, quatenus nempe unus præ alio habere potest majorem vel minorem fidei explicationem et plurium vel paucarum veritatum notitiam. Vel etiam secundum majorem vel minorem subjecti participationem, tum ex parte intellectus ob majorem vel minorem mentis adæsionem ; tum ex parte voluntatis, propter majorem vel minorem promptitudinem, devotionem et pietatem. Hinc recte usurpatur precatio illa: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (1).

Q. 3. *Quid est fidei credibilitas et quotuplex?*

R. Fidei credibilitas est evidentia illa, propter quam nos rebus revelatis assensum nostrum exhibemus. Duplex evidentiæ genus oportet distinguere: aliud, quod rem aliquam ostendit evidenter esse veram, et dici potest *evidentia veritatis;* aliud, quod evidenter ostendit rem illam esse credibilem, et potest appellari *evidentia credibilitatis.* Illud est evidenter verum, quod ab intrinsecis rei principiis evidenter cognoscitur: hoc modo certum est duo et duo efficere quatuor. Illud autem est evidenter credibile, quod probatur argumentis extrinsecis, nempe testibus, monumentis, signis et similibus tam fide dignis, ut illud evidenter appareat firmo assensu omnino dignum, neque in dubium amplius revocabile absque imprudentiæ censura: hoc modo certi sumus existere Romam, licet ibi non fuerimus.

Q. 4. *Quænam evidentia fidei nostræ convenit?*

R. Fidei nostræ non convenit evidentia veritatis; si enim fides haberet hanc evidentiam, jam frustra diceretur ab Apostolo *argumentum non apparentium.* Convenit tamen evidentia credibilitatis, qua fit rationabile obsequium nostrum: *non enim crederet* (homo), ait Angelicus, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi* (2). Sic evidentia credibilitatis cognoscimus mysterium Ss. Trinitatis fuisse nobis a Deo revelatum, et ab Ecclesia propositum, quin tamen mysterii naturam perspiciamus; nam hoc illi tempori reservatur, cum Deum non amplius videbimus *in speculo, in ænigmate; sed facie ad faciem, et sicuti est.*—Fidei nostræ evidentiam credibilitatis revera convenire, septem præcipue argumentis solent ostendere Apologistæ: quæ quidem sunt totidem quasi sigilla, ut ait Scaramelli (3), quibus fides nostra obsignatur. Hæc celebris Gagliuffi paucis extemplo contraxit versibus:

(1) Marc. 9. (2) 2, 2, q. 1, a. 4.

(3) *Direttorio Ascet.* tr. IV, c. 1. — *V.* Liguori, 1 *Verità della fede;* 2 *Verità della fede fatt evidente per i contrassegni della sua credibilità* — Frayssinous, *Difesa del Cristianesimo,* lib. I.

Credite. Sunt vobis præsto septena sigilla,
Ut sit tuta Fides. Sanctorum Oracula Vatum;
Portenta æterna semper rutilantia luce;
Lex Sancta; immensi famæ laudumque Triumphi;
Firmantes verum devoto sanguine Testes;
Gloria, qua mundus late patet, inclyta; et usque
Firmumque et certum tot post discrimina Regnum.

1^m^ Est *Prophetiarum*, quæ Religionem nostram respiciunt, adimplementum: quæ nedum a Christianis postmodum confictæ sint, ab adversariis nostris Judæis religiosissime pluribus ante eventum annis asservabantur. At futura contingentia prædicere est solius Dei (1);—2^m^ est numerus prope infinitus *miraculorum*, quæ in Religionis nostræ confirmationem patrata sunt, et quorum præcipuum est ipsa gloriosissima Christi resurrectio. Miracula enim esse nequeunt, nisi a vero Deo, et quidem in testimonium veritatis, ne Deum ipsum testem falsitatis faciamus;—3^m^ est *sanctitas* et *excellentia doctrinæ* catholicæ Religionis; puritas enim decurrentis aquæ puritatem scaturiginis testatur;—4^m^ est omnium doctissimorum atque ipsorum adversariorum *testimonium*, qui fidem scrutantes defecerunt in investigationibus suis: at non ipsa defecit fides in sua firmitate. Ex quo illud contigit, ut quos fides habebat adversarios, habeat laudatores (2);—5^m^ est *Martyrum* constantia et multitudo, qui Religionem catholicam proprio sanguine obsignarunt; neque enim nisi per virtutem divinitus infusam evenire potuit, ut hilariter tot omnium ætatum, sexus et conditionis vitam prodigerent (3);—6^m^ est catholicæ Religionis in orbem universum *propagatio*, quippe quæ facta fuerit summa cum celeritate, maximis obstaculis contra nitentibus, et instrumentis ex se omnino ineptis ad tantum finem obtinendum. Quare nihil humani hic esse potest; adeo ut exclamandum sit cum Tertulliano: *incredibile, ergo divinum* (4);—7^m^ est ipsa antiquitas et numquam interrupta *perseverantia*, qua catholica Religio tot inter procellas et persecutiones semper invicta conservata est, ut merito possimus exclamare: *digitus Dei est hic*. Sane error non habet profecto, quod sit permanens (5) *(C)*.

(1) *V.* Puy, *L' incredulità convinta colle Profezie.* — Muzzarelli, *L' Emilio disingannato*, t. I, dial. 14 et 15. — Lacordaire, *Confer.* XLI: della preesistenza di G. C.

(2) *V.* Houteville, *La verità della Religione cristiana provata coi fatti.* — Jamin, *Pensieri* ecc. — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 3, lez. 20. — *Cattolico*, vol. XXII. Testimonianze de' pagani in favore del Cristianesimo — Ricordi, *La Religione Cattolica Apost. dimostrata dalla rivoluzione del* 1789. Torino. — *L' incredulità convinta dagli stessi suoi seguaci.* Lucchesini, Lugano.

(3) *V.* Muzzarelli, *Il buon uso della Logica*, opusc. VIII et XXII. — Ruinart, *Acta SS. Martyrum.* — Liguori, *Vittorie de' Martiri.*

(4) *Ad Marcion.* — *V.* Bullet, *Estabilimento del Cristianesimo.*

(5) Segneri, *L' incredulo senza scusa.* — Valsecchi, *I fondamenti della Religione.* Contra modernos, qui Ecclesiam privilegiis expoliantes debellare putant, ad rem *Saggio intorno al socialismo*: «Hombres de un dia de vida se creen vencer á la Iglesia y al clero, que (cuando está unido á ella y habla y obra en nombre suyo es la Iglesia misma, esto es, la parte que piensa y que la rige), hombres de un dia se creen vencerla, cuando le han usurpado algun derecho, oprimido en alguna de sus libertades ó arrebatado alguna parte en uno de los pequeños ángulos del mundo que se llaman Estados, en uno de los momentos que se llaman edades ó generaciones de una nacion. Miserables! ellos no son mas que gusanos de la tierra, cuando la Iglesia es universal é infinita en tiempo y lugar etc.»

Sed (dices) *si tot argumentis innititur nostræ fidei credibilitas, non erit virtus divinitus infusa, nec donum Dei supernaturale?*—R. Tametsi argumentis a ratione petitis ad catholicam Religionem adducamur; tanta tamen est imbecillitas intellectus humani, ut nemo divina fide credere actu valeat, nisi lumine etiam supernaturali ejus mens illustretur; nam cum credibilitatis motiva extrinseca sint et ab hæreticis impugnata, non penitus tollunt rei credendæ obscuritatem; neque ideo tantam pariunt evidentiam, ut intellectus illico ac necessario rapiatur ad assentiendum. Quare motio requiritur voluntatis, et quidem ex gratiæ auxilio juxta illud quod de Lydiæ conversione legitur: *Dominus aperuit cor* (Lydiæ) *intendere his, quæ dicebantur a Paulo* (1). Hæc nempe divina illustratio: 1 mentem roborat ad divinam revelationem attentius considerandam; 2 pium excitat in voluntate affectum erga revelatam Religionem: et eo vix concepto, voluntas imperat menti, ut veraci testimonio Dei revelantis innixa, licet revelatis rebus non intrinsece perceptis, firmiter tamen iis assentiatur. Ideo motiva credibilitatis hoc tantum præstant, ut assensus, quem nostræ Religioni præbemus, sit utique prudens; sed non supernaturalis, atque uti par est omnino firmus ac meritorius. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 23 propositio: *fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

ARTICULUS II.—DE FIDEI NECESSITATE.

Duplex hoc loco distinguitur necessitas (quæ distinctio in re theologica est quammaxime attendenda): alia *medii*, alia *præcepti*. Necessarium *necessitate medii* illud est, sine quo etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri non potest; et ideo dicitur etiam *necessitas finis:* necessarium *necessitate præcepti* est illud, quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest, et dicitur etiam *necessitas moralis*. Unde quidquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si in nostra sit potestate; nam eo ipso præcepto, quo tenemur nostram nobis salutem procurare, tenemur etiam nobis ipsis illa comparare media, quæ ad salutem sunt necessaria.—Hic non loquimur de fidei habitu; fidem enim habitualem ad salutem omnibus esse necessariam necessitate medii clarum est: nemo enim potest salvari sine gratia sanctificante; at gratia sanctificans est a fide habituali inseparabilis. Est igitur tota quæstio de fidei actu, et quidem respectu adultorum; nam infantes illius sunt incapaces: unde salvantur per fidem habitualem, quæ per Baptismum iisdem confertur.

§ I.—*De fidei necessitate ratione actus interioris.*

Q. 1. *An sit de necessitate medii aliquid credere fide supernaturali?*

R. Certum est omnibus adultis ratione utentibus necessarium esse supernaturalem et interiorem fidei actum necessitate medii, adeo ut sine eo veram

(1) Act. 16. — Si semper, hodie maxime precibus instandum, ut fidem servemus, imo fides nostra supercrescat, in tanta iniquorum contra eam pugnantium, multitudine.

justificationem obtinere non possint. Est contra Wega et eos, qui putant hominem invincibili mysteriorum fidei ignorantia laborantem salvari posse sola naturali cognitione Dei.

Probatur catholica veritas:—1 ex Scripturis; Apostolus enim expresse docet: *sine fide... impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (1); Apostolum autem loqui de fide supernaturali constat, quia loquitur de ea fide, quam definivit, quod sit *sperandarum rerum substantia,* et *argumentum non apparentium:* quæ porro fides certe supernaturalis est, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, et res non apparentes humana ratione investigari nequeant;—2 ex Patribus: *fides*, inquit S. Ambrosius, *est salutis nostræ pretium, sine quo non emitur Regnum cœlorum* (2). *Fides est*, inquit S. Fulgentius, *bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam, nec in futuro vitam consequitur æternam* (3); —3 ex Ecclesiæ decretis: Tridentinum aperte asserit *sine fide nulli* umquam contigisse justificationem; et addit: *fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire* (4). Confirmatur ex propositione, quam sub n. 23 Innocentius XI proscripsit.

Sed (dices) *si ita est, ergo adultus licet in infantia jam baptizatus, si de rebus fidei nec audivit umquam, nec audire quidquam potuit, æternis inferorum suppliciis addiceretur ob omissionem actus, qui fuit ipsi impossibilis; atqui hoc repugnat divinæ Bonitati.*—Non desunt Scholastici, quibus persuasum est saltem eos adultos, qui per Baptismum in infantia susceptum justificati sunt, posse sine fidei actu salvari (5); verum hoc probari non potest; ideo respondemus cum D. Thoma: cum amicis suis Deus in necessariis non desit, nisi prius ipsi defuerint, neque eos deserat nisi prius deseratur ab ipsis; curabit procul dubio suppeditare iisdem media necessaria, quibus pervenire possint ad fidem (sicuti fecit cum Cornelio, mittendo Angelum), ita ut nemo eorum pereat ob defectum fidei sibimet impossibilis.

Q. 2. *Quænam credenda sunt de necessitate medii* (6)?

R. Adulti de necessitate medii alia credere debent fide supernaturali implicita, alia fide supernaturali explicita. Fide supernaturali implicita (saltem latiori sensu) credere debent omnia a Deo revelata, nempe necessarium est, ut generatim credant vera esse omnia, quæ a Deo revelata sunt et per Ecclesiam proposita; ita enim quærit Dei revelantis auctoritas. Verum sola

(1) Hebr. 11. (2) In Ps. 37. (3) In proleg. de fide.

(4) Sess. 6, c. 7 et 8. — Hic vid. Bourdaloue, *Dominicales sermons sur la Foi.* Est autem omnino rejicienda singularis opinio Andreæ Vegæ aliorumque paucorum, qui docent recensita testimonia posse intelligi de fide etiam in voto, et non tantummodo in re; ideoque adultum invincibiliter ignorantem mysteria fidei posse justificari. Nam fides est dispositio interna, omnis justificationis radix: nihil proinde supponit, in quo votum ejus includatur. Suarez censet absque errore in fide id negari non posse.

(5) Act. 10. — D. Thomas, *Quæst.* 14 *de ver.* a. 1.—*V. Bibbia* di Vence, vol. VI, *Dissert.* Sulla eterna salute dei gentili. — *Tesori di confidenza in Dio.* — De-Lugo, *De fide.*

(6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 2; et *Homo Apost.* tr. IV, n. 3. — Klee, *Storia de' dogmi.*

hæc implicita fides non sufficit ad salutem; sive enim agatur de tempore ante sufficientem Evangelii promulgationem, sive de tempore post promulgationem illam, aliqua fides explicita ac determinata nonnullorum articulorum semper fuit de necessitate medii ad æternam salutem.

Ac *primo:* hæc duo fuerunt omni tempore ab omnibus, et ideo etiam ante Evangelii promulgationem, de necessitate medii determinate et explicite credenda fide supernaturali, nempe Deum existere, atque justos in vita futura esse remuneraturum. Patet ex Apostolo (1): *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hinc propositio: *nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris,* ab Innocentio XI damnata est sub n. 22. Et sane, ut quis vitam æternam mereatur, modo supernaturali vivere debet; quod non potest, nisi Deum remuneratorem cognoscat. Communissime autem docent fidem explicitam Dei bonos remunerantis, importare etiam fidem explicitam Dei malos punientis. Non autem necessaria fuit ante Evangelium fides explicita in Trinitatem; sed satis erat fides implicita, et quidem latiori sensu; si secus esset, Deus Trinitatis revelationem Judæorum vulgo non denegasset: quod tamen merito fecit, ne scilicet ipsi in cultum idolorum jam proni Deorum pluralitatem suspicarentur ex tali notitia (2).—Utrum vero post Adæ peccatum ante promulgatum Evangelium fuerit necessitate medii necessaria etiam aliqua fides Incarnationis, seu in Christum, afirma: homo enim lapsus reparari non potest, nisi aliquo modo uniatur Redemptori et per Redemptorem Deo; quod fieri nequit nisi per aliquam fidem. Hinc in Scriptura: *non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri; non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* (3). Fides autem hæc ante sufficientem Evangelii

(1) Hebr. 11. — Diximus necessario esse credendum *actu explicito et supernaturali* Deum existere, et in vita futura esse remuneraturum opera hominum; nam de existentia Dei ut auctoris naturalis, plures nequeunt habere fidem; cum ratio naturalis evidenter eam jam demonstret. Hinc Deum esse non dicitur articulus fidei; sed præsupponitur ad articulos; seu est fidei præambulum, ut ait Angelicus (1 p. q. 11, a. 2), sive conditio, sine qua fides non existeret; vel rectius fundamentum est totius Religionis revelatæ, et supponitur in omnibus fidei professionibus; nam prius credimus Deum existere, quam revelasse. *Thomistæ.*

Quamquam nihil videtur obstare quominus circa idem objectum scientia et fides existat, et fides rationi accedat, ut naturæ gratia. Sane quidquid est in libris canonicis ab auctoribus inspiratis narratum ad fidei objectum pertinet; et tamen in iis plura narrantur, quæ ad scientiam spectant, et viis naturalibus cognosci possunt: v. g. miracula Moysis, Christi, Apostolorum a testibus oculatis evidentia sensuum cognoscebantur. Adde: dicere unusquisque tenetur: *Credo in Deum... omnipotentem, creatorem Cœli et terræ*: quæ tamen per vias naturales optime cognoscuntur. Adde: non repugnat, quod firmus præbeatur assensus Deo revelanti sive objectum sit clarum, sive obscurum. Et tunc duplex distingui potest actus adhæsionis, unus evidentia innixus, et pertinet ad scientiam naturalem; alter revelatione fundatus, qui ideo est actus fidei. — *V.* Bouvier, *De fide*, art. 3. — Benedictus XIV, *De SS. Canonizatione*, l. III, c. 19, n. 10.

(2) Diximus *Judæorum vulgo;* Patriarchis enim et Prophetis notificata fuit, licet non ita clare: imo Trinitatis vestigium vel apud ipsos gentiles inveniunt eruditi. — *V.* Chateaubriand, *Genio del Cristianesimo*, l. I, c. 3. — Bergier, *Dizionario* ecc. V. Trinità. — Feller, *Catechismo filosofico*, art. Trinità. — D. Nazianzenus, *Orat.* 37. — D. Crysostomus, Homil. *de incomp. Dei natura.* — S. Isidorus Pelus. l. II *Epist.*

(3) Act. 4; et Gal. II.

promulgationem, non requirebatur explicita; sed sufficiebat implicita, in sensu tamen stricto. Hinc Apostolus loquens de mysterio Incarnationis ajebat (1): *quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus.* Ita generatim cum S. Thoma (2).

Secundo: hodie, facta Evangelii promulgatione, non sufficit fide explicita credere Deum existere et in altera vita remuneratorem esse; sed insuper requiritur ut de necessitate medii, et quidem explicite ac determinate, credantur mysteria tum SS. Trinitatis, tum Incarnationis, sub qua comprehenditur Redemptio; etenim post Evangelium status gratiæ factus est perfectior, unde perfectior requiritur notitia Christi ac Trinitatis. Utrumque confirmatur: ac primo de Incarnatione legitur: *hæc est autem vita æterna* (nempe medium ad vitam æternam), *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (3); atqui *solus verus Deus* est credendus explicite; ergo et missio Jesu Christi. Et D. Augustinus habet: *a damnatione se non liberabunt qui dicere poterunt, se non audivisse Evangelium Christi.* Neque sufficit cognitio Incarnationis Jesu Christi solitarie accepta; sed insuper conjungi debet cum ejus morte; nam ipse Christus instituit comparationem inter se ipsum exaltatum in cruce et serpentem exaltatum in deserto; ut sicuti nullus salvus erat a morsibus serpentum, nisi qui aspexisset serpentem in deserto elevatum, ita in nova lege nemo consequitur salutem, nisi qui Christum in cruce exaltatum aspicit. — Hoc autem esse non potest sine explicita Trinitatis notitia; nam ut ait S. Thomas: *in mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit; et iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit* (4). Hinc in Symbolo Athanasii legitur: *fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.... Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque D. N. J. C. fideliter credat....*

(1) *Coloss.* 1. Theologi tres distinguunt gradus fidei implicitæ in Christum: 1 gradus, si credatur Deum homines salvaturum esse per media sibi nota; 2 si credatur futurum esse Redemptorem seu Mediatorem inter Deum et homines; 3 si credatur hunc Mediatorem futurum esse Deum, licet ignorentur media quibus operanda sit redemptio. Fatentur tertium gradum necessarium non esse; quidam volunt secundum gradum requiri: sed alii communius dicunt primum gradum sufficere; tum quia hic gradus videtur proportionatus imbecillitati hominum lumine revelationis positivæ destitutorum; tum quia durius esset dicere homines Judæos Messiam temporalem tantum expectantes et aliunde recte viventes, vel ad Deum sincere redeuntes, salutem consequi non potuisse. (2) 2, 2, q. 2, a. 7. (3) Joann. 17.

(4) 2, 2, q. 2, a. 7.—*V.* Ferraris, *Bibl.* V. Fides.—Notant autem pro praxi:—1 si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, excusatur ratione impotentiæ, et comparatur infantibus ac fatuis: unde bene absolvi potest in necessitate illa sub conditione;—2 aliud est credere, aliud memoriter scire mysteria, nempe rationem de eis reddere, seu respondere: unde censent, omnes adultos teneri necessitate medii aliquando hujusmodi mysteria credere; necessitate vero præcepti ea scire (a quo scientiæ præcepto excusari mente obtusos). Et concludunt cum Gabriele, qui dicit: *Sufficere eis* (scilicet rudibus), *quod singulos articulos explicite credant, dum eis proponuntur;*— 3 ut illa mysteria explicite credantur, non requiritur perfecta eorum notitia quoad circumstantias, v. g. personas proprietatibus relativis constitui, humanitatem Christi propria carere subsistentia; sed sufficit, inquit Sylvius «quod rudiores credant Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum, etiamsi distincte non sciant quod sit una essentia in tribus personis; et similiter quod credant Filium Dei, verum Deum et hominem, esse passum et mortuum pro nobis; etiamsi non noverint distinguere, quod sint duæ naturæ et una tantum persona.»

Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Id docent communius, et videtur probabilius.

Alii tamen, satis etiam probabiliter cum Goti, Sylvio, Soto, etc., docent omnes necessitate præcepti teneri quidem hæc mysteria explicite credere; necessitate autem medii sufficere si credant implicite, etiam posita Evangelii promulgatione: repugnat enim divinæ bonitati ac providentiæ, ut dicunt, quod damnet adultos ea invincibiliter ignorantes qui juxta lumen naturæ honeste vivunt; nam *in omni gente quæ timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* (1). Ceterum quidquid sit, certum est absolutionis esse incapacem, qui illa mysteria ignorat. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 64 propositio: *absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis* (2).

Sed quid (quæres) *si a pœnitente in bona fide cum tali ignorantia jam peracta sit Confessio?* — Alii dicunt illam Confessionem non esse repetendam; nam satis probabile est eam fuisse validam. Unde qui sic recepit Sacramentum, post factum non tenetur repetere, quia quod bona fide actum est, post factum supponitur recte factum, quoadusque contrarium non sit omnino certum. Propositio autem damnata loquitur non de collato, sed de Sacramento conferendo, atque de eo qui laborat ignorantia etiam culpabili. Alii volunt Confessionem esse repetendam; nam obligatio certa Confessionis non adimpletur nisi per certam satisfactionem. — Verum nos dicimus: generatim quidem verum est non esse repetendum opus, cui bona fide, et ex sufficienti ratione satisfactum est; quia revera supponitur recte factum, nec præsumitur velle legislator iterum obligare cum tanto incommodo. Hic tamen alia occurrit ratio: non enim sufficienter satisfactum esse videtur ab ignorante ea mysteria, saltem si ignorabantur quoad substantiale illorum (3). Et merito: vel quia agitur de valore Sacramenti; vel quia agitur de mysteriis longe maximis. Sed potior ratio est, quia absurdum videtur, quod pœnitens pœnitentiam recipiendo, ubi Salvatoris merita communicantur, non debeat illis explicite credere, et suam fidem exercere.

Q. 3. *Quænam sunt discenda de necessitate præcepti?*

R. Quilibet fidelis, ut vitam instituat christianam, cum ad usum rationis pervenerit, præter ea quæ scire debet necessitate medii, tenetur necessitate præcepti et sub mortali, credere explicite ac scire crasso saltem modo et quoad substantiam, nisi impotentia aut invincibilis ignorantia excuset: 1 Symbolum Apostolorum: quod exigit vel ipsa professio christiana, quæ in eo compendiose continetur: idque confirmat praxis fidelium et Catechismus R.; 2 Orationem Dominicam; hæc enim a Christo præcepta est, continetque omnia a Deo petenda. Addunt Salutationem Angelicam ex usu fidelium; 3 præcepta Decalogi et Ecclesiæ: ut enim singula observentur, singula

(1) Act. 10—Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 3.

(2) *V.* Benedictus XIV, Brevi *Etsi minime* anno 1742.— *V.* Liguori *Opus Mor.* l. II, n. 2.

(3) *Substantiale* mysterii esset juxta aliquos, si quis v. g. ignorat Deum factum fuisse hominem; *accidentale* vero mysterii, si illud sciret quidem, sed nesciret, quod qui homo factus fuit, secunda Trinitatis persona est.—Liguori, *Homo Apost.* tr. IV, n. 3.

cognoscenda sunt; 4 Sacramenta maxime necessaria, ut Baptisma, Eucharistia et Pœnitentia: reliqua vero cum suscipere velit, ut digne suscipiat.

Diximus: 1 *crasso saltem modo et quoad substantiam.* Ita S. Carolus (1); non enim omnes tenentur sub mortali prædicta scire memoriter, aut eo ordine et verbis, quibus proponuntur in Catechismo. Sed quoad Symbolum, præcepta Decalogi et Ecclesiæ ac Sacramenta sufficit, si quis rogatus de singulis recte respondeat: quoad Orationem Dominicam sufficit, si sciat omnia bona petenda esse a Deo; ajunt enim ex consuetudine, non esse nisi veniale ea memoriter non habere, si aliunde quis interrogatus scit in genere respondere; 2 *nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset;* nam excusantur communiter ii, quibus aut defuit doctor, aut numquam venit in mentem obligatio similia addiscendi, aut qui nimis sint rudes, ita ut non possint ullo modo eadem comprehendere aut memoria retinere: nam impossibilium in re præcepta nulla obligatio; 3 *cum ad usum rationis pervenerit;* nam tunc incipit obligatio ea addiscendi, cum tunc incipiat obligatio se ad finem ultimum dirigendi (2).

Q. 4. *Confessarius tenetur pœnitentem interrogare de scientia fidei?*

R. Ne se gravi peccato commaculet Confessarius Sacramentum exponendo periculo nullitatis, tenetur utique sub gravi pœnitentem interrogare de scientia fidei, si habeat rationabile motivum dubitandi, quod sit ignarus: quod quidem colliget ex modo confitendi ipsius pœnitentis, ex conditione, ex statu, v. g. si sit rudis. Quamquam non raro inveniuntur homines in humanis litteris sat expoliti, qui circa Religionem crassa laborant ignorantia; cavendum porro, ne propter damnabilem reverentiam in ea relinquantur (3). Qua quidem in re videat Confessarius, an pœnitentis ignorantia respiciat quæ credenda sunt et scienda vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. — Si 1, pœnitens instrui debet ante absolutionem; uti patet ex damnata illa propositione: *absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantia mysteriorum fidei*, etc. Si 2 debet Confessarius interrogare de negligentia in iis addiscendis, quia per eam plurimi peccare solent: si doleant cum proposito discendi, neque alias moniti neglexerint, poterit illico eos absolvere; tunc enim recte præsumitur ipsos velle *operam impense dare, qua divinæ gratiæ præsidio ea discant,* uti ait Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime* (4).

Quid (dices) *si pœnitens sit in mortis articulo?* — Si ignorantia in rebus

(1) *Instr. ad Confess.*—Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 3.

(2) Addenda Officia proprii status, quæ quisque scire debet.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, nn. 170 et seqq.—Notamus cum d. Thoma (2, 2, q. 2 et 6): Ecclesiastici tenentur ad magis explicitam notitiam rerum quæ ad fidem pertinent, quam laici. Sicut enim superiores Angeli, quia inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus divinis; ita superiores homines, qui alios debent erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis. Hoc tamen non de necessitate fidei, sed de necessitate officii ac status.

(3) *V.* Gousset, *Giustificazione della Teologia Morale di S. Alfonso*, c. ult.

(4) Celebris ille et doctus Missionarius P. Leonardus industrium edocet modum, quo agendum est cum pœnitentibus civilis conditionis, qui res fidei ignorant, sed contumeliæ haberent, se de iis interrogari directe; ait enim decere Confessarium, ut invitet et una simul cum pœnitente christianos actus eliciat.—*V.* Liguori, *Praxis Conf.*, n. 22.

fidei respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, debet Confessarius talem pœnitentem docere primo quæ respiciunt vitam futuram; deinc mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis et Passionis D. N. J. C.; ac sic curare, ut Dei opitulante gratia, in eo excitetur dolor peccatorum cum proposito non peccandi de cætero; cum aliter non sit capax absolutionis. — Si vero ignorantia ista respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate præcepti, non debet impendere tempus in eo de his instruendo, sed potius ad dolorem excitet, et adjuvet in eliciendis actibus fidei, spei et charitatis. Nam adhuc valet absolutio, si ipsum præteritæ negligentiæ pœniteat, promittendo necessaria discere, si convaluerit.

Q. 5. *Quandonam obligat internum fidei præceptum?*

R. Internum fidei præceptum quatenus negativum obligat ad numquam dissentiendum vel dubitandum de revelatis a Deo; secus injuria ipsi irrogaretur gravissima, quasi falli aut fallere possit. — Quatenus positivum obligat aliquando per se, aliquando per accidens:

Obligat *per se:* 1 pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti mysteria fidei audiunt, et mente apprehendunt sibi ad salutem necessarium esse illa credere; nam adulti ubi primum possunt, tenentur debitum mentis obsequium præstare Deo: ad quod fides requiritur. Unde peccant mortaliter id omittendo, nisi excusentur ob inadvertentiam, aut invincibilem ignorantiam, quemadmodum eorum compluribus solet evenire (1); 2 adultos infideles, quando ratio dictare incipit res fidei nostræ sufficienter iisdem esse propositas, et sectam suam esse falsam. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 4 propositio: *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*; 3 obligat non semel in vita, *quia justus ex fide vivit* (2); 4 in mortis articulo; tunc enim maxime urget obligatio in finem ultimum nos dirigendi, cum illius causa tunc perpetuo dijudicetur.

Obligat vero *per accidens:* 1 quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter superari non possit, dummodo non agatur de scrupulosis (3); quia isti facilius superant tentationem convertendo mentem ad alia objecta, 2 quando ea urget etiam contra alias virtutes, et superari non potest, nisi per actum fidei; 3 quando facienda est professio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. g. spei, charitatis et pœnitentiæ, quæ fidem supponat.

Sed (quæres) *quoties tenemur in vita elicere actum fidei?* — Hic nos præmittimus propositiones ab Alexandro VII et Innocentio XI proscriptas et sunt: 1ª *homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium;* 2ª *fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se;* 3ª *satis est actum fidei semel in vita elicere;* 4ª *sufficit ista mysteria* (Trinitatis et Incarnationis) *semel credidisse* (3). Hoc posito:

R. Non satis convenit inter Theologos quoties in vita teneamur ex vi præcepti actum fidei elicere. Aliqui docent, ad id nos teneri singulis die-

(1) *V.* Bossuet, *Réflexions sur un écrit de M. Claude.* (2) Gal. 3.

(3) Alexander VII sub n. 1: Innocent. XI sub n. 16, 17 et 65.

bus festis. Alii quoties mysteria in Ecclesia celebrantur. Alii quoties id sufficit ad profitenda mysteria nostræ Religionis. Sat probabiliter Concina, Franzoja, Salmanticenses et Sanchez cum communi tradunt, nos teneri saltem semel in anno. — Quidquid sit, ad tollendas anxietates advertimus, huic præcepto fieri satis etiam per exercitium aliarum virtutum, v. g. audiendo Missam, adorando Crucifixum, orando, etc.; quamvis enim hæc non fiant directe ex motivo fidei ; ex illo tamen motivo radicaliter oriuntur, et fidem ipsam specialius continent. Quare qui semel amplexus est fidem et christiane vixerit, Paschali saltem præcepto satisfaciendo, non debet dubitare, quin satisfecerit etiam præcepto fidei ex sapientissimo Lugo. Ceterum Parochi et Sacerdotes qui in Ecclesiis ruralibus in festis Missam celebrant, meminerint eorum, quæ Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime*, anno 1742, sancivit, vult nempe ut *post Missam die festo celebratam statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce, dictos virtutum actus* (fidei, spei et charitatis) *eliciant, et præire satagant populo verba ab ipsis prolata devote reddituro; hoc enim pacto fideles sensim illos memoriæ mandabunt, et assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in pia exercitatione versari (D).*

§ II. — *De fidei necessitate ratione actus exterioris.*

Q. 1. *An extet præceptum fidem exterius profitendi?*

R. Affirmative: *duplex officium,* inquit Augustinus, *a nobis exigit fides, cordis et linguæ* (1). Hoc est, fidem, quam intus in corde tenemus, exterius etiam profiteri lingua debemus, juxta illud Apostoli: *corde... creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (2); etenim honor Deo debitus exigit, ut ei adhæreamus spiritu et veritate. Hoc præceptum quatenus *affirmativum* præcipit confessionem externam pro certo tempore: quatenus vero *negativum* prohibet omni tempore negationem fidei, etiam mere externam.

Obligatio autem fidem exterius profitendi aliquando viget jure naturali Divino; aliquando jure Ecclesiastico, et quidem vel generali pro toto orbe catholico, vel particulari pro qualibet particulari Diœcesi.

1. *Jure naturali Divino* viget obligatio fidem exterius profitendi : 1 cum honor Deo debitus; 2 cum utilitas proximo impendenda privative, vel contrarie (fidem videlicet non profitendo) subtraherentur. *Privative*, subtraherentur, si inde cessaret magnus honor in Deum, vel utilitas in proximum. *Contrarie,* si Deus sine eo actu magna afficiendus esset injuria, vel proximus in grave malum esset prolapsurus. Ratio, quia actus virtutis jure naturali divino tunc est præceptus, quando necessarius est ad præceptum ipsum servandum, atqui ita currit in duplici casu proposito. De primo dicitur: *qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet;* de secundo legitur: *debemus pro fratribus animas ponere* (3).

(1) *De fide et sym.*, c. 1. (2) Rom. 10.—*V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 5.

(3) Luc. 9; et I Joann. 3.—Hinc Catholicus videns Eucharistiam, vel sacras imagines contemni, obsistere debet, si valeat hoc impedire: est de honore Dei. Qui vero aliquid agit, unde alii conjiciant ipsum negasse fidem, tenetur a facto desistere: est de charitate proximi.

2. *Jure Ecclesiastico* generali præter baptizandos (qui scilicet tenentur vel per se, si adulti; vel per patrinos, si infantes), fidem exterius profiteri unacum juramento obedientiæ erga Ecclesiam romanam tenentur (et quidem per se ipsos, non autem per procuratorem) (1): 1 provisi de beneficio Curato, intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, vel ejus Vicario generali aut Officiali; 2 provisi de Canonicatu vel Dignitate in Cathedrali (et hanc professionem emittere debent etiam in Capitulo): addita semper pœna, ut alioquin non faciant fructus suos (2); 3 Patriarcha, Primates, Archiepiscopi et Episcopi ante litteras propriæ provisionis expeditas. Quæ insuper ab ipsis emittenda est in prima Provinciali Synodo unacum juramento Tridentinum observandi (3); 4 Pius IV Constit. *Injunctum* et *In sacrosancta* hanc obligationem extendit ad Superiores Religionum etiam militarium; itemque ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Professores cujusvis scientiæ liberalis, addita excommunicatione latæ sententiæ et privatione omnium dignitatum, Beneficiorum et officiorum in eos, qui promovent ad tales gradus sine dicta fidei professione, et in Episcopos interdicto ab ingressu Ecclesiæ (4); 5 omnes, qui in Synodum Diœcesanam convenire debent (5); 6 tandem hæretici ad Ecclesiam redeuntes, qui tenentur) et hæresim abjurare et expressam fidei professionem emittere, prout passim fit, et ratio suadet atque jus firmat.

3. *Jure Ecclesiastico particulari* seu Diœcesano generatim tenentur: 1 provisi etiam de Beneficio simplici, vel Canonicatu vel Dignitate etiam in Collegiata; 2 novi Confessarii et Concionatores (6).

Q. 2. *Quid prohibet præceptum fidei, quatenus negativum* (7)?

R. Tria maxime prohibet præceptum fidei negativum: fidem negare, falsam Religionem profiteri, et falsam Religionem simulare.

1. *Fidem negare.* Est contra Basilidianos, Priscillianistas et Dulcinum, qui dixerunt sæculo II, IV et XIV fidem sine culpa negari posse coram hominibus. Quod adversatur Christi verbis: *omnis... qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo ego eum coram Patre meo.* Quare Apostolus: *si negaverimus et ille negabit nos* (8). Et Augustinus: *quanta est vita confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Accedit ratio: vel enim exterior fidei negatio correspondet internæ; vel non. Si correspondet, est infidelitas, quæ suapte natura mala est: si non correspondet, est mendacium in re gravissima, quale est Religionis negotium (9).

(1) *V.* Benedictus XVI, *Notificatione* LX: constat ex declaratione S. C. C.

(2) Tridentinum, sess. 24, c. 12 de R. (3) Sess. 25, c. 2 de R.

(4) Verum hoc aliquibus in locis, notant, non fuit receptum.

(5) Tridentinum.—In synodo Diœcesana quamvis nulla sit obligatio ut juramentum præstet Episcopus; id tamen in usu est in Diœcesi Novariensi (*pag.* 20).

(6) Ita synodus Novariensis, pag. 21. (7) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. II, n. 12.

(8) Matth. 10; et II Tim. 2.

(9) Si princeps vel magistratus infidelis, aut hæreticus præciperet, ut Catholici nonnullis induerentur vestimentis, quibus ab aliis distinguerentur, hi obedire non tenerentur; nimis enim vagum foret præceptum, ut inobedientes censerentur Christum erubescere, et dici non posset honorem Deo debitum et utilitatem proximo impendendam per hanc inobedientiam subtrahi: sic etiam commu-

2. *Falsam Religionem profiteri.* Hoc enim est manifeste veræ fidei valedicere; cum nulla possit esse conventio inter lucem ac tenebras. Hinc graviter peccat contra fidem, qui a quovis interrogatus de sua Religione responderet: se esse turcam vel judæum, aut gentilem; quia hoc ipso negaret se esse Christianum. Neque excusat timor mortis, cum ideo non liceat, quod intrinsece malum est.

3. *Falsam Religionem simulare:* cum minime intersit, utrum quis verbo potius an facto mentiatur, idcirco eodem præcepto quo prohibemur fidem exterius negare, prohibemur etiam falsam Religionem quamcumque simulare verbis, factis, signis, aut alia qualibet ratione, dicente Christo: *qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (1). Ideo omnis simulatio in rebus Religionis, sive ad fidem sive ad mores spectent, semper est detestanda; qui enim ea utitur, facto ostendit se esse falsæ Religionis sectatorem. Hinc merito damnati fuerunt *libellatisi*, qui nempe obtinebant libellos securitatis, ex quibus eos idolis sacrificasse constabat, quod tamen verum non erat (2). Diximus *omnis simulatio;* est enim commune, fas esse aliquando tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis ac indifferentibus ob justam causam, et quando nulla est necessitas confitendi; cum nulla tunc intervéniat deceptio, sed sola ipsa deceptionis permissio (3).

Q. 3. *An liceat fidem occultare?*

R. Non licet fidem occultare, quoties urget præceptum illam exterius confitendi; eo enim in casu occultare fidem, idem esset ac fidem negare. Si vero hoc præceptum non urgeat, fidem occultare aliquando erit non tantum permissum, sed conveniens ac necessarium, ne scilicet vel fidem vel nos ipsos gravi periculo exponamus aliter agendo: sic Sacerdos ex rationabili causa iter agens inter hæreticos vel infideles, ad occultandum suum statum et fidem, uti potest vestibus sæcularibus. Cæterum curandum ne occultando fidem videamur ipsam aperte negare, ut esset si iis utantur signis, quæ ex usu ac hominum institutione, aut ex ipsa sui natura fidei negationem indicent (4).

niter Theologi. Item si per edictum præcipiatur, ut omnes fideles sese prodeant, cum multi sint occulti, nullus tenetur, præcise vi hujus præcepti, se palam facere. Tandem licitum esse potest uti precibus vel pecunia ad impediendum, ne quis a magistratu de fide sua interrogetur: quia ex una parte hæc agendi ratio est quædam fidei professio; et ex altera tales concurrere possunt circumstantiæ, ut nihil inde contingat injuriosum fidei, nec proximi Religioni nocivum.—*V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 20, n. 11.

(1) Luc. 9.

(2) *V. Storia della Chiesa dalla sua fondazione fino al Pontificato di Gregorio XVI.* Torino, Marietti, pag. 81.—Salzano, *Stor. Eccl.* l. V.—Rorbacher, *Storia Ecclesiastica.*

(3) Hinc qui interrogatur, potest tacere, *nisi expostulent rerum adjuncta:* vel respondere obscure, aut dicere se nolle respondere, se jure non interrogari, et similes adhibere tergiversationes, quæ non indicant eum velle negare fidem, sed nolle prodere. Sed nota: *nisi aliter expostulent rerum adjuncta:* nam fieri aliquando potest, ut silentium habeatur pro absoluta negatione: v. g. si aliis rogatis, an fidem negare velint, iisdem expresse respondentibus quod *non*, aliquis taceret; tale enim silentium in talibus rerum circumstantiis esset vere *negare*, ut docet S. Thomas (2, 2, q. 3, a. 2). Ergo merito utpote nimis generalis ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 18 propositio: *si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

(4) Ex dictis colligitur, non licere uti vestibus hominum usu institutis ad falsæ fidei professio-

Q. 4. *An liceat tempore persecutionis fugam arripere?*

R. Affirmative : licet tempore persecutionis fugam arripere, nisi aliud honor Dei populique necessitas ob peculiares circumstantias expostulet; est contra Tertullianum et Montanistas id absolute negantes. Clare id tradidit Christus inquiens : *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (1). Et sane qui fugit, ideo fugit, ne fidei negandæ periculo se exponat; hinc D. Bernardus (2): *fugere persecutionem non est culpa fugientis, sed persequentis.* Confirmatur exemplo Sanctorum, præsertim Athanasii, Cypriani, etc., et ipsiusmet Christi, qui abscondit se a Judæis eum lapidare volentibus (3). Imo aliquando fugiendi obligatio est, si nempe bono publico expediat; id Augustinus probat exemplo Pauli, qui ob Ecclesiæ utilitatem *se fuga eripuit e præposito Damasci* (4).

Verum hoc ordinarie non convenit Episcopis et Rectoribus : imo grave esset piaculum, cum magnis Ecclesia tempestatibus agitatur, eos se timidos exhibere et pusilanimes. Quid de navis gubernatore, qui illam deserit fluctibus jactam? en casus illius pastoris, qui persecutionis tempore suam Ecclesiam deserit, prout ajebat Nicolaus V á quodam Episcopo consultus. Hac in re en regula generalis, quæ eruitur ex D. Thoma: in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis; obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem, et ideo ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens; cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere (5).

Q. 5. *An liceat Catholico in hæreticorum locis manducare carnes diebus ab Ecclesia prohibitis?*

R. *Si grave periculum immineret vitæ vel bonorum, et aliis exceptis peculiaribus circumstantiis*, licet ad fidem tegendam vesci carnibus diebus prohibitis; quia cum abstinentia a carnibus non sit instituta ad professionem Religionis, iisdem vesci die prohibito non est fidem negare. Nonne id faciunt etiam Catholici mali et helluones? nec tamen dixeris, eos sic fidem negare. Nec obstaret, si cibi essent idolo consecrati; ea enim consecratio illos non

nem, ut esset penes turcas linea vestis talaris eorum Sacerdotibus propria; est enim se falsæ Religionis sectatorem ostendere, ita S. Inquisit. 1630. Secus tamen esset, si vestes distinguerent tantum nationem a natione, unum hominum cætum ab alio; quilibet enim potest se aliorum accommodare usibus, si aliud non obstet.

Quid si vestis distinguit sectam a secta, ut erat vitta flava, quam gestare tenebantur apud nos judæi? Alii dicunt ea uti esse facto testari, se judæum esse aut falsam religionem sequi : alii negant, quia hæc signa sunt mere politica et distinctiva unius generis hominum ab alio, non proprie professiva fidei. — *V.* Benedictus XIV, Constit. *Omnium solicitudinum, Inter omnigenas, Provinciale Concilium.*

(1) Matth. 10. (2) Ep. 1.

(3) Jo. 8. (4) Tr. 46 in Joann.

(5) Lect. 3 in c. 10 Joann. — *V.* Muzzarelli, *Dell' obbligo dei pastori in tempo di persecuzione.* Foligno, 1790; it. *Il buon uso della logica*, opusc. XXXVII.

facit immundos. Hinc Apostolus eos comedere non prohibet, nisi in casu scandali aliorum, vel erroneitatis propriæ conscientiæ (1).—Diximus : 1 *si grave periculum immineret vitæ vel bonorum ;* agitur enim de re per se gravi : ideo non est attendenda simplex derisio vel levis vexatio ; 2 *aliis exceptis peculiaribus circumstantiis,* si enim per accidens esus evaderet signum professivum fidei, uti si in odium Ecclesiæ catholicæ inter convivas statueretur, ut qui hostis est romanæ Sedis comedat carnes tali die, peccaret utique contra fidem qui eas comederet sine contraria protestatione; nam esset fidem facto negare.

COROLLARIUM.—*De Symbolis fidei et Catechismis.*

Q. 1. *Quid est Symbolum?*

R. Symbolum vox græca est quæ latine significat vel rerum plurium collationem in commune, vel signum aut tesseram militarem, qua veri milites ab aliis secernuntur. Apud Christianos hoc nomen sumitur pro regula fidei, sive pro summa capitum fidei, quæ omnibus credenda sic proponuntur: 1 ut uniformis ubique sit fidelium institutio ; 2 ut facilius memoriæ commendentur ; 3 ut facilius veri fideles discreminentur ab infidelibus. Symbola illustriora sunt : Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum ; *quæ* ait Angelicus, *in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia* (2).

1. *Symbolum Apostolicum* recitatur a fidelibus in precibus quotidianis et in Officio divino : in duodecim veluti capita dividitur, quæ dicuntur *articuli.* Fatentur ipsi hæretici jure dici *Apostolicum*, quia continet doctrinam traditam ab Apostolis ; negant tamen multi ex Protestantibus (imo quidam ex ipsis Catholicis) illud esse genuinum Apostolorum opus : sed falso ; ejus enim auctores fuisse ipsos Apostolos, nonnullis exceptis, probat : 1 usus ejusdem in Ecclesia vetustissimus, quem nullus ante Erasmum et Calvinum negavit. At teste D. Augustino, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur ;* 2 id docuerunt expresse traditionis Ecclesiasticæ testes locupletissimi, Ruffinus (3), S. Ambrosius (4), S. Hieronymus (5), Leo M. (6), Cassianus (7), et alii ferme innumeri. Imo S. Leo aliique censent, singulos Apostolos articulum edidisse suum.—Diximus *nonnullis exceptis* ; quia non est negandum eidem symbolo additas fuisse aliquas voces ad exortas hæreses melius profligandas. Communiter voces additæ censentur : *creatorem cæli et terræ : passus, mortuus, descendit ad inferos : omnipotentis : catholicam Sanctorum communionem : vitam æternam* (8).

2. *Symbolum Nicænum* conditum est in I generali Concilio Nicææ in Bytinia (circa annum 325) celebrato contra perfidum hæresiarcham Arium, qui

(1) I Cor. 8 et 10.
(2) 2, 2. q. 1, a. 1.
(3) In Expos. symb.
(4) Sermo ult. *de jejun.*
(5) Epist. ad Pammach.
(6) Epist. ad Pulcher.
(7) L. VI *de Incarnat.*
(8) *V.* Chr. Lupus, in *Synodo Nicæna.* — Knoll, *Instit. Theolog.* vol. I : *introduct.*

blasphemabat Dei Verbum non esse Deum, sed meram creaturam ex nihilo, licet ante cæteras, creatum. Unde declaratum fuit, Christum esse Patri *consubstantialem*.

3. *Constantinopolitanum* conditum est in Concilio Constantinopolitano I, quod est generale II, celebratum (anno 381) tum contra hæreticos Eunomianos contendentes Spiritum Sanctum non procedere a Patre, contra quos definita est processio Spiritus Sancti a Patre; tum contra Macedonianos negantes Spiritus ejusdem divinitatem, contra quos posita sunt hæc alia vocabula: *qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas*. Non differt a Nicæno, nisi in distinctiori aliquot articulorum explicatione.—Huic autem symbolo nonnulla addidit, explicando, Concilium Chalcedonense generale IV anno 451. Tandem apposito verbo *Filioque* a pluribus primum particularibus Conciliis, (quod confirmarunt Concilia æcumenica Lugdunense II anno 1274, et Florentinum anno 1439), illud est, quod hodie in Missa Ecclesia latina recitat (1).

4. *Symbolum Athanasianum* sic dicitur, quia summam fidei continet, cujus S. Athanasius sæculo Ecclesiæ IV præcipue fuit assertor et vindex invictissimus. Non est tamen certum penes eruditos, ab ipso fuisse confectum: ita censet Baronius. Sed communiter negatur, tum quia in eo confutatur Nestoriana et Euthichiana hæresis, nondum suo tempore exorta; tum quia in eo non legitur verbum *consubstantialem*, cum tamen esset eo tempore unica fidei nostræ tessera. Alii illud tribuunt S. Ambrosio; alii S. Hilario; alii S. Eusebio Vercellensi; alii aliis: communius censent illud opus esse Vincentii Lyrinensi. Cæterum non est dubium quod certa fidei nostræ sit regula; cum illud jubeat recitari Ecclesia sancta (2).

Q. 2. *Quid de catechismis dicendum occurrit?*

R. Catechismi nomine solent hodie indicari accurata christianæ doctrinæ compendia: principem tenet locum Catechismus Romanus jussu Pii V editus ad mentem Concilii Tridentini, pro Parochis præsertim, ut sapientem haberent normam in populo edocendo. Unaquæque etiam Diœcesis suos habet catechismos, et iis omnino uti debent qui doctrinam docent: prout om-

(1) Etsi autem Græci teneantur credere etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in symbolo pronuntiare. At pronuntiandum ubi id viget: imo si commorentur in Italia, Insulisque adjacentibus, si ab Ordinariis locorum vel ob scandalum, vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam *Filioque* in symbolo tenentur pronuntiare. Ita Benedictus XIV, Bulla *Etsi pastoralis*, 26 maji 1742.

(2) *V. Storia della Chiesa dalla sua fondazione al Pontificato di Gregorio XVI.* Torino Marietti; 1840, pagg. 49, 127 et 150. Gravissima fidei puncta, v. g. Eucharistia, Sacrificium, etc. in symbolis non fuerunt expressa; et merito id factum credimus respectu infidelium et cathecumenorum, tum ob eorum infirmitatem, tum propter abusum qui merito tunc timebatur; tum etiam ex Augustino, *ut tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur*. Hac etiam ratione in illo Religionis initio plura tacebantur mysteria, ac nonnisi sensim sine sensu tradebantur. (Vid. Salzano, *Corso di storia Ecclesiast.* l. IV, § 9: *disciplina dell'arcano*). Quæ quidem prudentissima *silentii* disciplina nostris hisce temporibus videtur, ab Ecclesiasticis præsertim, in familiaribus cum vulgo colloquiis adhibenda; ne Sacra divinaque profanorum stultitiæ et impietati quandoque exponantur contemnenda. Neque dicant, nos lucem timere; veritas lucem non timet; sed timemus ne adultorum cibo gravetur ad mortem parvulus: hanc œconomiam nos docuit Christus (Jo. 16) cum discipulis dixit: *adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

nes pro sua Diœcesi præcipiunt Episcopi; et merito; expositionis enim diversitas perturbaret fideles ac confusionem pareret.—Quanti autem faciendum sit catechistæ munus, patet; nam per illud populi vera enutriuntur Religione: hinc Paulus V (6 oct. 1607), et Clemens XII (26 junii 1735) Indulgentias hoc nobile ac santissimum munus exercenti concessere (1).

CAPUT QUARTUM

DE PRÆCIPUIS VITIIS ET PECCATIS FIDEI OPPOSITIS.

ARTICULUS I.—De infidelitate et fidelium communicatione cum infidelibus.

Q. 1. *Quid est infidelitas?*

R. Infidelitas est *carentia fidei:* triplex distinguitur. Aliquando enim accipitur secundum puram negationem, ita ut quis dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem, et dicitur *infidelitas pure negativa:* talis est in illo, cui fides vel nullo umquam modo, vel non satis fuit annuntiata. Aliquando accipitur secundum negligentiam, vel ignorantiam, vel errorem culpabilem circa res fidei, et dicitur *infidelitas privativa.* Aliquando accipitur secundum contrarietatem ad eamdem fidem, quia aliquis repugnat auditui fidei aut ipsam contemnit, et dicitur *infidelitas positiva*, vel etiam *infidelitas contraria.*— Porro infidelitas pure negativa non est peccatum, sed tantum pœna peccati; nam Christus Dominus ait: *si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent* (2). Atqui Christus infidelibus negativis non est locutus neque per se, neque per suos ministros; ergo peccatum non habent. Merito hinc damnata fuit illa Baji propositio: *infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Infidelitas privativa peccatum est; *qui vero non crediderit, condemnabitur* (3): est enim omissio rei necessariæ ac possibilis, sine qua non est salus. Infidelitas tandem positiva est item peccatum, et gravius infidelitate privativa; quia continet gravem injuriam, atque contemptum Divinæ veritatis et auctoritatis.

Q. 2. *Quot sunt species infidelitatis?*

R. Ad infidelitatem tamquam species ad genus suum revocantur generatim paganismus et judaismus. *Paganismus* est infidelitas illius, qui neque in re neque in figura fidem suscepit. Huc reducuntur: 1 *politheismus*, qui plures Deos; 2 *atheismus,* qui nullum Deum; 3 *deismus*, qui unum Deum tenet, sed omnem revelationem rejicit (et dicitur etiam *naturalismus*, cum Deo

(1) Antiquitus hoc munus exercebant summi viri, eoque functi sunt Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Origenes, etc. — *V. de Parochis* de obligatione catechizandi. S. Alphonsus in *Institutione catechistica* de illis qui suos catechismos implent nugis et curiosis factis habet: « facetias illas, quæ naturaliter a materia oriuntur non reprobo; sed quædam facta vel fabulas ridiculas, ut populus rideat, dedita opera enarrare, idem est ac facere, ut instructio concidat in fabulam, quod inconveniens est: homines delectantur, sed quid inde percipiunt? sunt alii modi, ut populus se præbeat attentum, et fructus percipiat. »

(2) Jo. 15. (3) Marc. c. ult. —Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 17.

cultum tribuere prætexat, quem sola natura suggerit); 4 *mahumetismus*, sic dictus ab arabo Mahumede illius auctore, qui licet unum Deum creatorem fateatur, plurima tamen rectæ rationi contraria ac honesto homine indigna tradit in putido suo Alcorano. *Judaismus* autem est infidelitas illius, qui fidem suscepit in figura, sed non in re (1).

Hic certe non datur parvitas materiæ; cum hæc omnia semper includant verum atque formalem Dei contemptum.

Q. 3. *An infideles compelli possint ad fidem suscipiendam?*

R. Quamvis Ecclesia habeat jus prædicandi Evangelium ubique per ea verba: *prædicate Evangelium omni creaturæ;* attamen directe compellere non potest infideles ad fidem suscipiendam; tum quia Ecclesia nullam habet potestatem in non baptizatos (2); tum quia fidei susceptio debet esse voluntaria, ut vera sit. Confirmatur ex jure Canonico, ex Tridentino (3), et praxi Ecclesiæ, quæ numquam coactione usa est, sed suasione: quo sensu explicant illud; *compelle intrare* (4).

Diximus *directe;* docent enim Ecclesiam posse compellere infideles ad audiendam fidem, cum adhuc electio libera ipsis relinquatur; item vetare idololatriam, cum hæc legi naturali repugnet: sic, Ecclesia plaudente, Constantinus et Theodosius illam proscripserunt; item prohibere etiam armis, ne fides impediatur, juxta illud D. Thomæ: *sunt tamen* (infideles) *compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persuasionibus: et propter hoc* (concludit Sanctus) *fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent* (5).

Q. 4. *An liceat fidelibus communicare cum infidelibus?*

R. Duplex communicatio: *civilis* et *religiosa.* Prima consistit in rebus ad commercium civile et politicam societatem pertinentibus: altera in rebus spectantibus ad Religionem. Communicatio civilis per se non est vetita; inquit enim Apostolus: *siquis vocat vos infidelium et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate* (6). Diximus *per se,* nam per accidens erit prohibita, si sit nimis familiaris et periculosa. — At communicatio religiosa prohibetur jure tum naturali, tum divino; est enim quædam exterior professio et approbatio falsæ Religionis. Unde idem Apostolus: *quæ pars fideli cum infideli* (7)?

(1) Huc revocari etiam potest monstruosus *pantheismus* (a græco *pan* omne, et *theos* Deus). Rerum universitatem Deum nuncupant pantheistæ: totus mundus Deus est, totus nonnisi Deus; et quæ contingunt in eo mutationes, sunt modificationes illius divinæ substantiæ. Nihil absurdius, nihil magis oppositum evidentissimis notionibus, quas quisque habet de spiritu ac materia; attamen putidum Spinosæ systema ab inferis hodie revocarunt in Germania primum Fichte, Schelling et Hegel; in Gallia, Cousin, Leroux et Sansimoniani. — *V.* P. Perrone, *Præl. Theol.* — Bergier, *Dizionario* ecc. ad Append. V. Panteismo. — Roselly. *Della morte anteriore all' uomo.* Discorso preliminare. — Maret, *Saggio sul Panteismo.* — Lacordaire, *Confer.* XIX.

(2) I Cor. 5. (3) C. 3 *de bapt.* et 9 *de jud.*; Trident. sess. 14, c. 2.

(4) Luc. 14.

(5) 2, 2, q. 10, a. 8. — *V. Civiltà Catt.* ser. 2.ª vol. VI, pag. 494: la guerra d'Oriente.

(6) I Cor. 10. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 18.

(7) II Cor. 6.

Speciatim vero *de fidelium communicatione cum judæis*, tum ad tuendam christianæ Religionis dignitatem, tum ad vitanda perversionis pericula statutum est ab Ecclesia (1): 1 ne Christiani cum judæis habitent; 2 ne eorum conviviis intersint, aut communi balneo utantur; 3 ne iisdem famulentur, aut eosdem medicos adhibeant; 4 ne eorum azymis vescantur; 5 ne mulieres christianæ lactent judæorum infantes tam eorum domi, quam domi propriæ (2). Attamen, excluso quocumque scandali et perversionis periculo ac peculiari prohibitione, probabiliter non est lethale, siquis vel eorum adeat Synagogas, vel nuptiis intersit, vel ludat cum ipsis. Imo neque ulla est culpa, si id fiat ob rationabilem aliquam causam, vel consuetudine interveniente (3).

ARTICULUS II. — DE HÆRESI ET APOSTASIA.

Q. 1. *Quid est hæresis* (4)?

R. Hæresis græca vox est ab *eligendo* dicta; et definitur: *error intellectus et pertinax contra aliquod fidei dogma in eo, qui fidem suscepit.* Unde ad hæresim proprie dictam hæc requiruntur:

1. Ex parte intellectus *error;* quia sicut fides est actus intellectus veritati revelatæ adhærentis, ita hæresis debet esse actus intellectus veritatem revelatam rejicientis. Quare non erit hæreticus qui exterius tantum fidem negat, aut colit idolum sine judicio interno fidei contrario; quia non errat errore intellectus, etsi graviter peccet contra fidem, et externe præsumatur hæreticus.

2. Ex parte voluntatis *pertinacia.* Pertinaciter autem errare non est acriter et mordicus errorem suum tueri, sed est eum retinere etiam postquam contrarium est sufficienter propositum, sive quando jam scitur contrarium teneri a reliqua universali Christi Ecclesia; tunc enim errans existimat judicium Ecclesiæ non esse sufficiens credendi argumentum, in quo sita est vera animi pertinacia. Hinc nemo hæreticus erit, quamdiu paratus sit saltem habitualiter judicium suum Ecclesiæ submittere, aut nesciat contrarium teneri ab ipsa Christi Ecclesia, tametsi sententiam suam mordicus teneat ex ignorantia crassa et culpabili. Hinc illud Augustini: *errare potero, hæreticus non ero*, defectu scilicet pertinaciæ.

3. Ex parte objecti *veritas clare ab Ecclesia proposita uti revelata:* unde qui negaret veritatem non clare uti revelatam ab Ecclesiæ magisterio propositam, non esset stricte hæreticus.

(1) C. *nullus;* c. *omnis;* c. *judæi.*

(2) Pius IV Const. *Cum enim* — *S. C. C.* 15 martii 1612. — Cap. 5 et 8, tit. *De Judæis et Saracen.* — It. RR. Pedemontanæ Const. l. I, t. VIII, c. 12.

(3) *V.* Pinamonti, *La Sinagoga disingannata.* — Lombroso, *Degli ostacoli che le consuetudini oppongono alla Evangelica rigenerazione degli Ebrei, e come superarli.* — De Rossi, *Della vana aspettazione degli Ebrei del loro re Messia.* — Demée, *La missione di Cristo considerata ne' suoi principali titoli, e presentata all'estimazione della coscienza e del buon senso.* Mil. 1845. — Drach, *Lettere agli Israeliti.*

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 19. — De hæreseos nominibus, causis et progressu, vid. Klee, *Storia de' dogmi*, cap. 7.

4. Ex parte subjecti *Christianismi emissa professio,* seu fidei in Christum per Baptismum; quare cathecumeni si veritatem catholicam negarent, essent infideles: non autem hæretici, nisi lato sensu, nempe in foro Dei, non autem in foro Ecclesiæ.

5. Item requiritur, ut nec *omnia dogmata,* nec fidem quis universo rejiciat; alioquin esset apostata, non vero hæreticus.

Hæresis divitur: 1 in materialem et formalem. *Formalis* est error voluntarius et pertinax circa aliquam veritatem catholicam: *materialis* est qua quis aliquid credit fidei quidem contrarium, sed tale esse omnino ignorat (1); 2 in *mere internam;* in *mere externam;* et in *internam* et *externam* simul: prima ita latet in mente, ut nullo signo externo manifestetur; secunda tota exterius est, et per eam aliquis ore vel facto negat fidem, quam corde adhuc retinet; tertia et est in mente et exterius manifestatur. Hæresis externa vel est *occulta;* quæ nemini aut paucis innotescit: vel est *manifesta,* quæ patet compluribus. Verum hæresis sive materialis sive tantum externa non est hæresis proprie dicta; nam prima non habet pertinaciam, secunda autem caret errore in intellectu.

An (quæres) *dubius in fide sit hæreticus* (2)?—Vel quis dubitat positive de aliquo fidei dogmate ab Ecclesia jam definito, judicans nempe illud esse incertum ob rationes oppositas; vel dubitat tantum negative, suspendens nempe judicium, et mentem suam ad alienam cogitationem divertens.—Si 1, hæreticus est, uti legitur in jure Canonico: *dubius in fide infidelis est,* id est *hæreticus* (3). Iste enim mente sua elicit judicium fidei contrarium et vere pertinax: unde pœnas etiam incurret, si dubium suum exterius panderit. Si 2, si judicium suspendit quidem circa illud dogma, sed jam teneat motiva fidei contraria incertam facere veritatem Catholicam, erit pariter hæreticus: secus non erit cum in hoc casu nullum judicium fidei Catholicæ injuriosum eliciat. Ita Cuniliati, Sylvius aliique.

Q. 2. *Quale peccatum hæresis, et qui legitimus ejus judex?*

R. Ad 1: Hæresis unum est ex gravissimis peccatis; cum expellat fidem, quæ est fundamentum justitiæ, sine qua impossibile est placere Deo. Imo est maximum peccatum in specie infidelitatis, quia est positivus, et maxime voluntarius contemptus auctoritatis divinæ: et sic est immediate ac directe contra Deum. Hinc Paulus: *hæreticum hominem.... devita, sciens, quia subversus est, quia ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio comdemnatus* (4). Et Joannes: *nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis* (5). Qui lapsus est in hæresim, in veriori sententia, non tenetur explicare qualis ea sit, sicuti neque quot fidei articulos denegaverit; nam objectum fidei formale nequit dici varium vel multiplex; cum unicum sit, nempe veracitas Dei

(1) *Civiltà Cattolica*, ser. 1.ª vol. v: degli eretici materiali.

(2) In dubiis circa fidem videndum, num hæsitatio sit in voluntate, an in imaginatione tantum; an fundata, vel vaga. Si 1, solvenda est difficultas; si 2, spernendum est dubium. Et hoc maxime agendum cum scrupulosis: qui si vincere velint, non debent disserere cum tentatione, sed mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis, etc. — *V.* Liguori, *Praxis Confessarii*, n. 238.

(3) C. 1 *de hæret.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 302.

(4) Ad Tit. 3. (5) Ep. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 50.

revelantis. Ideo qui plures fidei articulos negat, est infidelis non secus ac ille qui negat unum tantummodo.

R. Ad 2: Cum hæresis sit crimen contra Religionem, judex legitimus in eo esse non potest, nisi Ecclesia : et jure definitum est (1). Sunt nempe hujus criminis judices: 1 summus Pontifex pro toto orbe, et S. Congregatio Cardinalium generalium Inquisitorum ideo instituta; 2 Episcopus pro Diœcesi, cui demandatum est gregem suum a venenatis pascuis avertere: imo ei facta est delegatio a Pontifice etiam contra Regulares exemptos, si opus sit. Ut tamen de hæresi cognoscat Episcopi Vicarius, commissionem ab eo accipere debet (2); 3 Vicarius capitularis, Sede vacante : huic tamen probabilius negant auctoritatem procedendi contra exemptos sine speciali apostolicæ Sedis delegatione; quia ipse non succedit Episcopo, nisi in iis, quæ sunt de jure ordinario.

Q. 3. *An hæretici denuntiandi sint* (3)?

R. Quælibet persona cujuslibet dignitatis et gradus, si sciat aliquem esse hæreticum, tenetur illum denuntiare Episcopo vel Inquisitori, ex Constitutione *Noveritis* Nicolai III (anno 1580). Quod quidem, ait Devoti (4), consentaneum est Apostoli præcepto, et legibus cum quibus omnis bene constituta Respublica administratur : nam Apostoli præceptum est, ut observemus *eos, qui dissensiones et offendicula... faciunt, et... seducunt corda innocentium* (5); leges autem cujusque Reipublicæ bene constitutæ sunt, ut omniscivis magistratui significet, si quis studeat rebus noxiis, si turbas excitet, si ruinam intentet. At quod licet civili Reipublicæ contra suos proditores, non licebit Reipublicæ ecclesiasticæ contra hæreticos, qui eam in extremum pene discrimen adducunt?—Ex citata autem Constitutione denuntiatio fieri debebat sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ: verum ex Decretis S. R. Inquisitionis tum 3 jan. 1623, tum 10 martii 1677 in non denuntiantes excommunicatio est latæ sententiæ ac reservata (6); a qua tamen post factam denuntiationem quilibet Confessarius absolvere potest eos, qui ipsam neglexerint, ut posterioribus edictis definitum est.

Hæc obligatio urget: 1 intra dies triginta ab habita hæretici cognitione, uti patet ex decreto sacræ Inquisitionis 1677;—2 ante ipsam correctionem fraternam, cum agatur de bono publico; et etiamsi hæresis probari non possit, quia damnata est ab Alexandro VII propositio: *quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis;*— 3 etiam cum hæresis crimen sciatur sub secreto naturali, vel sub juramento ejusdem non manifestandi. Etenim conservatio secreti naturalis est bonum privatum; hæresis vero manifestatio est in bonum publicum: nec obstat juramentum, si enim obligaret, esset contra bonos mores; cum hæresis sit pes-

(1) Cap. 18 *de hær.* in 6. — (2) C. 12 *de hær.* in 6.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 122; et l. IV, nn. 149 et seqq.

(4) Par. 4, t. VIII, § XI *Inst. Canon.*

(5) Rom. 16. — *V.* Giraldi, *Expositio juris Pontif.* — L. Ferraris, *Bibliot.* V. Denuntiatio quoad delicta. — *Istruzione pe'novelli Confessori*, p. 2, c. 14. — *Civiltà Cattolica*, ser 1.ª V. IX: il denunciatore e la spia.

(6) Hæc Decreta S. I. contendunt Lupus et Bonacina valere tantum pro Hispania; sed hodie etiam pro aliis regionibus citantur passim. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 254.

tis, quæ serpit ut cancer, et semper vergat in damnum commune spirituale; —4 etsi hæreticus sit mortuus vel emendatus ; quia forte alios hæresi sua corrupit, vel ab aliis ipse corruptus fuit;—5 etiamsi hæreticus jam sit ab aliis denuntiatus, quia ex pluribus testibus facilius convincitur reus;— 6 etiam cum quis sit tantum de hæresi suspectus, aut credens, aut fautor, aut receptator hæreticorum (1).

Sed (dices) *quinam de hæresi suspecti habendi sunt?*— Plurima olim crimina hæreseos ingerebant suspicionem, ut constat ex Constitutionibus Urbani VIII, Clementis VIII, Gregorii XIII et XIV, et Benedicti XIV, et ex Decreto S. Inquisitionis (2) Attamen vel ob contrariam consuetudinem, vel quia censetur hodiernis moribus ferme impossibile, ut semper denuntiatio utiliter fiat, ideo nunc commune evasit sequentes tantum uti de hæresi suspectos p enuntiandos: 1 Confessarios ad turpia sollicitantes: vel sigillum frangentes ; si tamen teneant illud non ita rigorose obligare. Salmanticenses extendunt etiam ad Sacerdotes pluries in die, vel non jejunos celebrantes; 2 voto solemni obstrictos, si matrimonium contrahant; 3 reos polygamiæ simultaneæ ; 3 sæculares Missam celebrantes vel Confessiones audientes; 5 superstitiosos, si superstitio sit cum conscientia peccati, ac veram de hæresi suspicionem fundet ; 6 blasphemos hæreticales; 7 hæreticorum denuntiationem dissuadentes, nisi fiat ex amicitia: item hæreticos denuntiare negligentes, si teneantur ex officio denuntiare; 8 sectis clandestinis nomen dantes (3).

At tamen, generatim loquendo, obligatio denuntiandi hæreticos, vel de hæresi suspectos non urget, et ideo omittitur sine peccato :—1 si agitur de denuntiando se ipso ; quia nemo *tenetur propriam prodere turpitudinem:* ideo et quando agitur de denuntiando complice, si fieri nequit, quin denuntians se manifestet ;—2 quando denuntiatio fieri nequit sine gravi incommodo, uti definivit S. Congregatio 22 jan. 1727. Hinc ajunt neque fratres sorores, neque patrem filium teneri denuntiare; quia id natura refugit, et esset in proprium dedecus. Hic S. Alphonsus distinguit inter hæreticos et solum suspectos de hæresi: illos docet denuntiandos esse semper, et a quolibet etiam consanguineo ob rationem boni communis; istos vero consentit non esse denuntiandos cum gravi incommodo: unde in ejus sententia denuntiandi non sunt consanguinei usque ad 4^m^ gradum inclusive (4);—3 quando nulla omnino est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur : uti esset in iis locis, ubi hæretici Catholicis permixti sunt, vel ubi tanta est male sentientium de Religione multitudo, ut eos superior punire nequeat, sicuti ipse docet clarissimus Alasia.

Diximus *generatim loquendo;* nam si ageretur de hæresiarchis, aut hære-

(1) C. 8 *de hær.* in 6. (2) *V.* Ferraris, *Biblioteca* etc. V. Hæresis.

(3) Synodus Novariensis vult etiam, ut tamquam de hæresi suspecti denuntientur Episcopo vel ejus Vicario : 1 qui Ecclesiæ potestatem, ritus, leges et præcepta aspernantur ; 2 qui Sacramenta et eorum usum, orationes, Indulgentias et suffragia mortuorum irrident et calumniantur; 3 qui blasphemias in Deum, in Beatam Virginem, atque in Sanctos ex habitu et pacato animo eructant; 4 qui ut alios ad turpia et inhonesta pertrahant, dicunt impudicitiam vel non esse malum vel prorsus leve; 5 qui fidei et morum rudimenta, ætate adulta, discere negligunt ; ac moribus tam dissolutis vivunt ut fidem exterius interiusque amisisse videantur *(pag.* 24).

(4) *Opus Mor.* l. IV, n. 249.

ticis dogmatizantibus, omnes ad denuntiationem tenerentur, quia hæresis est pestis tam noxia, ut difficillime habeat remedium: si radices in societate semel conjecerit. Etsi autem alicubi (ob temporum iniquitatem) non possit Episcopus directe forsan ac subito providere; poterit saltem indirecte, alios cautiores reddendo, bonos libros pravis opponendo, instando opportune, importune, etc.: unde tuti non sunt in conscientia, qui tales delinquentes ideo superiori non deferunt, quia in eorum sententia malo efficaciter providere non potest.

Q. 4. *Quænam sunt pœnæ in hæreticos constitutæ* (1)?

R. Pœnæ latæ ab Ecclesiastica auctoritate, sequentes enumerantur ex variis juris Canonici capitibus: 1 excommunicatio latæ sententiæ, uti constat ex c. *Noverint, de sent. excomm.*: et est reservata per Bullam *Cœnæ*; 2 irregularitas, quam etiam incurrunt hæreticorum filii (2); 3 privatio jurisdictionis spiritualis quoad illos, qui nominatim sunt denuntiati (3); 4 inhabilitas ad Beneficia obtinenda: et hæc statim incurritur. Item privatio Beneficiorum, si quæ fuerint collata: et quidem quantum ad titulum, privatio contingit ipso facto, unde statim fructus cessant (4); quantum vero ad possessionem, requiritur sententia declaratoria saltem criminis ex S. Congregatione; 5 privatio sepulturæ ecclesiasticæ: et qui temere hæreticum in loco sacro sepeliret, ipso facto esset excommunicatus (5). Qui volunt leniter semper cum hæreticis agendum, audiant D. Bernardum: hic vult quidem primum argumentis, non armis hæreticorum errores repelli; sed addit, eos si in suæ pertinaciæ tenebris remanent, *foris relegandos atque mittendos:* imo aliquando *melius gladio coërceri,* quam ut in suum *errorem multos trajicere permittantur* (6).

Observandum est nomine *hæreticorum* intelligi etiam: 1 eorum *receptatores,* qui nempe ipsos hospitio receperint, etsi semel, ne a judicibus legitime quæsiti capiantur. Attamen excipitur valde probabiliter qui recipit ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, etenim iste non faveret hæretico ut hæretico: alii tamen id negant; nam virtualiter, defendendo personam, hæresis defenditur. Quod si non obstante receptatione, hæreticus incidat in manus judicis, tunc alii negant pœnas incurri; quia amplius non fovetur hæresis: nobis tamen arridet contrarium, nam jam verificatus est effectus favoris in receptatione; 2 *defensores,* qui nempe personas hæreticorum, vel eorum mores tuentur; 3 *fautores,* qui nempe favorem præstant, ut facilius hæresim doceant atque diffundant; 4 *credentes,* qui scilicet verbis, factis aliisque modis externis hæreticorum sectam profitentur (7).

Q. 5. *An simplex Confessarius possit ab hæresi absolvere?*

(1) *V.* Liguori *Opus Mor.* l. VII, nn. 300 et seqq. — Hic etiam vid. Salzano, *Corso di Storia Eccl.* l. XV, § 9: Digressione su di una dottrina del Guizot. It. § 15: Sconfitta degli Albigesi: Inquisizione. — It. *De censuris* in Adnotationibus, vol. I.

(2) C. *Statutum* 2 de hær. in 6.

(3) Ex *Decreto*, p. 2, causa 24, q. 1, can. 4 et 36.

(4) Ex *Sexto*, l. V, tit. 2, cap. 12. (5) Ex *Sexto Decret.* l. V, tit. 2, cap. 2.

(6) Serm. 64, 65 et 66 *in Cant.*; et *Epist.* 365. — Attamen, quam nobis sævitiem objiciunt protestantes, ea ipsi rei sunt. — *V.* Martinet, *Soluzione de' gran problemi*, vol. ult. ubi id historia probat ineluctabiliter. (7) C. 12, § 5 *de hær.* in 6.

R. Inter pœnas contra hæreticos latas, pro Confessarii officio maxime attendi debet excommunicatio; non enim aliter hæresis quoad peccatum reservatur S. Pontifici, nisi ob adnexam excommunicationem ipsi reservatam; hæc porro si non incurratur, jam hæresis poterit a quolibet Confessario absolvi, nisi adhuc sit casus reservatus in ejus Diœcesi. Ut igitur Christianus excommunicationem ob hæresim incurrat, ex parte excommunicationis requiritur, ut illius notitiam habuerit; censura enim ab ignorante non incurritur. Ex parte vero hæresis requiritur: 1 ut ea sit formalis, nempe ut errori adhæreatur cum pertinacia voluntatis, neque sit conjuncta cum ignorantia licet culpabili ac supina (1); 2 ut exterius manifestetur (non tamen ad consilium capiendum, vel puræ argumentationis causa); nam in foro externo cogitationis pœnam nemo patitur. Sufficit autem, si error sit aliquo modo externatus sive voce, sive scripto, sive nutibus, etsi externatio ista sit facta secreto, nemine præsente aut sciente; quia semper verificatur hæresis externa.

An Episcopus (quæres) *possit ab hæresi absolvere?*—Et Episcopus, et Inquisitor possunt absolvere in utroque foro ab hæresi, licet ea sit formalis et externa, si ad eorum forum judiciale jam sit quomodocumque deducta: ut si v. g. ibi sit probata saltem per unum testem, ut ajunt; aut si eo hæreticus sponte conveniat, qui enim res cognoscere potest, poterit eas quoque terminare (2): *quin imo uterque potest pœnitentem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem Confessarium remittere, ut ab eo absolvatur; eamque absolutionem, licet a Confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro externo, a cujus jurisdictione promanat, recte observat del Bene:* verba sunt Benedicti XIV (3).

Si vero hæresis formalis et externa non sit deducta ad eorum forum verior et tenenda sententia ex Benedicto XIV docet, Episcopos non posse ab illa absolvere; sic enim in Bulla *Cœnæ* statutum est. Neque obstant hæc Concilii Tridentini verba: *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare. Et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, et non eorum Vicariis, sit permissum* (4). Hæc, inquam, non obstant; nam per dictam Bullam hæc facultas Episcopis derogata fuit, ita ut hodie amplius non liceat Episcopis *prætextu facultatum quarumcumque,* ut dicitur in ipsa Bulla, absolvere in foro interno ab hæresi occulta (5). Sed adhuc poterunt ab-

(1) Hinc qui propositiones enuntiant fidei injuriosas, sed interne eis non assentiuntur et sunt parati acquiescere judicio Ecclesiæ, excommunicationem non incurrunt defectu contumaciæ, quamvis fiant rei blasphemiæ hæreticalis, et in foro externo pro veris hæreticis plerumque reputentur. (2) C. ult. off. *de hær.* in 6.

(3) *De Syn. Diœc.* l. IX, c. 4. (4) Sess. 24, c. 6 de R.

(5) Intellige iis in locis, ubi hæc Bulla viget, uti apud Diœcesim Novariensem. Porro quamvis hæc sit antiquior Tridentino, ipsi tamen prævalet; quia, etiam Tridentino celebrato, Bulla non desiit publicari cum additamentis etiam, juxta Pontificum voluntates. Cæterum notandum: de jure

solvere ab irregularitate ideo incursa; sunt enim diversæ facultates ad diversos actus, et una tantum ipsis sublata est.

Q. 6. *Quid est apostasia?*

R. Apostasia a fide *est totalis defectio seu recessus a fide Christiana per Baptismum suscepta:* vox a græco est, et indicat *post stare:* cum autem apostasia a fide sit vera hæresis, iisdem pœnis subjicitur (1). Diximus *apostasia a fide;* nam datur etiam: 1 *apostasia ab obedientia,* quæ est in quolibet homine, qui justis Superiorum præceptis obedire recusat; 2 *ab Ordine*, et est in eo, qui sacris Ordinibus initiatus deserit habitum Clericalem, ut more laicorum procedat et vivat: 3 *a Religione,* et est in eo, qui, emissa jam professione, sine licentia recedit a statu religioso *(E).*

§ I.—*De Catholicorum communicatione et disputatione cum hæreticis in rebus fidei.*

Q. 1. *Quid de Catholicorum communicatione cum hæreticis?*

R. Vel sermo est de Catholicis, qui in propriis regionibus communicare debent pro vita civili cum hæreticis toleratis. Vel de Catholicis, qui seipsos conferunt ad Provincias hæreticorum. Vel de Catholicis, qui cum hæreticis (aut schismaticis) communicant in divinis.

Si *primum*, ad omne subversionis periculum avertendum, hæc a Catholicis veniunt observanda: 1 ne ex familiari hæreticorum consuetudine aliquid capiant detrimenti spiritualis; 2 ne, laici præsertim, ullam cum ipsis disputationem suscipiant de rebus ad Religionem pertinentibus; 3 ne Rectores Ecclesiarum permittant hæreticos sacris Officiis inservire. Et multo minus debent illis pacem in Missa tribuere osculandam, quod esset signum solemne religiosæ unionis et concordiæ.

Si *secundum*, pro Italis hæc præcepit Clemens VIII Constitutione *Cum sicut*: 1 ut nemo Italus quocumque titulo audeat habitare in locis hæreticorum, ubi non extet aliqua Ecclesia cum Sacerdote catholico, cui liberum sit ritus nostros publice exercere; 2 ne matrimonium cum hæreticorum fœminis ineant sine R. Pontificis licentia; 3 ne eorum sepulturis intersint: nec filios eorum, nisi baptizentur a Sacerdote catholico, levare præsumant de sacro fonte: neque vicissim filios proprios levari sinant ab illis; 4 ne utantur medicis hæreticis, si adsit copia medici catholici satis idonei; 5 ut discessuri ad habitandum in locis prædictis, id significent Ordinariis vel Inquisitoribus

communi dantur casus, in quibus, Bulla non obstante, Episcopi valent absolvere ab omni hæresi. — *V.* quæ diximus in *Tract.* De censuris, *De Excommunicationis absolutione.* — It. Pavone, *La luce fra le tenebre*, §§ 278 et seqq.

Quando a superiore datur inferiori facultas ab hæresi absolvendi, addi solet in rescripto: *servatis de jure servandis*; quæ indicant pœnitentem non tantum esse obligandum ad abjurandam hæresim, sed etiam ad complices denuntiandos, libros hæreticos, cui de jure, tradendos, scandala reparanda, damna resarcienda, occasiones fugiendas, etc. Et valet, servata proportione, si detur facultas quoad alios casus reservatos.

(1) *Parece que los impios que profesan el ateismo, ó el deismo deben ser contados entre los apóstatas.* Gousset. En España, el que apostatare públicamente de la religion católica, apostólica, romana, es castigado con la pena de extrañamiento perpetuo, cuya pena cesa desde el momento en que vuelva al gremio de la Iglesia. Código pen. art. 136.

propriis, a quibus serio admoneantur de fide catholica ibi perpetuo retinenda, de Ecclesiæ præceptis observandis, de Sacramentis percipiendis et earum rerum attestatione referenda (1).

Si *tertium*, est sub gravi et sub minori excommunicatione prohibitum communicare cum hæreticis in divinis; hoc enim esse non potest, quin vel occasio adsit periculi subversionis aut scandali, vel communicatio in falso ritu, vel quædam exterior approbatio falsæ sectæ aut honoris retributio. Hinc non licet permittere, ut hæretici in nostris Ecclesiis celebrent, neque nobis licet in eorum celebrare Ecclesiis (2); nec licet Sacramenta extra necessitatem extremam ab eis recipere, ut pluries declaravit Congregatio sancti Officii. Censuit tamen tolerari posse, ut schismatici comitentur funera nostra, causa honoris civilis, modo nullimode ritibus nostris se immisceant.

Q. 2. *An liceat Catholicis audire religiosas hæreticorum conciones, funus deducere, Sacris eorum interesse, aut nuptiali eorum convivio?*

R. Si ex regionis consuetudine et communi judicio, hæc agere non habeatur ut signum professionis fidei, uti contingit in Germania, præcluso omni animæ periculo, per se licet; nam in communi æstimatione tunc Catholici interessentes non habentur uti communicantes in divinis, sed uti simplices spectatores, quod quidem usus permittit: esset si quis v. g. interesset vel ex curiositate, ut sciat quid agant; vel ad ea spectanda uti comœdiam; vel ad politicum famulatum domino suo præstandum, ut in more habebat Naaman Syrus, qui incurvabat se, ut Rex illi inniteretur dum coram idolo genuflecteret. Hoc enim civile obsequium tenebatur præstare Regi, qui solebat sive in foro sive in templo inniti humero alterius, et adstantibus id notum erat (3). Item neque in aliis locis per se loquendo videtur graviter illicitum Sacris hæreticorum interesse, puta ob curiositatem, modo semper absit scandalum, quod quidem vel in ipsa frequentia adesset; item periculum perversionis et communicatio impietatis. Diximus *per se loquendo;* nam nunc temporis in tanta hæreticorum procacitate, et Catholicorum morum dissolutione, cum vehemens sit subversionis periculum, ideo merito id nonnulli prohibent Episcopi sub gravi pœna, etsi hoc agatur ex curiositate; id enim hodie evenire non potest sine hæreticorum ansa, catholicorum scandalo et animæ propriæ ruina (4).

(1) Hinc colligere est parentes, qui indiscriminatim pro temporali lucro filios tenellos in partes hæreticorum mittunt, quin ipsis provideant quoad Religionem, peccare graviter: 1 contra *charitatem*, quæ vetat, ne proximo occasio peccandi tribuatur; 2 contra *pietatem*, quæ ipsos impellit ad spirituali filiorum bono vacandum; 3 contra *fidem*, cujus amittendæ periculo filios exponunt: porro virtus quælibet præcipit, ut nemo sit illius lædendæ causa vel occasio. — Cum autem hodie discessus non amplius significetur Ordinariis, Parochorum ergo erit providere, ac debita monita tribuere ac forti animo loqui; cum ipsi sciant hac in re suorum parochianorum mores ac consuetudines.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 188. — In aliquibus tamen Helvetiæ locis in eadem Ecclesia ritus suos exercent tum catholici, tum hæretici, alii post alios: id fuit permissum ob locorum paupertatem.

(3) IV Reg. 5. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 16.

(4) Archiepiscopus Taurinensis Lit. Pastorali 12 maji 1853 sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ac reservate omnibus Diœcesanis indiscriminatim prohibet, etiam ob curiositatem, Protestantium templum adire sive ad spectandos ritus vel audiendos sermones. Quam prohibitionem

Sed quid (dices) *si Princeps mandet omnibus sub pœna conciones hæreticorum audire?* — Ei non licet obtemperare, uti constat ex rescripto Pauli V ad Anglos: *non licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis.* Quod valet, etsi Princeps protestetur se hac in re nihil aliud exigere, quam obedientiam civilem; nam hæc de se apta est ad Catholicos paulatim pervertendos, atque ad injuriam fidei et auctoritatem hæresi conciliandam.

Peccatne (quæres) *in fidem Catholicus qui contrahit matrimonium coram magistratu civili, vel coram ministro hæretico?* — Licet Catholico matrimonium contrahere coram magistratu civili, modo ante vel post contrahat ritu catholico; nam talis actio est instituta ad finem mere politicum, ut nempe coram lege civili tam conjuges quam eorum filii censeantur legitimi. At non licet contrahere coram ministro hæretico, qui assistat ut minister Religionis, etsi ante vel post contrahatur ritu catholico; contrahentes enim testarentur tali cæremonia, se cognoscere hæreticum illum ut veræ fidei ministrum, quod est intrinsece malum et hæresim sapiens (1).

Q. 3. *Quotuplex disputatio de rebus fidei et an liceat?*

R. Disputare de rebus fidei est ad examen revocare Religionis dogmata: duplex est hæc disputatio, alia *formalis*, quæ instituitur ad defendendum aliquod dogma adversus eos, qui illud inficiantur: alia *materialis*, quæ meræ exercitationis gratia fit inter ipsos qui credunt. Disputatio formalis vel est publica vel privata, prout vel fit publice et coram populo, vel fit private et inter privatas personas, nemine aut paucis audientibus.—Porro si agatur de *materiali* disputatione, ut est quæ reverenter fit in Theologicis nostris scholis ad utile exercitium, utique licet; cum id maxime inserviat ad doctrinam veram firmius stabiliendam, acquirendam, propugnandam; qua de causa proferunt illud Augustini: *circulus et calamus fecerunt me*, id est disputatio ac scriptio. Si vero agatur de disputatione *formali*, tunc distinguendum est inter publicam atque privatam. Publica ac formalis disputatio fieri nequit absque expressa R. Pontificis licentia; *quia* (prout ait S. Concilii Congregatio 8 martii 1625) *plerumque vel ob loquacitatem, audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur:* quod patet historias volvendo hæresiarcarum. Unde in tanta difficultate, nonnisi supremi Pontificis esse debet judicium ferre, ac disputandi licentiam tribuere.

Disputatio autem formalis, sed privata, per se cuique docto licita est, imo expedit; nam quisque tenetur saluti proximi, ac Dei honori consulere. Hinc illud: *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia* (2) Diximus *per se;* nam jure positivo sub pœna excommunicationis ferendæ laicis id prohibetur: quod tamen intelligunt extra casum urgentem (3). Clerico autem permittitur modo: 1 ipse sit provocatus, non provocans; cavendum enim est, ne hæretici provocentur ad

dedit etiam Episcopus Nicæensis *in Syn. Diœc.* c. 2, *Append.* n. 3. In Diœcesi autem Novariensi casus est ipso Episcopo reservatus, *Lit.* 2 apr. 1857.

(1) *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. VI, c. 7.—Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 16.—It. vide dicenda *de matrimonio*, de celebratione.

(2) Ep. I Petr. c. 3. (3) C. 2, § 2 *de hær.* in 6.

disputandum, quia isti, ortodoxa dogmata refellendo, actus hæresis exercerent et fidem contemnerent; 2 si prudenter judicet hæreticum provocare ad disputationem desiderio cognoscendæ veritatis; 3 si cum fundamento speretur fructus aliquis vel in provocante vel in audientibus: v. g. si futurum sit, ut alii hæretici ab errore excutiantur, vel Catholici in fide sua magis confirmentur: 4 si sit maxima doctrina instructus: secus bonæ causæ noceret. Hinc pro praxi potius a disputatione abstinendum, cum non facile omnes conditiones simul concurrere valeant (1). Et Ecclesia generatim parum amat tales disputationes.

Opponunt «Dejad aguzar los ingenios, y de él brotarán chispas de verdad.»

R. Cum Taparelli: «Aun cuando fuese verdadero este aforismo, estaria aqui fuera de lugar: el que tiene un oráculo como divino, ¿qué necesidad tiene de aclarar la verdad que él ya conoce infaliblemente sin necesidad de aventurarlo á la disputa? pero lo peor del caso es que el aforismo mismo es *falso, peligroso y funesto. Falso*, porque en materias metafísicas y morales las disputas de sola razon aumentan las dudas y los errores, no aclaran la verdad: *peligroso*, porque muchas veces el talento del defensor puede ser inferior al de aquel que impugna la verdad, y hacer traicion por una mala defensa á una causa santísima: *funesto*, porque mientras se está disputando, se duda, y en esta duda la sociedad que no puede estarse quieta, no tiene guia que la dirija. Dispútese, pues, sobre las diferentes opiniones físicas, químicas, astronómicas... cuyas dudas no cambian el curso de la naturaleza. Mas evitemos, mientras se pueda, dudas y errores en el *libre* obrar del hombre por ser causa cierta de estravío y de letargo en el que tiene una *causa verdadera* de su propia accion (2).»

§ 2. — *De hæreticis dignoscendis.*

Q. 1. *Quænam sunt regulæ pro dignoscendis hæreticis?*

R. Si semper valde utilis fuit ars aliqua pro hæreticis dignoscendis iisque discriminandis a veris Catholicis, utilissima certe est ætate nostra et penes nos præsertim, cum omnibus compertum sit quorumdam impiorum consilium *de Italis populis traducendis ad protestantium placita* (3). Sed quantum utilis, tantum difficilis, cum eorum character sit

Discolor et longa solitus caligine pasci.

Sunt videlicet aliqui, quorum conatus in eo totus est, ut bonorum sibi æstimationem valeant comparare, ad eos facilius decipiendos: summam morum gravitatem extrinsece præseferunt: severiores doctrinas morales prædicant: mirabilia de se publicari amant quoad ingenium, eruditionem et omne genus scientiæ: sancti apparere volunt ad miraculorum usque ostentationem: in hæreticis Jansenii discipulis hic character fuit semper commu-

(1) Hac de re habemus Decretum Congregationis *de Propaganda Fide*, 26 febr. anno 1830: *disputatio de rebus fidei laicis est prohibita; Sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis et prætextibus.*

(2) *Saggio Teoretico* ecc. n. 902.

(3) Ita Pius IX Encycl. *Nostis*, 8 dec. 1849.

nis, ut constat maxime ex historia diaconi Paris (1). Huc facit illud Christi: *veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (2). Alii ex adverso bonorum æstimationem floccifaciunt et hominibus pessimis se aperte consociant, ut hos sibi facilius reddant suorum errorum discipulos ac ministros. —Nihilominus regulæ quædam non desunt ad hæreticos dignoscendos; quarum primam, generalem et certam nobis tradidit Christus: *ex fructibus eorum cognoscetis eos: numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere* (3). Regulæ autem peculiares atque conjecturales sunt præcipuæ:

Prima, et fortasse omnium maxima, est amor novitatis circa doctrinas religiosas; velle nempe nova prædicare, typis edere, juvenibus tradere et in plebem christianam diffundere. Hæc hæreticis fere omnibus in more fuisse nos docet historia: sic, ut cæteros omittamus, de Joanne Hus, a quo Hussitæ, legitur *quod peregrinas semper et novas opiniones amabat:* qui novitatis amor, ut plurimum, in ipsis etiam, quibus annuntiatur, vocabulis et modis antea numquam in Schola usitatis, facile perspicietur: quare Apostolus Thimotheum monebat: *o Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (4). Patres item africani in Epistola ad Theodorum papam scribebant: *notum est quod tales sermonum novitates de malo amore gloriæ nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quærunt quid novi proferant.* Et Alphonsus a Castro ajebat: *qui talibus novitatibus delectatur, easque inquirit anxius, ut inde inanem captet gloriam, hac sola ratione conjicio eum esse hæreticum, aut in hæresim pronum et qui facile in eam labetur* (5).

Altera regula est nimia quædam libertas in pronuntiando circa res fidei et doctrinæ christianæ quidquid in os venerit: et quod semel improvida in definiendo temeritas prodit, superbia deinde tuetur, pertinacia postea auget, et sic demum errori pertinacia adjuncta facit hæreticum. Huc pertinet quod in Bulla *Auctorem Fidei* legimus: *procax affirmandi et negandi ac secum pro lubito pugnandi licentia... fraudulenta semper fuit Novatorum astutia ad circumventionem erroris.* Huc pertinet quod tradit Carolus Borgo: «conviene

(1) «Estos pretendidos milagros (del diácono Paris) eran sostenidos por todo el partido jansenista numerosísimo y muy poderoso en Francia... sin embargo á pesar de tantas ventajas, ¿con qué facilidad no fueron descubiertos? no fué menester para ello mas que cerrar de paredes simplemente el lugar en que estaba colocada la tumba... Si Dios hubiese realmente obrado aquellos milagros, ¿hubiera tolerado que una miserable pared contrariase sus designios? pero el abate Paris fué impotente para derribar aquel leve muro, que le separaba de sus devotos y su milagrosa virtud no pudo obrar fuera de él.» (Littleton Georg).—*V.* Feller, *Dizionario* ecc. art. Paris.—*Dizionario Ricciano ed Antiricciano*, h. tit.

(2) Matth. 7. (3) Matth. 7. (4) I Timoth. 6.

(5) L. 1 *adversus hæreses*, c. 14.—Ubi observandum sub *novitatis* vocabulo venire etiam renovationem errorum veterum: sic quamvis Lutherus plurimos errores suos a Waldensibus, Wiclephitis, aliisque obsoletis hæreticis hausisset; *novi* tamen habiti sunt in Ecclesia, quasi novam ad vitam impie revocati: sic qui vellet ætate nostra quinque Jansenii propositiones jamdiu proscriptas vel in toto vel in parte, licet diverso indutas habitu, in lucem prodere, *novitatis* hæreticæ maculam non effugeret apud Theologos vere catholicos.

atender á una malicia muy usada entre los herejes, principalmente entre aquellos viles y cobardes, que no tienen la franqueza de decir lo que piensan, cuales son (sobre todo) los Jansenistas. Estos, cuando quieren insinuar un error muy repugnante, lo dividen en pequeñas partes y lo siembran en sus escritos ; hacen beber á sorbos el veneno ; el qué con todo, no deja de ser menos dañoso á los incautos. Pero quien conoce su malvada intencion, sabe muy bien recoger y unir los esparcidos miembros del monstruo del error : es entonces que los simples lectores sienten un saludable temor y todo el horror debido á la herética doctrina (1).»

Tertia regula est, quod ferme omnibus hæreticis est proprium, ut si quis eos benevole de errore monuerit, ipsi cito impatientes se præbeant, iræ fluctibus exæstuent, pro benefacto maledictum regerant, imprecationibus, conviciis, et contumeliis contra monitorem insaniant, neque doceri ullo modo patiantur: hujus rei exemplum habemus in Luthero Novatorum facile principe: suorum nempe errorum initio a viris doctis amice admonitus, nedum se emendaret, imo in pejores furiose prolapsus est; a Leone papa X humanissime correctus, contra ipsum aperte cœpit debaccari, sicque, abysso abyssum invocante, in profundum tandem devenit (2).

Q. 2. *An liceat hæreticum dicere aliquem, eo quod doctrinam hæreticam tenaciter verbo tradat aut scripsit, etiamsi nondum ab Ecclesia uti talis fuerit decretorie denuntiatus?*

R. Quamvis regula generalis sit, ut malæ insectentur doctrinæ parcendo personis, secundum illud Augustini: *interficite errores, diligite homines;* attamen Melchior Canus ex D. Thoma habet ad rem (3) : *si error fidei contrarius circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quia ad fidem catholicam certo pertineant, tunc judices tuto de hæresi pronuntiabunt:* quod si hæretica potest dici doctrina, poterit etiam hæreticus dici, qui eam scienter docet, idque maxime, si ille bene audiatur a publico, ut sic a laqueo caveant fideles; nam fideles auctoritate vivunt, et auctoritate credunt: proinde hæretica docentium auctoritas labefactanda est. Ad rem Salesius suam Philoteam monet: «la caridad obliga á clamar contra el lobo cuando está en el rebaño, cualquiera que sea el grado que ocupe en la sociedad (4).» Nec obstat, quod vulgo habeatur uti catholicæ Ecclesiæ addictus, imo et morum integritate prædicetur. Audiatur Tertulianus: *quid si Episcopus, si Diaconus, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit? ideone hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Quapropter si vere constet de illius pietate exclamandum erit cum D. Bernardo: *quantum laudanda est ejus vita tantum abominanda est ejusdem doctrina (F).*

Q. 3. *An discrepent inter se hæresiarca, hæreticus et dogmatizans?*

(1) *Lettera II* sul Sinodo di Pistoja.

(2) *V.* Gaume, *Catechismo* ecc. p. 3, lez. 45. (3) *De loc. Th.* l. XII, c. 9.

(4) Iterum Sanctus: «conviene tener presente que anatematizando como se debe el vicio, hemos de respetar cuanto se pueda la persona del vicioso. Esceptuo entre todos á los enemigos declarados de Dios y de su Iglesia, porque ellos mismos á viva fuerza se empeñan en quedar infamados, tales son las sectas de los herejes, de los cismáticos y sus gefes.» Idque in more habebant Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, Bernardus, etc.

R. Affirmative, quamvis promiscue alquando usurpentur : nempe *hæresiarchæ* dicuntur tam qui hæreses invenerunt vel suscitarunt, quam qui hæreticorum capita aut duces sunt, ut Calvinus, Zwinglius, Lutherus et his similes (1). *Simplices hæretici* sunt qui pertinaciter tenent errorem contra fidem, quin tamen aliis eumdem persuadere studeant. Hæretici vero *dogmatizantes* sunt qui ex professo hæresim suam publice vel private alios etiam docent, voce vel scriptis : hæretici ludimagistri, vix esse potest, quod etiam non sint dogmatizantes; hinc videant quomodo tuti esse posint in conscientia, qui ut filios suos commercium edoceant, talibus eos committunt instruendos : modum acquirunt ditescendi, at simul artem acquirunt animam perdendi.

ARTICULUS III.—De lectione librorum prohibitorum.

Si quæ alias necessitas fuit scribendi legendique licentiam cöhibendi, in præsentiarum est maxima. Atque ideo a feliciter Regnante Pontifice, sua prima Enciclyca *Qui pluribus* (1846); inter hodiernas machinationes inimicorum, quæ tot damnorum tum christianæ, tum civilis Reipublicæ sunt causa, adnumeratur *teterrima tot undique volantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciæ et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianæ plebis interitum dissipati, pestiferus doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima Religioni inferunt nocumenta.*

Q. 1. *An Ecclesia habeat potestatem libros noxios prohibendi, atque ideo gravi peccato teneantur, qui hanc legem violant?*

R. Inter tot errores, quibus ætate nostra portæ inferi dimicare conatæ sunt contra veram Christi Ecclesiam, iste etiam fuit, quo contendebant nonnulli, hanc ei non convenire potestatem, prohibendi nempe libros noxios : ideoque (ipsius lege non obstante, modo evidens subversionis periculum non appareat) libros quoscumque ab omnibus tuta conscientia perlegi posse. Hæc doctrina potius hæreticorum est ; sed non defuere etiam ex nostris, qui eam impudenter ausi sunt evulgare cum incredibili animarum pernicie. Talis fuit imprimis petulans ille hæreticorum fautor Paulus Sarpius, quem copiosissime refutavit cardinalis Pallavicini: tales fuere alii Sedis apostolicæ detractores infensissimi, uti Wan-Espen, Fleury, Tamburini, Dupinius et Launojus. Verum communiter docent dogma esse catholicum, quod Ecclesia, et pro ipsa summus Pontifex, utpote Christi Vicarius jurisdictionem habeat prohibendi fidelibus lectionem librorum sive de Religione impie tractantium, sive contra bonos mores, aut Ecclesiæ disciplinam aliquid continentium, adeo ut, eos nihilominus legentes, graviter peccent coram Domino et Ecclesia.

Prob. 1. *Scriptura:* nemo negare audebit per ea Scripturæ verba: *pasce agnos meos, pasce oves meas : pascite qui in vobis est, gregem Dei ; attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2), omnibus Ecclesiæ Prælatis, et præsertim eorum capiti romano Pontifici datam fuisse potestatem decernendi de fidei et morum cau-

(1) Regula 2.ª *Indicis.*
(2) Jo. 21 ; I Petr. 5; Act. 20.

sis, et bona pascua ovibus Christi designandi, easdem arcendo, a contrariis et noxiis.

2. *Traditione:* testes inter innumeros apellamus Ss. Augustinum et Cyprianum. Primus morem præcavendi a libris malis, et eos concremandi ab Apostolis di manasse demonstrat (1). Alter vero ait : *si quando talia* (id est contra bonos mores) *quorumdam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur* (2).

3. *Consuetudine:* hanc perpetuam in Ecclesia fuisse consuetudinem abolendi libros fidei aut bonis moribus noxios, demonstrant indubitata historiæ monumenta; ab ipsa enim Apostolorum ætate *multi... ; ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus* (3). In Concilio Nicæno an. 325 Patres damnarunt et comburendos esse decreverunt libros Arii. In Ephesino an. 431 damnata sunt scripta Nestorii. In Calcedonens i anno 451 scripta Eutychetis. S. Leo M. Romæ combussit libros Manichæorum. Idem fecerunt Symmachus, Hormisdas, Nicolaus I, Nicolaus II, Leo X et alii innumeri. Postquam vero inventa est ars typografica (4), cum noxiorum librorum colluvies in immensum excresceret, Concilium Lateranense sub Leone X anno 1515 decrevit, ne deinceps ullus posset liber typis in lucem edi, nisi probantibus Episcopis aut fidei quæsitoribus (5). In transgressores vero (præter excommunicationem) suspensionem ab exercitio artis, amissionem omnium librorum, aliasque pœnas Ordinarii arbitrio infligendas constituit. Deinde Paulus III, anno 1542 statuit Romæ Congregationem Generalis Inquisitionis, cui pravos libros prohibendi curam imposuit. Postea sub Paulo IV confectus est *Index* librorum prohibitorum, quem Pius IV, annuente Tridentino, ampliavit magisque perfecit. — Sed cum libri perniciosæ lectionis magno in numero undique ederentur, nec laudata Congregatio Inquisitionis ad eos examinandos sufficeret, S. Pius V novam Congregationem instituit, appellans *Indicis*, ideo quia libros noxios indicat. *Ex hac itaque constanti omnium ætatum sollicitudine... patet luculentissime* (ut verbis utar Gregorii XVI Encyclica *Mirari vos*) *quantopere falsa, temeraria atque apostolicæ Sedi injuriosa, ac fœcunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et onerosam rejiciunt; sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a recti juris principiis abhorrere, jusque illius decernendæ habendæque audeant Ecclesiæ denegare.*

(1) L. IV de bapt. c. 24. (2) Ep. 42 ad Cornel. (3) Act. 19.

(4) Versus annum 1455 hanc artem Guttenberg invenit, Fust protegit, Schoeffert perfecit, omnes Moguntini. Primi ab ipsis editi libri fuere *Psalmorum Codex*, et *Rationale* Durandi anno 1457: *Clementinæ* 1460: *Biblia Sacra* 1462. Quam quidem artem e Germania in Italiam attulerunt anno 1462 Corradus Sweynheim et Arnoldus Pannartz. Primi libri, quos Subiaco prope Romam ediderunt, sunt *Opera* Lactantii anno 1465; et S. Augustinus, *De Civitate Dei* anno 1467.

(5) «No hay duda que desde los primeros siglos de la Iglesia todos los cristianos han tenido la obligacion de sujetar sus escritos á la aprobacion del Romano Pontífice: S. Agustin, S. Honorato, S. Julian, S. Cesáreo, grandes lumbreras del Catolicismo, se sometieron á esta ley. Nicolao la consignó en estos términos en el quinto de los Cánones romanos: *Todo escrito debe ser aprobado ó reprobado por decreto de los Romanos Pontífices.* Tal fué la legislacion de la Iglesia hasta la invencion de la imprenta. Solo entonces se intentó sustraerse de esta obligacion. Leon X quiso hacerla revivir.» Audin, *Storia di Leon X*, vol. II: la stampa.

4. *Ipsa ratione naturali:* naturæ vox est libros qui Religioni et moribus officiunt, extirpandos esse, quia neminem latet quot inde mala! *corrumpunt bonos mores colloquia prava*, inquit Apostolus (1); at colloquiis pravis pravi libri noxiores sunt, quippe *qui* (ait Clemens XIII Constitutione *Christianæ Reipublicæ*, anno 1766) *manent perpetuo et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quæ improbo et occulto auctori aditus non pateret.* Adde: si hæc facultas penes Ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere eidem non tenerentur, nec fides illæsa servari posset, nec Christus satis Ecclesiæ suæ providisset: *frustra Ecclesia laboraret in hæresibus extirpandis bonisque moribus fovendis, nisi unde scatet errorum ac viliorum colluvies, fons penitus obstruetur,* ut bene ait Baronius ad annum 447. Hinc vel ipsi gentiles putida ejusmodi scripta execrabantur. Sic Plato ajebat libros impudicos omnino a civitatibus eliminandos. Sic Virgilius opus suum propter confictam Didonis impudicitiam, cum morti esset proximus, præcepit ut igni traderetur. Sic multoties apud Romanos, ut Livius refert, negotium hoc Magistratibus datum est, ut libros vaticinos, aliosque malos conquirerent, atque igni consignarent (2).

Q. 2. *Quinam sunt libri, qui Ecclesiæ prohibitioni subjiciuntur?*

R. Ii libri Ecclesiæ prohibitioni subjiciuntur in quibus noxia pascua continentur; cum Ecclesiæ sit nos ab illis arcere. Tales porro sunt libri (quicumque sit ejus auctor sive catholicus sive non), qui vel hæresim exhibent, vel de hæresi suspecti sunt, vel moribus et pietati fidelium nocent: *nulli libri damnandi* (ait Pius IV Const. *Dominici gregis*) *nisi qui vel hæretici sunt; vel de hæretica pravitate suspecti; vel certe moribus et pietati nocent.* Ex quo patet: 1 falsum esse aliquando libros ab Ecclesia damnari propter pura negotia politica, de quibus in ipsis agatur: quod si damnentur, ideo est quia una simul continent propositiones vel hæreticas, vel de hæresi suspectas, vel moribus, aut pietati fidelium noxias; 2 cum liber aliquis in *Indicem* est relatus, etiamsi nobis non innotescat specialis censura eidem inflicta, et etiamsi ejus auctor sit Catholicus, imo et præclara fortassis fama insignis, concludere certo debemus in eo vel fidem vel mores vel pietatem offendi; si enim nihil horum in ipso esset, liber profecto non fuisset prohibitus atque damnatus. Quám autem sint injustæ, ne dicam impiæ, querelæ nonnullorum, qui contendunt prohibitionem librorum Romæ fieri temere, perfunctorie, vel ex præconceptis opinionibus et partium spiritu, patet ex modo, ex longo examine, ex subtilissima inquisitione, quæ ex Bulla *Sollicita* Benedicti XIV, edita anno 1753, instituitur in libris proscribendis (*G*).

Q. 3. *An sacra Congregatio debeat ante prohibitionem audire auctorem libri, si dignoscatur?*

(1) I Corinth. 15.

(2) *Hist.* l. XXXIX, c. 16; l. XL, c. 19. «Es muy sabido el dicho de Platon: *palabra escrita no se publique sin saberlo el Magistrado.* Quintiliano no queria que se espusiesen á los jóvenes los libros de los poetas latinos que tratan de cosas obscenas (Instit. l. XIII, c. 1). Lutero juzgaba asimismo necesario apartar estos libros de las escuelas y de todo lugar, diciendo que no pueden leerse sin grave daño de la juventud. (Luth. Tit. de Doctis). El incrédulo Bayle, hablando de un romance obsceno, demuestra que no es posible guardarse de la seduccion, y concluye exhortando á que tales libros sean esterminados en todo lugar. (Bayle, *Diction.* art. Guarini).» Teppa.

R. Per se loquendo, ubi non agatur de notanda aut condemnanda ipsa auctoris persona, sed solummodo de consulendo fidelium indemnitati in fide et bonis moribus, et de avertendo e grege Christi periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur, nullum est opus auctorem in judicium vocare et audire. Quod si ignominiæ labes aliqua ejus nomini ex prohibitione proveniat, id non directe, sed oblique consequitur, et auctor poterit copiose famæ suæ consulere, se statim subjiciendo opusque reprobando foris et ex animo, ut decet verum catholicæ Ecclesiæ filium.

Diximus: *per se loquendo;* nam optat de cætero S. Sedes, ut auctor, si causam suam tueri velit, audiatur, vel pro rerum adjunctis unus e Consultoribus designetur, qui ex officio operis patrocinium suscipiat, dummodo tamen: 1 agatur de auctore catholico, qui aliqua nominis et meritorum fama habeatur insignis; 2 ut ejus opus tale sit quod, demptis demendis, adhuc publico prodesse possit, sacræ Congregationis judicio. Quapropter si contingat aliquando librum prohiberi, quin prius auctor fuerit auditus, nemo potest rationabiliter conqueri; in hoc enim casu vel credendum est quidquid pro suæ doctrinæ defensione potuisset auctor proferre, id minime a Censoribus neglectum fuisse: vel dicendum alterutram, aut utramque e duabus præscriptis conditionibus defuisse *(H)*.

Q. 4. *An sacra Congregatio debeat præmonere auctoritatem civilem ante libri prohibitionem alicujus ejusdem subditi?*

R. Fuit olim Marsilii Patavini sententia Ecclesiam nihil posse in his rebus peragere sine dependentia et prævio consensu auctoritatis civilis; sed ejus doctrinæ et jus et ratio et consuetudo expresse adversantur: 1 *jus,* quo statutum est ut hæc negotia tota sint in Ecclesiæ docentis, et ejus præsertim capitis visibilis, nempe summi Pontificis munere, arbitrio et conscientia (1); et idcirco omnes contra sentientes habiti semper sunt uti doctrinæ catholicæ inimici; 2 *ratio;* Ecclesiæ nempe potestas independens omnino est a potestate civili in jurium suorum exercitio; et repugnat asserere Ecclesiam, quæ non a mundi Principibus, sed a Christo Domino suam immediate accepit auctoritatem absolute independentem, hac uti non posse sine Principum præmonitione et consensu; 3 *consuetudo;* nullum enim exemplum in historia ecclesiastica apparet prædictæ dependentiæ et præmonitionis.

An (quæres) *requiratur* regium exequatur *pro obligandis fidelium conscientiis circa librorum prohibitionem?*—Negative; cum enim potestas prohibendi malos libros ad Ecclesiam pertineat jure proprio, nempe divino, repugnat dicere ejusdem leges hac super re non posse vim suam exercere sine prævio civilis auctoritatis consensu. Si ita esset, quam facile posset Principis cujuscumque vel Ministri malitia et argutia leges ecclesiasticas deludere? Hinc communis et recepta sententia est, prohibitiones librorum, ubi semel de earum constet existentia, statim fidelium conscientias ligare; male idcirco sibi consulere eos, *qui libros a S. Sede prohibitos* (verba sunt clarissimi Alasiæ) *et adversos fidei vel bonis moribus nedum ipsi sine scrupulo legunt, sed et ab aliis docent libere legi posse, ajentes leges Pontificias tales libros prohibentes non subiisse Senatus visionem, ideoque non habere regium exequatur; etenim*

(1) *V.* Trident. sess. 25, c. 3 de Refor.

certum est leges Pontificias materiam fidei et morum concernentes non indigere Senatus visione, ut obligent (1). Hinc Tridentinum obligat etiam in Gallia quoad res fidei et morum, licet ibi Concilium officialem publicationem non habuerit (2).

Dices: *sine prævio civilis auctoritatis assensu seu placito, Constitutiones Pontificiæ nequeunt in Statu publicari; atqui leges nondum in Statu publicatæ non obligant in conscientia fideles ejusdem Status.*— R. Distinguendo: *Constitutiones Pontificiæ nequeunt in Statu publicari*, si respiciant disciplinam tantummodo, atque eo in casu ac simul in eo objecto, de quo per Concordatum cum sancta Sede sic fuerit conventum, concedo; secus nego. Itaque si agatur de Constitutionibus Pontificiis dogmaticis, vel quæ fidem et mores fidelium respiciunt, tuentur omnes et Theologi et Canonistæ catholici nullum ad earum in Statu publicationem requiri prævium auctoritatis civilis assensum vel placitum: hæc sunt negotia illa, de quibus sic scribebat Osius Cordubensis Episcopus ad Constantium imperatorem: *ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis de his rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit: metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias* (3).—At si de Constitutionibus agatur mere disciplinaribus, tunc utique videndum, an in Statu aliquis adsit Concordatus cum Sede apostolica initus, et in casu affirmativo eidem inhærendum; quia pacta conventa servari debent. Verum librorum prohibitiones quis dixerit esse leges pure disciplinares? quis imo neget eas directe fidei et morum conservationem et integritatem penitus intueri? *Nulli*, ait Pius IV Constitutione *Dominici gregis* (libri damnandi), *nisi qui vel hæretici sunt; vel de hæretica pravitate suspecti; vel certe moribus et pietati noceant.*

Q. 5. *An Episcopus possit in propria Diœcesi libros proscribere?*

R. Affirmative: sive agatur de Episcopis extra sive intra Italiam; hoc quippe essentialiter pertinet ad munus, quod habent jure divino populum sibi commissum sana doctrina pascendi. Id docet cl. Alasia, nulla addita limitatione; et Alphonsus noster ait: *prohibere libros per totum orbem spectat ad Pontificem, et pro ipso ad S. Congregationem; Episcopi autem et Inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio* (4). Idque ideo etiam, quia

(1) *De legibus*, dissert. 4, c. 5. Statim ac per fide dignos vel per publicas ephemerides ad nos pervenit certa notitia prohibitionis librorum, obligat; et satis est, quod Decretum Romæ publicetur, ut dictum est Tract. *De legibus*. Præstaret tamen, ut Episcopi, vel in Calendario, vel alia arrepta occasione, tum Decreta prohibitionis librorum, tum aliarum Congregationum decissiones ad praxim spectantes publicarent.

(2) *V.* Cabassutius, *Jur. Canon. Theor. et Praxis*, l. I, c. 4, n. 6.

(3) *V.* Pallavicini, *Storia del Conc.* ecc. c. 19, § 14. — Et maxime Margotti, *Processo di Nepom. Nuytz.* Torino 1852. — *Civiltà Cattolica*, ser. 1ª, vol. VIII: L' exequatur. In Concordato Pedemontano, sive Instructione Benedictina a regio placito expresse eximuntur Brevia et Bullæ Dogmaticæ, nec non Constitutiones pro morum integritate: sic enim legitur § 3: «Tampoco en España están sujetas al exámen de la autoridad civil las bulas dogmáticas en materia de fe y costumbres.» N. E. Deinde Index librorum prohibitorum fit ex regulis Tridentini, quod penes nos in omnibus totam suam vim obtinet.

(4) *Opus Mor.* l. VII, n. 290. — Quod autem dicitur de libris, idem valet de foliis quotidiani (vulgo diarios), quæ sub eisdem Indicis regulis ac pœnis, prohiberi censentur. Hic enim quæstis

non tam facile ac statim notitia omnium noxiorum librorum potest Romam pervenire; præstat ergo ut Pastores ipsi illico oves suas ab illis avertant. Hinc Leo Magnus: *si quis Episcoporum,... apocrypha habere per domos non prohibuerit,... hæreticum se noverit judicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat* (1). Id etiam eruitur a regula *Indicis* decima: *liberum sit Episcopis... eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, proscribere si hoc in suis... Diœcesibus expedire judicaverint.* Quid plura? Leo XII in suo Mandato addito Decreto S. Congregationis 26 martii 1825 jussit, ut omnes Episcopi *propria auctoritate* pravos libros *studeant e manibus fidelium evellere*, quod vocabulum si moraliter intelligatur, ut debet intelligi, non aliud valet indicare, nisi facultatem Episcopis omnibus tam intra quam extra Italiam competere in librorum prohibitionem. Præstat tamen ut librum a se prohibitum Romam transmittant et decretorium judicium implorent (2) *(I)*.

Q. 6. *An qui moraliter certus est nullum sibi imminere perversionis periculum, legere possit absque licentia libros prohibitos?*

R. Sententia communissima et sequenda omnino negat; finis enim prohibitionis non solum est, ut damnum evitetur conscientiarum, sed etiam ut servetur obedientia Ecclesiæ debita maxime in re tam periculosa; ac ne detur hæreticis aut aliis improbis scriptoribus ansa perniciosissima malos libros typis demandandi: unde eo in casu non cessat omnino finis adæquatus prohibitionis. Et sane in Bulla prohibitiva dicitur *ex quavis causa vel colore.*

Adde neminem quantumvis pium ac doctum tuto posse confidere, quod nullum detrimentum capiat ex tali lectione, maxime si elaborato stylo ac captioso (ut solet) liber sit conscriptus, et zelum ac charitatem ostentet; quidquid enim legitur, ita mentem occupat, animum demulcet, atque ad cor pertransit, ut sensim sine sensu res lecta fieri soleat propria lectoris: unde bene S. Basilius libros *cibum animarum* appellat. Sane luctuosa experientia testis est: sic Eutyches, invictus antea fidei confessor, ad unam lectionem libri cujusdam Manichæi mutatus est in infandum hæreticorum caput. Sic Bulincerus, doctor catholicus olim piissimus, librum legit Melancthonis, et cecidit. Sic Avitus præsbyter legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret eorum confutationem, imo et per Hieronymum, et ut sibi caveret monitus

non est de forma, sed de substantia: et ubicumque invenitur error, profligandus est. Hinc Pius IX Encyclica *Nostis* (8 dec. 1849) Episcopos hortatur, ut omni sollicitudine adlaborent ad fideles avertendos ab omni pestifera lectione, et signanter nominat *impios libellos et ephemerides ac pagellas mendacii, calumniarum et seductionis plenas.* Nec tanto muneri defuerunt Episcopi sive intra sive extra Italiam. Ad nos quod attinet, vide Litteræ ab excell. Episcopo Novariensi datæ 14 junii 1852, ubi ab hac contagione omni studio oves suas avertere curat: quod ut assequatur magis, nonnullas pagellas et ephemerides expresse damnat, adeo ut nullus ex suis Diœcesanis, quicumque sit, illas sive jam editas sive edendas amplius legere valeat sine peccato, nisi a legitima auctoritate licentia munitus sit.

(1) *Epist.* 15, al. 93 ad Turribium, c. 15.— *V.* Croix, *Th. Mor.* l. VII, n. 394, q. 46.—It. Bulla 25 nov. 1766 Clementis Pp. XIII, cujus totum argumentum est *cunctos per catholicum Orbem Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque Diœceseon Rectores enixe hortari, ut creditum sibi ipsis Dominicum gregem a noxiorum librorum lectione avertant.* Item Encycl. 15 aug. 1832 Gregorii Pp. XVI. Item Breve *Ad apostolicæ Sedis* 22 aug. 1851 regnantis Pii Pp. IX.

(2) Hoc totum est conforme Instructioni Clementis VIII, §§ 3, 4 et 5.

esset, virus tamen lethaliter absorbuit (1). Adde: semel cognita lege, subditi non est ejus rationem sciscitari, sed observantiæ studere: secus via nimis lata transgressionibus aperiretur, nec leges essent firmæ; cum nimium trahat decipiendo sua quemque voluptas.

Q. 7. *A quo licentia legendi libros prohibitos est impetranda?*

R. A solo R. Pontifice, vel a Congregationibus S. Officii aut Indicis licentia impetranda est; nam illius est permittere cujus est vetare. Hoc jus omnibus Episcopis dabat Instructio Clementis VIII (1598); sed illud postea ipsis sublatum est per Gregorium XV Constitutione *Apostolatum Officium* (1612), innovata ab Urbano VIII (1631). Ex hac vero Constitutione istud jus fuit concessum *Magistro sacri Palatii* pro Roma ac suo districtu (2). Hic tamen notandum: non ideo tutus potest legere qui licentiam obtinuit, si nesciat discernere inter lepram et lepram, neque satis firmus sit in bono proposito; quia lex naturæ est, ut nemo se peccandi discrimini committat. Si tuti esse velimus, non curiositas nos debet impellere ad impetrandam librorum prohibitorum licentiam eosque legendos; sed necessitas, vel sane gravis utilitas, habita videlicet ratione muneris nostri et status (3).

Q. 8. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti, et quid de illis?*

R. 1: Triplici in differentia seu classe collocantur libri prohibiti. *Prima classis* continet libros omnes editos vel edendos hæresiarcarum et hæreticorum, qui vel hæresim continent vel de Religione ex professo pertractant. —*Secunda classis* vero continet libros cujusvis auctoris, qui vel ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibiti sunt. Huc revocantur: 1 libri conscripti ab hæresiarchis (qui nempe sectæ caput sunt), cujusvis tituli et argumenti existant: quorum libri fuerunt merito prohibiti, ut sic facilius avertantur fideles ab eorum sequela: et en prohibitio quæ dicitur *in odium auctoris;* 2 libri hæreticorum qui sectæ caput non sint, licet neque de Religione tractent, neque hæresim contineant: excipe, nisi dicti libri aliquo modo sint probati, ut probati censentur atque permissi qui ad Catholicorum loca libere sunt delati sub ipsorum Superiorum oculis (4). — *Tertia classis*

(1) Hinc maxime sunt improbandi qui pravos libros vel diaria (vulgo *periódicos*) irreligiositate plena ex solatio legunt: impossibile est, ut sensim sine sensu illorum non induant spiritum in male judicando, in auctoritate parvipendenda, etc. Adde scandalum, quod dant cæteris tali lectioni vacando. Adde ansam, quam sic præbent malis scriptoribus. Idque fortius de Ecclesiasticis valet: væ illis, qui tales ephemerides detractionibus, impietatibus, et turpitudinibus redundantes vel coram ipsis sæcularibus legunt, et quod lacrymis dignum est, risu excipiunt. Deus, Religio, ejusque pastores a nemine frustra irridentur.—Aliter tamen dicendum est de viris doctis, ideo deputatis, qui eas caute ac prudenter legunt, ut confutent, aut suas oves ab illis avertant; Dei enim gratia iis occurrit quidem, qui officii necessitate compulsi perniciosa suscipiunt, non vero iis qui inani curiositate ducti periculis se exponunt.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 199; et l. VII, n. 291 et 299. Imo vel ipsi Episcopi sine Papæ licentia libros ab ipso prohibitos legere prohibentur ex Bullis Julii III *Cum meditatio*, Pauli IV *Quia in futurorum*, et Pii IV *Cum pro munere.*

(3) Episcopi est apud supremam Sedem testari de probitate ac qualitate licentiam postulantis: unde ea de re ad Curiam episcopalem fiat recursus.

(4) Id tamen hodie non large accipiendum; in tanta enim vesana scribendi libertate impossibile fere est, ut de libris omnibus Episcopi judicium proferant ac recognoscant: unde non omnes hæreticorum libri ideo putari debent permissi; quia sub oculis Prælatorum libere eduntur. —*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 288; et *Homo Apost.* tract. XIX, n. 61.

tan dem continet libros alia de causa prohibitos, puta si sint contra bonos mores, aut charitatem, vel aliorum famam, aut si contineant propositiones laxas (1).

R. 2: Libri primæ classis prohibentur in Bulla *Cœnæ* sub pœna excommunicationis ipso facto, et Pontifici reservatæ. Eamque incurrunt *scienter retinentes* (sunt verba Bullæ), *legentes, imprimentes et defendentes libros hæreticorum de Religione tractantes vel hæresim continentes, ex quavis causa publica vel occulta, quovis ingenio et colore.* Quæ excommunicatio extenditur ex Pio IV et Clemente VIII ad legentes *Thalmud* et alios similes Hebræorum libros, in quibus christiana Religio calumniatur; ex Sixto vero V extenditur etiam ad libros qui tractant de astrologia judiciaria, eam docentes. Huc tandem pertinent libri speciali Pontificum Constitutione vel Brevi prohibiti, quippe qui semper adnexam habent excommunicationem ipso facto Papæ reservatam. — Libri secundæ classis prohibentur ex Regula decima *Indicis*, et Constitutione *Dominici gregis* Pii IV sub pœna item excommunicationis ipso facto, non tamen reservatæ. Sub eadem quoque pœna prohibiti sunt libri magici; habentur enim uti de hæresi suspecti: non tamen prohibentur libri Catholicorum, in quibus referuntur verba alicujus hæretici ad eum confutandum: neque ubi adsunt notæ alicujus hæretici, modo non essent ita copiosæ, ut potius liber ex illis notis constaret.—Libri tertiæ classis nulla prohibentur pœna; sed legentes, aut retinentes, præter mortalis culpæ reatum, ex Constitutione Pii IV *Dominici gregis*, dicuntur Episcoporum judicio severe puniendi. Libri tamen antiqui, qui res lascivas continent ab ethnicis conscripti, ob elegantiam permittuntur, tamen pueris exceptis *(J)*.

Quid (quæres) *requiritur, ut incurratur excommunicatio ab iis qui legunt libros hæreticorum?*

Hæc requiruntur ex communi Doctorum:

1. Ut auctor libri sit vere *hæreticus,* seu ut liber sit editus ab eo qui actu hæreticus est: quare non sufficit si postea hæreticus fiat, si talis non erat dum librum scripsit. Sic etiam qui legeret scripta ob hæresis suspicionem vel etiam ob ipsam hæresim prohibita, et ideo liber sit damnatus ut hæreticus, incurreret quidem excommunicationem *Indicis,* quæ non est reservata; non tamen excommunicationem reservatam Bullæ *Cœnæ*, ut docent probabiliter cum Pignatelli; quia ad eam incurrendam requiritur, ut etiam ipse auctor damnatus sit ut hæreticus, vel natus ex secta hæretica (2). Item neque illam incurreret qui legeret librum pagani, turcæ vel alterius infidelis, licet errores contra fidem contineret: nisi adesset specialis prohibitio; quia infideles non sunt hæretici, cum fidem numquam susceperint (3).

(1) Hic esset quoque recensenda eorum classis librorum, qui prodeunt sine nomine auctoris; sed hodie illi non habentur prohibiti, si pravam non contineant doctrinam.

(2) Dicit Holzman etiam numerari inter libros in Bulla *Cœnæ* vetitos librum, qui ex professo tractet de hæresi, quamvis lateat auctor, quia tunc censetur hæreticus.—Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 282.

(3) Probabiliter dicunt Holzman, Elbel, etc. quod ex epikea bene excusantur legentes librum hæreticorum, si necessario indigeant ad convincendum hæreticum ex suo vel alterius hæretici libro, puta inveniendo contradictiones, modo periculum sit in mora, nec pateat recursus Romam, vel ad Episcopum.—Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 283.

2. Ut lectio libri auctoris hæretici fiat *scienter*. Unde qui ex ignorantia etiam vincibili nescit librum esse hæretici, vel hæresim continere, aut de Religione tractare, non incurrit excommunicationem. Excusat autem a censura non solum ignorantia invincibilis, sed etiam crassa: imo juxta plures etiam affectata, quia in hac adhuc deesset dolus formalis, qui censuræ contemptum inducat (1).

3. Ut liber hæretici vel hæresim contineat, et satis est, si unum contineat errorem contra fidem; vel *tractet ex professo de Religione*, etiamsi tunc nullum contineat errorem, nam Bulla loquitur disjunctive. Dicitur autem liber *de Religione tractare*, si contineat sacram doctrinam, sive sit exponendo Scripturam, sive scholasticam, sive conciones, sive casus conscientiæ, sive alia quæ ad cultum Dei aut Sanctorum vel ad salutem animarum spectant, aut de Clericis et Monachis disserunt et similia. Ita Suarez et Sanchez (2).—Dicitur vero *tractare ex professo*, si in fronte vel titulo præferat materiam Religionis; aut in decursu ita fuse rationibus eam stabiliat, ut eam legentibus persuadere velle videatur. Ita Voit. Ratio communis est, quia hæretici solent talia scribere vel in odium fidei nostræ, vel aliquid veneni inserendo, vel ad conciliandam suæ sectæ existimationem.

4. Ut lectio sit in materia notabili; communiter enim admittunt hac in re materiæ parvitatem. Sed quænam sit habenda uti materia parva vel notabilis, inter diversas sententias sic melius distinguunt Croix, Elbel, Holzman, Sporer, etc., attendendo ad finem prohibitionis. Si aperiendo librum offendis in doctrinam, quæ directe fidei adversatur, excommunicationem non effugies, etsi paucas lineas legas; quia periculo perversionis jam te exponis, vel certe agis contra finem prohibitionis, qui est non tantum, ut tollatur periculum in particulari; sed etiam in communi, ut auferatur ansa scribendi edendique libros pravos. Secus esset, si liber hæretici ageret de indifferenti, et in loco quem legis nullam advertas propositionem erroris suspectam: forte a mortali excusaris, etsi legas ad integram paginam. Attamen bene poterit incurri censura etiam legendo solum proœmium aut indicem libri, si sit in notabili quantitate, ut docet Layman (3).

Quid (dices) *si error fuerit abrasus?*—Alii censent cum Croix librum legi posse; quia non amplius hæresim continet: sed multi alii cum Suarez negant: quia illa particularis abrasio non tollit communem prohibitionem libri. Verum melius distinguendum cum Sporer: si liber ex professo de Religione tractet, non obstante abrasione, remanet prohibitus juxta Bullam, quæ prohibet omnes libros hæreticorum de Religione tractantes. Secus vero,

(1) Nos adhæremus sententiæ communiori, quæ docet affectatam ignorantiam non excusare legentes libros primæ classis. (*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1124; l. VII, nn. 48 et 296). Qui vero legit voce aut oculis librum percurrit, sed non intelligat libri idioma, non incurrit censuram ut lector, quia non legit nisi materialiter; at eam incurrere poterit ut retentor, si librum apud se retineat.

(2) «Imo si libri alieni etiam a Religione argumenti, de philosophia v. g. vel jure civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eamdemque crebro inserant ac persuadere conentur; sicuti passim usuvenire solet novatoribus, ii habentur pro libris de Religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus.» Ita Ferraris, *Bibliot.* etc. V. Libri prohibiti.

(3) *V.* Liguori. *Opus Mor.* l. I, append. 3, cap. 5.

si liber ageret de indifferentibus, ut de philosophia, historia: sed excipe illam Centuriatorum aut hujusmodi, quæ in substantia agit etiam de Religione.

Quid (addes) *si legatur tantummodo hæretici concio, vel epistola seorsim edita, vel folia libri errantia?*—Negant plerique censuram incurri; quia concio vel epistola non potest dici *liber*, et hac in re interpretatio stricta facienda est. Sed nos cum Salmanticensibus observamus in expurgatorio Romæ edito jussu Tridentini, expresse prohiber sub excommunicatione (non tamen reservata) omnes scripturas ab hæreticis compositas etiamsi breves et hæresim non continentes, donec examinentur et approbentur. Et S. Concilii Congregatio apud Ferraris in causa simili interrogata, quid comprehenderetur nomine *libri*, respondit comprehendi conciones, lectiones, disputationes et similes parvæ scripturæ, licet transcriptæ.

Quid de hæreticorum manuscriptis?—Sunt qui tenent censuram non incurri ob talem lectionem; quia nomine librorum manuscripta non intelliguntur, nisi improprie. Probabilis fortasse erit sententia ista; sed magis adhæremus sententiæ contrariæ, quæ est etiam communior cum Croix, Holzman, Sanchez, Suarez, etc. Ratio, quia usu vulgari manuscripta sæpe *librorum* nomine insigniri solent: sic apellabantur omnia scripta, antequam typografia esset inventa; sic etiam in Rituali R. appellantur manuscripta, ubi adnotantur baptismata, matrimonia et funera fidelium. Hinc Benedictus XIV quotquot prohibuit libros, etiam manuscripta comprehendit.

Quid (addes) *de audiente lectionem libri hæretici*?—Communius et probabilius negant cum Croix, Pignatelli, Sylvester etc., hanc censuram incurrere: imo Coninchius, Navarrus et Palaus, adhuc probabiliter ipsum ab ea excusant, (licet non a peccato ratione periculi perversionis) etiamsi ad legendum induxerit: imo Sporer et Susa, eum etiam a peccato excusant, si nullum timeat periculum perversionis (posito tamen in utroque casu, quod ille qui legit, licentiam habeat; secus inducens peccaret contra charitatem, utpote alium provocans ad actum prohibitum). Ratio est, quia ex una parte nullus est prævaricationis timor; ex altera lex prohibitionis loquitur solum *de legentibus, retinentibus, imprimentibus, vel quomodolibet defendentibus;* non vero *de audientibus.*

Q. 9. *Quid de libris, quos romanenses dicunt (vulgo* novelas)?

R. Narrat Nicephorus primum librorum romanensium inventorem fuisse quemdam Heliodorum episcopum Tricensem in Thessalia, qui tempore suæ juventutis talem librum conscripsit, cujus lectio facile poterat juvenes impellere ad amores exitiosos. Synodus Provincialis, periculo cognito, legem imposuit Heliodoro, ut vel opus suum traderet flammis, vel Episcopatui renuntiaret. Quid ille? mente captus maluit suæ dignitati cedere, quam lethiferum illud opus destruere superbissimus homo! Quia tamen non omnes libri, qui nomen istud præseferunt, gravis damni periculum continent, hinc duæ istæ regulæ præ oculis habendæ sunt:

1.ª Qui componunt libros graviter obscœnos, mortaliter peccant; multis enim præbent occasionem ruinæ spiritualis; item mortaliter peccant librarii, qui eos in officina sua detinent, exponunt et occurrentibus vendunt. Li-

bros autem hujus generis etiam ex levitate, curiositate vel recreationis causa legere, est regulariter mortale; quia ex se nati sunt sensus commovere et flammas impuras accendere. Eos vocabat Origenes *calices Babylonis venena propinantes:* S. Augustinus *ranas ascendentes de ore bestiæ.* Et Stapf ait: *per talem lectionem tota imaginatio conspurcari, stimuli animales succendi, atque corda effœminata perversissimis affectibus imbui solent, simul vero omnis Religionis sensus extinguitur, et ipse intellectus a veritate misere detorquetur.* Diximus *regulariter*, quia nolumus definire mortaliter peccare, qui ex sola curiositate tales libros legunt, si (ob ætatem provectam, complexionem frigidam, aut consuetudinem de rebus venereis tractandi) grave periculum non incurrant.

2.ª Alii sunt libri amores licitos vel illicitos describentes, qui ad libidinem graviter non excitant,nec sensus commovent, nec periculo notabili exponunt, ut sunt multæ tragædiæ, comædiæ aliaque poëmata. Qui secluso gravi periculo et aliorum scandalo, ejusmodi libros ex sola curiositate legunt, mortaliter non peccant. Si vero ob causam legitimam, v. g. ad discendum, ad acquirendam aut perficiendam eloquentiam id faciant, tunc nullimode peccant. Attamen si agatur de Clericis raro istiusmodi lectioni vacare possunt sine peccato, quia vel officia sua communiter negligerent, vel scandalum aliis præberent: ad minus enim inde sequuntur, ut ex experientia constat, tœdium pietatis, incapacitas labori continuo incumbendi, extinctio spiritus ac fervoris, etc. Qui autem prædictos libros non graviter obscœnos componunt, sæpe mortaliter peccant; quia multis præbent occasionem ruinæ, sine ratione sufficienti. Non ita peccare videntur qui eos vendunt; cum enim, ex dictis, multi eos absque peccato saltem mortali legere possint, eo ipso aut nullatenus, aut venialiter tantum peccant eos emendo: ergo librarius, qui eos habet et petentibus vendit, cum discretione tamen, inquietari non debet. Ita Bouvier.

Q. 10. *An liceat dominis hospitiorum (quæ vulgo* café *dicuntur) quævis folia publica hospitibus legenda exhibere?*

R. Cum Gury: possunt utique exhibere quæ de rebus mere politicis tractant, nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod ex eo, quod interdum aliquid minus rectum ratione fidei contineat, modo generatim Religioni non adversetur. At admittere non possunt ea, quæ evidenter et ordinarie sunt Religioni et moribus adversa, etiamsi propterea hospites ad ipsos confluere desinant. Agitur sane de damno gravissimo, spirituali ac publico; scripta enim mala fidem ac Religionem subvertere nata sunt: unde publicæ eorum diffusioni cooperari non licet, quæcumque tandem causa haberi possit.

Q. 11. *Ad quid tenetur qui habet libros prohibitos?*

R. Juxta Bullam Julii III *Cum meditatio* et Constitutionem Pii IV *Dominici gregis* tenetur qui habet libros prohibitos cujuslibet speciei, eos sub obedientiæ præcepto, ideo sub gravi, *tradere quamprimum* Inquisitoribus vel Episcopis (sufficit etiam tradere habenti licentiam, prout in usu est). Et Alexander VII hanc sub n. 45 damnavit propositionem: *libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri.*

Diximus: 1 *tradere,* nam licet communiter a censura excusetur qui librum vetitum comburit, quia sic cessat illum habere; præceptum est tamen, ut *tradatur:* quod quidem semper, etiam nostris hisce diebus, præcipitur, quoties prohibentur libri. Idque merito; interest enim ut superiores sciant quæ fidelibus propinentur venena, ut antidotum præparent (1); 2 *quamprimum:* cæterum liberant a mortali, ideoque a censura, qui scienter et culpabiliter uno vel altero die librum retinet: et hoc satis probabiliter; quia sicuti materiæ, ita temporis parvitas excusat. Imo Layman, Pignatelli, Sanchez et alii plures apud Croix excusant omnino qui librum retinet etiam longiori tempore, nempe expectans opportunam occasionem ad illum tradendum superiori, vel alii habenti licentiam. Non tamen excusatur neque qui librum retinet etiam alieno nomine, v. g. in deposito, mutuo aut pignore, quia de facto retinet, neque qui librum dat alteri retinendum, cum possit arbitrio suo illum repetere. Excipe si deponeret apud eum, qui habet licentiam cum pacto expresso non repetendi, nisi vel post libri expurgationem, vel post licentiam impetratam: hunc non damnarem, ait S. Alphonsus; et tanto minus damnarem, si donaret librum habenti licentiam sub conditione, ut sibi adhuc reddat, si deinde ipse licentiam obtineat (2).

An (quæres) *libri prohibiti sint domino reddendi, si eos retinendi facultatem non habeat, casu quo illos petat?*—Negative, ne detur occasio transgrediendi legem: excipe si nequeant denegari sine gravi incommodo, ut si inde rixæ, blasphemiæ, etc.; tunc ille videat. Attamen levis contristatio vel etiam timor dissolvendæ amicitiæ non censeretur ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi. *Gury (K).*

Scholium. — *De fide impedimentis generatim, ac de peculiari in Italia, de iis eliminandis* (3), *ac studio fidei dilatandæ.*

Q. 1. *Quænam sunt fidei impedimenta generatim?*

R. Fidei impedimenta diversa semper fuere pro diversitate temporum, ut patet ex historia Ecclesiastica: licet enim fidei hostis unus sit semper et idem, Princeps videlicet tenebrarum; non una tamen nec eadem semper sunt arma, quibus utitur. Quænam autem præcipua sint ætate nostra, vix in sublimi Principis Apostolorum cathedra collocatus Pontifex Maximus Pius IX, quasi e culmine Turris Davidicæ subjectum sibi orbem catholicum attente circumspiciens, sapientia plane singulari (Encyclica *Qui pluribus* anno 1846)

(1) Episcopi Provinciæ Taurinensis Encyclica ad Clerum et populum sub die 29 junii 1849 habent: «Echad al fuego, como los primeros fieles, todo los escritos y libros de mala doctrina (Act. 19: contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus etc.), como tambien los periódicos en los cuales el santo nombre de Dios es profanado, vilipendiado el sacerdocio, escarnecida la piedad, la honestidad lastimada, y calumniada la fama del prójimo.» Attamen in prohibitionum Decretis juge repetitum habetur præceptum libros superioribus consignandi. Hisce sic stantibus, pro praxi concludendum videtur cum doctis a nobis consultis, nempe si libri prohibiti tales sint ut evulgentur passim, qui ideo ab Episcopis bene dignoscuntur, poterunt etiam flammis tradi; at si libri de novo lucem videant, vel rari, vel non ita cogniti existimentur, tunc omnino sunt consignandi.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 295, 297 etc.

(3) Hac de re vid. *Risposte brevi e familiari alle obiezioni più sparse contro la Religione.* Tor. Marietti 1852. — Martinet, *Sveglia del popolo; Soluz. di grandi probl.* Torino.

indicavit omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, ut in ea eliminanda studia simul omnes enixe intenderent.

1. *Rationalismus:* rationalismum hic dicimus eorum conatum (ut verbis utamur magni Pii papæ XI) *qui præpostero sane et fallacissimo argumentandi genere numquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare et extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant eam humanæ refragari rationi. Quo nihil certe dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi, vel excogitari potest* (1). Et sane, etiamsi fides sit *supra* rationem, non est tamen *contra* ipsam, neque ulla vera dissensio inter utramque; cum utraque sit ab uno, eodemque principio immutabili, Deo nempe, qui utrique scopum suum præfixit, ut sibi mutuam ferret opem: rationi quidem in fidei veritatibus aperiendis, tuendis et propugnandis; fidei vero in ipsam rationem ab omni errore liberando, et rerum divinarum cognitionem mirifice illustrando, confirmando, perficiendo.

2. *Semirationalismus:* sicut olim a Pelagianismo originem habuit *semipelagianismus,* ita a Rationalismo recenter effluxit *semirationalismus;* quo indicamus doctrinas quorumdam pseudocatholicorum, qui licet videantur Rationalismum, ut in se est, palam rejicere, tales tamen sententias promulgant, quæ si logice et attente evolvantur, ad easdem consequentias trahunt. Isti videlicet, tametsi fateantur fidem catholicam non adversari naturali hominis rationi; ita tamen quibusdam novis et resonantibus verbis hanc secundam describunt, ut primatum ei super fidem concedere non erubescant. Ecclesiam catholicam non negant; sed Lutheri et Calvini dicteriis jam a sæculo XVI exoletis concinentes, eam nobis exhibent cruentis vulneribus onustam, deformatam, et talem uno verbo, cui *frontem ruga senilis aret,* et ideo volunt ad præsentes populorum consuetudines esse suis in doctrinis tam moralibus quam dogmaticis accommodandam: quasi nempe sapientissimus ejusdem Auctor et Pater Christus Jesus non sit idem *heri et hodie, ipse et in sæcula,* et frustra de sua Ecclesia pronuntiaverit: *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Admittunt supremum veritatis tribunal; sed illud in opinione hominum, quam dicunt *universalem,* collocandum esse docent: vitam æternam tamquam ultimum finem nostrum non diffitentur; sed volunt ejus quasi viam et initiationem habendam esse felicitatem civilem, materialem atque terrenam, licet compertum omnino sit felicitatem, ad quam conditi sumus talem esse, *quam mundus dare non potest.* Et alia similia, quæ in recentioribus quibusdam Scriptoribus (præcipue italis), quos *liberales* appellant, sed melius dixeris *libertinos,* legere est (2).

3. *Progressismus:* progressismi nomine, ut est fidei impedimentum, eorum intelligimus insaniam, qui divinæ revelationi bello indicto, humanum progressum laudibus efferunt, et hunc in Religionem ipsam catholicam ausu sacrilego inducere nituntur, perinde ac si fides nostra non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum inventum, quod humanis modis perfici possit: *abominabiles facti in studiis suis* (ad rem Pius IX) *humani progressus*

(1) *V.* Bergier. *Dizionario* ecc. V. Razionalismo. — Stapf, *Theol. Mor.* § 168.

(2) Qui cupit valde accuratam *semirationalismi* descriptionem, adeat egregium opus, *La Civiltà Cattolica,* ser. 1ª. vol. VIII, ann. 3, pag. 385; et allocutio Pii IX, *Singulari,* 9 dec. 1854.

obtentu fidem destruere, eamque rationi subjicere, ac Dei eloquia invertere contendunt, summopere Deo ipsi injuriam inferre non reformidant, qui cœlesti sua Religione hominum bono, atque saluti clementissime consulere est dignatus: quæ verba tanti Pontificis retulisse, progressismum radicaliter confutasse est.—Utique vel in ipsa catholica Ecclesia admittendus est aliquis progressus et quidem maximus; sed qualis? talis qualem describit Vincentius Lyrinensis, ut nempe *vere profectus sit ille fidei, non permutatio; siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaque res amplificetur: ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud permutetur.* Erit itaque verus atque eximius in Ecclesia catholica progressus, si hæc *annis consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, ita tamen ut incorrupta et illibata permaneat, et nihil in natura sua permutationis admittat, neque ulla patiatur proprietatis suæ dispendia* (1).

4. *Massonismus:* complectimur hoc vocabulo omnes sectas illas clandestinas (quomodocumque tandem nuncupentur, cum in more habeant nomen sibi in dies diversum imponere, ut facilius latescant) quarum scopus est divinam Ecclesiæ auctoritatem, et leges acerrime oppugnare, legitimam Principum etiam sæcularium potestatem evertere, omnia uno verbo tum sacra tum civilia conculcare. Eas porro sectas damnarunt Pontifices fere omnes a Clemente XII ad regnantem Pium IX, inflicta *pœna excommunicationis ipso facto, et reservatæ tam in eum, qui ab iisdem societatibus, earum cœtibus, conventiculis et aggregationibus non se abstinet, vel easdem quoquomodo juvat ac fovet; quam in eum, qui illos non denuntiat, quos noverit his societatibus nomen dedisse vel consilium, auxilium aut favorem præstasse.* Iterum sub excommunicatione ipso facto incurrenda ac reservata *prohibentur omnes libri, statuta, manuscripta, codices harum societatum, sicut etiam illos vel legere vel retinere: quod item valet de omnibus libris ad illorum defensionem exaratis* (2). Quæ omnia legitimo superiori sub gravi tradi debent.

5. *Biblismus:* nemo ignorat per totum orbem inductas fuisse (Lugduni primum anno circiter 1804), et audacissime vagari quasdam hominum societates, quas *Biblicas*, vel etiam *Biblismum* appellant. Hæ veterum hæreticorum artem renovantes contra Ecclesiæ regulas libros sacræ Scripturæ vulgaribus quibusque linguis translatos, et sæpe etiam perversis explicationibus præditos, non cessant ubicumque diffundere sine numero, vel gratis elargiendo vel minimi vendendo. Quorsum hæc? Non alio profecto fine, quam ut omnes fideles assuescant sacras Paginas privato judicio interpretari, sicque se a Divina traditione, a Patrum doctrina, et ab Ecclesiæ catholicæ sensu pedentim subducere, et more lutheranorum ac calvinistarum emancipare in iis, quæ ad fidem et æternam salutem pertinent. Hinc valde pertimescendum, ne vel corruptione vel interpretatione perversa *Evangelium Christi Domini, hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est, Evangelium diaboli,*

(1) *Commentarium*, n. 28.

(2) Clemens XII, Constitut. *In eminenti* 1738. — Benedictus XIV, Constitut. *Providas* 1751.— Pius VII, Constitut. *Ecclesiam* 1821. — Leo XII, Constit. *Quo graviora* 1825. — Gregorius XVI, Encycl. *Inter.* — Pius IX, Encycl. *Qui pluribus* 1846.— *V.* etiam Appendix 1 in fine hujusce vo-lumnis.

ut verbis utamur Doctoris Maximi. Deus nempe ipse, ne fideles sui circumferantur *omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris,* vivam et infallibilem constituit auctoritatem, quæ legitimum sensum suæ revelationis doceret: quæ quidem viva et infallibilis auctoritas non in privato cujusque sensu residet, sed in sola romana Ecclesia, cujus solius est judicare de vero sensu et interpretatione sacræ Scripturæ (1). In Biblicas porro societates eliminandas toti fuerunt recentiores Pontifices, Pius VII, Leo XII, Gregorius XVI et Pius IX (2): qui omnes declarant gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos omnes, qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere præsumpserint: quo quidem gravi peccato etiam se commaculant talia Biblia legentes.

An (quæres) *saltem legi possit versio Bibliorum in lingua vulgari, si facta sit a catholicis viris?* —R. Vel tales versiones sunt approbatæ et editæ cum adnotationibus desumptis a sanctis Ecclesiæ Patribus, doctisve ac catholicis viris; vel agitur de aliis tali qualitate carentibus. Si 1, versiones hujusmodi conceduntur; nullum siquidem tunc est falsæ interpretationis periculum. Si 2, etsi olim receptum fuerit, ut res tota solius Episcopi, imo et Confessarii judicio definienda relinqueretur; hodie tamen, propter abusus ex Biblicis societatibus præsertim provenientes, non licet fidelibus tales versiones legere aut retinere *sine licentia Sedis apostolicæ:* et qui contra facere præsumpserint, absolutione non erunt donandi, nisi prius Biblia illa Ordinario reddiderint. Ita expresse definivit S. Indicis Congregatio Decreto 13 junii 1757, confirmato 23 jan. 1836 (3).—Diximus *sine licentia Sedis apostolicæ;* nam Leo XII speciali mandato (24 maji 1825) hanc facultatem sibi et successoribus suis reservavit. Hinc ad quæsitum: *utrum permittenda impressio versionis antiqui et novi Testamenti exaratæ per Rev. Antonium Martini sine textu latino, et sine notis,* Sacra Indicis Congregatio respondit: *negative* (4).

6. *Indifferentismus*, alio nomine *tollerantismus:* porro alius est *civilis et politicus,* quo scilicet Princeps diversas religiones in sua ditione tollerat; alius *religiosus* seu *theologicus* qui omnes religiones æque bonas tenet ad salutem consequendam (5). Primus potest tolerari ad majora cavenda ma-

(1) *V. Cattolico*, Giornale relig. Lugano, t. xxv, p. 223.—*Amico cattolico*, vol. xii, p. 13.—*Annali religiosi*, serie 2ª, vol. iv.—Martinet, *Solutions de grans problèmes.*

(2) Pius VII, 1 *junii* et 4 *sept.* 1816.—Leo XII, 3 *maji* 1824.—Gregorius XVI, 24 *maji* 1844.—Pius IX, *Qui pluribus* 1846.—It Bulla *Auctorem Fidei*, propos. 67 et 68.

(3) *V.* Benedictus XIV, *De Syn Diœc.* l. VI, c. 10. Hæc autem intercedit differentia inter illum qui Scripturam legit vel tenet lingua vulgari sine notis versam: quod si versio sit facta a viris catholicis et catholica sit, incurrit tantum peccatum mortale; quia facit contra grave Ecclesiæ præceptum. Si vero versio sit hæreticaliter facta, et ab hæretico, ut est versio Diodati, incurrit etiam excommunicationem reservatam; cum ob hæresim damnata sit versio illa, et ab hæretico auctore prodierit.

(4) *V. Amico cattolico*, ser 1ª, vol. vii. pag. 279: quod pari ratione dicendum est, etsi una cum versione adsit latinus textus, sed sine notis. Hoc tamen non currit de illis Bibliæ partibus, quæ in libris spiritualibus leguntur; idque ex recepta consuetudine et tacita superiorum approbatione: si tamen versio catholica sit: quod hodie maxime notandum est.

(5) *V.* Parisis, *Quesiti di coscienza.*—Roselli. *Compendium summæ Philosoph.* pag. 4.—Gazzaniga, *Prælectiones Theol.* t. iii, d. 2, c. 3.—Bergier, *Dizionario* ecc. V. indifferenza religiosa.—*Saggio elementare di diritto pubblico Eccl.* tom. i, c. 2 et 6.—Muzarelli, *Il buon uso della logica*, ecc. opusc. vi:

la: *quamvis infideles*, ait D. Thomas, *in suis ritibus peccent, tollerari possunt* (1). Secundus tamen qui in Religionis negotio facit uuicuique libertatem, ut quæ sibi verior sententia visa fuerit, eam teneat, absurdissimus est, cum enim veritas una sit et indivisibilis, quicumque cum ipsa non est, falsitatem sectatur. Hinc Apostolus monet, *unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma:* et habemus ex ipsius Servatoris testimonio, eos *esse contra Christum, qui cum Christo non sunt* (2); et infeliciter dispargere qui cum ipso non colligunt. Hinc Hieronymus, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter exclamasse: *si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est* (3). Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus: opportune enim responderet Augustinus (4): *ipsam formam habet etiam sarmentum, quod præcisum est de vite; sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice* (5)? Hoc ergo systema non est aliud, quam turpissima species infidelitatis privativæ, et error pestiferus ætatis nostræ, contra quem oportet Ecclesiæ Ministros viriliter dimicare: id enixe commendavit Leo XII Encyclica *Ubi primum*, ostendens quam facile indifferentismus religiosus convertatur in deismum, imo in atheismum ac materialismum. Regnans autem Pius IX vocat indifferentismum *systema horrendum, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans.*

Si quis ergo nos hic de intolerantia audacter accuset, et quærat cur pacem nolumus in rebus fidei nostræ cum sectis adversariis, facilem ei dabimus responsionem illis Tullii verbis (si tamen ipsis hac in re uti liceat): *cur pacem nolumus? quia turpis est; quia periculosa est; quia esse non potest* (6). *Quia turpis est:* quid enim magis turpe, quid magis fœdum in homine sincere catholico, quam veritatem cum errore manifeste et advertenter pati, vel etiam solummodo sese indifferenter erga illum habere? *Quia periculosa est:* qui enim veritatem agnoscens non abhorret ab errore contrario in rebus quæ æternam salutem respiciunt, evidentissimum incurrit periculum a fide paulatim discedendi et errorem ipsum amplexandi; cum, teste experientia, tam facile sit errantium corruptione cor hominis corrumpi, et eorum tenebris mentem obvolvi. Tandem *quia esse non potest: quæ enim participatio* (clamat Apostolus) *justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli* (7)? *(L).*

Quidnam (quæres) *agendum est a Parocho ad fidei impedimenta eliminanda in Parœcia sua?*—Parochus hæc peragat diligentissime: ac l oves sibi

tolleranza.—Nardi, *Elementi di diritto Ecclesiastico*, § 267.—Frayssinous, *Difesa del Cristian:* c. sopra la tolleranza.

(1) 2, 2, q. 10, a. 1.

(2) Eph. 4; et Luc. 11. (3) Ep. 58. (4) In ps. contra part. Donat.

(5) Ita Gregorius XVI, Encyclica *Mirari vos.*—*V. Enciclopedia Eccles. e morale, t.* I.—Tassoni, *La Religione dimostrata*, c. 31.—*Della indifferenza in materia di Religione. Milano* 1819.—*Le idee liberali ultimo rifugio dei nemici della Religone e del Trono.* Firenze 1817.—Muzzarelli, *L' Emilio disingannato.*—Maret, *Saggio sul panteismo nelle società moderne.* (6) Philipp. 7.

(7) II Corinth. 6.—La verdad puede tolerar el error tanto como un geometra puede sufrir que un triángulo tenga cuatro lados. Taparelli, *Saggio Teoret.* t. I, p. 11.

commissas opere, sermone et exemplo in fide confirmet, Religionis apologiam undequaque adstruendo (1): et ab iis vitiis studiose avertat, quæ fidem pedetentim extinguunt, uti sunt superbia, impudicitia, blasphemia, etc.; — 2 populum interdum commoneat de obligatione gravi denuntiandi hæreticos, vel suspectos intra tempus statutum (2); — 3 *cum* (dicente sancto Leone) (3) *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui inserviunt, diabolum debellare*, omni opera Parochus populo detegat multiformes inimicorum errores et machinationes, ut sibi caveat; — 4 caute invigilet, ne in Parœcia sua libri perversi circumferantur: et si quos invenerit damnatos, curet ut quamprimum deferantur ad Episcopum vel comburantur, ut supra dictum est; — 5 nitatur superstitiones eliminare, uti sunt sortilegia, veneficia, divinationes et aliæ vanæ observationes, quibus innixi quidam jactitant se scire prædicere futura, morbos curare, thesauros detegere: quæ quidem fidem non parum labefactant; — 6 curet ut a Parœcia arceatur (implorato, si fuerit opus, judicis sæcularis auxilio) tam improbum illud hominum genus, quos *gitanos* vocant; quam garrulli *circulatores,* qui indulgentias apocryphas, falsa miracula, ineptas orationum formulas promulgant (4); — 7 si quos habeat Parochianos qui mercaturæ exercendæ, vel addiscendæ artis causa, ad loca hæreticorum conferre se soleant, studeat avertere plusquam poterit, vel saltem eos accurate doceat quæ a Clemente VIII tradita sunt circa communionem fidelium cum hæreticis. Valde autem commendanda consuetudo, ut ad Pœnitentiam et Eucharistiam accedant, tam cum discedunt quam cum ad patriam isti revertuntur.

Quid (addes) *agere debet Confessarius vel Sacerdos, si hæreticum inveniat, qui velit ad Ecclesiam catholicam venire?* — Hæc præcipue: 1 maxima imprimis charitate et benevolentia eum excipiat atque interroget, quomodo hæc ei vocationis gratia contigerit? cur sectam suam velit relinquere? cur nostram fidem amplecti? Hæc cautela necessaria est, quia extant homines fraudulenti, qui sub pietatis velamine unice quærunt sibi sustentationem et bona temporalia; — 2 hoc explorato, si videat hæreticum proposito suo firmiter inhærentem, eumdem excitet, ut quærat Regnum Dei et gratiam cum fiducia. Nec tamen facilis sit in auxilio temporali ipsi promittendo; — 3 bene prospiciat utrum iste sit hæreticus formalis, an materialis tantum. Si sit materialis tantum, eum doceat res scitu necessarias necessitate tam medii, quam præcepti, Catechismum Diœcesis adhibendo; et sic eum præparet ad Confessionem peccatorum suorum et fidei nostræ professionem. Deinde proprium Episcopum vel ejus Vicarium generalem consulat circa abjurationem private aut publice emittendam, nec non circa Baptismi renovationem, quæ

(1) Augustinus, *De moribus cath. Eccl.*, mira habet de catholicæ nostræ Ecclesiæ bonis quæ numerat Pius IX in Encycl. *Nostis*. Huc etiam veniunt quæ tradidimus de fidei credibilitate. — It. *v.* Perrone, *Il protestantismo* etc. Discorso preliminare.

(2) De hac tamen denuntiatione vid. supra *de hæresi*. (3) Serm. 8, c. 1.

(4) Si qui eleemosynam emendicando circumeant asserentes, se ad fidem Catholicam conversos, consistere hosce in Parœcia non sinat Parochus, nisi litteras *commendatitias* ab Episcopo probatas recognoverit; et ubi secum habeant mulieres requirat testimonium conjugii, si conjuges se dixerint: vel fidem Baptismi, si dicant parentes.

ætate nostra videtur ferme semper necessaria saltem sub conditione. Si vero sit hæreticus formalis, Dei auxilio innixus (quod in omni hypothesi numquam implorare cessabit) disputationes iterato assumat, ordine retento, quem Tractatu *De Locis Theologicis* ferme omnes sequuntur. Agat nempe de unitate et necessitate fidei, de notis Ecclesiæ, de necessitate judicis visibilis in controversiis fidei, de sensus privati absurditate, de dogmate Primatus Pontificii honoris et jurisdictionis cæterisque, in quibus hæretici a nobis discordant: — 4 caveat in omni casu, ne per inanes controversias traducatur, ne libros aut alia objecta magni pretii commodet, ne sese nimis eidem familiarem exhibeat. Uno verbo ne faciat quod factum nollet, si hæreticus iste conversionem suam non perficiat.

Q. 2. *Quid de recenti fidei impedimento in Italia?*

R. Summus Pontifex Pius IX, Encyclica *Nostis* data ad Archiepiscopos et Episcopos Italiæ (8ª decembris 1849, Neapoli in Suburbano Portici) solertissime indicat recens quoddam et peculiare fidei impedimentum in Italia inique serpens. Est autem audacissimus pravorum conatus, qui diabolicum iniere consilium de *Italis populis traducendis ad Protestantium placita et conventicula:* quod ut obtineant, pluribus utuntur mediis, inter cætera sunt *societates biblicæ, studium occupandi cathedras in catholicis scholis, domicilium in regionibus catholicis cum emptione bonorum, et publicum ibidem exercitium sui cultus, editiones librorum in quibus eorum doctrina traditur passionibus amica, incitamenta, exhortationes et etiam pecuniarum aliquando elargitiones, theoretica prædicatio in privatis etiam domibus, matrimonia mixta inter protestantes et catholicas promota, vulgatæ ephemerides, demum calumniæ et dicteria quibus putide Religionem catholicam insectantur* (1). Præsulum idcirco omnium curas ea de re impensius excitando Christi Vicarius, remedia præbet ad tantum periculum eliminandum, et sunt:

1 Populum de paratis sibi insidiis edocere, diligentissime in doctrina christiana instruere, ut vitam ad illius normam componat; — 2 ecclesiasticorum omnium (præsertim qui in animarum cura) zelum accendere, ut *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat,* in dictam *christianæ plebis instructionem incumbant, illud speciatim dogma singulis inculcantes, sine fide catholica impossibile esse placere Deo, et æternam consequi salutem;* — 3 in orationibus publicis fideles laicos unacum Clero peculiares identidem Deo gratias agere pro accepto catholicæ Religionis beneficio, et suppliciter una simul efflagitare, ut ejusdem *professionem in regionibus nostris tueri et inviolatam conservare dignetur;* — 4 Confirmationem tempestive suscipere ad fortiter pugnandum, et sæpius Pœnitentia expiari atque SS. Eucharistia muniri; — 5 Parochorum aliorumque Sacerdotum studiis in ordinario prædicationis ministerio adjungere interdum extraordinaria spiritualium Exercitiorum et sacrarum Missionum subsidia; — 6 blasphemiarum in Dei nomen et in Sanctos horrorem cunctis inspirare, et alia graviora scelera cum magno scandalo conjuncta eliminare, uti sunt concubinatus

(1) Hæc media recenset D. Perrone, qui alia addit quibus utuntur protestantes ubique: nempe jubilæum reformationis, anniversarium reformationis festum, missiones apud infideles, et studium conversionis judæorum. — V. *Prælect. de vera Relig.* par. 2, n. 251.

notorii, violatio dierum festorum et præcepti ecclesiastici circa jejunia, ciborum delectum, et similia; — 7 viros insignes et sana doctrina præstantes impense ad hoc inflammare, ut contra libellos impios, ephemerides et pagellas illas *mendacii, calumniarum et seductionis plenas, quas novæ artis librariæ pravo usu vaferrimi Ecclesiæ inimici in vulgus edere et multiplicare quotidie non intermittunt*, alia ipsi parvæ item molis scripta de Episcoporum voto et approbatione in lucem edant, et prout locorum et personarum ratiò suggesserit, inter fideles diffundant; — 8 tandem pietatem, venerationem atque observantiam in christiano populo insinuare, fovere, tueri et alte defigere erga supremam Petri Cathedram, ubi sedet verus Christi Vicarius, totius Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Pater et Doctor (1) *(M)*.

Q. 3. *An pro fidei nostræ dilatatione solliciti esse debeamus?*

R. Affirmative: præstat, ut non tantum fideles amoveamus a periculo infidelitatis, sed ut pro nostro posse (2) vel ipsos infideles adducamus ad fidem. «Quisquis enim (ad rem *Stapf*, § 166) præsentem hominis conditionem, atque absolutam Religionis christianæ necessitatem perspectam tenet, profecto nihil magis in votis habere potest, quam ut Regnum Dei quaquaversus dilatetur. Quod ut eveniat, non tantum quotidie orare, sed etiam pro viribus conferre jubemur; si enim Deum vere diligimus, quid nobis prius esse potest, quam ut ipse et quem misit, Jesus Christus ab omnibus cognoscatur adoreturque, et ut benignissima ejus consilia in provehenda hominum salute per neminem frustrentur?—Idem officium ex charitate fraterna resultat, cujus indoles est, ut alios destinationis nostræ consortes reddamus. Cum igitur ad destinationem nostram feliciter consequendam Religio necessaria sit, quis non videt, hujus dilatationem inter omnia charitatis obsequia locum facile primum obtinere?» *(N)*.

DISPUTATIO SECUNDA

DE SPE.

CAPUT PRIMUM

DE NATURÀ, DIVISIONE, OBJECTO, SUBJECTO ET PROPRIETATE.

Q. 1. *Quid est spes?*

R. Spes definitur communiter: *virtus theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei expectamus*. Dicitur; 1 *virtus*, quia *bonum est*, ex R. Psalte, *sperare in Domi-*

(1) *V.* Theiner, *Dell'Introduzione del protestantismo in Italia.* Roma 1850.—*Annali Religiosi*, ser. 2ª, fasc. XXVI—Perrone, Op. cit. *Il protestantesimo e la regola di fede.* Huc etiam apprime faciunt pro populo, *Collezione de' buoni libri;* it. *Letture cattoliche*, quas omni studio divulgare oportet; it. laudatus Perrone, *Catechismo intorno al protestantismo ad uso del popolo.*

(2) Hoc valent omnes orationibus et eleemosyna. Sed præcipue studium Religionis dilatandæ

no (1); 2 *theologica divinitus infusa:* quia est supernaturale Dei donum juxta illud: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti* (2); 3 *per quam certa cum fiducia,* quia spes ex parte Dei, id est prout innititur Dei auxilio, est certa; *in Dei auxilio,* inquit Tridentinum, *firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent* (3). Cum vero salus æterna pendeat a nostro etiam arbitrio, quod potest deficere, ideo spes ex parte nostra non est certa; 4 *beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei expectamus,* quæ declarant duplex spei objectum.

Spes autem alia est habitualis, alia actualis; utraque vero vel viva est vel mortua: id est formata vel informis. *Habitualis* est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ elicitivus, qui perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel præsumptionis non expellatur; de hac habet Apostolus: *nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc* (4). *Actualis* est quæ actus elicit, quibus æternam beatitudinem expectamus. De hac ait Realis Psaltes: *in Domino spera* (5).—*Viva* est quæ cum gratia sanctificante conjungitur, et invenitur in solis justis. *Mortua* tandem est quæ caret gratia sanctificante, et ideo esse potest etiam in peccatoribus.

Q. 2. *Quodnam est spei objectum?*

R. 1: Objectum spei *materiale primarium,* nempe quod primo sperare debemus, est æterna beatitudo, quæ est Deus ipse fruendus, juxta illud Domini: *ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis* (6). Unde Augustinus: *præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit* (7).—Objectum vero *materiale secundarium* sunt auxilium divinæ gratiæ, atque ipsa opera nostra divino isto auxilio peragenda; hæc enim ad Deum possidendum perducunt; juxta illud Apostoli: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (8). Hinc merita nostra spei nostræ fundamentum dici possunt, quatenus sunt conditio, *sine qua non.*

R. 2: Objectum *formale* sive motivum, propter quod sperare tenemur, alii dicunt esse Dei misericordiam, alii omnipotentiam, alii denique promissionem et fidelitatem. Nos censemus hæc simul accepta constituere objectum spei formale: *misericordia* nempe nos movet, et allicit ad Dei desiderium; *omnipotentia,* seu virtus auxiliatrix adjuvat erigitque animum ad prosequendum bonum arduum; *promissio* denique atque *fidelitas* efficiunt, ut ipsis utpote certis innixi certa cum fiducia salutem æternam, ejusque media expectemus (9). *(O)*

nobis Ecclesiasticis incumbit. Quis sane dixerit illum Clericum spiritum ecclesiasticum possidere, qui indifferens est sive propagetur Religio, cujus minister est, sive non? Male cogimur opinari de illo, quem zelus Domus Dei non comedit.

(1) *Psal.* 115. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, nn. 20 et seqq.; et *Homo Apost.* tract. IV, nn. 6 et seqq. Spes generatim sumpta est motus appetitivæ partis in bonum futurum, arduum, sed adeptu possibile: *in bonum,* secus esset timor: *futurum,* nam circa præsens est gaudium; *arduum,* nam quod statim est in nostra potestate, concupiscimus, non speramus: *possibile,* secus haberetur desperatio, non spes.

(2) Rom. 15. (3) Sess. 6, c. 13 de Justif. (4) I Cor. 13.
(5) Ps. 30. (6) Gen. 15. (7) *De Civ. Dei,* l. XXII, c. 30.
(8) II. Tim. 4. (9) *V.* Thomas *Quæst. disp.* q. un.

Q. 3: *An spes Theologica sit in beatis ac damnatis?*

R. Spes non est in beatis: ait enim Apostolus (1); *spes... quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Sane beati jam perfruuntur felicitate illa æterna, quæ est materiale spei objectum. Neque est in damnatis; nam, *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* (2). Damnati enim semel ac pœnis inferni se addictos conspiciunt, jam ab illo puncto certe agnoscunt numquam fore liberandos, neque supplicia illa finem esse habitura.

An spes (quæres) *sit in animabus purgantibus, in justis viatoribus, atque in peccatoribus?*—Affirmative: ac 1 in animabus purgantibus; cum in ipsis adhuc maneat fides, quæ est *sperandarum substantia rerum*, est spes admittenda; 2 in justis viatoribus: quia isti habent habitum trium virtutum Theologicarum; 3 in peccatoribus, nam ex Tridentino, peccatores *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* (3). Excipe nisi in istis adsit vitium desperationis vel præsumptionis; quia per hæc vitia spes perit et omnino extinguitur, cum hæc illi directe opponantur.

Q. 4. *Quonam sensu spes Theologica certa est?*

R. Hoc sensu spes theologica certa est, quod ex parte Dei innitatur infallibili ejus promissione, infinita omnipotentia, misericordia ac fidelitate ut objecto suo formali; ideo nullimode potest deficere. Quare canebat David: *in te Domine speravi, non confundar in æternum.* Et Paulus: *spes non confundit* (4). Non est autem certa in sensu hæreticorum, quod nempe ex parte hominis excludatur timor ille salutaris et moderatus, qui nascitur ex opinione propriæ infirmitatis, et quo Deus voluit nostram nos salutem operari, clamante Apostolo: *cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Quare Tridentinum merito damnavit Protestantium errorem: *si quis dixerit hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi et justificari certo sciat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, anathema sit* (5). Hoc sensu inquiebat Salesius: *timorem sine spe esse desperationem, spem vero sine timore esse præsumptionem.* Verum nedum hic timor spem destruat vel ejus certitudinem lædat, imo eamdem maxime fovet, uti explicat S. Bernardus: *est autem is ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei, si quis prudenter advertat; siquidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum* (6).

Q. 5. *An spes Theologica sit necessaria?*

R. Spes theologica necessaria omnino est in adultis necessitate tam medii

(1) Rom. 8. — *V.* Liguori, *Dissertazioni teologico-morali*, diss. 2, nn. 9 et seqq.

(2) Prov. 11. (3) Sess. 6, c. 6.

(4) Ps. 30; et Rom. 8. — Ad rem piissimus Contenson in *Reflexione* de præcepto fidei: « *In verbis tuis supersperavi*: Ps. 118. Non solum speras, sed supersperas, Propheta sancte; supra quid speras? Supra id omne, inquit, quod dici potest: supra id, quod ab homine cogitari potest; supra id, quod dixerunt Scripturæ: supra id, quod prædixerunt Prophetæ: supra id, quod Sancti umquam annuntiaverunt. Supersperavi in misericordia, quæ cum infinita sit, spem omnem longe excedit. Supersperavi in verbis tuis supra cœlum et terram duraturis, uti promiserunt. Supersperavi in promissis tuis merita excedentibus et vota; quia licet magna sint quæ promisit, majus tamen est quod futurum est. » (5) Sess. 6, c. 14 de Just. (6) Serm. 15 in Ps. 90.

quam præcepti:—1 necessitate medii; nam si agitur de justis, spe indigent, ut recte possint gratias ad perseverandum necessarias postulare: *qui enim hæsitat,* ait Jacobus, *non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino* (1). Si agitur de peccatoribus, ea indigent, ut se ad justificationem disponant; nam Tridentinum ad justificationem hoc inter cætera requirit, ut *spe erigantur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore;*—2 necessitate præcepti; nam legitur: *sperate in (Deo) omnis congregatio populi* (2): *sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam* (3). Hinc Alexander VII hanc n. 1° damnavit propositionem: *homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et D. Augustinus: *de fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe* (4)!

Præceptum eliciendæ spei obligat per se et per accidens. Obligat *per se:* 1 initio usus rationis, quando nempe æterna beatitudo sufficienter proposita sit tamquam finis, ad quem unusquisque tendere debet, ita ut homo roboretur in prosecutione boni ac fuga mali; 2 in periculo mortis, ut homo contra tentationes validior fiat, et in Deum suum ultimum finem mox consequendum feratur.—Obligat vero *per accidens:* 1 quando ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, v. g. orationis, quæ sine prævio actu spei exerceri nequit; 2 quando ita urget tentatio, ut adsit periculum consentiendi, nisi spes animum erigat; 3 quando Christianus in mortale lapsus est, atque ad justificationem tenetur contendere; 4 quando versatur in periculo desperationis. Ad hæc enim omnia avertenda medium est spes.

Q. 6. *An Confessarius in suo pœnitente spem excitare debeat?*

R. Affirmative: imo si omnibus anteactis sæculis id valde fuit opportunum, præsenti ætate est plane necessarium; nam ex quo inter nos audita fuit hæretica illa et horrifica Jansenii propositio, cui adeo plauserunt Quesnelliani, Bajanistæ et cæteri damnatæ sectæ sequaces: *aliqua Dei præcepta sunt impossibilia, deest quoque gratia, qua possibilia fiant,* vulnus quoddam vere incredibile inflictum est spei Theologicæ, et quædam quasi diffidentia in catholicum orbem diffusa. Hæc autem generat illam indifferentiam religiosam, contra quam adeo vehementer clamant ex Cathedra D. Petri Pontifices M. et Pastores omnes tamquam contra exitiosam sæculi pestem (5).

CAPUT SECUNDUM

DE VITIIS SPEI OPPOSITIS ET REMEDIIS.

Q. 1. *Quænam spei opponuntur?*

R. Spei opponuntur desperatio et præsumptio: quæ duo sunt ex genere suo mortalia; tum quia opponuntur charitati in Deum, quem vel socordem vel tyrannum faciunt; tum quia opponuntur charitati propriæ; nam ex

(1) Ep. Jac. c. 1. (2) Ps. 61. (3) I. Petr. 1.
(4) Tract. 83 in Jo.
(5) Ex quo patet quantum Confessarius attente curare debeat, ut in pœnitentibus actus spei

Apostolo: *spe salvi facti sumus* (1). Quare Augustinus ait, *ista duo animas occidere* (2).—An autem sit pejor desperatio, an præsumptio, quæstionem jam videtur proposuisse S. Bonaventura, cum ait: *cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem; prima sæpe salvat damnandum, secunda damnat salvandum* (3). Quibus verbis patet opinionem Doctoris Seraphici fuisse, quod sit longe pejus præsumptione desperatio; cum aperte dicat in illa *sæpe* salvari damnandum, in ista e contrario damnari salvandum. Suffragatur ratio; nam *præsumptio* adhuc in homine relinquit animi robur ad operandum, adhuc in eo conservat rerum spiritualium æstimationem, et usum aliquem mediorum ad salutem æternam, uti est v. g. Confessio sacramentalis. *Desperatio* ex adverso hæc omnia uno quasi ictu extinguit, Sacramenta contemnit, Religionis præcepta non amplius curat, animam pro nihilo habet, Deum ipsum uno verbo odit, et sic magis ab ejus amore removetur. Adde: desperatio magis Dei benignitati adversatur; *quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere quam punire,* prout ait Angelicus (4).

Q. 2. *Quid est desperatio, et quænam causæ?*

R. Desperatio est culpabilis animi dejectio, seu diffidentia vel obtinendæ beatitudinis, ut si peccator dicat cum Caino: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (5); vel obtinendæ veniæ peccatorum, aut auxilii ad emendationem vitæ necessarii, juxta illos: *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis* (6). Hæc est peccatum ex genere suo mortale, nec potest esse veniale ex parvitate materiæ; cum adversetur virtuti Theologicæ, et sit graviter injuriosum divinæ misericordiæ. Ad hanc revocatur incuria salutis, ut si quis vellet semper vivere et cœlum linquere; quia spem non haberet, sed illi prorsus valediceret.

Duæ sunt præcipuæ desperationis causæ: *luxuria* atque *acedia.* Homo enim luxuriosus fastidit bona spiritualia, ideoque nullam potest fovere spem obtinendi beatitudinem illam, de qua ne cogitare quidem solet. Acediosus vero judicat, se ferme non posse mandata Dei observare; et sic abjicit omnem spem beatitudinis sempiternæ (7).

Quomodo (quæres) *Confessarius se gerere debet cum eo, qui ob lapsus suos in desperationem inclinat?* — Si effectus desperationis in pœnitente adjunctam habeat superbiam, quod nempe nimis de se præsumens indignetur sibi lapsum contigisse, purget aurum a scoria, et præmisso dolore, acerbitatem illam ex superbia natam conetur extinguere. Quod si videat ipsum in desperationem inclinare ob nimium timorem, nempe propter peccatorum gravitatem, eumdem in spem erigat. Dicat 1 suos lapsus eidem esse posse

frequenter excitet. Quam in rem contra Jansenistas utatur illis Christi verbis (Matth. 11): *jugum meum suave est, et onus meum leve: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Utatur illis Joannis (Ep. 1, c. 5): *mandata ejus gravia non sunt.* Utatur denique Tridentino, quod jam expresse definierat contra Lutheranos et Calvinistas: *Deum impossibilia non jubere.* — *V.* Pinamonti, *Il Direttore* etc. c. 28. — *Nuovo Combattimento spirituale* ecc.

(1) Rom. 8. (2) Serm. 87 de verb. Evang.

(3) *Compendium Theologiæ verit.* l. II, c. 25.

(4) 2, 2, q. 21, a. 2. — *V. Il sacerdote santificato* etc. Lett. 1, n. 43.

(5) Gen. 4. (6) Eph. 4. (7) *V.* Stapf, *Th. Mor.* § 194.

initium magnæ sanctitatis, sicuti de tot Beatis constat; 2 Deum pro sua infinita bonitate vertere lapsum pœnitentis in suam gloriam; 3 Dei misericordiam non metiendam secundum angustias cordis nostri, cum sit sine mensura; 4 Pastorem bonum Jesum sollicite quærere oviculam perditam, et de ea inventa maxime sibi gratulari; 5 in fastis Sanctorum vix reperiri aliquem specialem favorem a Deo concessum innocentibus, quem pariter vere pœnitentibus non concesserit Deus; 6 sæpe illud usurpet: *ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* (1)? et cum D. Bernardo proponat considerandas *charitatem adoptionis, veritatem promissionis, tandem potestatem redditionis* (2).

Q. 3. *Quid est præsumptio, et quæ ejus causæ?*

R. Præsumptio est *fiducia obtinendæ beatitudinis vel propter merita propria, vel sine cooperatione propria, propter merita aliorum*: ut si quis præsumeret salvari, quia aliquod orationis pensum persolvit, aut aliquem Sanctum orat; dum tamen suis indulget cupiditatibus. Præsumptio est peccatum ex natura sua lethale non secus ac desperatio, ob eamdem causam: imo cum ipsa hæresi conjugeretur, si ortum haberet ex judicio speculative falso contra fidem v. g. si quis præsumeret salvari per sola opera naturalia, uti Pelagiani; vel sola fide sine operibus, ut Novatores: ideo in praxi interrogandi pœnitentes, an cum præsumptione adsit nova peccati species? quod etiam valet de desperatione. Causæ præsumptionis sunt: inanis gloria, superbia et ignorantia; præsumptio enim, quæ innititur propriis viribus, oritur ex *inani gloria*, cujus proprium est tendere in id, quod proprias vires superat. Præsumptio autem, quæ nimis innititur misericordiæ divinæ (per quam quis sperat se obtentur um peccatorum veniam sine pœnitentia) oritur ex *superbia*, qua tanti se æstimat, ut credat Deum non velle eum punire, vel a gloria excludere. Tandem præsumptio qua quis putat, Deum sibi ob sua bene facta salutem reddere debere, oritur ex *ignorantia:* quod evenit in idiotis.

Quid (dices) *de eo, qui vult in peccato perseverare usque ad mortem sperans fore, ut se illo temporis puncto pœniteat?* — Licet hic difficulter excusari possit a peccato gravi contra charitatem erga seipsum, cum se exponat evidenti periculo damnationis, imo et contra Deum, cujus amicitiam floccifacit; non peccat tamen contra spem ex D. Thoma: *peccare autem sub spe veniæ*, ait, *quandoque percipiendæ cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum* (3). Sed hoc intelligе de casu, quo spes illa remissionis se habeat solum concomitanter ad peccatum, secus enim dicendum, si spes ipsa esset ratio, et motivum influens in peccatum ipsum. — Est item peccatum grave contra spem cupere perpetuo in hoc mundo vivere; quia est sistere in vita temporali, ut in ultimo fine. Non est tamen per se contra spem ex tædio mortem exoptare; quia non est recedere ab ultimo fine: hoc generatim non excedit veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinæ Providentiæ (4).

(1) Rom. 2. — *V. Consigli di confidenza e di sollievo per un'anima desolata.*
(2) Hom. de *fragment. panum.* (3) 2. 2, q. 21, a. 2.
(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 21.

Quid (quæres) *agere debet Confessarius cum præsumptuoso?* — Confessarius debet præsumptuosum a spe ad timorem deflectere, ostendendo: 1 spem sine timore non esse spem Theologicam, sed vitium oppositum, nempe præsumptionem, de qua illud: *illorum spes abominatio, et ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius* (1); 2 sanctum hunc timorem valde commendari juxta illud: *timete Dominum omnes Sancti ejus; timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (2); 3 carentiam hujus timoris esse valde periculosam: hinc suadeat meditationem frequentem super novissimis, et lectiones spirituales. Nec quiescat, quamdiu ipsum viderit hoc salutari timore correptum.

DISPUTATIO TERTIA

DE CHARITATE.

Bonum appetitui nostro propositum ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum appetitum movet, attrahit et inclinat ad se: porro ista inclinatio, seu propensio dicitur amor seu complacentia. Amor autem multiplex: si enim sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, dicitur *benevolentia*, quasi *benevelle;* si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*, quasi delectio; si sit alicujus boni, quod ratione sui magni æstimatur, dicitur *charitas*, quasi nimis carum; si sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. Hæc tamen omnia plerumque promiscue usurpantur: maxime charitas et amicitia, quæ unum et idem in Theologia significant (3).— Amor Dei duplex: unus naturalis, quo Deus ut auctor naturæ amatur; alius supernaturalis, quo Deus amatur ut auctor gratiæ et gloriæ. Hic de hoc secundo amore.

CAPUT PRIMUM

DE CHARITATIS NATURA, DIVISIONE, OBJECTO ET PROPRIETATE.

Q. 1. *Quid est charitas?*

R. Charitas definiri solet: *virtus Theologica a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se et super omnia; cætera autem propter ipsum Deum.* Dicitur: —1 *virtus*, quia reddit hominem bonum et Deo amicum. Imo ex Apostolo est virtus omnium præstantissima; cum Deum attingat, in eoque consistat: *nunc autem manent fides, spes et charitas, ipsa hæc; major autem horum est*

(1) Job. 11, Eccli. 6.

(2) Ps. 33; et 18. — *V.* Liguori, *Via della salute*; *Apparecchio alla morte; Opere spirituali;* ecc. — Boudrand, *Pensatici bene*, ecc. — Manzoni, *La Morale cattolica*, c. 10.

(3) S. Thomas, 1, 2, q. 26, a. 1, 2 et 3; et 2, 2, q. 23, a. 1.

charitas (1): — 2 *Theologica*, imo nulla virtus hac prærogativa ita gaudet, cum nulla virtus æque ac charitas circa Deum occupetur, qui totus desiderabilis est; — 3 *a Deo infusa* juxta illud: *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (2); — 4 *propter se et super omnia. Propter se,* idest propter ipsas suas perfectiones: *super omnia,* id est super res omnes creatas; — 5 *cætera propter ipsum Deum;* res enim amici sunt in ejus commodum convertendæ. Atqui omnia sunt Dei; ergo per charitatem omnia diligenda sunt propter Deum et in ejus bonum, hoc est in ejus gloriam et honorem convertenda. Unde Augustinus: *Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum; nos autem et proximum propter Deum* (3). Et Gregorius M.: *duo ipsi amores... duo annuli, sed catena una; duæ actiones, sed una vitius; duo opera, sed una charitas* (4). Et sane affectus, quo amatur persona, unus et idem est cum affectu, quo ejus imago amatur.

Multiplex autem est charitas: alia habitualis, et *est habitus divinitus infusus actuum charitatis, permanenter habilitans ad actus ipsos eliciendos.* Alia actualis, et est *ipse motus animi* (ita Augustinus) *ad fruendum Deo propter ipsum et se, atque proximo propter Deum.* Alia appretiativa, et est *qua Deus omnibus creaturis præfertur.* Alia intensiva, et est *quæ non solum diligit Deum super omnia; sed insuper quadam voluntatis vehementia, et cordis conatu quosdam elicit fervoris gradus erga ipsum.* Item alia affectativa, quæ in corde tantum sistit: alia effectiva, quæ etiam in operas erumpit.

Addi potest alia vulgaris divisio: quod nempe prout respicit Deum, dicitur *charitas erga Deum;* prout respicit proximum, dicitur *charitas erga proximum.* Utraque tamen una est specie virtus ex S. Thoma; cum unum semper sit motivum, nempe propter Deum (5).

Q. 2. *Quodnam est charitatis objectum?*

R. Objectum *materiale primarium* charitatis, nempe quod primo amare tenemur, est Deus juxta illud: *diliges Dominum Deum tuum: hoc est maximum et primum mandatum* (6). Objectum vero *materiale secundarium* sumus ipsi nos, et proximus noster; nam est de ratione perfectæ amicitiæ non tantum amare eum, quocum amicitia habetur; sed etiam illos, qui cum amico relationem habent. Porro creaturæ intellectuales beatitudinis capaces sunt aliquid ad Deum maxime pertinens. Hinc illud: *diliges... proximum tuum sicut te ipsum* (7).

Objectum vero *formale* charitatis, seu motivum diligendi Deum, est ipse item Deus, quatenus est bonitas infinita, idest radix vel aggregatio omnium perfectionum; nam charitas importat amare aliquem propter se ipsum. *Charitate diligitur Deus propter se ipsum,* ait Angelicus, *unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia, secundum illud Psalmi* 105: *confitemini Domino, quoniam bonus* (8). Hinc est verus charitatis actus dicere: *Deus meus! amo te super omnia, quia es bonitas infinita.*

(1) I Cor. 13. (2) Rom. 5. (3) L. VIII *de Trin.* c. 8.
(4) *Moral.* l. VII, c. 10. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 22.
(5) 2, 2, q. 25. a. 1.
(6) Matth. 22. (7) Luc. 10. (8) 2, 2, q. 23, a. 5 ad 2.

Q. 3. *An liceat amare Deum amore concupiscentiæ?*

R. Michaël Molinos Hispanus sæculo XVII inter cæteros errores docuit, quod qui Deum diligit, non debeat umquam secum ipse cogitare *nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate;* sed totum se soli divinæ voluntati conformare, et ipsi curam de omni re sua relinquere, ita ut nec habeat rationem tentationum diaboli, nec studium iisdem resistendi: sicque sinat, ut in se sine se Deus faciat voluntatem suam. Hoc systema *Quietismus* vel *Pseudomysticismus* nuncupatur.

Scripturis repugnat hæc doctrina: *quærite primum regnum Dei,* inquit Christus (1); sed quærere regnum Dei non est aliud, quam Deum amare et cupere uti bonum nobis. Idem nos docuit Patrem suum orare: *adveniat regnum tuum.* Ad Apostolos autem expresse dixit: *gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (2); sed si optare mercedem in cœlis, nempe possessionem Dei malum esset, non eam sic nobis Christus optandam proposuisset. Unde Augustinus: *o tu homo! si titubas in re, esto firmus in spe* (3). Et apposite Tridentinum: *si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis bene operatur, anathema sit* (4). Merito etiam Innocentius XI damnavit propositiones, quibus Molinos systema suum erexerat.

Sed (quæres) *an saltem amor concupiscentiæ adversetur charitatis perfectioni?* — Franciscus De-Fénelon archiepiscopus Cameracensis licet amorem concupiscentiæ non diceret malum et damnandum cum Molinos (5); tradidit tamen charitatem Theologicam, ut sit pura et perfecta, venire debere ad eum perfectionis gradum, ut nullum amplius involvat propriæ salutis desiderium. Quæ doctrina cum ad *Quietismum* accederet, dicta est idcirco *Semiquietismus*, et contra eam vehementissime disputavit alter in Gallia episcopus Meldensis Bossuetus.

Refutatur Semiquietismus iisdem ferme argumentis, quibus Quietismus: etenim si ex Christi præcepto oportet nos *primum quærere regnum Dei*, et dicere *adveniat regnum tuum;* ergo amor concupiscentiæ non adversatur charitatis perfectioni. Accedit: charitas definitur communi consensu *virtus a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se et super omnia, cætera autem propter ipsum Deum;* ergo charitas non excludit amorem cæterorum, et maxime beatitudinis nostræ, dummodo hæc refundatur in ipsum Deum. Adde: ipse Deus est qui animæ sui amantissimæ seipsum proponit tamquam præmium suo tempore possidendum; ait enim: *ego... merces tua magna nimis* (6). Adde: amor concupiscentiæ si cum amore benevolentiæ conjungatur, directe et per se tendit non jam in aliquid diversum et distinctum a Deo, sed in Deum ipsum: primario quidem tamquam infinitam bonitatem in se, et fontem omnium bonorum; at simul etiam secundario, tamquam bonum nostrum, et terminum ipsius gloriæ divinæ in nobis, eo quod nos adjuvet ad obtinendum ultimum finem nostrum; qui est Deus ipse. Ergo per amorem concupiscentiæ hoc modo acceptum Deum diligimus sub omni

(1) Matth. 6. (2) Matth. 5. (3) Serm. 345.

(4) Sess. 6 *de Justif.* c. 31. — *V.* Segneri, *Accordo dell'azione e del riposo nell'orazione.*—Lequeux, *Manuale Compend. Theologiæ Moralis.*

(5) In libro, *Vita interior Sanctorum.* (6) Gen. 15. — *V.* Gerdil, *Saggio d'Istruzione teologica.*

respectu, quo diligibilis est: ergo amor concupiscentiæ est ipsa Dei charitas consummata. Hinc Apostolus, quem perfectissima utique *charitas Christi urgebat,* Evangelium prædicabat, ut *ejus particeps efficeretur, contendebat in agone, ut coronam incorruptam acciperet.* Et D. Augustinus inquiebat: *sic amare debes, ut ipsum* (Deum) *pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet* (1).

An (quæres) *desiderium fruendi Deo sit actus charitatis?* — Affirmative, si desiderium tendat ad Dei fruitionem ob gloriam ipsius Dei. Imo est actus perfectissimæ charitatis; quia fruitio est charitas consummata: unde charitatem definit Augustinus: *motum animi ad fruendum Deo propter se.* Item actus charitatis est diligere bonitatem divinam uti nobis convenientem, quatenus nos adjuvat ad illius voluntatem exequendam ac ultimum finem assequendum; semper enim Deum suspiceret. Idem est, si diligatur Deus ob beneficia, quæ contulit nobis, sed ea respiciendo uti Dei bonitatis communicationem; esset enim tunc diligere bonitatem dispensantis (2).

Q. 4. *An charitas possit augeri, minui ac destrui?*

R. Ad 1: Charitas in mundo potest augeri sine termino: definitum est in Concilio generali Viennensi an. 1311 contra Beguardos et Beguinas. Hinc Apostolus hortatur: *in charitate crescamus* (3). Et D. Augustinus de charitate habet: *ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (4). Sane de ratione viatorum est, ut magis ac magis ad terminum appropinquent, sed terminus est Deus; ergo possumus magis ac magis illi appropinquare: hoc autem facit charitas.

R. Ad 2: Non est quæstio de charitate actuali: certum enim est, actus charitatis esse modo intensiores, modo remissiores. Sed de habitu charitatis quem commune est posse indirecte minui per venialia, quatenus ejus fervor minuitur: at non directe; nam vel minima charitas attingit omnia, quæ sunt charitate diligenda (5).

R. Ad 3: Utique charitas potest amitti: est contra Jovinianum; item contra Beguardos et Beguinas damnatos in Concilio Viennensi; item contra Calvinum damnatum in Tridentino his verbis: *si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere atque ideo eum qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum, anathema sit* (6). Et sane: per mortale homo fit dignus morte æterna juxta illud: *stipendia peccati mors* (7); at e contrario quilibet habens charitatem, est dignus vita æterna: ergo qui mortale commisit gratiam necessario debuit amisisse.

(1) Propter has aliasque rationes innumeras Innocentius XII propositiones, systema et librum Fenelonii proscripsit: qui cito doctrinam suam penitus coram omnibus retractavit modo illo tam pio, tamque admirando, quem refert historia. — *V.* Cesari, *Fiori di Storia Eccl.* Ragionamento 9° *sopra* S. *Pietro.* (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 24. (3) Ep. 4.

(4) Tract. 5 in Ep. 1. Joann. — Charitas non augetur *extensive;* nam vel minima charitas completa est in sua specie et se extendit ad omnia charitate diligenda. Sed augetur *intensive*, non quidem per additionem charitatis ad charitatem, quod esset charitatem multiplicari; sed per majorem radicationem in subjecto, sive per majorem actuationem subjecti. *Billuart.*

(5) D. Thomas, 2, 2, q. 24, a. 10. (6) Sess. 6, can. 23. (7) Ro m. .

Q. 5. *Quot sunt charitatis proprietates* (1)?

R. Charitatis Theologicæ proprietates duæ sunt præcipuæ, excellentia et necessitas. Excellentia ex ejus effectibus elucescit: ac 1 charitas hominem efficit justum, quo nihil præstantius potest excogitari: *charitas operit multitudinem peccatorum* (2); 2 veram amicitiam constituit inter hominem justum et Deum, juxta illud Christi: *qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Iterum: *vos amici mei estis... jam non dicam vos servos,... vos autem dixi amicos* (3); 3 perficit omnes virtutes: *si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Iterum: *super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (4). Necessitas autem tanta est, ut sine ipsa salus æterna obtineri non possit: sane nemo salvatur sine gratia sanctificante, et hæc ab ipsa charitate non potest separari; hinc illud: *qui non diligit, manet in morte* (5).

Quatuor autem sunt diligenda, ut monet Augustinus (6): unum quod est supra nos, scilicet *Deus;* alterum, quod *nos* sumus; tertium, quod juxta est, scilicet *proximus;* quartum, quod infra nos est, nimirum *corpus proprium.* Primum diligitur ut causa beatitudinis; secundum ut subjectum felicitatis; tertium ut commercium beatæ societatis; quartum ut participium et extensio beatitatis.

ARTICULUS I—DE CHARITATIS NECESSITATE RELATE AD DEUM.

Q. 1. *An sit speciale præceptum charitatis erga Deum?*

R. Extat profecto grave, atque speciale præceptum charitatis erga Deum: imo hoc est maximum et primum mandatum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum* (7). Et S. Augustinus inquiebat ad Dominum suum: *quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me; et nisi faciam, irasceris mihi, et mineris ingentes miserias? parvane ipsa res est, si non amem te* (8)? Idem deducitur ex hac n. 1° propositione proscripta ab Alexandro VIII: *sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.* Sane id, quod est finis, per se debitum est; cum habeat rationem boni per se: atqui talis est charitas (9).

Modus autem diligendi Deum, ait S. Thomas ex S. Augustino, est eum diligere quantumcumque potest diligi; cum sit infinite diligibilis. De natura igitur ac indole veræ charitatis erit, ut ea sit supernaturalis, interna, appretiative summa, efficax et universalis: — 1 *supernaturalis*, id est a divina gratia proficiscente, secus virtus theologica non esset; 2 *interna,* alioquin

(1) *V.* Contenson, *Dissert.* 6, *Append.* Commendatio et elogia charitatis.

(2) I. Petr. 4. (3) Joann. 14; et 15. (4) I. Cor. 13; et Coloss. 3.

(5) I. *Joann.* 3. Quamvis charitas a gratia non valeat separari, vult tamen Sylvius, unam realiter distingui ab alia; quia charitate diligimus Deum, gratia diligimur a Deo. Hoc negat Estius contendens diversitatem esse tantum virtualem, ratione diversorum officiorum.

(6) L. I. *de Doct.* c. 29. (7) Matth. 22. (8) L. I. *Confess.* c. 5.

(9) *V.* Liguori, *Riflessioni divote sopra diversi punti di spirito a pro delle anime che desiderano d' avanzarsi nel divino amore.*

fictitia esset: hinc illa verba præcepto adjuncta: *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*; —3 *appretiative summa*, ita ut majoris faciamus Deum, quam nos ac cætera omnia, ei nempe super omnia ita adhærendo, ut *neque mors*, *neque vita*, *neque creatura alia possit nos separare a charitate Dei* (1). Et sane cum amabilitas sit mensura amoris, Deus qui summe amabilis est, est super omnia amandus; —4 *efficax*, id est nos efficaciter movens ad ea, quæ Deo placent: secus labiorum est amor, non cordis: hinc illud Christi: *si diligitis me*, *mandata mea servate* (2); —5 *universalis*, ut Deum semper in omnibus præferamus; cum sit infinite præferibilis.

Hæc omnia illis verbis continentur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *et ex tota anima tua*, *et ex tota mente tua*, *et ex tota virtute tua* (3). Deum nempe diligimus *ex toto corde*, quando nostra intentio tota fertur in Deum: *ex tota anima*, cum motus sensuum et passiones ad Dei beneplacitum dirigimus: *ex tota mente*, cum in omnibus rationes æternas consulimus: *ex tota virtute*, cum ob Dei amorem difficultates occurrentes superamus (4).— Non hic loquimur de *amore intensionis*, qui licet sit valde exoptandus, non tamen est in præcepto: quia intensio est quidem charitatis perfectio, sed solum accidentalis; cum tota sita sit in quadam vehementia et in conatu affectus. Atque ex hoc exurgit *zelus*, vehemens nempe ille motus, quo homo pro viribus suis repellit quidquid repugnat bono Dei, et amplectitur quidquid ad eum ducit.

An (quæres) *dentur signa charitatis Dei in anima immanentis?*—Affirmative, uti omnes fatentur cum S. Laurentio Justiniani, qui tria indicat: 1 *libenter de Deo cogitare;* qui enim aliquem diligit, illius frequenter reminiscitur: 2 *libenter pro Deo date;* amor enim nescit esse vacuus: 3 *libenter pro Deo pari; fortis* enim *ut mors dilectio* (5).

Q. 2. *Quandonam obligat præceptum charitatis in Deum?*

R. Charitas obligat aliquando per se, aliquando per accidens. Obligat *per accidens:* 1 quando est periculum labendi in mortale, nisi actus charitatis eliciatur, vel aliter superari nequeat tentatio gravis; 2 cum urget præceptum contritionis, ut si necesse sit celebrare Sacerdoti, qui sibi conscius est peccati gravis, nec adsit Confessarius; nam in actu perfectæ contritionis includitur charitas.—Obligat vero *per se:* 1 initio usus rationis; *primum enim*, ait S. Thomas, *quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de ipso cogiter, ad quem alia ordinet sicut ad finem* (6); 2 in mortis articulo, cum urgeat tempus, quo se homo Deo unire debet, et tunc securissima via eligenda sit; 3 sæpius in vita; id enim vel ipsa divina bonitas exigit; id ipse Deus præcepit, ut nempe mandatum hoc omnes nos habeamus *in corde ac omni loco meditemur* (7).

(1) Marc. 12. (2) Rom. 8. (3) I. Jo. 4.

(4) Angelicus, 2, 2, q. 44, a. 5. — *V.* Liguori, *Dell'amor divino*, *o mezzo per acquistarlo; Pratica di amar G. C.; Saette di fuoco.* — Sales, *Trattato dell'amor di Dio.* — Pagani, *L'anima amante di Dio.*

(5) *De ligno vitæ.* — *V.* Liguori, *Contrassegni sicuri per riconoscere in noi il santo amor di Dio.*— Pinamonti, *Il Direttore* ecc. c. 29.

(6) 1, 2, q. 89, a. 6.

(7) Deut. 6. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 23.

Sed (quæres) *quoties in vita elicienda charitas*? — Alii censent sub gravi eliciendam semel in anno. Alii semel in hebdomada: At nobis valde arridet sententia Cardenas, qui docet a mortali eum excusari non posse, qui actum charitatis differt per mensem, ac dicimus sententiam hanc uti valde salutarem omnino suadendam. Neque enim poterit homo divina mandata diu servare, nisi dilectionem erga Deum foveat frequenter et nutriat; nutrire autem et fovere non poterit, nisi per actus charitatis. Notat tamen Croix, esse veros actus amoris omnia opera meritoria exercita ad finem placendi Deo, uti est eleemosyna, jejunium: item sufficere, si tales actus in ordine ad alia implenda præcepta eliciantur, ut ad confitendum; cum exercite impleatur præceptum (1): aliter est, si sola attritio emitteretur in pœnitentiæ susceptione; quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui; et proinde in ea deest motivum principale charitatis.

Cæterum semper præ oculis habenda est duplex hæc propositio sub nn. 6 et 7 ab Innocentio XI damnata: 1.ª *probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum;* 2.ª *tunc solum obligat quando tenemur justificari et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

ARTICULUS II — DE CHARITATE ERGA SE IPSUM ET PROXIMUM, AC DE INIMICORUM DILECTIONE.

Q. 1. *An homo se ipsum charitate diligere debeat?*

R. Homo debet se ipsum diligere ex charitate, nam homo divino præcepto debet proximum diligere sicut se ipsum; atqui proximus charitate diligendus est. — Adde: amor charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: unde illi sunt charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus; atqui homo necessario debet velle sibi beatitudinem: ergo necessario debet se amore charitatis diligere (2). Imo amor, quo quis se diligit, est fortior amore, quo diligit proximum; quia amor sui non importat tantum unionem, sed unitatem.

Homo debet etiam ex charitate diligere corpus suum; est enim sui pars: et licet corpus nostrum non sit capax æternæ beatitudinis, Deum cognoscendo et amando; est tamen capax beatitudinis participatæ, quæ ex anima gloriosa in ipsum redundat. «Es cosa sumamente interesante, perfeccionar el entendimiento y la voluntad; pero el hombre no es puro espíritu; su sér es un sér compuesto, no obstante la perfeccion del sér es la perfeccion del compuesto: conservarlo, ya que puede perecer, ordenarlo y habilitarlo para la ejecucion

(1) *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. II, n. 8; et *Homo Apost.* tract. IV, n. 13. — Ait Gury, l præcepto charitatis facile satisfaciunt fideles timorati, quin sæpius actus charitatis eliciant, gaudendo de perfectionibus divinis, optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant atque observent ejus mandata; orando devote ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat ejus voluntas; vitando peccatum quia ipsi displicet, etc.; 2 fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitæ christianæ studeant, et constanter promptam voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suadendum tamen est fidelibus, ut sæpe explicatos charitatis actus eliciant in vita, ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratus sit ad similes actus in morte facile eliciendos.

(2) Matth. 22. — S. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 3.

de aquello que dispuso el entendimiento y la voluntad, hé aquí dos puntos de no poca importancia (1).» Unde quando Sancti dicuntur odisse corpus suum, id non accipiendum secundum naturam, quæ bona est; sed secundum corruptionem ejus, quæ aggravat animam et infectionem concupiscentiæ, quæ inclinat ad peccatum. Hinc laudandi qui corpus suum prudenter affligunt ac macerant.

Q. 2. *An adsit præceptum diligendi proximum?*

R. Nomine proximi hic intelliguntur illi omnes, *qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis*, vel ea jam fruuntur. Unde veniunt angeli, beati, animæ purgantes et maxime homines viatores sive justi sint sive non, sive fideles sive infideles, sive inimici, sive prædestinati sive non. Isti enim omnes non solum sunt creaturæ Dei, quas propter ipsum amare debemus; sed speciali benevolentiæ amore a Deo vocantur sicut et nos, *in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri* (2): ideo amandi sunt amore benevolentiæ tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres et cohæredes. Diximus tamen *qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis:* hinc damnatos hoc amore diligere non possumus; est enim contra Dei justitiam.

Quod autem sit speciale ac grave præceptum proximum diligendi, constat ex Ss. Litteris: *diliges proximum tuum sicut te ipsum; mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicuti dilexi vos*(3). Unde eos amare debemus interno ac externo benevolentiæ amore; nemo enim est, qui hoc ipso amore non se diligat (attamen illud *sicut* non pro omnimoda æqualitate sumendum est, sed pro sola similitudine: norma est, non identitas). Id constat etiam ex propositionibus, quas Innocentius XI sub nn. 108 et 11 damnavit: 1ª *non tenemur proximum diligere actu interno et formali;* 2ª *præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Qui tamen vere christiane vivit, sufficienter satisfacit huic præcepto quoad actum internum orando pro proximo, vel ex corde recitando Orationem Dominicam; quoad actus vero externos, proximo succurrendo in necessitatibus.

Quandonam (quæres) *obligat præceptum dilectionis proximi?* — Obligat per se, quando per se obligat præceptum charitatis in Deum: illud enim simile est huic (4). Obligat vero per accidens: 1 si odium in proximum nequeat repelli, quin actus eliciatur amoris: qui enim tenetur ad finem, obligatur ad media; 2 quando proximus est in gravi necessitate: alioquin frustraneum esset præceptum. Ut tamen charitas nostra erga proximum sit legitima, oportet:

1. Ut sit *sancta* ex suo fine et motivo; proximus enim diligendus est propter Deum; quod est amare in ordine ad Deum, vel quia proximus jam est in Deo, vel ut sit in Deo et cum Deo: *si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet,* inquit Gregorius M. (5); — 2 ut sit *justa* ex suo objecto, scilicet ut nemo *condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis*, ait D. Thomas; secus esset potius illum odisse;—3 ut sit *vera* ex suo principio, nempe ut nemo *diligat proximum propter propriam utilitatem vel delectationem*, v. g. quia sibi benevolus, quia affabilis, quia

(1) Taparelli, *Saggio Teoretico* ecc. n. 265. (2) I. Cor. 1.
(3) Matth. 22; et Joann. 13. (4) Matth. 22. (5) Hom. 38.

lepidus, quia consanguineus (nam esset amare se ipsum, non proximum); *sed ea ratione, quod velit proximo bonum sicut vult bonum sibi ipsi:* idem Doctor (1). Est autem generalis hujus præcepti regula pro parte affirmativa, ut faciamus aliis quæ nobis fieri volumus: pro parte negativa, ut nemini faciamus quæ nolumus fieri nobis.

Q. 3. *An adsit præceptum diligendi inimicos?*

R. Certum est, gravem adesse obligationem inimicos, id est eos qui nos vel nostros oderunt, vel aliqua injuria affecerunt, vero affectu diligendi; legitur enim in Evangelio: *diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (2). Quo in loco hæc habet D. Augustinus: *Dominus in Evangelio ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum.* Accedit et ratio: inimici sunt adhuc proximi nostri et beatitudinis æternæ capaces: ergo sunt diligendi. Hoc præceptum quatenus negativum obligat semper et pro semper, ita ut numquam liceat vel ad momentum vero odio prosequi inimicum; quatenus affirmativum obligat ad positivam benevolentiam atque externam beneficentiam pro ratione necessitatis, in qua versatur inimicus noster. Hæc omnia importat divinum præceptum: *diligite, benefacite, orate* (3).

At (inquies) *quomodo diligi potest homo iniquissimus, crudelis inimicus, qui nos quovis modo perdere nititur, cum voluntas amore ferri non possit, nisi in bonum?* —Diligi potest, quomodo diligimus membrum vitiatum, quod acutis doloribus diu noctuque nos cruciat; nempe distinguimus substantiam inter et vitium, doloris causam; substantia est nobis cara ac pretiosa utpote pars nostri, quam sanam peroptamus; ideoque contra vitium eam infestans pugnamus, illudque qua arte, qua industria propellere nitimur? Sic Christus caput omnium hominum, cum adhuc peccatores essemus, propter nimiam suam charitatem dilexit nos tamquam propria sua membra, sed ægra et pessime affecta: pretiosissimo Sanguinis sui balsamo morbum, hoc est peccatum, extinxit, sanitati ac justitiæ nos restituit, et ex inimicis amicos recepit, quod longe gloriosius est; nam ex Augustino multo est optabilius inimicum non habere, quam ulciscendo vincere. Ita et nos (si charitas et spiritus Christi habitat in nobis) diligimus fratres, bonos quidem, quia boni sunt; malos autem, ut a vitiis sanentur, atque ut boni evadant (4).

(1) 2, 2, q. 44, a. 7. (2) Matth. 5. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, nn. 28 et seqq.

(3) Amor inimicorum est de lege naturali, unde nulla positiva lege tolli potest. Nec obstat illud Matth. 5: *audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum? ego autem dico vobis*, etc. Respondet Angelicus: *quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera invenitur; sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant odiendi.* In. 3, dis. 31, q. 1, a. 1, ad 2. — Sane in Levit. c. 19, habetur: *non quæras ultionem nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et Prov. 25: *si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, etc.

Dilectio amicorum secundum se considerata est fervention et melior, quam dilectio inimicorum (Angelicus, 2, 2, q. 27, a 7). Ratio: illa dilectio est absoluta melior et meritoria, cujus objectum est melius; atqui amicus est melior, Deo et nobis magis conjunctus, quam inimicus: ita communius et probabilius. Nec obstat, quod inimici dilectio sit difficilior: plus facit ad rationem meriti bonum quam difficile, aliis præclusis: sane dilectio Dei melior est dilectione proximi; dilectio tamen proximi est difficilior. (4) Ita Habert, *Compendium Theol. Dogm. et Mor.* Tract. *de charitate.*

Q. 4. *Quomodo inimici secum ipsi reconciliari debent?*

R. Si ex una tantum parte interfuerunt injuriæ, tunc qui alterum signo, verbo vel facto exterius offendit, tenetur utique ipse remissionem offensæ exterius petere per se vel per alium, et resarcire damna inde secuta; nam quo modo charitas destructa est, eodem reparari debet. Excipe nisi legitima ratione excusetur, ut si offensio non fuit gravis, vel offensus veniæ petitionem non curet, vel alia ratione censeatur satisfactus, etc.—Si vero injuriæ ex utraque parte fuerint moraliter æquales et simultaneæ, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, etc. Unde ait Ferraris: *generaliter loquendo inter æquales is debet prius salutare et alloqui, qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit* (1).—Si tandem inter duos offensores, unus alio gravior, vel prior offendit, ipse tenetur priora reconciliationis signa alteri exhibere. Ita communiter.

Q. 5. *Quænam dilectionis signa et beneficia inimicis debentur?*

R. Signa et beneficia dilectionis alia sunt communia et alia specialia. *Communia*, quæ Christiano præbentur a quolibet Christiano in communi, concivi a concive, parenti a parente: sunt communes orationes, eleemosynæ communes, etc. *Specialia*, quæ exhibentur ob titulum specialem, ut amicitiæ: tale est ad amicorum convivium invitare, conversationis causa hospitio recipere. Hoc posito:

Dicimus 1: Communia dilectionis signa et beneficia inimicis nostris præbere debemus ex præcepto; ista enim negare esset vindicare injuriam quod privato numquam licet. Hinc peccaret qui inimicum excluderet, v. g. a communi oratione, a communi eleemosyna, ab expositarum mercium venditione, etc. Excipe si rationabilis causa aliud suadeat: est 1 quando agitur de justa punitione et correctione filii vel subditi, qui gravem patri vel superiori suo injuriam intulerit; 2 quando inimicus signis illis, etsi communibus, abusurus sit ad novam inferendam injuriam; 3 quando ex denegatione talium signorum speretur aliquo modo emendatio inimici. Item pater et mater aspectum occisoris proprii filii vitare possunt, non ex odio; sed ne illius præsentia nimium excitet horrorem. *Bouvier.*

Dicimus 2: Signa autem specialia dilectionis non debentur inimicis, generatim loquendo; quia eorum omissio non est signum neque odii, neque vindictæ, cum nec alios ita specialiter diligere debeamus. Excipe adhuc ex rationabili et justa causa: 1 si eorum omissio esset scandalosa, ut si inimici essent superiores, vel jam prius ipsis talia signa exhiberentur; 2 si per aliquod dilectionis signum hujusmodi posses sine tuo incommodo inimicos et tibi ipsi et Deo reconciliare. Ad hoc namque impelleret charitas, secundum illud: *noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (2).

(1) *Bibliotheca Canon.* etc. V. Virtus, n. 2. — « Mas muchas veces esto no se alcanza sino por la intervencion de algunos amigos, que gozan de mucha influencia sobre ellos.» Gousset.

(2) *Rom.* 13. Casum ponit Billuart: *duo ante inimicitiam, puta duo juvenes collegialiter viventes, duo religiosi in monasterio, se salutabant et passim colloquebantur; post rixam nec se salutant, nec colloquuntur: Peccantne?* — Si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in communitate, prout ordinarie accidit, peccant mortaliter vel venialiter pro quantitate scandali. Si tamen antea erant specialiter amici et amica colloquia miscebant, litteras mutuo scribebant, non tenentur re-

An (quæres) *teneamur illum, qui nos offendit, primi salutare, si coram ipso transeamus?*—Regulariter non tenemur primi inimicum salutare ; quia hæc omissio non est signum odii ; neque enim solemus salutare omnes. Excipiendus est casus, in quo *vel* jam antea salutari soleret ; *vel* scandalum sit oriturum (ut si quis complures sibi occurrentes salutet, excepto inimico, qui est in eorum societate ; hæc enim circumstantia satis dat intelligere illius animum); *vel* si sit superior, cui ex sua qualitate talis honor jam suapte debetur ; *vel* si demum sine magno incommodo nostro possimus cum tali salutatione ab odio, et culpa gravi revocare ; id enim tunc suaderet charitas.

Tenemur tamen inimico, qui nos salutat primo, salutationem restituere ; cum hæc omissio clare ostenderet nos inimicum contemnere, et velle in hostilitate perseverare. Excipe Prælatum, Patrem, Judicem et Superiores ejusmodi, qui salutationem inferiori minime restituentes non videntur peccare, modo id non agant ex affectione odii aut vindictæ ; sed ut gravitas illatæ injuriæ percipiatur. Multo magis tenemur inimico veniam petendi elargiri; nam hæc omissio esset aperta declaratio vindictæ et occasio scandali ; et *si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (1).

Quæres : *quando inimico veniam petenti venia danda est?*—Modo longa non trahatur mora (dicente Apostolo (2): *sol non occidat super iracundiam vestram*) docent communiter, nos ad id non teneri stati m, nempe illo temporis puncto, quo injuria illata est ; quia id videtur res violenta et supra fragilitatem humanam. Unde poterit expectari tempus opportunum, et interea deponatur odium (3).

Q. 6. *An liceat de inimico vindictam suscipere, aut ei saltem aliquod malum optare?*

R. Ad 1: Si sermo est de vindicta privata, quæ fit auctoritate privata, tunc eam numquam licet suscipere de iniquo, dicente Domino : *mihi vindicta, et ego retribuam.* Et Apostolus : *videte ne quis malum pro malo alicui reddat* (4). Si vero sermo est de vindicta publica ac gravi, an eam quis sine livore vindictæ possit suo inimico optare, et urgere, ut ipse a judice puniatur

dintegrare specialem amicitiam et amica colloquia et epistolas ; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem, sicut ad cæteros confratres. — Hic etiam notant pro praxi :

1 Non sunt absolvendi, saltem ordinarie, qui quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, licet facile possint et debeant ; item neque qui dicit, se libenter condonaturum, sed non posse promittere ; qui revera vult, potest Dei gratia adjutus promittere ex animo. A fortiori qui asserunt se numquam verbum illi dicturos esse ; quia tales malam animi dispositionem in corde retinent. *Gury*; — 2 si nolis cum inimico conversari, quia non aliud quam malum ab eo expectare possis ; vel si prudenter timeas ex eo pejus evenire, tunc abstinendum ab amicitiæ signis modo interius diligas, et apud alios scandalum repares. *Continuator Tournely.*

(1) Matth. 6. (2) Eph. 4, v. 26.

(3) Hoc sensu Augustinus *(Serm. de verb. Dei)* explicat etiam illud Christi (Matt. 5) : *si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* Hoc nempe præstandum est juxta naturam præcepti affirmativi, quando scilicet ratio prudentiæ, locus et tempus id permittunt ; alioquin animi præparatione et cordis affectu hæc præstare sufficit. Cæterum adverte hic agi de eo, quem tu offendisti ; nam si ipse te offendit, jam non frater tuus habet aliquid adversum te, sed tu adversum illum ; sicque non teneris veniam postulare, sed tantum dimittere.

(4) Rom. 12 ; et I Tess. 5.

affirmant Salmanticenses; refertur enim ad bonum commune, ut mali ab auctoritate coërceantur: *verum,* ait S. Alphonsus, *in praxi ego numquam ausus sum absolvere aliquem istorum* (1); nam utrum isti sint omnis vindictæ labe defæcati, si peculiaris circumstantia non adsit, non video: facillimum est, ut eorum erga justitiam amor sit coloratus prætextus ad tegendam propiæ vindictæ cupiditatem. Nihilominus judico bene posse absolvi offensum: 1 si jam vellet remittere, sed juste prætenderet prius sibi satisfieri de damnis passis, modo offensor non esset adeo pauper ut impar esset satisfaciendo; 2 si condonaret injuriam sub conditione, ut offensor in longinquam regionem proficisceretur, aut quia habet fratres vel filios, qui facile iracundia abripiuntur, aut quia offensor est ita ad rixas proclivus, ut juste timeret, suam expertus imbecillitatem, ne perlaturus esset ejus insolentias.

R. Ad 2: Licet aliquando optare inimico malum aliquod temporaneum, quatenus illi bonum est, v. g. adversitatem ut emendetur. Pariter possumus illi optare malum temporale, vel ob bonum alterius spirituale, vel ob bonum commune Regni aut Ecclesiæ, v. g. mortem perduellium juxta illud Apostoli: *utinam abscindantur qui nos conturbant* (2)! id enim nihil aliud est, quam bonum spirituale præferre temporali, et bonum commune bono privato. Salmanticenses admittunt etiam licitum esse patri optare mortem filii, si timeat ex ejus flagitiis familiam dehonestandam; nam ait Angelicus in re simili, *malum optatur non in quantum est malum illius, sed in quantum est impeditivum malorum alterius* (3): quæ mala hic præponderare contendunt. Quidquid sit certo non liceret matri optare mortem filiæ, si ob deformitatem nequit nubere, vel si inde mater a viro male tractetur; ratio quia nec defectus nuptiarum, nec mala matris tractatio habet cum morte filiæ comparationem.

Præstat hic tres propositiones referre ab Innocentio XI sub nn. 13, 14 et 15 damnatas: 1ª *si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci afectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum;* 2ª *licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia animirum ei obventura est pinguis hæreditas;* 3ª *licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ab hæreditate consecutas* (4). Item neque liceret de morte alterius gaudere ob pro-

(1) *V. Homo Apost.* tract. IV. n. 17. (2) Gal. 5.

(3) In 3 sent. d. 3, q. 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 30; et l. V, n. 21.

(4) Negant Salmanticenses licere sibimet mortem optare ad vitandam vitam nimis duram causa infirmitatis, sævitiæ viri, mendicitatis et similium; quia non licet velle mortem ob effugienda aliqua mala minoris momenti. Sed non improbabiliter affirmant Viva, Potestas, Sotus, Sancius, etc. casu, quo vita tam molesta æstimetur durior ipsa morte: hinc Eccli. c. 20: *melior est mors, quam vita amara:* sic Elias (III Reg. 19) *petivit animæ suæ ut moreretur*, ad vitandas Jezabelis insidias. Unde Trullenchus excusat fœminam, quæ sibi vel alicui mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, etc. vel alia similia mala v, g. a marito infligenda: non ideo tamen liceret super his votum emittere, ut esset si quæ mater voveret aliquid, si filius ejus continuo ægrotus moriatur; non enim res est de bono meliori, et forsan neque de re bona. Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes Diana mortalis damnat; nisi ut

curatas divitias; quia semper ordo charitatis graviter turbatur, præferendo nempe nostrum emolumentum temporale vitæ proximi : et ideo eo in casu voluntas nostra in mortem proximi (vel desiderio, si nondum ea evenerit; gaudio, si ea jam secuta sit) inclinatur ob finem sordidum, alienum a fine Dei, ut fuse probat Viva has propositiones explicando.

Q. 7. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum pœnitente, quem detegit odiis, et inimicitiis implicatum et anxium?*

R. Vel agitur de odio, quod tale creditur, nec est; vel de vero odio.

Si 1, Confessarius pœnitentem instruat, ne ex conscientia erronea peccet: doceat verum odium non esse nisi in eo, qui inimico deliberate vellet inferre vel inferri malum, et de malis ipsi illatis ex animo gaudet, de bonis autem tristatur. Sed ubi hoc desit, motus illi erunt defectus naturæ, non peccata contra charitatem: unde ipsum confortet, ut personæ illi communia charitatis officia et signa præstet, nihil sollicitus de contrariis motibus; pro illa oret; defectus excuset; bene loquatur; ejus consortium quærat, data opportunitate; et tuto speret, Deo dante, fore ut aversio illa sic pressa pedetentim evanescat. Hæc si agat, amovet periculum, ne odium indolis ad personam paulatim sese extendat.

Si 2, Confessarius pœnitenti ostendat quanta sit vis et meritum præcepti charitatis, eumque perducat ad vindictæ spiritum deponendum, ad dignoscendum ex corde exemplo Christi et Sanctorum, atque ad communia charitatis signa præstanda. Sæpe etiam est remedium efficax pro pœnitentia injungere pro inimicis orare (1).

ARTICULUS III — DE CHARITATIS OFFICIIS IN PROXIMUM.

Q. *Quid de charitatis officiis in proximum?*

R. Ipsa lege charitatis tenemur non solum optare, ut proximus bene sit, sed etiam curare quantum in nobis est, ut semper bene se habeat, cum enim diligere eum teneamur uti nos ipsos, non sufficit eum amare affectu, sed effectu insuper amandus est, ut sic *diligamus opere et veritate* (2); unde tot erunt charitatis officia in proximum, quot erunt ejusdem indigentiæ. Ex his *misericordia* enascitur, virtus nempe, quæ nos ex compassione inclinat ad alienæ miseriæ subveniendum: cui quidem per excessum opponitur *cordis mollities*, per defectum *duritiæ*. — Opera autem misericordiæ magis vulgata, ad quæ cætera reducuntur, sunt septem spiritualia et septem corporalia. Corporalia sunt: visitare infirmos, potare sitientes, pascere esurientes, re-

plerumque fit, excuset defectus advertentiæ et deliberationis: et non est improbabile cum Potestate.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 30; et l. V, n. 22.

(1) Sunt, rudes præsertim, qui de odio se accusant, quin tamen illud malum odium sit: esset v. g. si quando de aliqua persona occurrit sermo, ipsi experiuntur quamdam displicentiam atque aversionem licet involuntariam, et sanguinem sibi sentiunt contra illam quasi moveri et ebullire: isti igitur instruendi sunt, ne erronee peccent. Sed maxima nostra cura esse debet in vero odio extirpando; nihil enim difficilius est in praxi quam perfectam inimicorum obtinere reconciliationem: quot sunt qui grave hoc præceptum ignorant, deturpant, postponunt se ipsos turpiter decipientes! — *V.* Pinamonti, *Il Direttore* ecc. c. 16. — Salvatori *Istruzione Pratica*, § XI. — Item *De pœnitentia* ubi de correctionibus.

(2) Joann. Ep. I et III.

dimere captivos, vestire nudos, colligere hospites, et sepellire mortuos. Spiritualia sunt: consulere dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari afflictum, remittere offendenti; ferre onerosos et graves, orare pro omnibus. Hinc versus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

§ 1. — *De eleemosyna* (1).

Q. 1. *Quid est eleemosyna?*

R. Eleemosynam sic bene definivit Angelicus: *est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum* (2). Dicitur: 1 *opus* quia eleemosyna a nobis hic sumitur non pro ipsa re materiali, quæ datur, bene vero pro actione; 2 *quo datur aliquid indigenti:* quæ enim dantur non indigentibus, pertinent ad liberalitatem; 3 *ex compassione,* quia est actio misericordiæ; 4 *propter Deum,* quia eleemosyna exerceri debet non ob naturalem commiserationem, sed ut impleatur Christi præceptum et voluntas Dei.

Speciale ac strictum præceptum dandi eleemosynam habetur in Scripturis: *ite, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam* (3). Ratio: lex charitatis obligat ad amandum proximum *sicut nos ipsos;* sed nullo pacto dici poterimus, nos amare proximum *sicut nos ipsos*, si illi indigenti non opitulamur.

Q. 2. *Quot sunt eleemosynæ effectus?*

R. Eleemosyna, si facta in statu gratiæ debitis suffulta conditionibus, habet, ut sit satisfactoria, impetratoria et meritoria juxta illud Tobiæ: *eleemosyna... ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam* (4). Debitæ autem conditiones eleemosynæ sunt, ut hæc sit: 1 justa, id est ut fiat de rebus propriis juxta illud: *honora Dominum de tua substantia* (5); 2 prudens, ut nempe fiat vere pauperi non otioso ac valido, *quoniam si quis non vult operari, non manducet:* unde prædicatur *beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (6); 3 velox seu prompta, ut sit opportuna; hinc illud: *ne dicas amico tuo, vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare* (7); 4 secreta et humilis juxta illud: *cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt... amen dico vobis receperunt mercedem suam* (8). Sed aliquando præstat, ut fiat palam ad aliorum exemplum; 5 hilaris, id est facta libenter: *non ex tristitia aut ex neces-*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, nn. 31 et seqq. — Eleemosyna est a græco vocabulo, quod misericordiam significat, seu miserans cor super alterius miseria.

(2) 2, 2, q. 32, a. 1. — *V.* Sperelli, *Preziosità dell' elemosina.* Venezia 1667.

(3) Matth. 25; Joann. 3; et Jac. 2. — *V.* Silvio Pellico, *Dei doveri degli uomini,* c. 25. — Scotti, *Teoremi* ecc. p. 3, t. VI.

(4) Cap. 3. (5) Prov. 3. (6) II Tess. 3; et Ps. 40.

(7) Prov. 3. (8) Matth. 6.

sitate; hilarem enim datorem diligit Deus (1); 6 ordinata, ut nempe præferat qui sunt præferendi, juxta illud: *ordinavit in me charitatem* (2); 7 generalis, ut se extendat ad omnes, etiam inimicos, infideles et peccatores, juxta illud: *omni petenti te tribue: si esurierit inimicus tuus, ciba illum* (3); sed excipe eos, quibus vitam arripere licet, ut sunt hostes Reipublicæ. Hinc versus:

Justa sit et prudens, veloxque, secreta libensque,
Ordine procedens, omnibus auxilians.

Quid (dices) *de illis: quorum paupertas voluntarie contracta est?* Vel hæc voluntas, qua paupertas contrahitur, rationalis est, et Deo grata, uti contingere solet in Religiosis; vel etiam nunc voluntas illa est culpabilis et Deo odiosa, uti contingit in pauperibus otiosis et vagabundis. Si 1, licita, imo laudabilis et apud Deum meritoria est eleemosyna iisdem facta; cum vere sit indigentibus tribuere, nullique peccato cooperari: hæc enim paupertas laudata est ab Ecclesia in religiosis Ordinibus, et habet sectatores Sanctos bene multos, Apostolos, imo ipsum Christum. Idem dicendum, si paupertas fuerit quidem olim irrationabilis, hodie tamen non amplius sit culpabilis; nec aliter quam eleemosyna possit ipsi provideri. Si 2, redit Apostoli effatum: *siquis non vult operari, non manducet;* esset enim eo in casu alterius pigritiem fovere (4).

Q. 3. *Ex quibusnam bonis nostris eleemosyna fieri debet?*

R. Ut quæstio rite solvatur, plura sunt advertenda: — 1 necessitatem distingui in *extremam*, et est periculum amittendæ vitæ, nisi ei occurratur; in *gravem*, et est periculum in gravem morbum incidendi, vel incurrendi carcerem, infamiam, etc.; in *communem*, et est illa, qua quis nonnisi difficulter vivit, vivit tamen, ut pauper ostiatim mendicans; — 2 triplicis etiam generis distingui bona: alia sunt *necessaria naturæ*, seu *vitæ*, sine quibus vita nostra conservari non potest, nec aliorum quorum cura nobis incumbit. Alia sunt *necessaria statui*, sine quibus non potest aliquis convenienter vivere secundum conditionem sui status præsentis. Alia *superflua vitæ* vel *statui* vel *utrique simul;* — 3 necessaria statui in duplici esse differentia: alia sunt ad illum simpliciter necessaria, ut est alere se et suos; alia nonnisi ad status decentiam requiruntur, ut sunt quæ juxta æstimationem prudentum necessaria sunt ad hospites sustentandos, ad moderata cum amicis convivia, ad

(1) II *Corin.* 9. « Egenis (ex *Stapf.* § 396), ita succurrendum est, ut et eorum verecundiæ parcatur, et inopiæ omni meliori modo consulatur. Caveatur igitur omnis oris frontisque asperitas qua homo pauperculos turbari, vel affligi possit; et simul inspiciatur, qua ratione ejusdem indigentiis optime provideri queat. Pro diversis rerum, personarumque adjunctis aliquando expedit, ut summa quædam actu; aliquando autem, ut ei potius successive ministretur, utque subsidia vitæ modo in pecunia numerata, modo res ipsæ illi obtingant. Cf. *Eccli* 15, 18 et seqq.»

(2) Cant. 2. (3) Luc. 2; Rom. 13.

(4) Pauperes extranei e civitate vel parochia expelli possunt, quando justa adest causa, v. g. si parochiani et cives domesticos et extraneos simul alere non possint, si extranei morbum afferant, si in otio torpescant, si perversa dent exempla, si statutum sit, ut quælibet parœcia et civitas proprios pauperes aleret et eorum curam haberet. Ita Ferraris, *Biblioth. Canonica* ecc. V. Eleemosyna: ubi etiam de eleemosynis quas colligunt Religiosi mendicantes; et de illis quæ colliguntur pro subsidio locorum Terræ Sanctæ; de quibus item *V.* Benedictus XIV, Constit. *Loca Sancta*, 3 martii 1727.

famulos alendos, etc.: qua in re caute procedendum; *nam si inania quæramus, nihil sufficit.* (1) Hinc damnata est ab Innocentio IX hæc sub n. 12 propositio: *vix in sæcularibus invenies etiam regibus superfluum statui, et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo status.* Hoc posito:

Dicimus 1: Eleemosyna non est facienda ex bonis necessariis naturæ, seu vitæ; nam ex lege ipsa naturali quisque potest, imo ordinarie debet, suam suorumque vitam vitæ alienæ præferre. Excipe nisi pauper sit talis, a quo salus publica pendeat; quia tunc bonum commune esset præferendum bono privato.

2: Ex bonis necessariis decentiæ status nostri tenemur eleemosynam facere, quando proximus est in indigentia extrema; charitas enim bene ordinata exigit, ut vitam proximi præferamus decentiæ status nostri, atque ut ad eam servandam patiamur aliquod detrimentum in nostro etiam gradu. — Utrum autem teneamur cum gravissima etiam ipsius status jactura pauperem levare in extremis; aliqui affirmant: quia semper præponderat vita proximi. Sed alii negant, tum quia majus detrimentum videtur divitem excidere e proprio statu, quam unum, vel alterum pauperem deficere; tum maxime quia hic adest tantum præceptum charitatis, quæ ex communi non obligat cum gravi incommodo (2). Si tamen extreme indigens bona alibi vel habeat, vel sit habiturus, dives obligationi suæ satisfacit dando mutuum; quia ille non est absolute pauper.

3. Tenemur eleemosynam facere ex bonis vitæ simul et statui nostro superfluis, non solum quando proximus est in indigentia extrema; sed etiam quando est in gravi, si non sit qui subveniat. Sane in Scriptura frequenter damnantur homines ob neglecta opera misericordiæ: *esurivi et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi bibere* (3). Ad quid verba tam gravia, si eorum sensus referatur ad solam indigentiam extremam, quæ rara omnino? Revera Ss. Patres hoc præceptum semper intellexerunt de indigentia gravi. Appellamus Ambrosium: *grandis culpa*, inquit, *si sciente te, fidelis egeat; si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat... et non adjuves* (4). Suadet ipsa indo-

(1) S. Augustinus, In Ps. 147.

(2) Recte observat Stuardi statum uniuscujusque non consistere in indivisibili; et vix concipi posse, ut dives debeat e suo statu excidere, ut hominem sublevet in extremis; cum natura paucis contenta sit, et modico indigens sublevetur. Hic etiam notamus, hanc obligationem maxime urgere Ecclesiasticos, ac specialiter Parochos, qui sunt patres pauperum, ac patrimonia pauperum possident: præstat autem, ut etiam verbis egenos adjuvent, eos hortando ad patienter sustinendam propriam conditionem meritis plenam. Hic autem venit commendanda illorum Prælatorum agendi ratio, qui pauperibus antequam temporalem tribuant eleemosynam, solent spiritualem per suos Clericos eis elargiri; non enim de solo pane vivit homo. — *V. De privilegiis pauperum.* Lugd. 1663. — Salvatori, *Istruzione pratica pei Confessori*, § XIII: per quelli che si lamentano della sinistra fortuna, ed invidiano la prospera degli altri. — Bartoli, *La povertà contenta*, etc.

(3) Matth. 15.

(4) *De Off.* l. I, c. 30. — Quæ quidem probare videntur etiam cum aliquo status detrimento subveniendum esse pauperi graviter egenti: nonne charitas bene ordinata præcipit, ut cum parvo nostro incommodo magnum incommodum alterius impediamus? — *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. II, n. 32; et l. III, n. 520.

les charitatis; hæc enim præcipit amare proximum *sicut se ipsum:* nemo vero putat amari proximum *sicut se ipsum* ab illo, qui videns eumdem versari in indigentia gravi, subvenire recusat de bonis, quibus sine gravi incommodo privari potest, ut sunt superflua vitæ simul et statui.

Sed nonne (inquies) *de bonis statui superfluis sub gravi tenemur eleemosynam erogare etiam in indigentia communi?*—Plerique negant tam antiqui quam recentiores, quibus favere videtur S. Antoninus. Nos tamen cum D. Thoma penitus tenemus sententiam contrariam utpote communiorem; in Evangelio enim legitur: *quod superest date eleemosynam.* Et Apostolus ait: *divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere* (1): quæ verba *dare, præcipe facile tribuere* non obscure indicant eleemosynæ præceptum etiam extra gravem necessitatem, quæ non ita ordinarie contingit. Dein Christus, cum pro ratione damnandi iniquos adducat duritiem cordis eorum in pauperes, supponit hoc vitium valde commune; atqui tale non esset, si nulla foret obligatio eleemosynas ex superfluis erogandi pauperibus in eorum indigentia communi. Adde indigentiam communem facillime fieri gravem. Hinc D. Basilius ait: *est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceas, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum; quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres* (2). Et Hieronymus: *si plus habes, quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, et in illo debitorem te esse noveris* (3). Et Augustinus: *superflua divitum necessaria sunt pauperum; res alienæ possidentur, cum superflua possidentur* (4).

Ergone (addes) *tenebimur superflua omnia erogare?*—Negative; sed id morali et humano modo accipiendum est, ita ut dives teneatur pauperibus subvenire quantum satis sit pro consulendo ordinariis eorum indigentiis, posito quod alii divites idem faciunt; hoc enim præceptum non obligat in solidum singulos, sed in communi omnes divites pro sua parte. Hinc communius putant, divites muneri suo satisfacere erogando in pauperes communes partem quinquagesimam suorum redituum, qui supersunt: seu duo in centum, ut multi dicunt cum Mazzotta, Roncaglia, Viva, etc.: et si reditus sint pinguiores, admittunt minus quinquagesima parte (5). Notamus autem cum card. Gousset: «El precepto de la limosna obliga principalmente en las calamidades públicas, cuando por ejemplo hay carestía, ó el país es devastado por inundaciones, guerras ú otras plagas semejantes. Puede suceder que en

(1) Luc. II; et I Tim. 6. (2) Orat. in illud: *destruam horrea mea.* (3) Ep. ad Hedibiam.

(4) *In Ps.* 147. — *V.* Bellarminus, *De bonis operib.* l. III. Hisce tamen testimoniis caute utatur Concionator, ne videatur quasi pauperes invitare ad res alienas surripiendas, quasi suæ sint. *Gousset.*

(5) *Quæritur an qui præceptum dandi eleemosynam per longum tempus omisit, summam eleemosynis quas omisit æquivalentem dare teneatur, si possit?* — Certum est hanc compensationem esse salutare remedium contra culpabilem omissionem. Sæpe hæc reparatio videtur necessaria ad tollendum scandalum per talem duritiem erga pauperes illatum. At non videmus quomodo diceretur etiam existere obligationem dandi summam æquivalentem, cum eleemosyna non debeatur ex justitia. Item notandum, non prohiberi, quod quis debito modo ex superfluis possit ad altiorem statum ascendere; id enim exigit ordo providentiæ, ne negligantur artes, industria præfocetur ac commercii prosperitas deficiat. Ne inde tamen luxus promoveatur damnosus.

tales casos se esté obligado á emplear en favor de los pobres no solo los bienes supérfluos al propio estado, sino aun una parte de los bienes necesarios para conservarlo.»

Q. 4. *Quinam tenentur ad eleemosynam?*

R. Generatim illi possunt et debent eleemosynam tribuere, qui bona possident et eorum administratione potiuntur; nam de propriis illa facienda est, *Dominus odio habet rapinam in holocausto* (1). Hoc valet, licet proximus sit in extremis, quo casu omnia bona sunt communia; nam etiam tunc si potuisses rem tuam elargiri, et alienam dedisti, teneris ad restitutionem; quia præceptum eleemosynæ te obstringebat ad subveniendum de tuis, juxta illud Isaiæ: *frange esurienti panem tuum* (2).

Quid (dices) *de filiis familias, uxoribus ac servis?*—Possunt filii et uxores erogare eleemosynas statui proportionatas, in quibus certe parentum et maritorum consensus rationabiliter adesse præsumitur. Etiam *tutores* possunt facere eleemosynas, quales facere deberent illi, ad quos pertinent bona administrata; cum vices illorum gerant. Hoc tamen non currit de *servis*, quibus nullum competit jus in bona dominorum, si excipiantur modicæ eleemosynæ, quas permittit usus, ac domini præsumptus consensus *(P)*.

§ II.—*De correctione fraterna.*

Q. 1. *Quid est correctio fraterna, et an præcepta?*

R. Correctio fraterna, quæ etiam dicitur *eleemosyna spiritualis*, est *admonitio, qua quis conatur ex charitate alium revocare a peccato*. Differt tam a correctione judiciali, quia hæc fit auctoritate publica atque ad bonum commune; quam etiam a correctione paterna, quia hæc fit auctoritate Superioris ad bonum privatum simul et publicum. Istæ porro competunt particularibus in suos directos: nostra competit omnibus, cum oriatur ex motivo charitatis, quæ omnes obligat. Et sane speciale mandatum correctionis fraternæ probatur:—1 ex jure naturali; quia lex naturæ est, quæ nos obligat ad subveniendum proximo indigenti; —2 ex jure divino positivo, quod legitur in Evangelio: *si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* (3): dicitur *in te*, id est *contra te:* ubi sub injuriis nobis illatis, etiam peccata in alios intelliguntur; alios enim habere debemus sicut nos ipsos. Christus tamen meminit solius peccati contra nos, ut vindictam frænaret, illique charitatem surrogaret ex eaque correptionem, quasi diceret: si frater tuus quidpiam contra te commisit, noli id ex spiritu iræ publicare et vindicare; sed prius amanter et secrete eum corripe, juxta illud etiam: *corripe proximum antequam commineris* (4). Dicitur, *frater tuus*, id est omnis fidelis aut Christianus; licet enim etiam quandoque infideles corrigendi sint, cum hoc unicuique mandatum sit; Christus tamen hic meminit tantum fideles; cum in eo

(1) Is. 58. (2) Is. 58. (3) Matth. 18.

(4) *Eccli* 10. Quæ obligatio (ut contra Sa et alios merito probabilius tenent Lessius, Suarez, Salmant., Tournely, etc.) urget, etiamsi in fratre non emendato absit periculum relapsus; quia frater in peccato constitutus jam gravem patitur necessitatem, a qua quisque tenetur, si potest, illum erigere. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 39.

loco agat de potestate suæ Ecclesiæ in discolos puniendo; at Ecclesia nonnisi fideles subditos judicat et punit;—3 ex ipso humano jure, ubi legitur (1): *qui alios, cum potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumque fieri, quamdiu speretur fructus.

Q. 2. *Quænam est materia correctionis fraternæ?*

R. Omnis culpa mortalis est materia correctionis fraternæ, cum sit malum proximi gravissimum: ideo tunc correctio sub mortali facienda est, si fieri possit sine gravi incommodo, et cum spe fructus. Imo etiam culpa venialis potest esse materia correctionis fraternæ; cum et ipsa sit verum animæ malum, et quidem grave in se, licet non relate ad peccatum mortale; sed tunc obligatio non urget, nisi facillime possis corrigere (2): et obligat solum sub levi, nisi ex omissione correctionis prudenter timeatur malum grave, v. g. si ex eo, quod communitatis Superior omittat corrigere leves alumnorum culpas, timeatur disciplinæ relaxatio cum gravi communitatis detrimento.

Quid (dices) *de peccatis ignorantiæ? suntne corrigenda?*—Si ignorantia est vincibilis, graviter culpabilis, et speretur fructus, utique urget præceptum correctionis; cum proximus sit in culpa. Si vero ignorantia est invincibilis, adhuc correctio fieri debet, sive speretur fructus sive non, si hæc ignorantia sit circa ea quæ sint necessaria necessitate medii, vel sint publici scandali, ne scilicet alii putent id licere quod in talibus non corrigitur. Si tandem invincibilis ignorantia sit circa alia, omittenda, si fructus desperetur ac inde majora timeantur mala; facienda autem est, si fructus speretur, nec tantum a superiore, sed etiam a quolibet privato, quia unicuique mandatum est de proximo suo: neque tantum si ignorantia sit contra jus naturale atque divinum, sed probabilius et communius etiamsi sit contra legem humanam; sic enim exigit reverentia legis, cujus transgressio licet materialis est semper quædam inordinatio et inconveniens (3). Hinc si videris comedentem carnes die veneris, ignorantia invincibili, teneris monere, si fructum speras. Cæterum si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet, se non ita stricte obligatum vel minus idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter.

Q. 3. *Quosnam obligat præceptum correctionis fraternæ?*

R. Præceptum correctionis fraternæ obligat omnes; omnes enim homines commembra sunt, et *Deus mandavit illis unicuique de proximo suo* (4). Ergo

(1) C. *qui alios de hær.* — Quantæ sit utilitatis correctio iis maxime, qui ad Ecclesiasticum ministerium proludunt, quove utili modo mutuam hanc ipsi operam insumere debeant, eleganter exponit Opus, *Il Seminarista diretto nell'adempimento de'suoi doveri dalla Congregazione dell'Arcangelo S. Raffaele*, operetta di Nicolò Barabino.

(2) In praxi, excepto casu, quo venialia ob eorum repetitionem inferant grave scandalum vel periculum gravis peccati, satius est, ut corrigantur a superioribus; nam venialia peccata nimis sunt frequentia, et ideo nullus foret correctioni finis, si essent corrigenda, reddereturque correctio nimis molesta, cum periculo pacem et concordiam turbandi. «El pecado venial no es materia necesaria de la correccion fraterna á menos que sea una ocasion próxima para el pecado mortal, ó que tienda á introducir la relajacion de la disciplina en una comunidad religiosa, en un monasterio ó Seminario.» Gousset. (3) V. *De Pœnitentia*, ubi *de Confessarii prudentia.* (4) Eccli 17.

tenentur etiam peccatores; nam correctio vim suam primario repetit ex vi ipsius monitionis. Etiam inferiores, qui tamen non nisi obsecrando corrigant, juxta illud: *seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (1). Audiatur Angelicus: *correctio fraterna quæ est actus charitatis pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur; sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia corrigatur.* (2). Neque ideo corripens fit auctoritate superior, quia non corrigit ex auctoritate, sed ex charitate, charitas autem omnes amplectitur. Hoc tamen præceptum strictius obligat Superiores, cum isti teneantur subditorum bonum curare ex ipso proprio officio, vel ex stipendio quod exigunt: tales sunt qui curam gerunt aliorum in communitate, vel familia. Et ideo ipsi inquirere debent in vitam et mores subditorum suorum, ut eos corrigant, si delinquentes invenerint.

Q. 4. *Quandonam obligat et cessat obligare præceptum correctionis?*

R. Ad 1: Correctio non semper statim fieri debet, sed tempore opportuno, uti cum censetur profutura magis: *actus virtutis,* ait Angelicus, *non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat ubi debet, quando debet, et secundum quod debet* (3). Hinc dicunt: aliquando permitti potest reiteratio culpæ, ut delinquens ferventius resipiscat.

R. Ad 2: Cessat generatim obligare præceptum correctionis fraternæ:

1. Si certo non constet de peccato fratris nostri, vel de proximo peccandi periculo; ne scilicet temere agamus, et proximo injuriam irrogemus, eum judicando sine certo fundamento criminosum: *charitas non cogitat malum* (4); ad solum autem superiorem pertinet inquirere in subditorum defectus. Excipe, nisi suspicio sit de damno gravissimo, ut homicidio; tunc omni modo curandum, ut si quod est periculum, avertatur omnino.

2. Si non adsit spes probabilis emendationis et fructus; desperato fine, cessant et media ad finem. Hinc illud (5): *noli arguere derisorem* (6). Hinc etiam

(1) I Tim. 5. — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. II, nn. 27 et 40.

(2) 2, 2, q. 33, a. 2. (3) 2, 2, q. 33, a. 4.

(4) 1 Cor. 13.—Melius tunc erit corripere in communi; vel corrigere his, vel similibus verbis: *si forte, quod non credo, talem culpam commiseris, scias grave damnum inde obvenire communitati, tertiæ personæ, et etiam tibi ipsi: unde rogo, ut tibi consulas, et damnum velis avertere.*

(5) Prov. 9.

(6) Hæc pro praxi cum Gury et aliis: — 1 correctio fraterna cum vera charitate etiam quoad modum facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter æquales et reverentialis erga superiores; — 2 privati inter se raro ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se conjuncti, quia raro omnes requisitæ conditiones reperiuntur, rarius adhuc erga superiores propter ineptitudinem; — 3 plerumque suadet prudentia ut omittatur correctio erga eos, quorum ingenium est penitus ignotum; ne pejores fiant; — 4 scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda: quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati necessaria discretione ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent; — 5 tenentur ex officio superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata, non tamen multum de aliquo in particulari, absque dubio positivo, aut ratione speciali; sed non facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem

generatim requiritur, ut corrector sit immunis a peccato corrigendo; secus correctio derideretur.

3. Si sit alius æque vel magis idoneus, qui certo correcturus existimetur; nam tunc non adest vera et absoluta necessitas.

4. Si constet, delinquentem se jam emendasse; quia secus fieret inutiliter correctio. Item est, si prævideatur illum brevi emendatum iri, etiamsi non corrigatur; cum enim ægre feratur a multis correctio, nonnisi in necessitate ipsa tentanda videtur.

5. Si correctio fieri nequeat sine incommodo gravi, ut si ideo timeatur grave damnum in bonis, etc.; nam cum gravi incommodo, charitas non obligat. Excipe nisi quis, vel ratione officii teneatur corrigere, vel nisi proximus sit in extrema, et involuntaria necessitate spirituali; ordo enim charitatis vult, ut spirituale alterius bonum nostro temporali bono præferatur.

Quid (dices) *si dubitetur, an correctio sit profutura?* — Vel dubitamus, an sit profutura correctio; et simul certi sumus, eam non esse nocituram: vel dubitamus non tantum, an sit profutura; sed etiam, an sit proximo nocitura. Si 1, tenemur corrigere; quia sicut in morbo corporali, ita et in spirituali adhiberi debet remedium, quod certi sumus nociturum non esse, ubi nullum aliud tutius habemus. Si 2, correctionem debemus omittere; quia correctio ordinatur ad emendationem, et ideo fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi, et ejus emendatio. Excipe nisi alioquin proximus moriturus sit in mortali, si nempe non corrigatur; tunc tentandum, si forte possit eripi a periculo damnationis.

Q. 5. *Quisnam ordo servandus est in correctione fraterna?*

R. Ille ordo generatim servandus est quem Christus præscripsit, nempe ut fiat privatim: *corripe eum inter te, et ipsum solum;* ut si privatim non prosit, fiat coram testibus: *adhibe duos vel tres testes;* quod si adhuc effectus non obtineatur, peccator denuntietur Ecclesiæ, id est deferatur ad Superiorem: *dic Ecclesiæ* (1). Hic ordo obligat sub gravi; cum agatur de proximi famæ consulendo; neque ab eo potest liberare Superior, quia in lege charitatis fundatur.

Diximus *generatim*; nam ab hoc ordine excipitur: 1 Si magis præstet prudenti Superiori, quam aliis crimen innotescere; magis enim obtineretur finis principalis: *et tunc,* ait Angelicus, *non dicit Ecclesiæ, quia non ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi et emendationem* (2); 2 si crimen sit publicum: tunc ex Angelico, *non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat; sed etiam aliis in quorum*

statim illis præbere, quia sæpe isti specie boni communis seipsos quærunt; — 6 in communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc., caute atque industrie procedendum in hac re, ad evitandas divisiones, aversiones, discordias. Et si agatur de maxima re (prius a Confessario habito consilio, et juxta quod supra dictum est, agendo de *detractione,* ubi de occulto crimine revelando) plerumque expedit ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem; nec possunt absolvi sodales aut convictores denuntiare nolentes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de jure naturali denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis Sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi sunt. Ita communiter.

(1) Matth. 18. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, nn. 41 et seqq.; et l. IV, n. 242.

(2) Quodl. 11, a. 3.

notitiam (crimen) *devenit, ut non scandalizentur* (1). Huc facit illud Apostoli: *peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant* (2); 3 si vergat in damnum communitatis, neque certa sit spes damnum illud impeditum iri per correctionem privatam. Vel si grave damnum esset proximo obventurum ex omissione relationis ad Superiorem; nam bonum commune et innocentis bono privati et voluntarie delinquentis præferendum est; 4 si proximus cessit juri suo, ut privatim admoneatur, ut in more est penes quosdam Regulares: *in arbitrio uniuscujusque est,* ait idem D. Thomas, *pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in damnum aliorum.*

Ex his deducitur, peccare tum qui subditi alicujus crimen jam perfecte emendatum referunt ad Superiorem, ubi non adsit relabendi periculum; tum qui sine causa violant ordinem Charitatis a Christo præscriptum. Imo et illi peccare videntur, qui ad mediatos Superiores crimen deferunt, prætermisso immediato, qui posset per se corrigere; nam quoad potest, famæ proximi est consulendum.

CAPUT SECUNDUM

DE ORDINE IN CHARITATE SERVANDO, ET VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

Q. 1. *An ordo in charitate servandus sit?*

R. Ordinem esse in charitate servandum indicant illa verba: *ordinavit in me charitatem* (3). Idque docent unanimiter; cum enim objecta, quæ charitas complectitur, non sint æqualia inter se, non esset recta charitas, nisi ordinem in iis servaret. Unde Augustinus: *ille autem juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est; ipse autem, qui ordinatam dilectionem habet* (4). Hic autem ordo totus in eo situs est, ut unicuique objecto diligibili suum convenientem locum elargiamur: ideo, etsi large, quodam tamen modo participat de virtute justitiæ, cujus officium est *neminem lædere et jus suum cuique tribuere.*

Duplex autem est ordo charitatis: unus bonorum, alter personarum: sive unus in bonis; alter vero in personis servandus. Ipse autem ordo personarum est triplex: primus inter Deum et nos; secundus inter nos et proximos; tertius inter proximos ipsos.

Q. 2. *Quisnam ordo charitatis servandus est in bonis?*

R. Talis ordo charitatis in bonis servandus est, ut: 1^m^ locum teneant bona spiritualia sive supernaturalia, nempe gloria et beatitudo æterna, gratia, virtutes et merita; in istorum enim comparatione totus mundus est nihil, juxta illud: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (5)? 2^m^ locum teneant bona naturalia et bona corporis, uti vita, integritas membrorum et sanitas; in his enim ipsa naturalis vita fundatur 3^m^ vero locum bona externa, uti honor, fama et divitiæ, unde maxime pendet vita nostra civilis. Item bonum commune

(1) 2, 2, q. 33, a. 7.
(2) Tim. 5.
(3) *Cant.* 1 — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, nn. 25 et seqq.
(4) De *char.* l. I, c. 27.
(5) Matth. 16.

præferendum est bono privato, quia bonum commune est bonum totius et bonum privatum est bonum partis; atqui totum est sua parte majus.

Q. 3. *Quis ordo charitatis servandus est inter Deum et nos?*

R. Ordo servandus inter Deum et nos hoc uno canone continetur, ut nempe Deum magis diligamus, quam nos ipsos et proximum. Ratio manifesta est; nam Deus est primum principium et finis ultimus rerum omnium, ac nullum bonum perfectius et præstantius potest excogitari. Unde venit: 1 *Deus,* ut principium beatitudinis; 2 *nos,* qui directe participamus; 3 *proximus*, uti socius.

Q. 4. *Quis ordo charitatis servandus est inter nos et proximos?*

R. Ut bene percipiatur ordo charitatis servandus inter nos et proximos nostros, triplex comparatio instituenda est. *Prima* inter animam nostram et animam proximi. *Secunda* inter vitam nostram et vitam proximi. *Tertia* inter vitam nostram et animam proximi (1).

Quoad primam comparationem, tenemur magis diligere animam nostram, quam animam proximi; nam amor nostri est regula amoris proximi; ergo prior, ac potior est amor nostri. Ut enim ait Sotus, et post ipsum omnes: *mensura perfectior est mensurato;* unde natum est vulgare axioma: *charitas bene ordinata incipit a se ipso.* Ideoque numquam licebit peccare nec graviter nec leviter, imo neque se directo peccandi periculo exponere ad consulendum fratrum nostrorum saluti spirituali. Hinc sub n. 63 damnata est ab Innocentio XI hæc propositio: *licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.*

Quoad secundam comparationem, tenemur regulariter vitam nostram præferre vitæ proximi: *aliter non est jam diligere proximum sicut seipsum,* ait Augustinus, *sed plus quam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit* (2). Diximus *regulariter;* nam privatus tenetur vitam exponere certo periculo pro Republica, vel pro servanda vita personæ bono publico necessariæ.

Quoad tertiam comparationem, triplex distinguenda est proximi necessitas: *communis,* a qua potest quis se liberare absque magna difficultate; *gravis,* in qua grave quis subit salutis periculum et ab ea liberare se nequit sine gravi difficultate; *extrema*, a qua nullimode quis potest se liberare, sed nisi spiritualiter adjuvetur, æternum est periturus. Hoc posito, dicimus:— 1 nemo tenetur proximo succurrere in communi necessitate spirituali cum gravi suo damno temporali (cum levi damno juxta plures tenetur): quia tunc proximus potest facile liberari a se ipso;—2 sunt qui docent, proximo in gravi

(1) Quarta comparatio esse potest, scilicet inter bona nostra, et vitam proximi vel ejus bona. Sed quoad hæc vide ubi de *eleemosyna:* item in Tract. de *Restitutione*, de possessore bonæ fidei, de causis a restitutione excusantibus ac de furto.

(2) *De mend.* c. 6. Utrum vero liceat privato vitam suam exponere pro salute alterius privati ex motivo virtutis christianæ, v. g. quia iste aptior est ad promovendam gloriam Dei, alii negant, quia tunc charitas non esset bene ordinata, et adhuc esset proximum diligere plusquam se ipsum. At affirmant communius cum Joanne Chrysostomo, qui etiam de vita corporali intelligit ea Scripturæ verba: *majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Jo. 15); tunc non præfertur præcise vita proximi, sed bonum virtutis vitæ propriæ, ut ait Angelicus in 3, dis. 29, a. 5.

necessitate spirituali constituto teneri quemcumque succurrere cum tali vitæ nostræ damno; nam anima proximi secundum rectam rationem magis æstimabilis est, quam corpus nostrum. Sed alii negant; quia ut ait Angelicus, *non imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in casu necessitatis* (1) at quando alter absolute potest a periculo se subtrahere, non videtur charitas nos obligare ad illi subveniendum cum tanto incommodo; cum tunc proximus noster dici vere non possit esse in casu necessitatis. Attamen excipiunt et dicunt utique teneri etiam cum periculo vitæ, si quis ad id obligetur vel ratione officii, uti sunt animarum pastores; vel ratione delicti, uti esset si quis hæresim docuisset; vel si necessitas illa gravis sit publica, quia necessitas gravis publica solet semper esse conjuncta cum extrema aliquorum privatorum (2); — 3 certum est, quemcumque teneri etiam cum vitæ damno succurrere proximo in necessitate spirituali extrema. De hoc casu SS. Patres intelligunt illa verba: *quoniam ille* (Christus) *animam suam* (nempe vitam suam) *pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere,* nempe vitam nostram temporalem (3). Sed excipe 1: si vita illius, qui eam deberet ponere pro fratre, sit necessaria bono communi; commune enim bonum præferendum est privatorum vitæ; 2 si non adsit spes, quod talis vitæ jactus possit juvare; quia tunc inutiliter poneretur.

Q. 5. *Quis ordo charitatis servandus est inter proximos ipsos?*

R. Vel comparatio instituitur inter extraneos et extraneos; vel inter extraneos et consanguineos; vel inter consanguineos ipsos.

Si 1, præferendi sunt qui magis ad Deum accedunt, utpote præcipuum charitatis objectum. Possunt autem esse Deo viciniores tum in ordine gratiæ: sic B. Virgo præferenda est cæteris Sanctis. Tum in ordine naturæ: sic Angeli sunt præferendi hominibus. Tum in ordine superioritatis: sic superiores præferendi sunt omnibus privatis et sibi invicem juxta gradum suum (4).

Si 2, *in pari necessitate,* debemus extraneis præferre consanguineos, aut alia ratione conjunctos; quia, dicente Angelico, *charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit* (5).—Diximus *in pari necessitate;* nam cum obligatio charitatis non sit, nisi ratione necessitatis, patet illam magis obligare, ubi major adest necessitas.

Si 3, semper præferendi sunt conjunctiores secundum varios eorum gra-

(1) 2, 2, q. 26, a. 5.

(2) Hinc si quis hæresim alicubi spargat, teneris cum periculo vitæ impedire si possis et nemo alius impediat. Item si in persecutione vel hostili incursione plebs aliqua careret Sacerdote, et aliunde esset exposita gravibus periculis peccandi, teneris cum periculo vitæ illi opitulari. *Antoine.*

(3) I. *Jo.* 3. Hinc tu teneris infantem moriturum baptizare etiam cum vitæ damno, si alius non adsit, qui hoc faciat. Item si scias aliquem existentem in mortali interficiendum in somno vel nil cogitantem, teneris cum vitæ periculo illi subvenire, modo prudenter judices, te illi profuturum. *Antoine.* Excipiunt si tali vitæ periculo se exponens, sit in culpa mortali, et dubitet de contritione; sed id non videtur probabile; nam qui voluntarie subit mortem ad alterum liberandum a damnatione æterna, præstat actum charitatis perfectissimæ, quæ cum affectu ad peccatum ullo modo consistere nequit.

(4) Hic autem notandum, quod amore complacentiæ sunt quidem præferendi sanctiores, sed amore effectivo præferri debent qui sunt in majori necessitate, ut patet.

(5) In 3, dist. 29, a. 7.

dus, habita ratione necessitatis et bonorum, quæ debita sunt tali conjunctioni et in quibus ea fundatur. Hinc *in necessitate gravi:* 1 est præferenda uxor; quia est una caro cum viro et liberorum principium; 2 filii, qui sunt conjunctiores, cum de substantia parentum procedant; 3 parentes, qui post dictos ad vitæ societatem et Reipublicæ augmentum concurrunt; 4 fratres, sorores, propinqui, domestici, concives, commilitones.—Diximus *in necessitate gravi;* nam si necessitas sit extrema, non bonum familiarum, sed vitæ attendendum est, ut probabilius docent cum Tournely. Unde tunc omnibus sunt præferendi parentes propter principii eminentiam et quidem pater præferendus est matri, utpote principium nobilius; dein conjux, filii, etc. (1)

Q. 6. *Quænam vitia charitati opponuntur?*

R. Omnia peccata mortalia oponuntur charitati Theologicæ, quippe quæ ejusdem habitum in anima prorsus extinguunt; sed specialiter et directe pugnant adversus eam ex D. Thoma (2): *odium* Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni; *invidia*, quæ opponitur gaudio de bono proximi; *discordia*, quæ opponitur effectui charitatis, qui est pax; *contentio*, quæ opponitur paci quantum ad locutionem; *schisma*, *bellum*, *rixa* et *seditio*, quæ opponuntur paci quatum ad opus; et demum *scandalum*, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. (De invidia et bello jam dictum est.)

Q. 7. *Quid de odio, discordia et contentione?*

R. Ad 1: Odium generatim sumptum *est actus mentis objectum aliquod aversantis.* Duplex est: aliud *abominationis,* quo aversamur aliquem ex displicentia ejus qualitatum, quia sunt malæ aut noxiæ aut ingratæ vel in se vel nobis vel aliis; aliud *inimicitiæ,* quo aversamur aliquem ex displicentia ipsius, eique malum volumus, ut illi malum est Hac de re dicimus: 1 odium Dei sive inimicitiæ sive abominationis est semper gravissimum pectatum: *est pessimum peccatum hominis; inter alia peccata gravius, gravissimum peccatum* (3); 2 odium proximi, si sit abominationis, erit culpabile casu quo sine causa concipiatur, puta si cui displiceat quod cooërceantur mali ne aliis noceant; erit vero laudabile si procedat ex amore rectitudinis, juxta illud: *abominantur justi virum impium* (4): cavendum tamen ne odium de qualitate, evadat odium de persona; 3 si odium proximi sit inimicitiæ erit mortale ex genere suo; cum directe contrarietur charitati et suscitet rixas. Hinc illud, *omnis, qui odit fratrem suum homicida est; odium suscitat rixas* (5). Potest tamen fieri veniale non tantum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiæ: imo odium abominationis raro est mortale, quia non ita directe ac vivide per illud vulneratur charitas (6). — Hac de re

(1) V. Angelicus, 2, 2, q. 26, a. 9. (2) 2, 2, q. 34 et seqq.

(3) 2, 2, q. 34, a. 1. (4) Prov. 29.

(5) 1 Jo. 3; Prov. 10 *V.* etiam t. 1 *de invidia.* Triplex porro est homicidium: primum corporis quod tollit vitam corporalem; secundum famæ, quod tollit vitam civilem; tertium odii, quod tolli vitam affectus, seu amoris.

(6) Hæc dicta sint de odio morali ac religioso; non autem de *odio politico,* ut vocant, quod utique legitimum est, si vera adsit causa: hoc enim odium non est aversatio personæ, sed proprii juris vindicatio. Et licet in Christo Jesu nulla sit distinctio inter civem et extraneum, civilem et barbarum; hoc tamen non prohibet, quominus una natio alteri nationi pacem deneget, bellum intentet, illamque armis vexet, quousque sua læsa jura vindicet: en odium politicum.

declaranda est in Confessione tum qualitas personæ, quæ odio habita est, si hæc speciem mutet, ut si pater; tum numerus personarum, quia tot malitiæ quot personæ, tum natura mali optati, an sit mutilatio, mors, infernus; nam mali optatio sumit speciem ab ipso damno intento: excipe satis probabiliter, si diversa mala apprehendantur sub uno genere mali, nempe ut media ruinæ inimici; tunc enim sufficit dicere: *exoptavi grave malum proximo.*

R. Ad 2: *Discordia* (ut opponitur charitati) *est dissensio voluntatis circa bonum Dei et proximi, in quo tenemur ex charitate consentire.* Est peccatum ex genere suo mortale, quia opponitur charitati: hinc Deus detestatur *eum, qui seminat inter fratres discordias* (1). Quod si tenemur consentire, sed non ex charitate, et dissentimus, tunc dissensio nostra erit contra aliam virtutem: sic dissentire a voluntate superioris præcipientis, est inobedientia; dissentire a voluntate creditoris exigentis debitum, est injustitia.

R. Ad 3: *Contentio est pugna verborum:* est sua natura mortalis; si serio fiat in re gravi ac necessaria; cum sit contra charitatem. Apostolus illam numerat inter opera, quæ a Regno Dei excludunt (2).

Q. 8. *Quid de schismate?*

R. Schisma græca vox est, quæ scissionem significat et definitur: *voluntaria separatio ab unitate Ecclesiæ.* Ait autem Angelicus: *Ecclesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput...; et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant* (3). Proprie loquendo schisma differt ab hæresi; nam, ut ait Augustinus, *hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum* (4). Est ergo gravissimum malum. Licet autem schisma ab hæresi discrepet, ordinarie tamen vel ab ea gignitur, vel eam gignit.

Pœnæ in schisma *purum* sunt: 1 excommunicatio ipso facto: in principales est reservata; 2 privatio jurisdictionis; 3 privatio et inhabilitas ad Beneficia. Si vero schisma sit cum *hæresi*, pœnæ sunt illæ, quæ jam in hæreticos habentur constitutæ (5) *(Q).*

Q. 9. *Quid de rixa, seditione et scandalo?*

R. *Rixa est contradictio in factis:* est bellum quoddam privatum, in quo rixantes ex ira se percutere nituntur. In aggressore habetur peccatum ex genere suo mortale, quia charitati essentialiter opponitur: et ab Apostolo inter ea, quæ a cœlo excludunt, illud enumeratur (6). — *Seditio* vero *est tu-*

(1) Prov. 6.

(2) Galat. 5.— *De discordia* et *contentione* vid. de *superbia*, t. 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 30; l. V, n. 50. (3) 2, 2, q. 39, a. 1. (4) *De fid. et sym.* c. 10.

(5) Constit. *Apostolatus* Pauli IV: Bulla *Cœnæ:* Can. *Novatianus* 6, c. 7, q. 1; et cap. 5 *de elect.* Tria autem fuere schismata principaliora, quorum Ecclesiastica meminit historia. *Primum* Græcorum sæculo IX a Photio excitatum. *Secundum* Occidentis sæculo XIV ortum per incertitudinem veri Pontificis. *Tertium* Anglicanum sæculo XVI opera Henrici VIII.— *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. Scisma. (6) Gal. 5.

multuosa aggressio unius partis Reipublicæ contra aliam, vel principem. Est autem seditio et speciale et grave peccatum ; quia opponitur speciali ac gravi bono, nempe paci ac bono publico.—*Scandalum* tandem, græcum nomen, quod latine significat *offendiculum*, ab Angelico definitur : *dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis* (1). Vocabulo *dicti* vel *facti* venit etiam omissio, quia *affirmatio et negatio ad idem genus referuntur ;* verbo autem *minus rectum* intelligitur quod vel in se malum est, ut si loquaris turpia cum adolescente : vel mali speciem habet, ut si v. g. justa de causa, sed coram eam ignorantibus, carnes comedas die vetito.

Scandalum est duplex : *activum* et est mox definitum ; *passivum* et est ipsa ruina spiritualis seu peccatum, in quod occasione illius dicti vel facti minus recti proximus labitur.

ARTICULUS I.—De scandalo activo.

Q. 1. *Quotuplex est scandalum activum ?*

R. Scandalum activum aliud est directum, aliud vero indirectum.

Directum est quando quis dicto suo vel facto minus recto spiritualem alterius ruinam intendit, sive intendat formaliter et per se, quod etiam vocant scandalum *diabolicum*, ut si male habeat quod talis sit in gratia et ideo eum sollicitet, ut illam amittat ; sive materialiter et per accidens, cum nempe primario non quæritur nisi delectatio, vel utilitas a peccato sperata, ut si volens suæ malæ cupidini satisfacere, alium ad fornicandum inducat.

Indirectum est, quando quis non intendens ruinam proximi, aliquid dicit, vel facit in proprium commodum, quod est alteri occasio peccati : id est quando nonnisi indirecte et interpretative causatur alterius peccatum, quatenus nempe prævidetur, vel prævideri potest ac debet ex illa actione scandalum in proximo secuturum ; ut si die vetito carnes comedas coram aliis, non dicendo quod habeas veniam, vel si domi tuæ alas mulierem populo suspectam, esto absit in te peccandi periculum (2). Ubi notandum, ad peccatum scandali non necessario requiri, ut de facto scandalum passivum sequatur : sed satis est, quod occasio data sit, ex qua natura sua sequi posse probabiliter existimemus ; nam tunc quod non sequatur, per dantem non stat. Hoc autem colligitur non tantum ex circumstantiis personæ accipientis, sed etiam scandalum dantis. Quo senso accipitur illud D. Bernardi : *nugæ nugæ sunt in ore sæcularium, in ore Sacerdotum blasphemiæ ;* eo quod ab istis plus, quam ab aliis requirant fideles, nempe ratione excellentiæ status.

Scandalum activum etiam indirectum est ex suo genere mortale ; cum charitatem lædat. Hinc Christus ait : *væ homini illi, per quem scandalum venit* (3) : «se deben (audiatur Gousset) mirar como culpables de grande escán-

(1) 2, 2, q. 43, a. 1.

(2) Non est semper scandalum quando peccas coram aliis, sed quando attentis circumstantiis tam personæ agentis quam eorum, coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. Hinc blasphemia prolata coram viris religiosis et piis non habet rationem scandali, sed horroris et abominationis. Item non est scandalum peccare coram vilibus et infamibus, qui jam aliunde sunt peccaturi : ut si quis fornicetur coram aliis, qui jam sunt parati idem facere, nec ejus exemplo moveantur. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 43.

(3) Matth. 18.

dalo: 1 los que tienen la costumbre de blasfemar ; 2 aquellos que publican obras contrarias á la Religion, á la fe católica ó á las costumbres; 3 los que venden ó dan á leer estas obras á toda clase de personas; 4 los que componen, esparcen ó cantan canciones deshonestas ; 5 los que escriben, recitan ó aprueban composiciones teatrales ó comedias, en las cuales no se respeta las prácticas de Religion, ni la santidad del matrimonio, ni la virtud; 6 los artistas, pintores y escultores, cuyas obras ofenden las leyes del decoro y de la modestia; 7 las modistas que esponen al público ciertos figurines, en los cuales no se puede fijar la vista» (quibus nempe repræsentantur mulieres immoderate nudatis uberibus); 8 palam festo die laborantes, nulla interveniente necessitate ac licentia, etc. (1).

Q. 2. *An scandalum sit peccatum contra charitatem et simul contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad peccandum?*

R. «Tres adsunt sententiæ (audiatur Alphonsus noster) (2). *Prima* dicit quod, cum directe intenditur ruina spiritualis proximi (quod proprie est scandalum dæmoniacum) tunc peccatur etiam contra charitatem. Alias tantummodo peccatur adversus illam virtutem, quæ læditur a proximo in scandalum inducto. *Secunda* ait, quod, quando peccatur cum scandalo directo, id est cum inducitur positive proximus ad peccandum, tunc peccatur tum contra charitatem, tum contra virtutem. Sed si peccetur tantum scandalo indirecto, prævidendo tantum proximi peccatum, quin ad peccatum inducatur, peccatur tantum contra charitatem. *Tertia* sententia, quam nos tuemur cum Suaresio, Soto, Lugo, Salmanticensibus, Roncaglia, Tamburini et aliis, quamque expresse tenet S. Thomas, (3) dicit quod tam scandalo directo, quam indirecto peccatur et contra charitatem et etiam contra aliam virtutem. Contra charitatem quidem, quia si nos ex charitate tenemur, cum possimus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. Contra virtutem vero, quia quælibet virtus cuivis prohibet, ne sit (sive directe sive indirecte) causa, aut occasio aliis eam lædendi.»

An (quæres) *sit peccatum scandali petere aliquid ab eo, qui illud quidem daturus est, sed nonnisi cum peccato?*—Vel res quæ petitur, est mala ex se, et fieri non potest sine peccato, v. g. si quæratur ab aliqua persona actus impudicitiæ. Vel res illa non est ex se mala, et præstari potest etiam sine peccato, v. g. si quæratur mutuum ab usurario.

(1) Potest tamen scandalum esse veniale vel ratione parvitatis materiæ, ut si quis nonnisi ad peccandum venialiter excitetur, vel defectu advertentiæ, vel quia levis est influxus in grave alterius peccatum. (2) *Homo Apost.* tr. IV, n. 25; et *Opus Mor.* l. II, n. 45.

(3) 2, 2, q. 43, a. 3. — Hinc qui alium ad peccandum induxit sive directe sive indirecte, declarare debet in Confessione non solum peccatum scandali, quo charitatem læsit; sed etiam genus peccati, ad quod proximum induxit, vel induci ipse potuit illo exemplo, an nempe sit contra castitatem, vel religionem, vel justitiam: puta si quis suo exemplo, alios induxit ad furandum: eo tamen in casu non teneretur restituere, quia non esset causa influxiva, sed simplex occasio damni. — Item numerum eorum, quibus scandalum datum est; quia quot sunt personæ, tot sunt jura læsa. — Item conditionem eorum, qui fuerunt scandalizati, si eorum qualitas addat novam speciem, ut si sint tui parochiani, famuli, vel filii; quia tunc adest etiam peccatum contra proprium officium in scandalum dante.

Si 1, etiamsi multi graves Doctores dicant non esse peccatum scandali ; attamen nos non auderemus recedere a sententia contraria, quam tenent Bonacina, Cajetanus, Filliucius, Navarrus, Sanchez, Sporer aliique, docentes non posse rem illam peti aut suaderi sine scandalo, etiamsi persona a qua petitur, jam parata sit ad peccandum. Quamvis enim ipsa jam sit in actuali voluntate peccandi, certe infert sibi majorem ruinam spiritualem, opere complendo rem illam intrinsece malam, quæ ab ea expostulatur: ideo qui ab alia persona petit actum impudicitiæ, ad quem jam est parata, peccabit non solum contra castitatem, sed etiam contra charitatem; quia nullo modo nullaque ratione potest illi cooperari (1).

Si 2, quando adest justa causa petendi, petens excusatur ; quia id non est cooperari malæ alterius actioni, cum neque in se ipsa neque petenti ea sit mala; sed potius est illam permittere, idque, justa extante causa, fas est, ut docent communiter cum D. Thoma (2). Si tamen justa non adest causa, petens nobis videtur peccare non solum contra virtutem tali peccato contrariam, sed etiam contra charitatem ; ipse enim hoc in casu non vitat proximi culpam gravem, ideoque grave ejusdem damnum, quemadmodum ex charitate obligatur, quoties potest sino suo incommodo.

Q. 3. *Quid de mulieribus, quæ vel utuntur veste virili, vel ornatu vano aut nimis exculto vel corporis nuditatibus?*

R. Ad 1: Quod mulier utatur veste virili (aut e converso) est vitiosum; tum quia cultus debet competere conditioni personæ; tum maxime quia hoc potest esse causa lasciviæ, vel alterius scandali: quo sensu mortale est. Hinc illud: *non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea ; abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc* (3). Secluso tamen illo periculo erit veniale, si nempe ex levitate ; vel etiam nullum peccatum, si ex necessitate fiat (4).

R. Ad 2 : Si mulier vultum fuco pingat aut ornet se secundum decentiam status, et morem patriæ, vel ut placeat viro suo, vel ut inveniat virum, non peccat ; quia ornatus satis cohonestatur a suo fine ; et tunc si alii ruunt, erit potius occasio accepta, quam data (5). Si vero superflue se ornent mulieres, ut

(1) Attamen, ut probabiliter docet Lugo cum aliis, non est opus in his peccatis quæ habent complicem, explicare quisnam fuerit primus ad tentandum ; quia tam inducens quam consentiens in peccato operis semper graviter peccant contra charitatem. Itaque nihil est aliud quam circumstantia aggravans in eadem specie, quæ juxta probabiliorem sententiam cum S. Thoma per se non est de necessitate Confessionis explicanda. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. IV, n. 26.

(2) 2, 2, q. 78, a. 4 (3) *Deut.* 22. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 52; et l. III, n. 425.

(4) S. Thomas, 2, 2, q. 169, a. 2; qui ait in Deuteronomio ideo fuisse specialiter graviterque prohibitum, *quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem.* Dicunt tale præceptum utpote cæremoniale cessasse, ideo magis quia et periculum idololatriæ cessavit.—Cæterum etsi per se non videatur graviter increpandus mos, quo nempe mulieres (idem de viris) larvatæ incedunt cum veste etiam virili ad choreas ducendas (vulgo *bailes de máscara*); non ita tamen res innocens est in praxi: nam præterquam quod de facili tactus habeantur impudici (ad invicem) ad sexus diversitatem dignoscendam, si prudens Confessarius interroget prudenter, dignoscet, eas mortaliter deliquisse non tantum ob malas cogitationes quibus consensum dedere, et inhonesta verba prolata; sed etiam ob id, quod sine scrupulo festa violarint, laborando nempe, ut vestes pro dictis choreis pararent. Quare hæc omnia removenda sunt, ut valeat tolerari.

(5) « Se permiten á las jóvenes mas ornatos, á fin de que puedan desear lícitamente agradar á

provocent ad concupiscendum, peccant mortaliter ; quia hoc est dare incentivum peccati. *Si autem*, ait Angelicus, *ex quadam levitate vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale..... Possent aliquæ a peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.*

R. Ad 3 : Mulieres nudatis brachiis, scapulis et pectore incedentes graviter peccarent, si primæ hunc morem alicubi introducerent; cum sine multorum peccatorum occasione esse nequeat. Peccarent item graviter gravi scandalo, si tam immoderata esset denudatio, ut valde lasciviam provocaret: ubi notandum nihil facessere quædam vela transparentia ad excusandum ; cum hæc non minus, ne dicam fortius passionem acuant. Quod si nuditas tam immoderata non sit, et jam extaret alicubi consuetudo sic incedendi, putamus cum S. Antonino esse exprobrandas, sed non illico damnandas de mortali tales mulieres ; assuefactio enim, uti docet experientia, efficit ut viri ex tali visu minus moveantur ad concupiscentiam, cum minus phantasiam excitet. Non jam quod consuetudo jus constituat contra jus naturale ; sed tantum quia concupiscentiæ vim imminuit.

Verum discrete prudens Confessarius sententia hac utatur, ne indulgeat nimiæ mulierum licentiæ, quæ libidinem involvit ; cum fœminæ piæ et religiosæ hoc modo incedere minime soleant. Et maxime, quia tales mulieres nuditatibus illis quærunt viros pravis sibi amoribus captivare : et principium nostrum est, in periculo peccati formalis, rigidiores opiniones esse tenendas. Neque impudica nuditas mulieri permitti potest in ipsa sua domo ; nam et qui in ea sunt et qui eam ingrediuntur, incentivum peccandi præbet : *oro te*, ait Tertullianus (1), *sive mater, sive soror, sive filia virgo..... vela caput; si mater propter filios ; si soror propter fratres ; si filia propter patrem : omnes in te ætates periclitantur (R).*

ARTICULUS II — De scandalo passivo et cooperatione ad aliorum peccata.

Q. 1. *Quid de scandalo passivo ?*

R. Scandalum passivum duplex est. Aliud *datum*, quod oritur ex scandalo activo ob infirmitatem vel ignorantiam peccantis : et dicitur etiam *pusillorum* seu *infirmorum*. Aliud *acceptum*, quod oritur non ab activo, sed unice ex malitia peccantis: et vocatur etiam *pharisaicum* ex insigni pharisæorum malitia, qui ex sanctissimis Christi dictis et factis occasionem peccandi inique sane sumebant.—Scandalum passivum non est in se speciale peccatum ; neque enim gravius peccare censetur, qui viso alterius furto, et ipse furatur. Attamen generatim tenemur curare, ne quis scandalum hoc patia-

muchos. » Sales, *Filotea*, t. III, c. 25.— « En condenar los ornatos y las modas indecentes un Párroco, un predicador, un confesor, debe poner mucho cuidado de no comprender en sus censuras y reprensiones las modas, que nada tienen de contrario á la modestia, y que solo tienen el inconveniente de la novedad. Es este un escollo del cual no siempre se guardan suficientemente los sacerdotes jóvenes ó poco instruidos. » *Gousset.*

(1) *De viduis veland.* c. 16.

tur: idque lege ipsa charitatis, qua quisque tenetur impedire peccata proximi, si commode potest; hinc per se loquendo non licet petere a concubinario administrationem Sacramenti, ab usurario mutuum, etc.

Q. 2. *An semper teneamur omittere opera nostra, si ex illis proximus sit scandalum passurus?*

R. Opera quæ facere intendimus, alia sunt indifferentia; alia in se bona, sed nulla lege præscripta; alia vero bona in se et insuper vel naturali, vel divina, vel humana lege præcepta. Hoc posito, dicimus:

1. Ad vitandum scandalum sive pusillorum sive pharisaicum opera indifferentia omittenda sunt, si possunt absque gravi incommodo; nam ex charitate tenemur peccatum proximi impedire, quando id possumus absque gravi incommodo. Hinc mulier si sciat aliquem ex ea occasionem sumere peccandi, tenetur si posset commode, ad ejus visum effugiendum, aliam Ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere et similia: hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed una vel altera vice, donec alter advertere possit, se fugi ab illa.

2. Opera per se bona nullamque mali speciem præseferentia, etsi sint puri consilii, regulariter non tenemur omittere nec differre ob scandalum pharisaicum; alioquin *iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent.* Unde cum Apostoli Christo dixissent: *scis, quia pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* respondit Christus: *sinite illos, cæci sunt,* id est nullam habeatis rationem hujus scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante (1). Diximus *regulariter;* nam si non adsit rationabilis causa illa opera statim faciendi, differenda sunt; etenim vera charitas abhorret a peccato etiam ex alterius malitia orituro et Deum offensuro. Item omitti debent, si malum quod timetur, sit longe majus bono, quod obtinebitur ea opera faciendo: sic ex ipso Augustino punitio peccatoris erit omittenda, si inde schisma timeatur (2).—Opera vero ex omni parte bona, sed nulla lege præscripta, si vergant in utilitatem privatam tantum, occultari aut differri aut omitti debent propter scandalum pusillorum, idque una semper lege charitatis. Si tamen actus virtutis non præscriptus notabilem publicam utilitatem respiciat, non est omittendus propter scandalum pusillorum: sic tempore Missionum etiam noctu protrahitur prædicatio, licet aliqui inde offensionem sumant. Item neque omittendus, si notabilis sit utilitas privata, modo tamen semper exponatur ratio sic agendi; quia *si post redditam rationem, scandalum duret, jam videtur ex malitia esse* (3): ideo tunc scandalum fit pharisaicum et contemnendum. Hinc quamvis quis debeat differre ingredi Religionem ob scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speretur; si tamen moniti ipsi pergant resistere, potest recte ingredi.

3. Opera præcepta ob scandalum pharisaicum omitti non debent; quia tunc daretur occasio bona aliorum malitia impediendi. Item neque ob scandalum pusillorum sunt omittenda opera, quæ vel sunt præcepta de necessitate salutis, vel in nullo casu sine peccato omitti queunt; tum quia non

(1) Matth. 15. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 48; et D. Thomas, *In* 4, d. 38, q. 2, a. 4.
(2) L. III *contra Parm.* c. 2.
(3) D. Thomas, 2, 2, q. 43, a. 7. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 50.

sunt facienda mala, ut eveniant bona; tum quia quisque magis se ipsum, quam alium diligere debet in ordine ad salutem æternam (1). Opera vero humana lege præcepta, an ad vitandum scandalum pusillorum sint omittenda, alii negant cum Navarro, Vasquez, etc.; quia leges humanæ non cessant obligare ob aliorum peccata. At probabilius affirmant Antoine, Billuart, Collet, Layman, Suarez, Tournely aliique; quia præceptum de vitando scandalo cum sit naturale, præferendum est præcepto mere positivo. Sic mulier debet *semel et iterum* (2) se abstinere a Sacro, licet de præcepto, si sciat sui se conspectu daturam esse alicui in particulari occasionem, ut scandalum ex infirmitate patiatur.

Sed (quæres) *ad vitandum scandalum eruntne dimittenda, seu non curanda bona temporalia?*—R. Propter scandalum *pharisaicum* non sunt dimittenda bona temporalia; secus occasio malis daretur bona illa rapiendi, si nempe ea ideo nos repetere non possemus: quod etiam noceret bono communi, ut ait Angelicus. Propter scandalum vero *pusillorum* D. Thomas distinguit: si bona sint aliorum, quorum nos sumus administratores, tunc ea dimittere non possumus; cum nostra non sint (3). Quod si bona nostra sint, tunc vel totaliter dimittenda; cum melius sit anima quam divitiæ multæ: vel per instructionem proximi (eum scilicet monendo, quod nobis licet eo in casu nostra bona tueri, atque etiam in judicio prosequi) scandalum tollendum est: et facta monitione de veritate justitiæ, scandalum evadit pharisaicum, de quo nihil amplius curandum. Sunt tamen qui absolute negant bona nostra esse negligenda, si sint magni momenti; quia charitas non obligat cum gravi incommodo. Hinc non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus esse blasphematurum; incommodum enim illud etsi leve in se, sæpius occurrere potest, et ideo fit grave in complexu: imo id ad blasphemandum incitamentum potius esset; cum tales sciant tunc pretium augeri, quando blasphemant, ut scilicet blasphemare desinant.

Q. 3. *An liceat suadere minus malum ad majus vitandum?*

R. Alii absolute negant id licere; nam semper malum est malum consulere. Alii id permittunt, casu tamen, quo aliquo modo minus malum contineatur in majori, ut si suadeatur percussio loco occisionis. Verum sententia probabilior cum Cajetano, Molina, Navarro, Salmanticentibus, Sanchez, Soto, Sylvio aliisque pluribus docet, licitum esse generatim minus malum sua-

(1) Hujusmodi sunt præcepta fidei et sacramentorum, quæ sunt necessaria ad salutem, ut docet D. Thomas. Item omnia præcepta naturalia; et quamvis aliqui dicant aliquando posse omitti præcepta naturalia affirmativa, puta corrigendi peccatores vel puniendi delinquentes, quando majus timetur damnum, quam speretur fructus; tamen melius dicit Palaus tunc verius in iis casibus ipsa præcepta cessare et non obligare.

(2) Diximus *semel* et *iterum*; ajunt enim valde probabiliter, ad id amplius non teneri, nimis enim grave est frequenter ad id obligari, cum scandalum omnino accidat ex alterius malitia. Ex qua ratione Elbel, aliique plures censent, posse quidem illam mulierem semel aut iterum omittere Sacrum; sed non teneri.

(3) 2, 2, q. 43, a. 8. — « Observant tamen graves auctores, S. Antoninus, Paludanus, Cajetanus et alii quoad bona Ecclesiæ, quod si ex eorum defensione ingravesceret scandalum in populo, nec, reddita ratione, sedari posset, Prælatus melius faceret, si consensum Ecclesiæ procuret, ut debitum condonetur, quam si exigat. » *Billuart.*

dere casu, quo proximus noster jam certo sit determinatus ad majus malum perpetrandum; tunc enim qui suadet vel permittit, non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris: sic v. g. homini jam determinato ad occidendum potero suadere, ut potius furetur. Id confirmatur ex Augustino et Angelico. Primus ait: *si facturus est quod non licet, jam faciat adulterium et non faciat homicidium* (1). Secundus habet: *licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur* (2).

Diximus *generatim;* non enim liceret suadere volenti facere malum Titio, ut faciat Sempronio, licet minus; tunc enim suadens esset determinata, directa, sola et tota causa damni illius tertii. Excipe nisi hic alter ex charitate teneatur hoc minus malum pati in se ad damnum alterius gravissimum impediendum.

An (quæres) *liceat occasionem peccandi proximo permittere, seu non auferre?*—Sententia affirmans cum Antoine, Continuatore Tournely et aliis cum D. Thoma (3) videtur satis communis, si adsit causa; permissio enim per se non est inductio: sic potest herus non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos ad furtum novit propensos, ut deprehensi puniantur et resipiscant; tunc rationabiliter permittitur furtum unum, ut evitentur plura. Ita licite custodes agrorum, vinearum, silvarum se abscondunt, ut damnificantes capiant, et puniendo avertant ab aliis damnis. Ita vir uxorem suspectam habens potest ei insidiari, et deprehendere in crimine, ut provideat.

Sed (dices) *anne fas etiam erit hanc occasionem ultro filiis ac servis ponere et objicere*, v. g. *collocare monetam supra tabulam vel supra pavimentum ad probandam eorum fidelitatem?*—Id negant Bonacina, Sa, Sanchez, etc.; quia non esset peccati periculum permittere, sed potius illud directe creare. Attamen satis adhuc probabilis videtur sententia Collet, Elbel, Layman, Navarri, etc. qui affirmant, quando causa existat, dicentes tunc non esse veram inductionem alterius ad peccandum, quod est intrinsece malum; sed meram peccati permissionem factam ex causa, scilicet ut quis se servet indemnem a periculo damni obventuri: supponitur enim, quod non adsint alia media. Quod quidem non est per se malum; alioquin numquam liceret juramentum petere ab infideli, vel mutuum ab usurario, quod tamen est contra commune (4).

Q. 4. *Quid cooperatio, quotuplex et an licita?*

R. Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente: prout autem charitati adversatur, definitur: *participatio quædam ad actionem pravam alterius.*—Cooperatio dividitur in formalem et materialem. Formalis evenit, cum directe cooperatur in actu criminoso, ut est in eo, qui alterum adjuvat ad aliquem injuste jugulandum, ad luxuriandum, etc.: vel cum in-

(1) *Relatus* c. *si quod* 33, q. 2. — Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 57; l. III, n. 565; l. V, n. 77.
(2) 2, 2, q. 78, a. 4.
(3) Suppl. 8 p. q. 62, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, n. 58.
(4) Id confirmari potest exemplo Judith, quæ cum videret permissionem libidinis in Holopherne futuram esse impeditionem malorum complurium pro toto populo Israelitico, ultro objecit ei occasionem, nempe ornatum suum; et tamen in hoc communiter censent ipsam non peccasse.

fluit in pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga latroni aut sicario, ut securius furetur aut occidat; scribere litteras amatorias vice concubinarii amasiæ. Hæ et his similes cooperationes sunt intrinsece malæ, quia ipsis datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur: ideoque nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari possunt a mortali.

Cooperatio vero materialis evenit, cum actio est indifferens, et proximus potest etiam uti sine peccato, sed ille sua malitia ea abutitur ad peccandum, ut esset dare claves iis, qui eis utuntur ad furandum. Hæc cooperatio potest esse licita, si tres concurrunt conditiones: 1 ut actio sit per se bona, vel saltem indifferens; 2 ut non tenearis ex officio peccatum impedire; 3 *ut simul adsit causa justa et proportionata;* nam tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abutitur tuo opere ad peccandum. Itaque tunc non est actio tua, quæ conjungitur pravæ voluntati proximi; verum ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni: unde fit quod actio tua non est causa illius peccati, sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, si habes justam causam eam ponendi; et sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo, item ministrare carnes die vetito, si timeat rixas, blasphemias, vel grave sui damnum ex deviatione emptorum.

Diximus *ubi simul adsit causa justa et proportionata*, quia quanto proximior est tua actio proximi peccato, eo major debet esse causa quæ te excuset. Ad id autem judicandum ante omnia pro regula sit observare sensus Doctorum; quia cum totum hoc ferme pendeat a prudentum æstimatione ac judicio, sententia illa erit probabilior, quæ communior erit. Est autem prudentum judicium; eo graviorem requiri causam ad cooperandum, vel quo gravius est peccatum, cujus occasio datur; vel quo probabilius est, te non cooperante, alterum haud peccaturum; vel quo propius cooperatio peccatum attingit; vel quo minus habes juris ad tale opus; vel maxime quo magis peccatum cum justitia pugnat. Ex his porro generalibus principiis satis colligi potest quid sentiendum sit de cooperatoribus particularibus, ac maxime de famulis, operariis ac mercatoribus. —Sed ad majorem perspicuitatem quæstiones nonnullæ instituuntur.

1. *Quoad famulos.* Licet probabilius famulo, sed metu mortis: alii addunt *et metu alterius gravissimi damni, nempe infamiæ* (non vero sola ratione famulatus, cum sit propior cooperatio) dominum comitari ad lupanar, scalam deferre, vi aperire januam, humeros hero subjicere, ut ascendat ad fornicandum, etc.; quia non ponit actionem intrinsece malam: sed tenetur postea domini sui domum deserere, si aliud simile timeat. Nullimode autem licet (in nostra sententia) famulo domini dona meretrici deferre; cum hæc de se turpem amorem foveant. —Quod de famulis, idem plerumque valet de aliis inferioribus, ut uxore, filiis, etc.

2. *Quoad operarios.* Licet operariis falsa idola conficere, si hæc adhibeantur ad ornatum platearum, ædificiorum, etc.: nullimode vero, si ad falsum cultum, atque ideo pagano sint tradenda: tunc enim censerentur addicti servitio idolorum. Item neque licet pulsare organa, vel canere in

Ecclesia infidelium, si id sit in honorem idoli; quia sic idolo præstaretur obsequium. Licet autem theatra ædificare, ornare, etc., si ornamenta in se honesta sint; quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa. Item licet hæreticorum templa ædificare, si hoc non postuletur in odium veræ religionis, et aliunde timeatur malum gravissimum; verum hac in re ratio habenda est locorum ac circumstantiarum. Item licet ex gravi metu captivis christianis remigare triremibus infidelium contra catholicos; nam non faciunt quid intrinsece malum, nec christianis valde perniciosum: aliunde ex gravissima causa impelluntur. Non tamen ullo modo licet pravis libris edendis immediate cooperari, v. g. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, illos libros vendere, etc.; quia isti nati sunt multos subvertere.

3. *Quoad mercatores.* Licet vendere aleas, gladios, fucos, etc., etsi iis plurimi sint abusuri; quia hæc de se non ordinantur ad peccatum, nec malum præsumendum est: si tamen de abusu constat, causa gravis, seu periculum notabilis damni requiritur ad res illas vendendas: ex qua ratione licet v. g. judæo vendere ornatum, vel agnum, qui eo abusurus est ad suum pascha. Non licet tamen vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. g. ad confectionem colorum, medicinæ, etc.; quia maxima sequeretur humani generis pernicies, si hoc promiscue liceret.

Quid (quæres) *de iis, qui usurariis aut meretricibus domus locant; vel vehunt meretricem ad amasium?* — R. ad 1: in civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est, licet domum locare usurario, imo et meretricibus, maxime si alii conductores desint: nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis; vel ob situm ansam majorem darent peccatis. — Ad 2: non licet aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda: ita recte Sanchez, Roncaglia contra Sporer et alios. Tantum excusarentur, si ipsi hoc agerent ad grave damnum vitandum: imo Angles putat id numquam licere, utpote intrinsece malum (1).

Scholium — *De notis seu censuris theologicis.*

Virtutes Theologicæ (maxime fides) multis modis lædi possunt; porro sententia, qua notatur læsio, *censura Theologica* appellari consuevit. Quæ duplex distinguitur, doctrinalis et judicialis: *censura doctrinalis* est quæ a viris doctis quidem, sed nullam habentibus auctoritatem divinitus sibi concessam judicandi, fertur: tales sunt censuræ a nonnullis facultatibus latæ, quæ licet non de fide, sunt tamen maximi ponderis. *Censura judicialis* ab iis fertur, qui divinam habent auctoritatem de fide judicandi: nempe tum a Pontifice totam Ecclesiam docente, vel a Concilio generali; tum ab Episcopis sive in Diœcesi, sive in particularibus Conciliis. Sed non potest ferri a laicis, nec a simplicibus Sacerdotibus, vel Parochis. — Judicium, quo censura alicui doctrinæ inuritur, est dogmatica sententia, non lex discipli-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. II, nn. 59 etc.; it. *Homo Apost.* tr. IV, n. 31. — Bouvier, *De restitut.* ubi *de participante; et de actibus humanis*, c. 1. — Gury, *De virtutibus* ubi *de cooperatione.* — Pavone, *La luce fra le tenebre,* dissert. XI.

næ; nam iste actus verum est judicium, quo de veritate aut falsitate, bonitate aut perversitate illius pronuntiatur. Et innumeræ confici possunt propositiones plus vel minus sanæ doctrinæ oppositæ; ideo innumeræ esse possunt censuræ in eas latæ *(S)*.

Hæretica propositio illa est, quæ dogmati revelato, et ab Ecclesia proposito directe opponitur; ut ista: *Verbum non est caro factum.*

Erronea propositio est, quæ certo ac directe conclusioni Theologicæ adversatur: ut puta *Christus non est risibilis*, quæ a diametro adversatur huic Theologicæ conclusioni: *Christus est risibilis.*

Hæresi proxima est, quæ omnes conditiones habet, ut ab Ecclesia hæretica declaretur, cum certo veritati catholicæ opponatur.

Suspecta de hæresi est, quæ ex terminorum ambiguitate, vel ex circumstantiis temporis sive personæ loquentis adhibetur ad hæresim occulte disseminandam: *Así, en tiempo de los arrianos, los que al profesar la divinidad del Hijo de Dios rehusaban llamarle* consubstancial *al Padre, eran sospechosos de arrianismo* (1).

Hæresim, vel *errorem sapiens* est, quæ de hæresi vel de errore suspecta est, ac nonnisi futili evasione vindicari potest.

Impia est, quæ pietati et Religioni christianæ adversatur: uti est illa quæ Deo, et Sanctis cultum impetit, vel debitum parentibus ac superioribus honorem et obedientiam negat.

Periculosa est, quæ licet speculative sit vera, ob varias circumstantias dat locum timendi, ne in praxi hæresim, errorem aut peccatum foveat: vel si frequenter infaustos hujusmodi exitus habeat.

Seductiva est, quæ fideles incautos sub specie pietatis a sana doctrina de facili retrahere conatur.

Piarum aurium offensiva est quæ, etsi a doctis in bono sensu accipiatur, ab aliis ob ignorantiam, vel timoratam conscientiam, in sensu parum Religioni congruente intelligitur; et tristantur de illa: *A esta clase pertenecen las proposiciones siguientes.* «S. Pedro, que negasteis á Jesucristo, rogad por nosotros; S. Pablo, que habeis perseguido á la Iglesia, rogad por nosotros; S. Agustin, que vivisteis muchos años en la disolucion de costumbres, rogad por nosotros.» Gousset.

plures esse, qui damnantur, nam hæreticis, apostatis ac schismaticis, mali catholici adjungendi sunt; —4 si tandem quæstio est de solis adultis catholicis, tunc duæ sententiæ. Prima docet ex adultis catholicis plures damnari; nam pauci servant tota vita innocentiam, paucique post peccatum agunt dignam pœnitentiam, quæ autem fit in morte, admodum dubia est: pro hac sententia non immerito citantur Gregorius M., Augustinus, Chrysostomus, etc. Sed aliis magis arridet sententia eximii Suarez, qui tenet multo plures salvari: hoc quippe Dei clementiæ, Christi meritorum virtuti, ac Sacramentorum efficacitati plane consentaneum est. Et congruit magis verbis Apocalypsi (c. 7): *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Et licet major pars adultorum sæpius mortaliter peccet, tamen sæpius resurgit: et in fine vitæ pauci sunt, qui per Sacramenta non præparentur ad mortem; at semel justificati facile solent illo parvo agonis tempore perseverare sine novo peccato. *V. Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, pars IX, sess. 2.ª, in Apoc., c. 3, quæst. 10, auct. Laur. Veith, cujus Opera multum commendabat Pius VI.—Bergier, *Trattato della vera Religione*, tr. X, it. *Dizionario*, V. Eletti.—Auctor libri, *Quattro anni di esperienza*, ecc., c. 3.

(P) Pag. 89.

Sunt qui de facili ab eleemosyna tribuenda se liberant ideo, quia ultro fingunt pauperes ex mera desidia vel socordia mendicare. Errant tamen; nisi enim hujus rei certa indicia habeamus, nostrum est egenti dare, non curiosius inquirere.—Neque audiendi qui se ab hoc gravi præcepto exonerant quia qui sunt indigentes, publicis Hospitiis ad id recipiuntur; hoc enim non obstante, pauperes semper habebimus nobiscum, illos maxime qui ratione sui status mendicare erubescunt, qui quidem pauci non sunt, et in omni fere loco inveniuntur. Saltem illis Hospitiis eleemosyna fiat: quæ quidem mire laudantur ubi rite instituta sint; sic enim pauperes ab otio arcentur, in aliquo occupantur utiliter, atque ad Religionis officia instituuntur. Ea approbata habentur in Regno Pedemontano *RR. Patent.* 29 nov. 1836. Imo Innocentius XII inter cæteros Pontifices ea Hospitia laudat ac Indulgentias concedit tum pauperibus qui illis recipiuntur, tum administratoribus, ministris et officialibus. Quæ omnia laudabili sane consilio Immortalis Gloriæ Pontifex Pius IX instauravit.—*V. La mendicità provveduta nella città di Roma coll'Ospizio pubblico fondato dalla pietà e beneficenza di N. S. Innocenzo XII, colle risposte alle obbiezioni contra simili fondazioni.* Roma 1693.—Guevarre, *La mendicità sbandita.*—Morichini, *Degli istituti di pubblica carità, ed istituzione primaria in Roma.*—Petiti, *Saggio del buon governo della mendicità.*—Degerando, *Il visitatore del povero* etc.—*Civiltà Cattolica*, ser. 3.ª vol. IV: la mendicità ed i mendichi.

Ad charitatem pietatemque fovendam præstat, ut non tantum juris, sed etiam rationem æquitatis habeamus. Præclare Cicero (*de Officiis*, l. II, c. 18): *convenit tum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum; in omnique re contrahenda, vendenda, emenda, conducenda, locanda æquum et facilem; multa multis de jure suo concedentem; a litibus vero, et nescio an*

non paulo plus etiam quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paulum nonnumquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum.

Item ad rem ait *Stapf*, § 340: «Quo angustiores sunt facultates nostræ, et quo plura nobis officia altioris ordinis incumbunt, eo magis ab expensis superfluis, seu ad solum splendorem, vel voluptatem factis nobis temperare debemus. Consequenter officium istud non tantum pro diversitate facultatum, sed etiam temporis, aliarumque circumstantiarum diversimode coarctari solet. Generatim tamen in servandis et expendendis bonis temporalibus nos neutiquam anxios, vel scrupulosos esse oportet, præsertim in rebus minutioribus. Talis anxietas spiritualem profectum retardat, et facile in sordidam tenacitatem abit. Hominis christiani est, ut justa quidem cum circumspectione, attamen sine anxietate, redditus inter expensas legitimum ordinem statuat, ita ut necessaria utilibus, utilia commodis, atque commoda iis præferantur, quæ ad solum splendorem faciunt. Omnium minime talis anxietas tunc locum obtineat, ubi de sublevandis *aliorum miseriis* agitur. In ejusmodi casibus etiam aliquid augere, et illius nos meminisse oportet, quod Redemptor ait: *Date et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Luc. 6, 38. Conf. II Cor. 9, 10, etc. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Prov. 18, 17. Et certe nemo ditior, quam cui Deus est debitor.»

Quid (quæres) *dicendum de moderno illo inventu pauperibus succurrendi, theatrales repræsentationes habendo aut choreas ducendo?*—Hac de re audiatur orator Brunet: «Se ha dicho: *Quien da á los pobres presta á Dios.* Y es precisamente por amor de Dios, que debeis subvenir al pobre en sus necesidades. En nuestros dias se ha tratado de transformar este principio en cien diversas maneras. Con muy buenas intenciones se ha tratado de socorrer á los pobres con algunas nuevas invenciones, como loterias, banquetes, bailes, academias, etc. Yo no puedo menos de reconocer las ventajas manifiestas de estos ingeniosos arbitrios de la humana piedad; pero no penseis haber cumplido ya con el precepto de la limosna y el de la caridad. Bajo este disfraz que la desfigura, nada veo en ella de la caridad del Evangelio. Siendo la caridad hija de Jesucristo, solamente puede florecer bajo la sombra del santuario: ella va á buscar su orígen y alivio en la sangre de Jesucristo; y cuando me habeis recreado en cambio de mi limosna, doy por concluido el negocio; he dado al pobre sin prestar nada á Dios, por lo que nada me debe Dios en recompensa.» Quoad plurimos vera forsan profert hic Auctor, defectu videlicet pietatis.

Charitas autem nostra universalissit oportet; nequeenim apud Deum propter quem diligere debemus, distinctio est inter barbaros et civiles. Attamen quando dicimus charitatem *universalem* esse debere, id de vera charitate intelligimus, quæ sit talis non verbo tantum, sed etiam opere. Absit enim fictitius ille cosmopolitismus, qui sub obtutu saluti omnium ac prosperitati providendi, cives ipsos inopes et misseros relinquit. Verba verba, prætereaque nihil. Differentiam inier *humanitatem*, quam tantopere decantant, et *divinam charitatem* egregie describit La-Luzerne, *Istruz. Pastorale sopra la*

eccellenza della Religione. (V. Collezione di buoni libri. Torino 1849, disp. 3ª; et Stapf, § 350.) Cæterum qui bona sua distribuit, non tenetur ex præcepto charitatis ordinem servare, si non sint indigentes; sed tunc poterit, ut patet, cui voluerit, benefacere, modo id recto fine faciat; cum enim non adest necessitas; cessat obligatio eleemosynæ, et exurgit liberalitas, quæ libera est.

(Q) Pag. 97.

Ait Billuart: non esset schismaticus qui renueret subesse Pontifici, ut est homo privatus, ex odio v. g., vel propter aliquam ipsius personæ qualitatem, aut nollet illi obedire in aliquo præcepto, puta jejunii vel restitutionis ob ejus difficultatem. His enim non obstantibus, potest illum agnoscere ut Christi Vicarium, et illi subesse quantum ad definitionem fidei et morum. Sic quot sunt inobedientes suis superioribus, sed vere adhuc eos agnoscunt pro superioribus.

Cæterum periculosus est hic abstrahendi modus; experientia enim edocti sumus eos, qui in summi Pontificis veneratione atque obedientia nimium amant distinctionibus uti, eo tandem devenire, ut omnem submissionem ei proterve denegent. Hac in re mire faciunt hæc cl. Della-Margherita in suo celebri *Memorandum stor. pol.*, c. x: «Restauradas las antiguas Monarquías en 1815, todos los Gabinetes volvieron á los mismos errores, y Ministros y Magistrados mostraron mucho mas celo en resistir á la santa Sede que á los enemigos internos y externos de la tranquilidad pública: de este modo prepararon nuevas calamidades para la Europa; y ya no se levantará era mejor, ó si se levanta, no será de larga duracion, si los Príncipes y Magistrados católicos no toman como una gloria el unirse al supremo Pastor como miembros de la gran Familia cristiana. Constantino, Teodosio y Carlomagno, cuyas hazañas cuenta la historia, fueron grandes entre los Monarcas en toda la extension de la palabra; y ni una sola hoja de los laureles de sus coronas se marchitó por la mucha sumision que tuvieron á los soberanos Pontífices. Los jóvenes que se preparan para manejar con el tiempo los negocios de Estado, que estudien la Historia de todos los Reinos, y verán que la sumision á la Iglesia nunca ha ocasionado el menor daño ni ruina á ninguna nacion; que nada quita á la regia Magestad la reverencia á las llaves del Vaticano; y que han habido un sin número de Príncipes y Estados que han tenido que esperimentar todo género de desgracias y humillaciones por haber despreciado estos principios. Podria terminar con poner aquí muchas citas, pero serian de autores demasiado religiosos por su carácter y carrera, las que admiten con mucho gusto aquellos que sienten los males causados por los errores enseñados en las escuelas y tratados en las Cancillerías y Curias forenses. Citaré en su lugar á un diplomático español de grande talento, D. Diego Saavedra: este fué empleado en negocios importantísimos por el Rey católico, asistió en Roma á dos cónclaves, en Ratisbona al verificarse la eleccion del Emperador, y en suiza á ocho dietas; estudió sériamente los negocios del mundo, luego fué hecho Consejero del Consejo supremo de las

Indias y dejó un libro de cien emblemas políticos para amaestramiento de los Príncipes. Hé aquí como se espresa en el emblema XXIV:» «Los pode-«res espiritual y temporal se distinguen entre sí; el último se adorna me-«diante la autoridad del primero y éste se mantiene con el poder de aquel. «Es obediencia heróica la que se tiene al Vicario de Aquel que da y quita los «cetros. Que se glorien en cuanto quieran los Reyes de no querer someterse «á la jurisdiccion y leyes de los estrangeros, pero nunca se jacten de no que-«rer sujetarse á la fuerza de los decretos Apostólicos»—It. *Avvedimenti politici*, cap. XIX, n. 3—*Cattolico di Lugano*, vol. v.

(R) Pag. 101.

Quoad luxum faciunt verba Stapf, § 298: «ætas nostra de insano vestimentorum luxu et splendore justissime reprehenditur. Vesana æmulatio, qua homines tum ejusdem tum diversæ conditionis vestimentorum ornatu semet mutuo assequi aut antecellere conantur, adeo omnium animos corripuit, ut tota fere Europa motu celerrimo et cum communi omnium vertigine circa eumdem semper vanitatis axem rotetur. Et quod pessimum, hoc vanitatis studium parvulis jam cum ipso lacte nutricis instillari solet. Effectus hujus inordinati luxus sub omni consideratione perquam dolendi sunt; nam, ut paucos tantum commemorem, animus taliter fascinatus officia altiora, et ipsum denique vitæ præsentis finem negligit; cumque media honesta ad tot expensas haud sufficiant, tum virginalis pudicitia, tum ipsa fides conjugalis venales fiunt omnique flagitiorum generi latissima porta aperitur. Denuo ad experientiàm pastorum provoco, an non una cum ingravescente luxu vestium etiam luxuria et luctuosa morum corruptio ingravescere soleant!»—*V. Pensieri di una Dama sopra il moderno vestire.*—Cesari, *Orazione sul vestire disoneto.*—Roberti, *Sul lusso.*—Muzzarelli, *Della vanità e del lusso del vestir moderno.*

Taparelli, *Saggio di diritto Teoretico*, n. 754, ita luxum definit: *el gasto excesivo hecho por ostentacion con respeto á los medios de una decente conservacion.* Et n. 757: «Say (en el tomo tercero de su Economía política en los capítulos 4 y 5) hace muy bellas observaciones hablando de los gastos útiles y superfluos, y establece cuatro cánones económicos que tratándose de economía, pueden muy bien formar parte de un tratado de moral. «Los gastos mas bien empleados, dice, son 1.° los que satisfacen las necesidades reales, las que reduce á la subsistencia, sanidad y beneficencia. Convienen por lo tanto mas comodidades y menos esplendor, mas propiedad y menos adornos, mas comida y menos salsas, mas vestidos y menos recamos, vastos hospitales y menos pomposos, buenas calles sin ser lujosas, hermosas casas en vez de muchos palacios, etc.;—2.° Los gastos duraderos y en mercancías de buena calidad. Los banquetes, fuegos y juegos, en un momento disipan capitales que podrian servir de grande utilidad; las mercancías malas exigen por muchos conceptos los mismos gastos que las mejores;—3.° Los gastos hechos en comun: de aquí nace la economía de las comunidades religiosas, civiles y militares: un solo cocinero y un solo fuego puede preparar la

comida de veinte personas en el tiempo que la prepara para cuatro ó seis; — 4 Finalmente, los gastos hechos bajo la norma de la probidad y de la moral: lo contrario acarrea la ruina de los pueblos como de los particulares.» — *V.* Gerdil, *Sobre el lujo*.

(S) Pag. 107.

Aliquando propositiones damnantur *in globo*, et est quando singulis propositionibus sua singularis nota non assignatur, sed notantur omnes generatim veluti respective *erroneæ, hæreticæ,* etc. Hoc non facit ad substantiam, si et unus et alius modus a legitima auctoritate procedat. «Las condenaciones generales son útilmente practicadas en la Iglesia para dar como su primer golpe á los errores en su orígen, y muchas veces el último, segun las circunstancias y el grado de obstinacion que se encuentra en los espíritus.» Ita Bossuet in Opere, *Second écrit sur le livre de Fénelon*, n. 2.

Hic duo notanda cum S. Alphonso: 1 nonnulli inducuntur ad reprobandas cunctas opiniones, quæ aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes eas ita generaliter proscribi, ut nullam patiantur exceptionem vel justam interpretationem. Quod revera est contra naturam propositionum damnatarum; juxta enim omnium Doctorum consensum non sunt clausis oculis rejiciendæ omnes opiniones, nisi expresse aut virtualiter in proscriptis contineantur. Cæterum regulariter loquendo, propositiones damnatæ intelligendæ sunt, ut jacent, et in sensu rigoroso, atque ab Auctoribus illarum intento: præterquamquod quædam opiniones damnatæ sunt, quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendæ ad omnes casus particulares, qui propter aliquam momentosam circumstantiam ab illis distinguuntur. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 760.

2. Omnes propositiones a Pontificibus damnatæ, licet non omnes sint hæreticæ, sed aliæ temerariæ, aliæ erroneæ, aliæ scandalosæ, etc.; tamen accedente Pontificis definitione, tenendum est de fide, quod illæ propositiones vere sint temerariæ, vel alia inficiantur nota, quam ipsas pati Pontifex declaravit; et ideo esset quidem hæreticus, qui easdem tamquam veras et licitas sequeretur, aut propugnaret, ut bene ait Viva in *Qu. prod. damn.* n. 1. Non tamen hæreticus esset, si propositiones damnatas in globo sejungeret, contenderetque notam hæresis his aut illis non applicari, et ideo non vere censuraret Ecclesiæ hac de re judicium; nam fidei catholicæ stricte sumptæ non adversaretur, cum singulæ propositiones non ut hæreticæ sint damnatæ. Attamen illius conditio non ideo melior esset; rebellis enim erga Ecclesiam, et reus peccati mortalis semper fieret. — Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 104.

TRACTATUS NONUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA.

Cum omnis christianæ doctrinæ pars scientiam diligentiamque desideret, tum Sacramentorum disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, Parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata ac frequenti preceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctissimæ res digne et salutariter impertiri possint, et Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: *nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (Matt. 7). Ita *Catechismus Romanus*, De Sacram. in procemio.

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE, NATURA, NECESSITATE, EXISTENTIA ET AUCTORE.

Q. 1. *Unde Sacramenti nomen, et quæ ejus definitio?*

R. Nomen *Sacramenti* multipliciter accipitur ab Auctoribus ecclesiasticis et sacris: nempe modo ad sacrum Mysterium indicandum, juxta illud: *nescierunt Sacramenta Dei* (1). Modo ad significandam rem arcanam, licet non sacram, sive illa sit bona, juxta illud: *Sacramentum Regis abscondere bonum est* (2); sive sit mala juxta illud: *dicam tibi Sacramentum mulieris et bestiæ* (3). Modo ad exhibendum signum rei sacræ, quæ gratiæ divinæ confe-

(1) *Sap.* 2 — Nomen *Sacramenti* derivatur vel a *sacrando*, quia ad sacra initiat; vel a *secreto*, quia arcana includit: hinc quod Latini *Sacramentum*, Græci *mysterium* appellant. Diximus tamen ab *Auctoribus ecclesiasticis et sacris;* nam a profanis *Sacramenti* nomen sumitur tum pro juramento (*Auth. Puber. cod. si adv.*); tum pro pecunia, quæ a litigantibus in sacro deponebatur, quæ cedebat in bonum commune, si litigantes causa caderent (Tullius, *Oratio pro Milone*).

(2) Tob. 12. (3) Ap. 17.

rendæ efficax sit instrumentum: quo sensu hic adhibetur et communius definitur: *signum sensibile, sacrum et permanens interioris gratiæ, a Christo Domino institutum, ad nostram sanctificationem* (1).

Dicitur 1 *signum:* signum nempe ex D. Augustino *est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire* (2). Et hoc Sacramentis convenit: sic v. g. exterior corporis ablutio in Baptismo facit nos venire in cognitionem interioris ablutionis animæ; 2 *sensibile*, id est sensibus patens; nam cum Sacramenta sint propter homines, ita debent esse accommodata hominibus, ut in illorum usu possint cultum exhibere Deo corpore et anima: ac proinde debent esse signa sensibilia rerum spiritualium; 3 *sacrum et permanens. Sacrum*, est enim cæremonia sacra ad cultum Dei ordinata, hominemque consacrans: *permanens*, id est stabile; tamdiu enim Sacramenta erunt perduratura, quamdiu ipsa perdurabit Religio; cum ex eodem Augustino præcipue per Sacramenta populus Dei in unam Religionem coalescat, et ab aliis distinguatur (3); 4 *interioris gratiæ*, id est gratiæ sanctificantis, per quam anima interius renovatur: sicque Sacramentum novæ Legis discriminatur a veteris Legis Sacramentis, quæ gratiam tantummodo exteriorem, seu pure legalem in quadam munditie exteriori consistentem, conferebant; 5 *institutum;* quia cum Sacramentum sit signum arbitrarium, non posset ex se sanctificationem efficere nec significare, nisi ex speciali institutione; 6 *a Christo Domino*, ut Sacramentorum auctor innuatur, atque ut illa a Sacramentalibus distinguantur, quæ sunt instituta ab Ecclesia; 7 *ad nostram sanctificationem;* siquidem ad naturam Sacramentorum nostrorum pertinet non tantum significare, ut volunt novatores (4); sed etiam producere gratiam interiorem, qua efficiamur justi et Deo grati.

Hæc definitio cæteris, quæ tradi solent, est conformior Tridentino, in quo dicitur Sacramentum novæ Legis non aliud esse, quam *symbolum rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilis forma* (5). Pressius potest etiam definiri Sacramentum: *signum practicum gratiæ.*

Q. 2. *An Sacramenta sint de necessitate?*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 2. Et *Opera Dogmatica contro gli eretici*, sess. 7.

(2) L. II *Doctr. Christiana.* (3) L. XII *contra Faust.* c. 11.

(4) « Sacramenta juxta Lutherum sunt *signa* sive *sigilla* divinarum promissionum ad excitandam fidem; juxta Zwinglium sunt *signa divinæ gratiæ*, quæ Ecclesiam certiorem faciunt de suscipientium fide; juxta Calvinum sunt signa vel pignora, quæ electum certiorem faciunt de adepta fide divinisque promissis. Anabaptistis Sacramenta sunt *signa allegorica* spiritualis vitæ; arminianis, socinianis, mennonitis nudi ritus exteriores sunt, quibus Christiani ab infidelibus secernuntur; quakèris *actus spirituales et interni effectus cœlestis luminis;* schwedenborgianis *symbola* sunt, quibus Deus et homo invicem conjunguntur; rationalistis denique sunt ritus longe præstantiores ritibus paganorum significatione tum symbolica tum morali. » *Perrone.*

(5) *Sess.* 13, c. 3. Cum generica Sacramenti definitio omnibus Sacramentis conveniere debeat, patet esse rejiciendam definitionem, qua dicitur Sacramentum esse *functionem*, seu *actionem qua*, etc.; hæc enim definitio nequit applicari Eucharistiæ, quæ in re stabili consistit, non autem in functione transeunte. Talis definitio (notat Bellarminus, l. IV *de Euch.* c. 1) hæreticorum est, qui ut negare valeant Eucharistiam consistere in re permanenti, pro fundamento ponunt Sacramenta omnia in actione consistere: qua doctrina eo tendunt, ut excludant dogma catholicum a Tridentino definitum, Sacramenta scilicet novi Testamenti gratiam conferre non *ex opere operantis*, sed *ex opere operato.*

R. Si agitur de necessitate ea instituendi, nulla fuit certe necessitas; siquidem Deus poterat alio modo gratiam suam nobis donare. Id tamen congruenter factum est, tum quia est homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium; tum quia sicut homo peccando se subdidit corporalibus, ita conveniens fuit, ut ibi haberet remedium unde morbum contraxit; tum ne esset homini durum, si totaliter a corporalibus abstraheretur, cum circa ista actio humana versetur (1). — Si vero agitur de necessitate ea sumendi jam instituta, utique ea necessaria sunt vel pro singulis, ut Baptismus: vel pro communitate, ut Ordo et Matrimonium; si secus esset Christus illa inaniter condidisset. Hinc Tridentinum definivit (2): *siquis dixerit Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit (A).*

Q. 3. *An aliqua Sacramenta semper extiterint?*

R. Si Sacramenti nomen late sumatur pro quocumque signo, utique Sacramenta semper fuerunt. Hinc Augustinus ait: *Sacramenta veteris Legis ablata sunt; quia impleta, et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora* (3). Id supponit Tridentinum, dum tradit novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis diferre (4): tale fuit lignum vitæ in statu innocentiæ; sacrificium Melchisedechi in statu legis naturæ; agnus paschalis, circumcisio et variæ purgationes in lege Mosaica.

Si vero quæstio sit de veris ac proprie dictis Sacramentis ex se justificativis, tunc dicimus: — 1 *in statu innocentiæ* (nempe tempore, quo innocentes manserunt protoparentes nostri), quod vera Sacramenta fuerint aut futura fuissent, si status ille durasset, docent quidem Suarez et alii. Sed alii negant cum D. Thoma; quia nulla fuit eorumdem necessitas neque ad homines sanctificandos, utpote jam sanctificatos; neque ad sensuum illecebras pellendas, quæ in illo felicissimo statu nullæ erant (5): porro Deus nil frustra molitur; — 2 *in statu legis naturæ* (6): nulla item fuisse Sacramenta proprie dicta apud veræ Religionis cultores, neque pro parvulis neque pro adultis, docent probabilius ac communius; nam quamvis dubitandum non sit, quin misericors Deus aliquod sensibile medium suppeditaverit hominibus in eo statu, ut facilius mundarentur a peccato, prout docent Augustinus (7), et Innocentius III (8); illud tamen non ex opere operato (quod maxime pertinet ad naturam veri Sacramenti), sed ex operantis dispositionibus, præsertim fide, gratiam conferebat (9). In parvulis vero ad tollendum

(1) S. Thomas, 3 p. q. 61, a. 1; et l. IV *contra Gent.* c. 56. — *V.* Gotti, *De Sacram.*
(2) Sess. 7, can. 4 de Sacr. (3) L. XIX *contra Faustum*, c. 13.
(4) Sess. 7, can. 2. (5) 3 p. q. 61. a. 2.
(6) Dicitur *legis naturæ*, non quia excluderet legem supernaturalem (in ea siquidem erant observanda supernaturalia præcepta fidei, spei et charitatis), sed quod in ea nulla esset lex mandato Dei scripta. Et ideo tum lex naturalis solo naturæ instinctu; lex vero supernaturalis sola Dei inspiratione, quasi per modum naturæ, erant cognitæ. *Billuart* et *Drouven.*
(7) L. V *cont. Julian.* c. 11. (8) C. *Majores* 3 de Bapt.
(9) Tanto magis, quia Apostolus, cum loqueretur de Patriarchis et justis, qui in statu isto

peccatum originale tunc sufficiebat professio fidei ad salutem eorum directa a parentibus, vel ab aliis; ut enim docet Angelicus: *peccatum quod ex altero contrahitur, ex altero potest habere medicinam* (1). Est autem probabile cum eodem Angelico, quod fides illa exprimi debuerit per aliquod signum externum, ut sic applicaretur, ac veluti transferreretur ad parvulos (2); — 3 neque *in statu legis Mosaicæ*, in nostra sententia, fuere Sacramenta stricte sumpta (3); nam in ea lege nullus erat ritus, qui gratiæ conferendæ vim haberet ex se et natura sua; Apostolus enim Judæorum superbiam de propria lege gloriantium sic reprimebat (4): *ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo; in lege nemo justificatur apud Deum.* Quæ sententia adoptata est ab Eugenio IV in Decreto ad Armenos, ubi legitur: *illa enim* (Sacramenta veteris Legis) *non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant.* Idque insinuavit Tridentinum Concilium hisce verbis: *siquis dixerit ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit* (5).

Quid ergo (dices) *statuendum erit de Circumcisione?* — Circumcisio a pluribus uti strictum Sacramentum habetur, eo quod sanctitatem quamdam produceret, fideles distingueret, eosque ad verum Dei cultum consecraret. Verum quia illa sanctitas tota externa erat, quatenus nempe circumcisio sordes quidem carnis, non vero animæ abluebat; idcirco nos dicimus cum Habert, quod ea inter Sacramenta proprie dicta non potest enumerari (6). Adulti enim in statu legis Mosaicæ a nullo poterant peccato mundari, nisi per charitatem formatam; parvuli autem mundabantur ab originali per actum fidei in circumcisione ministrante, seu puerum offerente, *quatenus hæc fides respiciebat Christum venturum:* ita D. Thomas (7). Et nullum invenies Patrem ante Augustinum, qui doceat circumcisionem remittere originale peccatum, ac justificationis gratiam conferre (8). Adde hoc remedium nimis circumscribi, ut habeatur tamquam deletivum culpæ originalis; cum enim circumcisio nonnisi masculis ab octavo nativitatis die administraretur,

Deo placuerunt, uti Abel, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob et alii, et cum modum exponeret, quo justitiam adepti sunt; non allegat Sacramenta, sed solam ipsorum fidem, uti patet ex toto contextu Epistolæ ad Hebræos c. 11.

(1) In 4, d. 1, q. 2, a. 6.

(2) 3 p. q. 70, a. 4.

(3) Est contra Victorinum, Bonaventuram et alios, qui docent etiam veteris Legis Sacramenta gratiam conferre ex opere operato: et in eo tantum discriminari a Sacramentis novæ Legis, quod hæc primario et per se; illa vero secundario ac per accidens, quatenus signa sunt protestativa fidei, gratiam conferant.

(4) Rom. 3; et Gal. 3. — Sacrificia autem a Moyse inducta Sacramenta stricte appellari non possunt; cum inducta sint non ad gratiam conferendam, sed ad cultum Deo præstandum.

(5) Sess. 7 *de Sacr.* can. 2.

(6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 4.

(7) 3, p. q. 70, a. 4. — Quoad circumcisionem vid. Guénée, *Confutazione degli errori del sig. di Voltaire in fatto di Religione*, t. III. — Bergier *Dizionario enciclopedico* V. Circoncisione. — Contenson, *De Baptismo*, Append. — La *Bibbia* di Vence, vol. IV et VI, Dissert. sulla Circoncisione. — Calmet, *Dictionarium Bibl.* V. Circumcisio.

(8) *V.* S. Justinus martyr, *Dial. cum Tryph.;* S. Irenæus, l. IV, c. 3; Chrysostomus, *In Gen. hom.* 39; Epiphanius, *Hær.* 30; Tertullianus, *Contra Judæos.*

quomodo salvabantur hebræorum tùm fœminæ antequam ad rationis usum pertingerent, tum masculi inter octavum diem, si morerentur?

Q. 4. *Quid de Sacramentorum N. L. existentia, numero, auctore?*

R. Cum novatores nullam gratiæ vim Sacramentis tribuant, consentaneum ipsis est, eorum numerum imminuere: ab initio in eo fingendo ancipites hæserunt; dein duo tantum admiserunt, Baptismum et Eucharistiam, quam *Cœnam* vocant: cui errori subscripsit Cyrillus Lucar patriarcha Constantinopolitanus, auro Hollandico corruptus et ideo in Concilio Hierosolymitano 1672 damnatus. Recentiores tandem protestantes sustulerunt omnia Sacramenta ad meros ritus ea redigentes. — Verum de fide est in nova Lege septem esse Sacramenta proprie dicta, a Christo instituta: nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Id definitum est in Concilio Londiniensi (1237), Constantiensi (1415), Florentino (1439) et tandem Tridentino (1564), quod habet (1): *siquis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a D. N. J. C. instituta, aut esse plura aut pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem*, etc.; *aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit* (2). Adde universæ Ecclesiæ consensum, imo consensum cœtuum Christianorum qui a remotissimis temporibus a romana Ecclesia divisi sunt; vetustissima enim latinorum sacramentalia apud Martenium, Græcorum euchologia apud Allatium, Armenorum ritualia apud Serpos, aliarumque orientalium Ecclesiarum apud Assemanum constanter septem signa recensent ad gratiam conferendam divinitus instituta; at dicentem Tertullianum: *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum* (3). Adde Ss. Patrum consensum qui data occasione de septem Sacramentis loquuntur; de *Confirmatione* agit Tertullianus, Cornelius papa, Cyprianus; de *Pœnitentia* Origenes, Tertullianus et quotquot impugnarunt montanistas et novatianos; de *Ordine* Chrysostomus, Epiphanius, Augustinus, Optatus; de *Extrema-Unctione*, Origenes, Victor Antiochenus, Chrysostomus, Innocentius I; de *Baptismo* et *Eucharistia*, omnes et passim, ut ipsi concedunt protestantes.

Nonne (inquies) *etiam lotio pedum peracta a Christo in ultima cœna est verum Sacramentum?* — Aliqui id docuerunt; cum lotio etiam sit divinitus instituta, a Christo præcepta, ac signum sensibile adnexam habens gratiæ promissionem juxta illud Christi: *si non lavero te, non habebis partem mecum* (4). Verum cum hanc numquam inter vera Sacramenta Ecclesia numeraverit, ea ut talis haberi nequit. Petrus quidem non fuisset habiturus cum

(1) Sess. 7, can. 1 de Sacr. — Christus porro etiam *qua homo* instituit Sacramenta, nempe potestate *excellentiæ* ipsi collatæ, ratione unionis cum Verbo; æquum est enim ut Christus qui infinitum gratiæ thesaurum sua passione promeruit, possit rebus vim illam conferre. Ita S. Thomas, 3 p. q. 72, a. 1; et fusius q. 64, a. 3.

(2) Septenarius Sacramentorum numerus, etsi in Scriptura non inveniatur expresse notis arithmeticis indicatus, sparsim tamen huc illuc omnium mentio habetur; et Ecclesia ex institutione Christi juxta Scripturarum sensum traditionalem septem semper agnovit et administravit Sacramenta.

(3) *De præscript.* c. 28.

(4) Joann. 13.

Domino partem absque ea; at non ex ejus in se spectatæ defectu, sed ob suam inobedientiam (1).

Sed curnam (repones) *Christus nec plura nec pauciora, quam septem instituit Sacramenta?* — Si absolute loqui velimus, erit responsio: *ita fecit, quia ita voluit;* in rebus enim liberis tota ratio facti est facientis voluntas. Cæterum S. Thomas congruam rationem desumit ex analogia vitæ spiritualis cum vita corporea (2). Nempe sicut in ordine naturali et corporis requiritur: 1 ut homo *nascatur;* 2 ut *crescat;* 3 ut *nutriatur;* 4 ut *medicinam* accipiat ægrotans; 5 ut muniatur *contra hostes* in periculis; 6 ut *regatur;* 7 ut species humana per generationem *conservetur.* Ita in ordine supernaturali et animæ datur: 1 *Baptismus* ad nativitatem; 2 *Confirmatio* ad accretionem; 3 *Eucharistia* ad nutrimentum; 4 *Pœnitentia* ad medicinam; 5 *Extrema-Unctio* ad muninem; 6 *Ordo* ad regimen; 7 *Matrimonium* ad fidelium propagationem.

Q. 5. *An omnia Sacramenta sint paria dignitate?*

R. Negative: omnia sacramenta non sunt paria dignitate. De fide est; ait enim Tridentinum: *siquis dixerit hæc septem Sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit* (3). Est autem Sacramentum Eucharistiæ omnium excellentissimum, eo quod non gratiam solum contineat; sed ipsum gratiæ auctorem. Ratione necessitatis Baptisma est potissimum Sacramentorum Ratione perfectionis et ministri Confirmatio et Ordo. Extrema-Unctio vero et Pœnitentia sunt inferioris gradus; quia ordinantur ad vitam christianam non per se, sed in casu supervenientis defectus. Inter hæc autem Extrema-Unctio comparatur ad Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum: ita ut Pœnitentia, sit majoris necessitatis et usus; Extrema vero Unctio sit majoris perfectionis (4).

Q. 6. *Quo sensu Christus est auctor septem Sacramentorum?*

R. Duobus modis Sacramenta a Christo potuerunt institui: immediate, sive per se nominatim determinando omnia et singula septem Sacramenta: et mediate, id est Apostolis vel Ecclesiæ eam largiendo potestatem, ut, pro re nata, aliqua ipsi ejus nomine determinarent. Fatentur omnes vel ipsi Protestantes Baptismum et Eucharistiam fuisse instituta a Christo immediate; hoc enim clare exhibet S. Pagina: et definitum est in Tridentino (5).—Sed utrum omnia et singula Sacramenta Christus instituerit immediate, non satis convenit: neque id definitum est (6). Nobis videtur probabilior et Tridentino

(1) Ceteris pariter ea lotio non uti saluti necessaria fuit præcepta; sed tantum tamquam utilis fuit proposita, ad excitandam videlicet et exercendam humilitatem, prout ex orationis contextu patet. Hoc sensu, habita ratione utilitatis, D. Bernardus omnia passionis mysteria Sacramenta vocat; D. Augustinus nonnullos ritus erga catechumenos; Tertullianus et D. Hieronymus martyrium; aquam lustralem et cineres benedictos Hugo Victorinus; professionem monasticam Græci passim. — *V.* Renaudotius, *De perpetuit. fidei.*

(2) 3 p. q. 65, a. 1 et 2. — « Gabriel, metropolitano de Filadelfia en el siglo XVI comparó los sacramentos á las siete virtudes, á los siete dones del Espíritu Santo, á las siete estrellas de que nos habla el Apocalipsis, al candelabro que habia en el santuario, y las siete oblaciones de Naaman. » Klee, *Storia de'dogmi*, vol. II.

(3) Sess. 7, can. 3.

(4) Ita fere Angelicus, 3 p. q. 65, a. 3.

(5) Sess. 7. can. 1.

(6) Sic Magister Sententiarum et Ugo Victorinus censent ab Apostolis institutam Confirmationem, aut saltem Extremam-Unctionem.

ipsi conformior sententia, quæ affirmat; Sacramenta enim sunt veluti fundamenta, quibus Ecclesia tota innititur: at verisimile non est Christum ea, quæ pro Ecclesia tanti momenti sunt, noluisse per se instituere; sed aliis curam hanc demandasse (1).

CAPUT SECUNDUM

DE PARTIBUS SACRAMENTORUM SEU DE MATERIA ET FORMA.

Q. 1. *Quænam materia et forma Sacramentorum?*

R. Sacramentorum materia est res sensibilis, quæ præexistit et adhibetur ad eorum confectionem, ut aqua in Baptismo; forma vero sunt verba, quibus utitur minister ad determinandam rem illam præexistentem ad esse Sacramenti. Hinc Augustinus: *detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua; accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum* (2). Has voces primus invexit Guillelmus Antissidorensis initio sæculi XIII; iisque etiam usus est Eugenius IV in Decreto ad Armenos inquiens: *omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet* rebus *tamquam materia*, verbis *tamquam forma, et* persona ministri *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum* (3).

An (quæres) *Christus omnium Sacramentorum materiam et formam assignaverit?*—R. 1. Tripliciter dici potest Christum Sacramentorum sive materiam sive formam determinasse: 1 *in genere*, id est si præceperit dumtaxat, ut aliquod sensibile signum adhiberetur ad significandum et producendum effectum septem Sacramentorum; Ecclesiæ vero commiserit hoc signum eligendi: v. g. si pro Baptismo præscripserit solum, ut res et verba adhiberentur, sed quin declaraverit an res ista debeat esse aqua vel aliquid aliud, et verba an *ego te baptizo,* vel alia; 2 *in specie,* si ipse Christus signum adhibendum determinaverit, nempe si speciatim et materiam designaverit et substantiam verborum (4); 3 *in individuo,* (alii dicunt in *specie infima*), si ulterius determinaverit, rem talibus ac talibus qualitatibus affectam esse debere, et verba his vel illis vocibus constare, puta si pro materia in Baptismo expresse designasset aquam frigidam, non calidam; pro forma vero talem phrasim et non aliam. Hoc posito:

(1) Hinc Apostolus se et ceteros socios in Apostolatu haberi volebat, non ut auctores; sed ut simplices ministros et dispensatores mysteriorum Dei: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (I Cor. 4). (2) Tract. 80 in Joanne.

(3) Attamen persona ministri potius pertinet ad causam Sacramenti efficientem, quam ad ejus essentiam: hinc Tridentinum (sess. 16, c. 2) ait: *materia et forma Sacramenti essentia perficitur.*— Quod modo dicimus *materiam*, antiquitus appellabant *rem* vel *elementum*: quod vero *formam* vocamus, dicebant *verbum, invocationem, benedictionem, sanctificationem.* Vel etiam appellabant materiam et formam simul *partes Sacramentorum, sacra symbola,* seu *signa, mystica dona, Religionis initiationes,* etc.; effectum autem dicebant *rem.*

(4) Aliud est quærere, num Christus ipse per se immediate et in specie determinaverit Sacramenta; aliud num ipse per se immediate et in specie materiam ac formam determinaverit Sacramentorum. Si Christus dicit: *volo quod septem sint Sacramenta, Baptismus* etc., habetur primum. Si dicit: *volo quod ista septem Sacramenta conficiantur cum talibus verbis substantialibus, et cum hac tali materia*, habetur secundum.

R. 2: Certum est: 1 imo de fide Christum saltem in genere omnium Sacramentorum formam determinasse; nam de fide est omnia fuisse a Christo instituta: quod saltem de generica hac institutione accipiendum est; 2 certum est Christum nullius Sacramenti materiam et formam in individuo designasse, cum hujus rei nullum sit indicium; 3 certum etiam est Christum designasse in specie materiam et formam tum Baptismi tum Eucharistiæ; cum id evidenter eruatur ex Scripturis (1).—Tota controversia est de aliis Sacramentis, an videlicet Christus etiam illorum materias et quoad substantiam etiam formas, in specie determinaverit. Negant probabiliter S. Bonaventura, Bellarminus, Morinus, Lugo, etc.; nam si eas Christus speciatim determinasset, non esset diversitas materiarum in Ecclesia græca et latina. Sed Concina, Habert, Continuator Tournely et alii plures cum D. Thoma (2) probabilius affirmant; si enim tantæ institutionis potestatem habuisset Ecclesia, posset ipsam materiam et formam immutare; nam qui majus concessit, etiam minus concessisse dicendus est. At multo probabilius est id Ecclesiam non posse; tum quia potestatis adeo mirandæ nullum extat neque in Scriptura, neque in traditione vestigium; tum quia Tridentinum (3) expresse definivit, posse quidem Ecclesiam mutare ritus, qui adhibentur in administratione Sacramentorum: *salva tamen illorum substantia.* Nihil autem ad substantiam magis pertinet, quam eorum materia et forma, quippe quæ sunt partes, ex quibus coalescunt. Ita etiam Benedictus XIV (4).

Q. 2. *Quotuplex dividitur materia et forma Sacramentorum?*

R. Ad 1: Sacramentorum materia multiplex dividitur: 1 alia est *remota*, et est ipsa res externa et sensibilis, ex qua Sacramentum conficitur. Talis est v. g. aqua respectu Baptismatis; 2 alia est *proxima*, et est illa ipsa actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto Sacramentum suscipienti. Talis est v. g. in ipso Baptismo ablutio, quia per hanc materia remota, nempe aqua applicatur baptizando; 3 alia est *certa*, quam certo constat esse reapse illam ipsam rem sensibilem, quam Christus determinavit: puta aquam naturalem in Baptismo; 4 alia est *dubia*, ut si dubitetur, utrum reapse sit illa; quæ pro dato Sacramento constituta est: puta si pro Baptismo exhibeatur liquidum quoddam, de quo incertum est, utrum sit aqua naturalis, an artificialis; 5 alia est *essentialis*, quæ ad validitatem Sacramenti: alia *accidentalis*, quæ ad majorem tantum significationem aut reverentiam pertinet.

R. Ad 2: Multiplex etiam solet distingui Sacramentorum forma: 1 alia est *absoluta*, quæ verbis puris et absolutis enuntiatur, v. g. *ego te baptizo.* Alia *conditionalis*, cui adnectitur aliqua conditio; 2 alia *certa;* alia vero *dubia:* prout nempe ipsa vel certum vel dubium facit Sacramentum; 3 alia *substantialis;* alia vero *accidentalis:* prout nempe necessario requiritur ad valorem, vel non; 4 alia est *deprecativa;* alia *imperativa;* alia *indicativa:* prout nempe ea vel deprecando, vel imperando, vel indicando profertur.

(1) Jo. 3; Marc. 14; Matth. ult. (2) 3 p. q. 60, a. 5. (3) Sess. 21, can. 2.

(4) *De Syn. Diœc.* l. VIII, c. 10. Quod si diversitas aliqua opponatur materiæ et formæ inter Ecclesiam orientalem et occidentalem, præsertim in Sacramento Ordinis, hæc est dumtaxat circa accidentalia, non circa substantialia, ut probant eruditi. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 12; sed vide dicenda *De Ordinibus* in specie.

Q. 3. *An materia Sacramentorum debeat esse proxima?*

R. Cum proxima Sacramentorum materia sit illa ipsa actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto, cumque sine hac applicatione Sacramentum ipsum confici nequeat, jam patet, Sacramentorum materiam proximam esse debere. Quod vero spectat ad qualitatem proximitatis, certum est in Eucharistia requiri proximitatem sive conjunctionem physicam materiæ cum forma; quia pronomen demonstrativum *hoc*, *hic* non potest verificari, nisi materia sit præsens. In aliis vero Sacramentis *ad eorum validitatem* proximitas talis esse debet, ut secundum moralem hominum æstimationem, *spectata natura Sacramenti cujuslibet*, materia afficiat formam, et forma vicissim afficiat materiam. Hoc est, ut verba ita censeantur, moraliter cadere in talem materiam, ut inde unum totale exurgere judicetur. Ratio est, quia in composito morali, quale est Sacramentum, sufficit moralis simultanietas; ita ut humano modo simul coexistere judicentur: ex quo patet parvulam moram certo non officere.

Diximus: 1 *ad eorum validitatem;* ex præscripto enim Ritualis R. verba uno et eodem tempore, quo applicatur materia, proferenda sunt. Ad scrupulos tamen avertendos communiter advertunt, non esse opus simul formam et materiam incipi, nec simul finiri; sufficit enim ad ipsam licitatem, ut forma proferatur, dum applicatur materia, saltem ante quam desistatur applicari; 2 *spectata natura cujuslibet Sacramenti;* nam conjunctio illa moralis diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum. Sic in Baptismate, Confirmatione, Extrema-Unctione et Ordine conjunctio materiæ cum forma debet esse talis, ut dum minister verba pronuntiat, moraliter censeatur lavare, signare, ungere et consecrare: quod fit, sive materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, sive immediate postquam jam prolata est. Ita communiter contra Cajetanum (qui loquens de Baptismo vult, ut verba ad validitatem inchoentur, priusquam ablutio absolvatur); *qui enim*, inquit Soto, *phyalam ori admovens ait* ego bibo, *et continuo bibit, simul censetur id dicere et facere...; pari ergo ratione, si quis prius dicat* ego te baptizo, *vel* ego te chrismo, *et protinus mergat vel chrismate ungat* (aut viceversa) *sat est; illud enim proximum tempus censetur humano modo præsens.* In Pœnitentia vero aliquamdiu poterit absolutio differri; cum sit instituta ad modum judicii forensis, in quo non semper subito profertur sententia, v. g. post horam a confessione, ut dicit Croix; actu tamen præsens esse debet pœnitens, ut verificetur pronomen *te*. In Matrimonio tandem poterit consensus unius tamdiu sequi consensum alterius quamdiu hic moraliter censetur permanere, uti fit in contractibus, quorum naturam Matrimonium imitatur (1).

Q. 4. *An liceat in Sacramentis adhibere materiam dubiam; vel ea ministrare cum opinione tantum probabili de eorum valore?*

R. Cum valor Sacramentorum pendeat a sola Christi institutione, non vero ab opinione hominum, etsi probabiliore (quæ quidem nequit immutare

(1) Hæc quoad Pœnitentiam et Matrimonium videntur accepta esse apud omnes; quoad alia Sacramenta, hæc, iterum spectata ratione, videntur moraliter certa: sed in praxi sententia Cajetani ut tutior consulenda. — Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 9.

vel supplere quod Salvator voluit esse necessarium ad illorum valorem); patet generatim loquendo et extra casum necessitatis, nos sequi debere quod tutius est: id deducitur etiam ex propositione 1ª ab Innocentio XI damnata. Hinc qui secus agit graviter peccat: 1 contra Religionem, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis; 2 contra charitatem, qua sine causa discrimini se committit proximum fructu defraudandi; 3 contra justitiam; qui hoc ipso quod vult Sacramentum ministrare, se tacite ad valide ministrandum obligat.

Diximus 1 *generatim loquendo;* nam, dum adest vera probabilitas, ea Sacramenta bene possunt ministrari, in quibus potest Ecclesia defectum supplere, causa interveniente: ut evenit v. g. in Pœnitentia, si forte Sacerdos jurisdictione careat; juxta enim causa adveniente ac titulo, censetur Ecclesia jurisdictionem supplere in bonum fidelium. Hoc Viva vocat *communissimum*, Sporer *moraliter certum*, Lugo ait hanc esse *totius Ecclesiæ praxim* (1); — 2 *extra casum necessitatis;* si enim homo sit in extrema necessitate suscipiendi hic et nunc Sacramentum, si præsto non sit materia certa, dubia est adhibenda: sub conditione tamen ob reverentiam Sacramenti. Christus enim pro sua summa erga nos bonitate statuit, ut spirituali hominum saluti etiam cum periculo Sacramenti consuleretur (2).

Q. 5. *An validum sit Sacramentum sub conditione collatum?*

R. Si conditio Sacramento apposita est de præterito, v. g. *baptizo te, si non es baptizatus;* aut de præsenti, v. g. *absolvo te, si capax es*, valet vel non valet Sacramentum, prout existet vel non existit illa conditio; illi enim Sacramentum est alligatum.—Si vero conditio est de futuro contingenti, v. g. *absolvo te, si futurus es sacerdos*, Sacramentum non valet; nam ad valorem forma applicari debet materiæ præsenti: porro cum verificatur conditio, jam forma transiit. Adde valorem Sacramenti non posse suspendi, si matrimonium excipias, quod imitatur naturam contractus. — Si tandem conditio est de futuro necessario, ut si dicatur: *absolvo te, si cras sol oriatur*, valet Sacramentum, nisi revera illud intendatur in crastinum suspendi (3).

Sed (quæres) *an aliquando liceat Sacramentum sub conditione conferre?*— Sine gravi causa id agere læthale est, cum sit nugari in re gravi. Si vero adsit gravis ratio, nullum est peccatum; imo res laudabilis et præcepta. Un-

(1) Imo neque quoad alia Sacramenta est omnimoda certitudo inquirenda, ne scrupulis sit locus. Alioquin esset saltem sub conditione iterandus Baptismus pueri, quem esse baptizatum una tantum mulier affirmat; cum hoc testimonium non sit omni exceptione majus; atqui hoc in jure prohibetur. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 49.

(2) Ex quo ortum est illud adagium: *Sacramenta propter homines, non homines propter Sacramenta.* Sic puero jamjam morituro, si aqua naturalis et sincera haberi non possit, fas erit Baptisma administrare cum aqua etiam liquore permixta. Si tamen postea habeatur materia certa et locus sit, repetendum erit Sacramentum sub conditione; alioquin semper incertum esset, an sit receptum Sacramentum, necne.

(3) Videndum est, si conditio sit de impossibili, num sit nugatorie, an serio posita: si nugatorie, valet Sacramentum; secus non. Quid vero si conditio humanitus cognosci non possit, ut si dicas: *absolvo te, si es prædestinatus?* Viva censet Sacramentum valere vel non valere, prout illa conditio vera est vel non; quia ponitur conditio præsens, quæ Deo nota est. At Concina rectius negat; nam cum Deus commiserit illius administrationem cognitioni ac voluntati hominum, nequit apponi conditio, quæ cadere non possit sub cognitionem humanam.

de certum est licitum esse, imo et debere sub conditione Baptismum conferri, ut cum certo non potest, probabiliter saltem hominis saluti consulatur. Idem dicendum de Confirmatione et Ordine, si dubium sit an quis hæc Sacramenta vere receperit; cum enim ea iterari non valeant, qui ea dubie recepit, semper dubie viveret, an sit vere confirmatus et ordinatus. Sacramentis characteristicis adde Matrimonium, quod pariter non potest iterari, vivente comparte. Imo communiter censent cum Habert, Bonacina, Palao, Roncaglia, Salmanticensibus, Suarez aliisque contra pauciores id quoque licere quoad alia Sacramenta, in casu nempe necessitatis vel magnæ utilitatis. Ratio cardinalis est, quod Sacramenta in hominis utilitatem instituta sunt (1). —Hinc loquendo: 1 de *Eucharistia*, qui prudenter dubitat an verba consecrationis protulerit, ea repetat sub conditione, v. g. *si nondum consecravi:* ita Rubrica; 2 loquendo de *Confirmatione*, in necessitate ea erit etiam solo oleo confecta (si balsamum præscriptum haberi non possit) sub conditione, v. g. *si materia sufficit*, conferenda: ita Benedictus XIV; 3 loquendo de *Ordine*, si fuit omissa in ordinatione libri traditio, ea erit sub conditione repetenda, *si non es ordinatus:* ita S. C. C.; 4 loquendo de *Matrimonio*, si agatur de legitimanda prole et jamjam mater sit moritura, nec satis possit verificari, si prior conjux adhuc vivat, illud sub conditione contrahitur, *si es soluta;* 5 loquendo de *Extrema-Unctione*, si Sacerdos eam conferens dubitet, an infirmus adhuc vivat, eam prosequatur conditionate, *si adhuc vivis:* ita Rituale; 6 tandem loquendo de *Pœnitentia* licitum est prudenter dubitanti, an absolverit, sub conditione, *si nondum es absolutus*, absolvere, ne forsan mutilum sit Sacramentum; ac ne pœnitens privetur gratia, vel ad aliam confessionem obligetur, quod est onus grave, et plerumque impossibile (2).

Aliqui docent ante sæculum VIII non reperiri formæ conditionalis vestigium. Sed Benedictus XIV eos de errore convincit ostendens hoc solum adesse discrimen, quod conditio, quæ prius sola mente retinebatur postea inductum est, ut verbis exprimeretur (3): et hanc disciplinam multis jam in locis receptam Alexander III sæculo XII ubique servandam edixit (4). Hinc in Bulla *Auctorem fidei* n. 27: *deliberatio Synodi Pistoriensis, qua prætextu adhæsionis ad antiquos canones in casu dubii Baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione, dicta fuit* temeraria,

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 25, 27 et 431; et *Homo Apost.* tr. XXI, n. 6.

(2) Idem dicunt si sit absolvendus puer vel semifatuus, de quo dubitetur, an sit compos rationis, vel an habeat materiam sufficientem: absolvatur sub conditione, *si es capax*, ne scilicet diu relinquatur in dubio peccati mortalis. (*V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. ult. n. 38; App. 3ª, n. 8.) Item in dubio jurisdictionis in Confessario, vel an pœnitens sit satis et moraliter præsens. Hoc magis curit de moribundo, si dubitetur, an sit vivus: et tanto magis, si dubia signa præbeat dispositionis, absolvatur sub conditione, *si es dispositus;* quæ tamen conditio non est pro cæteris indiscriminatim usurpanda; nam esset contra ritum, neque sic agendi est necessitas vel causa justa.— *V.* Gousset, *Giustificazione della dottrina di S. Alphonso*, p. 146 etc. ubi testimonio ipsorum rigidissimorum probat, urgente causa, omnia Sacramenta sub conditione ministrari utique posse.

Hactenus dicta non sunt de quolibet dubio accipienda: hinc minister, qui leviter dubitat, nescitque cur timeat, aut solum non recordatur reflexe se verba formæ pronuntiasse, in omnibus omnimodam certitudinem quærens, peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum aut syllabam bis, ter aut quater repetat; qui formam mutat, inducitque Christum quem repræsentat, ridicule agentem.

(3) *De Syn. Diœcesana*, l. VII, c. 6. (4) Cap. 2 *de Bapt.*

praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria. Non tamen necesse est, ut intelligibili voce conditio proferatur: imo dicit Voit ejusmodi conditiones consultius sola mente, quam verbo fieri, si audientes turbari possint (1).

Q. 6. *Quomodonam contingere potest mutatio tum materiæ, tum formæ in Sacramentis?*

R. Dupliciter contingere potest materiæ mutatio: *substantialiter* et *accidentaliter*. Mutationem substantialem patitur materia, quando ex communi judicio eadem amplius non censetur ac illa, quæ a Christo fuit instituta: v. g. si in Baptismo vinum adhibeatur. Accidentalem vero, quando licet ex aliqua parte differat ab illa, quam solet Ecclesia adhibere; adhuc tamen idem nomen, et eandem naturam sibi retinere existimatur: esset siquis aquæ Baptismi cineres, sed in parva quantitate immisceret.—Idem de formæ mutatione dicendum est. Substantialiter mutatur forma, si verba ita mutentur, ut eorum sensus non amplius habeatur: v. g. si quis in Baptismo diceret, *ego te ungo in nomine*, etc. Accidentaliter vero, si etiam mutatis verbis, sensus idem permaneat, saltem qualis ex communi hominum usu intelligitur: v. g. siquis in Baptismo diceret: *ego te abluo,* loco: *ego te baptizo.*

Jam vero mutatio substantialis invalidat Sacramentum: cum amplius non remaneat ritus ille externus et sensibilis, quem Christus instituit. Mutatio accidentalis non sic ob rationem contrariam.

Sex autem modis præcipue mutari potest forma: additione, detractione, variatione, transpositione, corruptione et interpolatione (2):

1. *Additione:* ubi videndum est, an sensus habeatur corruptus, an non. D. Thomas censet esse invalidum Sacramentum, si dicatur: *ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris*, etc.; sic enim sublata est veritas Sacramenti (3). Concina autem censet esse validum, si dicatur: *baptizo te in nomine Patris, quem puto majorem*, etc.; nam error ministri per sejunctam propositionem additus non præjudicat sensui a Christo intento (4); 2 *detractione:* hic videndum est, an quod aufertur, pertineat ad formæ substantiam an non, ut sic judicium feratur de validitate; 3 *variatione:* si verba substituta synonima sint, adhuc fit Sacramentum; quia adhuc remanet sensus formæ: esset si loco *absolvo* dicatur *remitto*. Secus, si substituta verba non sint synonima; 4 *transpositione:* hæc ex Angelico facit per se ac generatim loquendo, mutationem duntaxat accidentalem, ut si dicatur: *te ego baptizo* (5); 5 *corruptione:* notat Angelicus, facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio, ut si loco *patris* dicatur *matris;* quam si fiat in fine, ut si loco *calix* dicatur *calis:* tales enim finales inflexiones sensum non variant

(1) Qui non valet mente quieta revolvere conditionem suis terminis expressam, et tamen Sacramentum conficiat sub conditione, quia advertit hic et nunc ita esse agendum, non est condemnandus. Hinc non est damnandus Sacerdos, qui ex templo accurrens ad infirmum jam sensibus destitutum, illum absolvit sub conditione, quia ita didicit esse in simili casu peragendum; quin tamen præcise sciat quænam sit ista conditio. Item conditiones aliis atque aliis modis possunt exprimi. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 11 et 109. (3) 3 p. q. 60, a. 8.

(4) Item valet Baptismus a Calvinista sic collatus: *auctoritate mihi per Calvinum collata ego te baptizo* etc.; nam error hic non corrumpit formam. Quando porro error ministri non tollit substantialem Sacramenti ritum, Sacramentum subsistit; quia non a sententia ministri, sed a Christi virtute suam efficaciam sortitur. (5) 3 p. q. 60, a. 7.

in communi hominum judicio (1); 6 *interpolatione* vel *interruptione:* hæc erit substantialis, si tollatur orationis unitis: ut si quis, dicto *hoc est,* Psalmum recitet, vel multum immoretur, et postea addat *Corpus meum.* Aliter esset si quis v. g. dicto *ego te,* spueret, silentium imponeret *(zitto, tacete),* ac illico concluderet formam: *baptizo* etc.; adhuc enim esset unitas moralis. Hinc versus:

Nil formæ ponas, nil demas, nil variabis,
Transportare cave, corrumpere verba, morari.

Qui scienter materiam et formam Sacramentorum *substantialiter* mutat, peccat profecto mortaliter: imo et sacrilegii se reum constituit. Nam violat rem sacram divinitus institutam, atque frustraneam reddit, et ideo gravem injuriam irrogat tum Christo et Ecclesiæ, tum ipsis Sacramentis et fidelibus eadem suscipientibus.—Imo peccaret mortaliter etiam mutando *accidentaliter,* si id ageret ex formali contemptu; cum hic ex natura sua sit semper gravis: hic enim dicente D. Bernardo: *convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis* (2). Imo etiam sine contemptu, si res sit multum importabilis, ac sub gravi præcepta, ut esset v. g. aqua consecrata in Baptismate solemni, et azymus in Eucharistia pro latina Ecclesia.

CAPUT TERTIUM

DE SACRAMENTORUM MINISTRO.

Q. 1. *Quisnam est minister Sacramentorum et quotuplex?*

R. Minister Sacramentorum est solus ipse homo viator; cum ipsi tantum de ordinaria Dei providentia id tributum sit: est contra Lutherum, qui etiam diabolo hanc tribuit facultatem. Veritas porro patet ex Scripturis, ubi legitur: *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum* (3). Et Chrysostomus: *his qui terram incolunt atque in ea versantur, commissum est ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent* (4).—Diximus *de ordinaria Dei providentia:* nihil enim impedit, quominus, Deo dispensante, et angeli et animæ corpore proprio solutæ ea possint extraordinarie ministrare, videlicet in assumpto corpore (5).

Duplex distinguitur minister: 1 *ordinarius:* et qui per legitimam ordinationem (6), ideoque munere proprio, ac vi dignitatis suæ Sacramenta confi-

(1) 3 p. q. 60, a. 8. (2) L. I, *de præc. et disc.* (3) Hebr. 3. (4) L. III, *de Sacerd.*

(5) Hic etiam audiendus est Angelicus (3 p. q. 64. a. 7): *Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre.* Porro minister active concurrit ad producendam gratiam Sacramenti *per modum instrumenti si Eucharistiam excipias;* nam gratia producitur ratione illius ministerii.

Diximus: 1 *per modum instrumenti:* nam solus Christus eam producit per modum principalis agentis. Hinc D. Augustinus (tr. VI *in Joanne* n. 7), ait: *Petrus baptizat, hic est qui baptizat,* nempe Christus;—2 *si excipias Eucharistiam,* quia in ea sola distributione confertur gratia, ad quam inde minister non concurrit nisi remote.

(6) Unum excipe matrimonium ex dicendis (*disp.* 1, c. 2, *de Matrimonio*); illius enim minister non est ordinatus; cum in nostra sententia sint ipsi contrahentes.

cit. Est iterum contra Lutherum, qui ordinariam Sacramenta conficiendi et administrandi facultatem tribuit Christiano cuilibet, non exclusis pueris et mulieribus: quod de fide est a Tridentino definitum: *siquis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit* (1). Et sane in quælibet bene constituta societate magis momentosa officia, non cuilibet de societate ipsa deputari debent, sed electis personis; 2 *extraordinarius*, qui nempe conficit quidem aliqua Sacramenta, sed solum ob peculiare privilegium vel specialem delegationem vel urgentem necessitatem.

Q. 2. *Quid requiritur in ministro ad Sacramenta conficienda?*

R. Cum aliud sit valide conficere Sacramenta, aliud conficere valide simul et licite; ideo alia in eodem ministro requiruntur ad validam tantum, alia ad validam simul et licitam eorum confectionem.

ARTICULUS I.—De conditionibus ad validam confectionem.

Q. 1. *Quid requiritur ad validam Sacramentorum confectionem?*

R. Ad validam Sacramenti confectionem requiritur in ministro intentio, id est *deliberata voluntas saltem faciendi quod facit Ecclesia* per illum ritum: nempe faciendi aut quod Christus instituit, aut quod vidit per Parochum fieri, aut quod Christiani faciunt vel vera Ecclesia. Est de fide contra protestantes, qui cum in Sacramentis non aliam agnoscant virtutem nisi fidei excitandæ, ea proinde valere inferunt, quamvis irrisorie conferantur. Veritatem autem catholicam probat non tantum perpetuus Ecclesiæ sensus ac praxis apud Droenium (2); sed Martinus V in Concilio Costantiensi, et Eugenius IV in Florentino. Tridentinum tandem ait: *siquis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit* (3). Ratio ipsa suffragatur: Sacramentorum enim administratio est actio humana; talis autem esse non potest, nisi sit libera: neque libera existimatur, nisi sit ex rationis judicio, et cum voluntatis determinatione. Est nempe administrans instrumentum vivum, liberum et animatum.—Adde: aliter non satis determinari actionem sacramentalem ad rationem Sacramenti: quia, ut ait Angelicus (4), ablutio v. g. potest ordinari ad jocum; ut ergo determinetur ad effectum Sacramenti, requiritur ipsa intentio abluentis. Ita argumentatur etiam Benedictus XIV (5).

Opponunt D. Augustinum, qui ait: *non timeo adulterum, non timeo ebrium... quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic* (Christus) *est*

(1) Sess. 7, can. 10 *de Sacr.* Neque officit, quod Petrus (*Ep.* 1, c. 2) omnes fideles vocet *genus electum; regale Sacerdotium;* eo in loco fideles omnes nonnisi metaphoricæ et improprie appellantur Sacerdotes, quatenus nempe Deo omnes offerre debent sacrificium cordis contribulati, bona opera, preces, laudes aliaque id genus, ut patet ex textu.

(2) Hac ratione Baptismus a fœmina præstigiatrice collatus sub finem sæculi II illico ab omnibus irritus est declaratus, ut refert Firmilianus in epistola ad Cyprianum. Quod autem refertur de Genesio mimice in theatro baptizato, vel id verum non est, ut aliqui dicunt; vel si verum est, fuit invalidum Baptisma, et sane Genesius proprio sanguine baptizatus fuit. — *V.* Liguori, *Opus Mor*, l. VI, nn. 13 et seqq. (3) Sess. 7, can. 11. (4) 3 p. q. 64, a. 8.

(5) *De syn. Diœc.* l. VII, c. 4.

qui baptizat (1); at in ebrio nulla intentio esse potest.—R. In vere ac perfecte ebrio qui actu vino obrutus est, concedo; in ebrioso vero, qui pravum quidem se inebriandi usum habet, quique talis esse potest, etsi et hic nunc nihil vini gustaverit, nego (2). Porro Augustinum non de ebrio, sed de ebrioso loqui ex contextu patet, et accuratiores editiones legunt.

Q. 2. *Qualis intentio requiritur in ministro Sacramentorum?*

R. Intentio, quæ in genere est *actus voluntatis tendentis ad finem per media*, quadrupliciter in Sacramentorum ministro esse potest: actualis, habitualis, interpretativa et virtualis. Erit *actualis*, cum minister hic et nunc actu suo intendit, seu vult Sacramentum conficere. Erit *habitualis*, cum minister habuit quidem jam prius intentionem actualem, neque illam revocavit, sed modo de illa amplius non cogitat: neque ea in aliquo suo effectu amplius permanere censetur. Seu melius est habitus aliquid agendi frequentatione actuum comparatus, qui proinde etiam in ebriis esse potest. Erit *interpretativa*, cum minister nullam quidem nec habuit nec habet intentionem actualem, sed ita dispositus est, ut si adverteret, eam haberet profecto. Erit *virtualis*, cum minister, etsi hic et nunc non intendat actualiter (quia alio mente sua distractus) Sacramentum conficere; agit tamen sola virtute intentionis actualis jam habitæ, quæ censetur perseverare et in ipsam actionem directe influere. Uti v. g. siquis habens intentionem Eucharistiam conficiendi, adeat Ecclesiam, Missam celebret; sed actu quo verba consecrationis pronuntiat, non amplius de ipsa consecratione agenda hic et nunc cogitet.

Porro certum est: 1 non requiri intentionem actualem, licet ea optanda sit: *hoc*, ait Angelicus, *non est totaliter positum in hominis potestate; quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare secundum illud Ps.* 39: cor meum dereliquit me (3). Certum est 2, habitualem intentionem non sufficere, neque interpretativam: non sufficit prima; hæc enim non influit in opus, cum etiam in dormiente esse possit, ideo non facit, ut actio sit elicita humano modo: nec refert, quod ea sufficiat in suscipiente; nam plus certo requiritur in agente, quam patiente. Non secunda: hæc namque non est vera intentio, sed tantum dispositio ad illam. Restat ergo 3 dicendum sufficere intentionem virtualem; hæc enim vere sufficit, ut homo operetur humano modo, cum talis intentio ab actuali procedat. Idque valere dicunt, quamvis sit virtualis implicita: ut si v. g. Sacerdos sacris vestibus, induatur, ad altare accedat et celebret, quin id expresse intendat; nam eo ipso, quo de solito præstat, implicite vult Missam conficere (4).

Et adhuc sufficit intentio coacta, v. g. vi, vel metu; quia vis et metus non auferunt voluntarium: revera sic coactus ponit intentionem suam, quæcumque de causa ponat: hoc Lugo definitum refert in Concilio Toletano IV. Ex-

(1) Tract. 5 *in Joann.* n. 18. (2) *V.* S. Thomas, in 4, d. 6, q. 1.

(3) P. 3, q. 64, a. 8.

(4) Ideo docent AA.: — 1 non opus esse, ut minister ore vel corde reflexe dicat, se intendere Sacramenti confectionem; — 2 immerito et imprudenter de actione sua dubitare illum, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, neque debitam intentionem positive excludit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 18.

cipe matrimonium, quod canones nullum faciunt ex metu injusto initum, ob magnam quam requirit libertatem.

Quid (quæres) *si quis intendat Sacramentum conferre Petro, et ille sit Paulus?*—Iste per se loquendo valide confert; nam in Sacramentis (uno excepto matrimonio, in quo determinatio talis personæ est substantialis) personæ determinatio est tantum accidentalis; cum vera et ultima intentio sit in personam præsentem.—Diximus *per se loquendo*, nam si minister revera alligaret suam intentionem ad determinatam personam, ita ut aliam excluderet omnino, nullum conficeret Sacramentum ex intentionis defectu. Hoc tamen non valet quoad Eucharistiæ distributionem, cum hæc non conficiatur distributione; unde cuicumque baptizato ministretur, semper affectum sortitur.

Q. 3. *An intentio in ministro valeat, si sit mimica et irrisoria?*

Nota: Intentio in ministro potest esse mimica vel seria. *Mimica* seu irrisoria est, qua quis jocose agit, interius nempe exteriusque deridendo: ut si histrio per ludibrium quempiam in theatro baptizaret. *Seria* est quæ joco ac derisione caret: hæc autem vel est externa tantum, vel etiam interna.—Rursus intentio seria et interna vel est inadæquata seu implicita, vel adæquata seu explicita: *adæquata* et *explicita* est qua minister expresse intendit Sacramentum, vel ejus effectus, puta gratiam et characterem producere. *Inadæquata* vero et *implicita* est qua minister, nihil expresse intendit per se; sed tantum vult facere quod tali ritu intendit Ecclesia, se videlicet intentioni Ecclesiæ conformando, licet Sacramenti effectus ignoret.—Erit tandem intentio *seria*, sed *externa tantum*, quando solum in ritu externo minister se conformat Ecclesiæ, id est serio perficit quod facit Ecclesia, sed intus non vult, quod intendit Ecclesia ipsa. His positis:

R. 1. De fide est, non sufficere intentionem mimicam. Leo enim X sequentem Lutheri articulum damnavit: *si Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat pœnitens, se esse absolutum, verissime est absolutus:* errorem etiam Tridentinum damnavit (1). Sane actio ministri sacri debet referri ad ministerium sacrum: sed actio posita per jocum refertur ad solatium et irrisionem.

R. 2. Intentio seria et interna, quæ sit adæquata et explicita est laudabilis quidem, sed non necessaria: nam Nicolaus I consultus a Bulgaris de Baptismo collato a judæo vel a pagano respondit, standum esse pro ejus valore, si constaret collatum cum materia et forma: si enim aliud non constat, censetur in illo fuisse generalis intentio faciendi quod fieri audiverit a vera Ecclesia, tamen ille non intendit conficere Sacramentum et gratiam producere.

R. 3. Intentio seria et interna, licet inadæquata et implicita, utique sufficit: sufficit nempe intentio peragendi id quod facit vera Ecclesia, seu quæ putatur ut talis: *quamvis ille, qui non credit Baptismum esse Sacramentum aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse; et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et*

(1) Sess. 14, can. 9 *de Pœn.*

implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite: verba sunt D. Thomæ (1). Neque requiritur, ut intelligatur Ecclesia ipsa romana; cum certum sit valere Baptisma etiam collatum ab hæreticis, qui Ecclesiam romanam non putant veram Ecclesiam; prævalet enim semper generalis intentio faciendi quod facit vera Ecclesia.

R. 4. Utrum autem intentio seria quidem, sed externa tantum sufficiat, est celebris controversia inducta, ut videtur, ab Ambrosio Catharino e Prædicatorum familia, qui Concilio Tridentino adfuit. Nempe docuit ad veram intentionem sufficere, ut minister serio (non per jocum aut irrisionem) debitam formam materiæ exterius applicet, ut facit Ecclesia, volens videlicet celebrare ritum illum, quem ipsa Ecclesia celebrat; interius tamen non habeat intentionem faciendi illo ritu quod vult facere Ecclesia (2). Ex Tridentino enim (inquiebat) requiritur tantum intentio *faciendi quod facit Ecclesia;* non vero intentio faciendi id, quod intendit facere ipsa Ecclesia. Si secus esset, Ecclesia hæreticos ad fidem redeuntes interrogaret non tantum de materia et forma, qua susceperunt Sacramenta; sed etiam de intentione ministri: hoc tamen non facit; cur? nisi quia ritum exteriorem satis putat.

Ultro nos concedimus, hanc doctrinam a Lutheri et Calvini doctrina differre; nam istorum error in eo erat, quod valeret Sacramentum etiam per jocum ministratum. Negari tamen non potest, ut observat Benedictus XIV (3), grave vulnus huic opinioni inflictum fuisse ab Alexandro VIII, dum damnavit hanc sub n. 28 propositionem: *valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.* Notentur verba *intus in corde;* ergo videtur damnasse Pontifex opinionem, quæ non requirit intentionem faciendi quod vult facere Ecclesia. Adde: Eugenius IV et concilia exigunt in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia; sed Ecclesia non simulat, sed interius intendit facere rem sacram. Adde: D. Thomas habet: *si minister non intendat Sacramentum conferre* (explicite aut implicite), *non perficitur Sacramentum* (4). Hinc Benedictus XIV expresse declarat, contrariam opinionem multum habere difficultatis: et vult, ut Sacramenta characteristica sic administrata iterentur sub conditione, si periculum sit in mora; secus Sedis apostolicæ oraculum exquiratur (5).

Quid (dices) *si minister habeat duas intentiones contrarias?* — Si duæ illæ contrariæ intentiones sunt simultaneæ, valet intentio prædominans, quæ nempe eligeretur, cognita incompossibilitate; cum fortior sit. Quod si sint ambæ æquales minister nihil efficit; nam una aliam destruit. Si vero sint subsequentes, valet posterior: quod si dubium remaneat, dubia erit Sacra-

(1) In 4, d. 6, q. 1, a. 3, q. 3.

(2) Imo illius assecla contendunt adhuc validum esse Sacramentum, licet minister contrariam intentionem gerat, qua nempe nolit actionem suam esse talem Sacramenti actionem, qualem instituit Christus et Ecclesia intendit. «La voluntad contraria, no siendo mas que interna *(ita ajunt apud Gousset)* no tiene mas efecto, que la de un hombre que, dando dinero á un pobre, dijese en su corazon: no quiero hacer limosna.»

(3) *De Syn. Diœc.* l. IV, c. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 23. — P. Perrone, *De Sacr. in genere*, c. 5, nota 3.ª

(4) Opusc. 8.

(5) *Instruz.* 28 febr. 1747.

menti validitas — Hinc si Titius hactenus noluerit matrimonium cum Caja, et tamen libere contrahat cum præsente, qualiscumque illa sit: si hæc sit Caja, et ipse actu sit comparatus, ut nollet contrahere, si sciret esse Cajam, matrimonium est invalidum. Si vero sciens esse Cajam, vellet contrahere, erit validum. Si autem animo ita comparatus sit, ut si sciret esse Cajam, nesciat ipse an eam sit voliturus necne, neutra intentio prævalebit; ideoque tunc verum non erit matrimonium.

Q. 4. *An in ministro ad validam Sacramenti confectionem præter intentionem requiritur etiam attentio?*

R. Attentio externa, qua minister externos ritus humano modo persolvit, utique requiritur; secus non haberetur Sacramentum. At improbabilis et singularis videtur opinio Croix, qui ad valorem requirit in ministro etiam attentionem internam præter intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut nempe hic et nunc intellectus consideret quod actu agit; nam moralitas actus non ab attentione, sed ab intentione agentis procedit. Sane eam non requirunt nec Florentinum nec Tridentinum; cum tamen hæc Concilia necessaria Sacramentorum accurate describant (1). — Attamen ad licitatem collationis utique requiritur attentio et talis, ut absit omnis voluntaria distractio; reverentia enim Sacramento debita id exigit. Verum commune est, non peccare nisi venialiter ministrum, qui voluntarie se distrahit, nisi inde oriatur in ipso periculum errandi, in formis præsertim longioribus: et excepta Eucharistia, in qua hæc voluntaria distractio probabiliter mortalis est; quia non videtur carere irreverentia gravi erga tantum Sacramentum.

Q. 5. *An ad validum Sacramentum requiratur in ministro probitas?*

R. De fide est, quod ad validam Sacramenti confectionem non requiritur in ministro probitas vitæ: est contra Donatistas, qui sæculo IV Ecclesiam diro schismate lacerarunt. Hi docuerunt Sacramenta a peccatoribus, saltem manifestis, collata irrita esse: errorem pluribus confutavit Augustinus, proscripsit autem romanum Concilium sub Melchiade papa, ac denuo Concilium Arelatense. Eumque postea per Waldenses, Albigenses, Wichlephitas et Hussitas renovatum iterum damnavit Concilium Constantiense. Tandem contra protestantes omnes Tridentinum definivit: *siquis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit* (2). Et Chrysostomus ajebat: *nihil læditur gratia Baptismi per vitam Sacerdotis* (3). Et Augustinus ministros comparat modo cum agricola, qui solo mandat semina; modo cum canali, quo devehitur aqua: at agricola licet impius, semini non nocet; item canalis sive lapideus, sive alterius materiæ, fœcundas aquas semper vehit (4). Sane Sacramenta cum gratiam producant ex opere operato, dispositionibus ministri non subduntur: si secus esset, fideles anxii essent continuo, inter-

(1) Sunt qui excipiunt Extremam-Unctionem; quia ejus forma est deprecativa; porro preces cum voluntaria distractione nullæ sunt. Verum hoc communius adhuc negatur; nam hic preces non operantur quatenus preces; sed quatenus pars Sacramenti. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 14. (2) Sess. 7, c. 12. (3) Hom. 8 in I ad Cor.

(4) L. III *contra Crescon.* c. 8; *Tract.* v *in Joann.*, et *De unit. Eccles.* etc.

nam ministri dispositionem non agnoscentes: *quomodo*, iterum Augustinus, *securi erunt, si conscientia dantis attendatur, quod latet oculos accepturi* (1)?

Neque opponas, *quod arbor mala nequit bonos fructus facere.* Id utique verum est, quando arbor mala, idest impius, propria virtute agit; at Sacramentorum minister non agit propria, sed divina Christi virtute. Ita etiam victimæ impiorum dicuntur abominabiles; verum id non est ex parte rei oblatæ, sed ex prava offerentium dispositione. Quod si aliquando Sacramentum ab impio collatum suo frustretur effectu, id non erit, quia impius minister, sed quia susceptor scienter de improbitate ministri participat: quo sensu ajebat D. Ambrosius: *non sanat Baptisma perfidorum, non mundat; sed polluit* (2).

Q. 6. *An ad validum Sacramentum requiratur in ministro fides?*

R. Negative, ideoque valida sunt Sacramenta rite ab hæreticis collata: imo hoc de fide est *quoad Baptismum* sic a Tridentino definitum: *si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma, anathema sit* (3). Hoc est contra Episcopum Agryppinum, qui sæculo circiter III *primus omnium mortalium* (ait Vincentius Lyrinensis *contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem et instituta majorum* (ab hæretico baptizatum) *rebaptizandum esse docuit* (4). Acrius hoc ipsum defendit S. Cyprianus illius in Episcopatu successor contra S. Stephanum pontificem; demum idem renovarunt Donatistæ ab Augustino profligati.

Diximus *quoad Baptismum;* nam quoad alia Sacramenta (si Pœnitentiam excipias), non est quidem expresse definitum, quod fides in ministro ad valide ea conficienda non requiratur; sed est fidei proximum ob intimam analogiam. Virtus enim Sacramenti agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum uti per instrumentum illa conficit: porro effectus alicujus rei sequitur conditionem causæ principalis, non instrumentalis. Hinc Nazianzenus: *non refert, an minister nobis per Sacramenta applicans merita Christi, sit fidelis vel infidelis* (5).—Pœnitentiam tamen excipimus: nam hæretici publici et vitandi eam invalide administrant extra mortis articulum, defectu nempe jurisdictionis.

Neque est inconveniens, quod hæretici, qui sunt ab Ecclesia alieni, baptizando gignant veros Dei filios; nam non gignunt quatenus ab Ecclesia alieni, sed prout veræ Ecclesiæ instrumenta adhibent, quæ quidem apud illos non minoris sunt efficaciæ, quam in ipsa Ecclesia, si omnia a Christo statuta præstent. Quod si nihil talis Baptismus eis inserviat, ideo est quia ad salutem non sufficit *unum Baptisma*, sed insuper requiritur ex Apostolo *unus Dominus, una fides* (6), quam quidem hæretici non habent.

(1) L. I *contra litteras Petiliani,* n. 4; it. *v.* Angelicus, 3 p. q. 64, a. 5; et l. IV *contra gentes,* c. 77. (2) *De mysteriis.* c. 4. (3) Sess. 7, c. 4.

(4) *In common.* c. 9. — *V. Il trionfo della S. Sede,* Opera di Gregorio XVI. — *Storia della Chiesa sino al Pontificato di Gregorio XVI,* p. 88. Torino 1843. Ad Cyprianum quod spectat, alii censent errorem suum retractasse; alii *falce martyrii* suam inobedientiam Pontificio præcepto purgasse, quod quidem disciplinare tantummodo putavit.

(5) Orat. 4 in S. Baptis. — *V.* Klee, *Storia de' dogmi,* vol. II c. 6. (6) Eph. 4.

ARTICULUS II — De valida et licita confectione.

Q. 1. *Quid requiritur ad licitam Sacramenti confectionem?*

R. Ad licitam Sacramenti confectionem præter ea, quæ necessaria sunt ad validam, requiritur: 1 ut minister ritus omnes et cæremonias præscriptas servet, etsi non substantiales, cum sint totidem actiones religiosæ in reverentiam Sacramentorum et fidelium devotionem inductæ, quæ ideo ex Tridentino sine peccato non possunt omitti (1); 2 ut sit in statu gratiæ, tum quia ipse debet in hoc conformare se Christo, cujus ministerio perfungitur: tum quia ad hoc peculiariter ordinatur et gratia peculiari munitur, ut rite et sancte Sacramenta conficiat. Unde Augustinus ait: *omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus* (2). Iterum habet: *videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur* (3). Quod valet etiam de fide; cum sine fide impossibile sit placere Deo. Hinc S. Carolus in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis* sic graviter hortatur ministros: *Sacerdos ad Sacramenta ministranda vocatus, primum sollicite et intime recogitare debet, an alicujus peccati mortalis sibi sit conscius. Quod si reum se esse novit, prius sacramentali Confessione se expiare studebit: contritionem certe habere quam diligentissime curet.*

Certum est autem ministrum Sacramenti, *si agatur de consecrato et conficiat solemniter* in peccato mortali, mortaliter peccare (4). Audiatur Angelicus: *conveniens est, ut Sacramentorum ministri sint justi; quia ministri debent Domino conformari secundum illud Levitici* 19: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum; *et Ecclesiastici* 10: secundum judicem populi, sic et ministri ejus. *Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta, secundum se ipsa, incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale* (5). Et Rituale R. habet: *impure et indigne* (Sacramenta) *ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt.*

(1) Sess. 7, can. 13. (2) Contra *Epist. Parmeniani.*

(3) In Ps. 103. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 31.

(4) *Utrum ministrans in mortali Eucharistiam pluribus, tot mortalia admittat, quod sunt communicantes, an vero unum peccatum?* quæstio est. Alii cum Concina affirmant esse totidem peccata quot sunt fideles, quos minister una vice seu distributione communicat; quia singulæ communiones sunt singula convivia et actiones completæ. Sed probabilius alii negant cum Henno, Viva etc. dicentes pluralitates communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem. Cum verius sit una actio moralis et unum convivium; sicut unum dicitur prandium, quamvis plures sint se reficientes in eo.

Dicimus autem cum Mazzota et Holzman, quod celebrans in mortali quatuor sacrilegia committit: 1 quia *conficit Sacramentum indigne;* 2 quia *Sacramentum suscipit indigne* (secus dicendum, si post sumptionem sumat particulas superfluas; quia hæc ultima sumptio pertinet ad unum sacrificium); 3 quia *ministrat indigno,* nempe sibi; celebrans enim duas agit partes, unam uti sumens, et unam uti minister; 4 quia Eucharistiam *ministrat indigne.* Unde duodecim sacrilegia committit, qui in die Nativitatis tres Missas celebrat in mortali, quia sunt actus de se completi. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 35; et l. V, n. 44.

(5) 3 p. q. 64 a. 6.

Diximus: *si agatur de ministro consecrato et solemniter ministrante.* Nam collatio tum privata Baptismi ob necessitatem facta sive a laico sive a Sacerdote, tum matrimonii in sententia tenente sponsos esse ministros, venialis tantum putatur a Concina aliisque cum ipso Angelico, quia sic conferens *non exhiberet se ministrum Ecclesiæ; sed subveniret necessitatem patienti* (1). Nos tamen censemus probabilius cum Collet ac Lugo hos quoque mortaliter peccare; semper enim ratio clamat, *sancta sancte esse tractanda.* Et licet isti tunc non sint Ecclesiæ ministri, sunt tamen ministri Christi, cujus personam semper repræsentant: unde gravem tum Christo, tum Sacramento injuriam irrogant. Hinc probabilius peccant graviter et laicus et Sacerdos ministrantes non solemniter Baptismum in necessitate, si ministrent in mortali (2); item contrahentes matrimonium in mortali, non solum quia Sacramentum suscipiunt, sed etiam quia illud ministrant: quod locum habet, etsi illud contrahant per procuratorem.

Quod dicitur de Sacramenti confectione, idem currit de illius distributione; cum eadem fere sit ratio irreverentiæ. Hinc nos censemus, Sacerdotes et ipsos Diaconos graviter delinquere, si in mortali distribuant Corpus Christi; maxime cum sint ad hoc specialiter deputati: primi ex officio, alii ex commissione. Hinc in ipso veteri fœdere habetur: *mundamini qui fertis vasa Domini* (3). Et in novo Apostolus docet: *dispensatorem Dei oportere esse sine crimine; et Diaconos ministrare nullum crimen habentes* (4). Ex quibus omnibus infertur, omni temporis momento debere obstetrices in gratia vivere; cum ex earum munere omni momento vocari possint ad lavandas mulieres ac infantes baptizandos. Quod magis dicendum de Sacerdotibus ad ampla nosocomia vel communitate deputatis. Et fortius de Parochis, quibus maxime hæc obligatio incumbit.

An (quæres) *minister sibi conscius mortalis teneatur confiteri antequam Sacramenta conferat; an vero sufficiat conteri?* — R. Si agatur de Eucharistia, certum est et conficientem et suscipientem teneri sub gravi ex Tridentino Confessionem præmittere (5). Quoad alia vero Sacramenta idem affirmant Concina, Collet, Merbesius ex Catechismo R.; siquidem semper eadem pro omnibus Sacramentis militat ratio irreverentiæ; certitudo autem status gratiæ per contritionem perfectam difficillime habetur.—Longe tamen plures (ait Antoine) id negant, et quidem probabilius; tum quia tale præceptum nulla lege habetur, et Tridentinum illud non imposuit, nisi casu quo agatur de Eucharistia; tum quia Rituale R. sic habet: *Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat; sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Verbum *convenit* satis declarat Confessionem esse tantam de majori convenientia: quo sensu explicant Catechismum romanum. Quod etiam currit de ipsius Eucharistiæ

(1) L. cit. ad 3.

(2) Excipe nisi periculum sit in mora, ut si infans sit mox mox decessurus, nec casus prævideri potuerit; non enim habetur ratio accidentis.

(3) Is. 52.

(4) I Tim. 3; et tit. 1.

(5) *V.* de Eucharistia, ubi *de dispositionibus.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 34.

distributione: unde ajunt, sufficere in ministro moralem ad se justificandum diligentiam per contritionem, nec requiri summam per Confessionem. Ita Billuart, Cabassutius, Gousset, Croix, Elbel, Layman, Roncaglia, Patuzzi, Sporer, Suarez, Viva, etc.

Q. 2. *An teneatur Sacerdos Sacramenta ministrare?*

Nota: Hæc quæstio maxime instituitur de Baptismo et Extrema Unctione, et præcipue de Pœnitentia et Eucharistia, cum hæc plus minusve necessaria esse possint. Quoad cætera erit suis locis. Hoc posito:

R. Si agitur de Pastoribus animarum, vel de iis quibus specialiter id oneris impositum est; certum est eos ratione muneris et stipendii teneri ex justitia Sacramenta ministrare subditis etiam cum periculo vitæ in gravi, ac multo magis extrema eorum necessitate. Item commune est, eos teneri ex justitia Sacramenta ministrare subditis rationabiliter postulantibus, etiam extra casum necessitatis; cum pro subditis *constituti sint in iis, quæ sunt ad Deum* (1): unde vix possunt excusari a peccato mortali, nisi forte tantum semel aut iterum defuerint. Parochum sic monet S. Carolus: *quacumque diei vel noctis hora ad Sacramenta infirmis ministranda Parochus vocabitur, nullam moram interponat. Imo populum præmonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis neque loci distantis ratione* (2). Item audiatur card. Gousset: «Un párroco y hasta un vicario no debe olvidar jamás que ha de responder delante de Dios de los demás que le han sido confiados. Pondrá pues el mayor cuidado en que sus feligreses se aprovechen de los sacramentos con toda la frecuencia posible; porque esta frecuencia es el medio mas eficaz para conservar en los cristianos el santo temor de Dios, la piedad y la fe. Vigilará principalmente que la reciban durante sus enfermedades. Exhortará á los pueblos de su cargo á que acudan con confianza á su ministerio, haciéndoles ver que la mayor aflicción que pueden causarle es el descuido de sus intereses espirituales.»

Pastoribus vero aliisque Vicariis deficientibus, cæteri ministri generatim loquendo (etiam laicus, ubi agatur de Baptismo) tenentur ea ministrare ex charitate: etiam cum periculo vitæ in extrema alicujus, vel gravi communitatis necessitate. In gravi autem alicujus necessitate tenentur tantum cum incommodo levi; sic namque ordo charitatis postulat (3).

Q. 3 *An liceat simulare vel dissimulare Sacramenti confectionem?*

R. *Simulatio* est positio alicujus signi exprimentis aliquid contra illud, quod habetur in mente; *dissimulatio* autem est omissio signi ut inde aliquid menti contrarium significetur. Unde simulatio in Sacramentis habetur quando a ministro ita ponitur actio sacramentalis, ut exterius non appareat illius fictio seu defectus ob quem Sacramentum redditur nullum, uti v. g. si quis serio ponat materiam et formam, sed sine intentione faciendi quo d facit Ecclesia, seu Sacramentum. Habetur vero dissimulatio, quando hæc fictio seu defectus est exterior, et potest agnosci, uti v. g. si non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud

(1) Hebræor. 8. (2) In suis *Instructionibus*.

(3) Vid. quæ dicta sunt *de Obligat. Presbyt. simplicium.* ac *de Parochis.* — It. Liguori, *Homo Apost.* tr. VII, n. 24; et *Praxis Confess.*

a Sacramento. Tam simulatio quam dissimulatio duplex est: *formalis,* si directe alterius deceptio intendatur, et hæc illicita semper, cum sit mendacium; *materialis* si nempe alterius deceptio solum permittatur; de qua nunc quæritur. Hoc posito:

Dicimus 1: numquam licet simulare Sacramentorum administrationem; quia esset mendacium in re gravissima et gravis Dei illusio. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 29 propositionem: *urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Hinc in nullo casu licet proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum; vel hostiam non consecratam pro consecrata præbere; vel celebrare Missam non proferendo verba consecrationis. Quod valet, paritate rationis etiam de suscipiente; nam faceret injuriam Sacramento illud frustraneum reddendo.

Dicimus 2: dissimulatio, secluso scandalo et contemptu et cum causa, licita est; nam neque fit injuria Sacramento, cum illud non frustretur; neque mendacium committitur, cum non intendatur directa proximi deceptio; sed simpliciter veritas occultetur, quod quidem justa accedente causa omnes cum D. Thoma permittunt. Hinc licet Confessario super indispositum recitare orationem cum signo crucis pro absolutione; item licet si pœnitens minetur mortem ob negatam absolutionem recitare super illum aliquam orationem, non jam intendendo deceptionem pœnitentis; sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis pœnitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis (1).

Q. 4. *An liceat Sacramenta petere, aut suscipere ab indigno?*

Præmittendum ministrum quemlibet semper præsumi dignum, nisi aperte constet oppositum; nam, ex Apostolo, *charitas non cogitat malum* (2). Hoc posito:

R. 1: A ministro indigno ob peccatum mortale, nisi gravis adsit causa, nefas est petere aut recipere Sacramenta, tum ob reverentiam ipsis debitam; tum ob charitatem quæ postulat, ne *ponamus offendiculum fratri vel scandalum* (3). Diximus *nisi gravis adsit causa,* nam in omnium sensu fas est, causa interveniente, ab alio petere rem bonam licet ex pravitate sua eam cum peccato sit præstiturus. Causa autem justa et gravis erit, si urgeat præceptum Confessionis vel Communionis vel Missæ audiendæ; si ex dilatione Confessionis sit periculum relapsus, vel manendi, licet ad horam, in mortali. Ubi notamus minorem causam requiri, ut petatur Sacramentum ab eo, qui tenetur illud ministrare ex justitia, quam ab eo, qui illud debet tantum ex charitate: item minorem pro ministro jam parato ad ministrandum, quam pro imparato: item longe minorem pro peccatore occulto, quam pro publico peccatore ratione scandali.

(1) Item dicunt communiter quod non est illicitum, si quis matrimonium contrahit vel ex gravi metu, vel cum scientia impedimenti dirimentis, urgente gravi necessitate; nam tunc cum desit verus contractus, desit et materia et forma Sacramenti, ideo proprie non simulatur Sacramentum, cum non ponendo contractum, nec actio sacramentalis ponatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 59. et 659.

(2) 1 Cor. 13.

(3) Rom. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 88.

R. 2: A ministro indigno ob aliquam tantum censuram aut inhabilitatem canonicam, utrum liceat petere aut recipere Sacramenta, videndum est, an ipse sit vitandus, vel non vitandus. — Si 1, non licet ob gravem Ecclesiæ prohibitionem: excipe casum gravissimæ necessitatis, in qua certe licet petere Baptismum et Pœnitentiam, cum sint tantæ necessitatis: idem docent de Extrema-Unctione, si infirmus aliter juvari non possit; de Ordine, si communitas egeat Sacerdotibus; de Matrimonio, si fama contracturi vel prolis bonum postulet. — Si 2, Sacramenta accipere et petere licet juxta veriorem sententiam; Concilium enim Constantiense indistincte concessit fidelibus cum toleratis communicationem. Neque probabilius ad talem communicationem requiritur causa; ratio quia quando excommunicatus toleratus rogatus communicat Sacramenta ministrando, nec ipse tunc peccat, si jam aliunde non existat in mortali; nam si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus a Concilio; dum eis saltem indirecte, ratione charitatis, prohiberetur communicatio (1).

Pro praxi *Conférences d'Angers* hæc notant: «por cierto que seria cosa fuera del caso el poner ansiosos á los fieles acerca el mérito ó indignidad del ministro que les ha administrado los Sacramentos, por mas que ellos muestren muchos deseos de cerciorarse de ello: es preciso pues portarse con santa simplicidad en semejantes circunstancias. Cosa muy justa es que para el sacramento de la Penitencia elijan al que mas confianza les inspire; persuadiéndose sin embargo ser sus propios pastores, ó aquellos que especialmente están encargados de administrárselo, quienes tienen derecho á una tamaña confianza. Generalmente hablando no es á ellos á quienes toca inquirir sobre la conducta que observan los ministros de los Sacramentos, averiguaciones odiosas en sí mismas, peligrosas en la práctica, y demasiado onerosas para ellos siempre que se les hiciera de ello un deber. Y esta es una advertencia de Billuart, la que por cierto es muy juiciosa y prudente. Desde el momento que no hay peligro de seduccion, peligro demasiado grande por despreciarse, no corren el mismo riesgo en juzgar que todos los sacerdotes que ejercen el santo ministerio públicamente y con aprobacion del Obispo, están en sus debidas disposiciones para ejercer las funciones sagradas siempre y cuando se presentan para administrar los Sacramentos, ó que quieren hacerlo cuando uno se dirige á ellos. No basta el haber sido testigo de alguna falta que habrán cometido poco antes para pasar á juzgarles indignos de ejercer las funciones del sagrado ministerio. Desde el momento que ellos determinan hacerlo, se puede ya presumir que no pasarian adelante, si no se hubiesen antes reconciliado con Dios por medio de la penitencia.

Q. 5. *Quid Synodus Novariensis de Sacramentorum administratione?*

R. Præter communes conditiones ad licitam administrationem, sequentes præcipue præ oculis habendæ sunt ex Synodo Novariensi: — 1 ut sacer minister indumentis opportunis (exclusa necessitate) semper utatur, nempe veste talari, superpelliceo et stola; ac omnia graviter perficiat. Item vasa et instrumenta ad talem administrationem curet, ut sint munda, neque omnibus obvia; — 2 ut non administret extra Ecclesiam, neque in aliena Parœcia sine

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 139.

Parochi consensu. Atque semper Rituale R. (quod in qualibet Parœcia retinendum) adamussim consulat: neque memoriæ nimis fidat in recitandis precibus. Ne quid autem a suscipiente accipiat, nisi quod sponte, lege vel laudabili consuetudine præstari solet (1);—3 ut Parochi populo Sacramentorum institutionem, dignitatem, vim, usum, necessitatem et mysticam rituum significationem exponant; ac dispositiones ad eorum susceptionem *(pag.* 75).

Scholium. — *De probitate ministri quoad alias functiones sacras.*

Q. 1. *An sit mortale functiones sacras in mortali exercere ?*

R. An sit mortale functiones sacras, quæ non sunt confectiones neque administrationes Sacramentorum, in mortali exercere, alii affirmant cum S. Thoma, qui ait: *quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat: unde patet, quod mortaliter peccat* (2). Alii communius et satis probabiliter negant cum Suarez; nam istæ functiones, cum non sint proxime ordinatæ ad sanctificationem, non videntur exigere sub gravi exercentium sanctitatem: adde, cum non constet de gravi præcepto, non est facile imponendum. Ex quibus deducitur:

1. Probabiliter non peccat mortaliter Subdiaconus ministrans solemniter in mortali. Imo neque Diaconus; licet enim Diaconatus sit Sacramentum, non tamen Diaconus ministrans facit Sacramentum: quod autem Apostolus Diaconos velit *sine crimine esse*, ideo est, quia tunc temporis ipsis incumbebat Eucharistiam ministrare. Tanto minus ergo mortaliter peccat Clericus minores Ordines in mortali exercens; — 2 probabiliter non peccat mortaliter Episcopus, si in mortali conficiat Chrisma vel Oleum sanctum. Quamvis enim hæc benedictio sit necessaria ad Sacramentum; non ideo tantum Episcopus benedicens Sacramentum conficit; neque proxime ad illud concurrit; — 3 communissime ac probabilius non peccat mortaliter Episcopus vel Sacerdos, qui in mortali dedicat templum, benedicit vestes, assistit matrimonio (in nostra sententia, in qua illius ministri sunt contrahentes, non Sacerdos), conficit aquam lustralem, exorcizat, etc.; quia non facit Sacramentum (3).

Q. 2. *An qui concionatur in mortali peccet mortaliter?*

R. Distinguendo: vel concionator est publicus peccator, vel occultus:

Si 1, non excusatur a mortali; quia doctrinæ finem impedit, facit ut contemnatur prædicatio, ac scandalum præbet. Unde ait Apostolus: *qui alios doces, te ipsum non doces* (4)? hoc tamen testimonium intelligunt de illo concionatore, qui increpat vitium, de quo ipse est publice diffamatus. — Si 2, probabilius et communius concionator non peccat, nisi venialiter ob aliquam

(1) Taxæ pro functionibus præstabilitæ, inconsulto Episcopo, non immutentur, ne fiat locus jurgiis, dissentionibus ac scandalis.

(2) In 4, d. 24, q. 1, a. 3, q. 5. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 37 et seqq.

(3) Idem non improbabiliter ajunt de eo, qui Eucharistiam tangit vel processionibus eam gestando vel ea populo benedicendo. Id tamen alii valde probabiliter docent esse mortale ob maximam, quæ tanto Sacramento debetur, reverentiam. Billuart distinguit, dicens peccare graviter tangentes immediate Eucharistiam in mortali, non vero tangentes mediate, puta in Ostensorio cum gradus valde diversus irreverentiæ sit in uno casu, quam in alio.

(4) Rom. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 41.

tantum irreverentiam ; tum quia nulla est lex graviter obligans ; tum quia doctrinæ scopus non impeditur, cum sit crimen occultum ; tum quia prædicatio non est exercitium Ordinis, sed Officii Ordini adnexi. Ita Croix, Gonet, Layman, Lugo, Salmanticenses, Sporer, Suarez, Vasquez, etc.

CAPUT QUARTUM

DE SACRAMENTORUM SUBJECTO.

Solus homo viator est subjectum Sacramentorum ; cum in eo solum omnis vera justitia vel incipere vel cœpta augeri possit vel amissa reparari. Sacramenta autem ad hæc producenda instituta sunt (1).

Q. 1. *Quid requiritur in subjecto, ut valide Sacramenta suscipiat?*

R. 1. Baptisma omnino prærequiritur in subjecto ad valorem aliorum Sacramentorum, quæ pro solis Ecclesiæ membris sunt instituta : et per Baptisma solum de ipsius Ecclesiæ, Christique corpore homines efficiuntur. Hinc infidelium matrimonium, etsi fieret juxta ritum Ecclesiæ, semper esset merus contractus : hinc etiamsi Judæo Eucharistia ministraretur, ipse reciperet quidem Corpus Christi ; sed materialiter tantum, sicut in pyxide recipitur.

R. 2. In infantibus, et amentibus a nativitate ad valide suscipienda Sacramenta quorum sunt capaces, nimirum Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem, nulla requiritur dispositio ; quia nullam habere possunt. Pro his supplet Christi et Ecclesiæ intentio.

R. 3. In adultis ad validam uniuscujusque Sacramenti susceptionem requiritur intentio. Hinc S. Thomas de suscipiente Baptismum ait : *si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus* (2). Id statuit Concilium Carthaginiense IV (3), Arauxicanum I (4), Aurelianense III (5), et Innocentius III (6) : quod etiam perpetua Ecclesiæ praxis firmat. Et congruenter ; neque enim nisi vere volenti gratia tribuenda est : *sicut ad hoc*, inquit Angelicus, *quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur... in habente usum liberi arbitrii voluntas qua eum, veteris vitæ pœniteat, ita requiritur... voluntas qua intendat vitæ novitatem.* Excipe tamen Eucharistiam, quæ cum jam Sacramentum sit, a suscipientis voluntate non pendet.

Sed quænam intentio (quæres) *requiritur in adultis?* — Dicimus : 1 ad Pœnitentiam et Matrimonium suscipiendum requiritur intentio virtualis : *ad Pœnitentiam ;* quia in hac pro materia requiruntur actus pœnitentis ipsius, qui haberi non possunt sine voluntate saltem virtuali : excipe casum moribundi sensibus destituti, qui sub conditione absolvendus est, etsi nulla col-

(1) Tridentinum, ses. 7 *Decr. de Sacr.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. n. 78.
(2) 3 p. q. 68, a. 7. (3) Can. 34. (4) Can. 12. (5) Can. 7.
(6) Cap. *Majores* de Bapt. Hæc autem intentio habetur, cum quis vult suscipere quod eo ritu Ecclesia præstat. Ex quo patet non sufficere intentionem *neutralem*, illius nempe, qui nec dissentit nec consentit : quia veram ac positivam, de qua loquimur, intentionem non haberet. Certum est etiam intentionem internam esse debere. Hinc Angelicus ait in Suppl. 3 p. q. 45 a. 4 ; *si aliquis ablutionem exteriorem reciperet non intendens recipere Sacramentum, sed iuuum et dolum facere, non esset baptizatus.* At sufficit intentio implicita et inadæquata, ut diximus de ministro : nempe ut quis sincere id velit suscipere quod eo ritu præstat Ecclesia, licet inane credat.

ligi possit intentio; supponitur enim: aliunde ipse adjuvandus est meliori, quo potest, modo (1). *Ad Matrimonium;* tum quia ad contractum requiritur consensus saltem virtualis; tum quia cum uterque conjux in nostra sententia non solum sit subjectum, sed etiam minister, certe requiritur in ipsis intentio illa, quæ requiritur in ministris aliorum Sacramentorum; —2 in cæteris Sacramentis sufficit intentio habitualis; in his enim ad valorem non requiritur, ut suscipiens modo humano agat; sed sufficit ut sic subjectum capax, qualis revera est, si jam prius habuerit, nec retractaverit intentionem Sacramenti suscipiendi. Id tenet universalis Ecclesiæ praxis: id expresse docet Benedictus XIV Instructione *Postremo*. Hinc si constet, dormientes, ebrios, et lapsos in amentiam prius habuisse intentionem Sacramentum suscipiendi, communissime et probabilius affirmant iis valide Sacramenta administrari. Attamen illicitum est Sacramenta hisce conferre (nisi sint in probabili mortis periculo, vel nisi impedimentum censeatur perpetuo duraturum); id enim postulat Sacramenti reverentia.

Quid (dices) *de intentione generali seu interpretativa, quæ nempe non fuit quidem habita; sed habenda præsumitur in subjecto, si suæ non esset incapax rationis?* — Ea intentio certe sufficit in Extrema-Unctione, uti patet ex Rituali: item et in Confirmatione et Eucharistia, uti docent plurimi cum Lugo, Croix, Sporer, Concina, Suarez, etc.; nam voluntas semper ac recte supponitur adesse ea suscipiendi Sacramenta, quæ Christianis communiter dari solent, tamquam remedia communia, nec specialem suscipientis concursum requirunt, ut sunt tria prædicta. Sed certe non sufficit sola voluntas interpretativa in Pœnitentia, in qua requiruntur actus pœnitentis; neque verius in Matrimonio, quod requirit contrahentium consensum; item neque in Baptismo et Ordine; quia sine ipsius voluntate nemini adultorum imponi debet obligatio perpetua legum Ecclesiæ atque status Clericalis (2).

Q. 2. *An ad validitatem Sacramentorum præter intentionem in suscipiente requiratur etiam attentio, itemque fides et probitas?*

R. Attentio non requiritur; quia actus humanus non procedit ab attentione, sed a voluntate, sive intentione: hinc frustra scrupulis agitantur aliquando pœnitentes, eo quod distractiones passi fuerint tempore, quo absolvebantur; vel absoluti fuerint, quin ad id animadverterint. Item neque requiritur fides aut probitas: patet 1 ex Augustino, qui ait: *hoc quidem plurimum interesse ad salutis viam, sed non ad Sacramenti quæstionem* (3); 2 ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ semper prohibuit hæreticos conversos rebaptizare; 3 ex ratione; nam Sacramentum non perficitur hominis justitia, sed Dei virtute. Excipe Pœnitentiam; cum actus pœnitentis sint illius materia, et inter materiam sit etiam contritio, contritio autem vera esse nequit sine fide et pietate.

Q. 3. *Quænam sunt conditiones in subjecto, ut non solum valide sed etiam licite et utiliter Sacramenta suscipere possit?*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 80 et seqq.

(2) Quod si qui inviti narrantur ordinati, illi humilitate prius reluctantes, postea divinæ vocationi trementes præbuere assensum, ut narrat genuina historia.

(3) *De Bap.* c. 14.

R. 1. In infantibus et perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, ut Sacramenta utiliter suscipiant; cum sint nullius capaces.

R. 2. Quoad adultos vero præmittimus Sacramenta alia dici *mortuorum*, quæ hominibus divinæ gratiæ mortuis conferuntur, et sunt Baptismus et Pœnitentia: alia *vivorum*, quæ hominibus jam gratiam habentibus ad eamdem augendam tribuuntur, et sunt cætera omnia. Hoc posito, dicimus: 1 ad recipienda *Sacramenta mortuorum* requiritur in adultis dispositio fidei, spei et doloris de peccatis: fidei, quæ est ex Tridentino *fundamentum et radix omnis justificationis* (1); spei, *qui enim non sperat non accipiet aliquid a Domino* (2); doloris de peccatis, quia sine pœnitentia non fit remissio. Hoc tamen intellige in baptizando de actualibus, si quæ habeat: non de originali; quia facti alieni neminem potest pœnitere (3); 2 ad utiliter suscipienda *Sacramenta vivorum*, requiritur in adultis status gratiæ præexistens; quia ipsa ad gratiæ augmentum instituta sunt, atque nonnisi per accidens aliquando conferunt primam gratiam. Hinc deducitur graviter peccare qui ea in mortali susciperet: imo gravius eo, qui vel conficeret vel ministraret; quia non solum illa indigne tractaret, sed et inanem redderet eorum significationem, et gratiæ obicem poneret, sicque gravissime Christo illuderet (4).

Sed (quæres) *an aliquando licitum sit in mortali suscipere Sacramenta vivorum, si casus extemplo contingat, ut si v. g. jamjam sit Hostia ab hæretico profananda?*—R. Alii negant, quia ex una parte illico contritionem elicere quis potest, si ad Deum recurrat; ex alia nulla est impurior cloaca immundo corde. Sed communius affirmant cum Croix et Lugo: idque pro rarissimo casu non videtur improbabile, si subito irruat hostis; nam difficillimum est contritionem extemplo elicere. Et tunc in mortali existens non sumeret Eucharistiam uti Sacramentum, sed illam absconderet in corpore suo sicut in pariete ad majorem cavendam injuriam. Idem dicunt de laico accumbente in scamno communicantium, qui mortalis recordetur et subito conteri nequeat. Hi tamen susciperent Sacramentum sine fructu.

Q. 4. *An Sacramenta sint indignis deneganda?*

R. Fatentur omnes graviter peccare ministrum, qui Sacramenta daret indignis (excipe, si indignitas ex Confessione nota sit, ob inviolabile sigillum); quia et malæ eorum susceptioni cooperaretur, et se infidelem exhiberet dispensatorem. Hinc Christus: *nolite Sanctum dare canibus* (5): ubi *canum* nomine ex Ss. Patribus veniunt peccatores. Unde non est dubium quod Sacramenta indignis deneganda sint, si occulte petant; quod evenit, quando reperiuntur soli cum ministro, vel cum aliis paucis nullius fere momenti, ut sunt pueruli et similes. Verum ut licite Sacramenta denegari possint ac debeant, generatim loquendo de petentis indignitate constare debet; quia ne-

(1) Sess. 6, cap. 8. (2) Ep. Jacobi.

(3) Non tamen requiritur gratia; quia secus requireretur pro dispositione id, ad quod producendum ea Sacramenta sunt instituta.

(4) An qui sibi conscius est mortalis, teneatur sub gravi etiam Confessionem præmittere, ut licite vivorum Sacramenta suscipiat, affirmant loquendo de Eucharistia ex Tridentino; de cæteris communius et probabilius negant. — *V. de ministro*, c. 3, a. 2, q. 2.

(5) Matth. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 43.

mo præsumendus malus, nisi probetur, et fideles ad Sacramenta jus habent, ac ministri ea dispensandi debitum. Hoc tenet etiam in dubio de indignitate; quia possidet petentis dignitas : secus in dubio de pœnitentia criminis certi; tunc possidet crimen, nisi adsint alia adjuncta.

Diximus *generatim loquendo;* quia ministri in Sacramentis quibusdam constituuntur etiam quasi judices: et ideo debent inquirere in ea, ac de suscipientium dignitate prudens judicium sibi comparare. Sic in Baptismo cum agitur de adultis, debent inquirere de consensu et dispositionibus. In Pœnitentia de pœnitentis actibus, qui illius materiam constituunt. In Ordine de ordinandorum scientia et probitate. In Matrimonio de impedimentis, si quæ adsint.

Quid (quæres) *si indignus Sacramenta publice petat?*—R. Vel publice petentis indignitas publica est jure, facto aut fama; vel est occulta.

Si 1, docent communiter cum S. Thoma, Sacramenta esse illi deneganda et tenere præceptum illud: *nolite Sanctum dare canibus* (1). Quod confirmatur tum ex Bulla Benedicti XIV *Ex omnibus;* tum auctoritate Ritualis R., quod publice indignos præcipit arcendos, ut sunt notorie excommunicati, interdicti, manifestique infames, meretrices, concubinarii (item et personæ civiliter tantum nuptæ), fœneratores, blasphemi et similes: *animam potius tradam meam*, ajebat D. Chrysostomus de distributione Eucharistiæ, *quam Dominicum alicui Corpus indigne concedam* (2). At excipe: 1 Pœnitentiam, quæ cum pro peccatoribus quibuscumque sit instituta, nemini sincere pœnitenti est deneganda, nisi sit specialiter prohibita, v. g. ob censuras reservatas; vel quia debet prius satisfacere, aut cautionem satisfaciendi præbere (3); 2 justa et gravi interveniente causa, etiam Matrimonium: sic aliquando Ecclesia permittit cum hæretico contrahere; 3 casum mortis, ut cum peccator sensibus destitutus in eo puncto collocatus est; tunc enim præsumitur, ut quantum in se est se ipsum pœniteat; ideoque gratia Sacramentorum adjuvandus, ne forsan pereat qui per Sacramenta salvari potest.

Si 2, non possunt indignis Sacramenta denegari. Ita omnes cum S. Thoma, qui ex Eugenio papa id confirmat exemplo Christi, qui Judam non repulit a communione (4). Sane peccator occultus habet jus ne publice infametur; at infamaretur, si palam repelleretur a sacra mensa. Adde si secus esset, plura inconvenientia evenirent; nam etiam boni retraherentur timentes, ne odio vel imprudentia Sacerdotis rejiciantur: hinc odia, dissentiones, pastorum Sacramentorumque despectus. Sed excipe:—1 *Ordinem;* qui enim se

(1) 3 p. q. 88, a. 6. — Id fiat tamen prudenter: ad rem Gousset: « Cuando se crea que no pueda admitirse á una persona, debe alejársela, ó mas bien alejarse de ella sin ruido, sin gritos, sin permitirse una observacion; si la persona insta, se le responderá que con *gran sentimiento* no es posible administrarle el sacramento que pide. Si una persona notoriamente indigna de la comunion se acercase á la sagrada mesa, se pasará adelante sin comulgarla; si es sola, el sacerdote permanecerá en el altar, y le hará decir que puede retirarse sin decir jamás el porque no se la comulga. Y cualquiera que sea el resultado de esta despedida, el cura se abstendrá de hacer entender al público los motivos que puedan hacer purgar su conducta; de otra manera podria ser perseguido por difamador. Esta advertencia es muy importante. »

(2) Homil. 60 *ad popul. Antioch.*

(3) *Sexto Decr.* l. V, t. v. *de usuris*, c. 2.

(4) 3 p. q. 81, a. 2.

ingerit in munia publica sine idoneitate repelli etiam debet cum illius infamia, si aliter non possit, ob publicum bonum; et quamvis etiam delictum juridice probari nequeat. Ita ex Tridentino (1), atque responso S. C. Congregationis ad Episcopum vercellensem 22 martii 1643, et cardinalem Barberinum 21 apr. 1668: in quo etiam habetur, Episcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obstringi posse ad manifestandam causam, cur repellat; neque ei qui repulsus est, ullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem apostolicam, eique suas querelas exponere (2);— 2 quandoque etiam *Matrimonium,* cui Parochus assistere prohibetur, si vel impedimentum aliquod agnoscat (extra Confessionem tamen), vel sciat sponsos rudimenta fidei ignorare: idque ad prolis legitimitatem atque educationem tuendam.

Quid (addes) *si petentis indignitas nota sit plerisque ex præsentibus, sed non omnibus?*—Probabilius docent cum Suarez non esse tunc indigno deneganda Sacramenta; quia ipse famam suam adhuc possidet respective ad illos, qui ejus crimen ignorant. Idem dicimus si petentis indignitas non sit nota in loco, ubi petit Sacramenta, sed in alio (nisi indignitatis notitia prævideatur etiam eo facile et brevi perventura); nam indignus eo in loco suam famam possidet (3).

An (inquires) *possint Sacramenta dari publice indignis, si alioquin minitentur mortem vel alia damna gravissima?*—R. Affirmat Croix tunc dari posse Sacramenta publice indignis, si ea non petantur in odium fidei, vel in contemptum Religionis; quia licite permittitur alterius peccatum ad propriam tuendam vitam. Sed nos tenemus oppositum cum Concina; nam esset directe cooperari sacrilegio, quod in nullo casu licet (4).—Aliis tamen sic placet respondere cum Alasia: si indignitas pœnitentis non faciat validum Sacramentum, ut si valide baptizatus velis iterum a te baptizari, vel si quis te compellat ad dandam Extremam-Unctionem infanti, aut indisposito absolutionem, tunc non licet: quia non Sacramentum, sed ejus abusus daretur, quod est malum intrinsecum. Si vero indignitas respicit dumtaxat licitatem, sed adhuc relinquat Sacramentum validum, uti si peccator te compellat ad Eucharistiam ei ministrandam, ajunt posse tunc illam, urgente causa, tribui: et culpa sumenti imputabitur; quia verum Sacramentum daretur ac res bona, qua tamen alter ex mera sua malitia abutitur. Sic permittitur ex causa, ut Catholicus cum hæretica matrimonium iniat; et tunc minister est tantum causa occasionalis irreverentiæ, quam impedire non tenetur cum vitæ periculo, vel suo gravissimo damno.

(1) Sess. 4, c. 1 de R.

(2) Ita Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XII, c. 8, n. 4.

(3) Ita Cabassutius et Vasquez contra alios, qui contrarium docent hac ratione, quod ille utpote indignus jam amiserit jus ad famam. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 43 etc.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 49.

CAPUT QUINTUM

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS AC CÆREMONIIS.

Q. 1. *Quotuplex est effectus Sacramentorum?*

R. Duplex est effectus a Sacramentis immediate proveniens: unus omnibus communis, et est *gratia;* alter proprius nonnullorum tantum, et est *character.* Diximus *immediate proveniens ;* nam et tertius est, *cognatio spiritualis* proveniens ex Baptismo et Confirmatione; sed tantum ecclesiastico jure inducta est.—Porro duplex distinguitur modus gratiæ producendæ: 1 *ex opere operantis*, et est cum Deus gratiam elargitur intuitu fidei et pietatis illius, qui operatur. Sic siquis extra Sacramentum eliciat actum perfectæ contritionis, et sic obtineat peccatorum remissionem et gratiam justificantem, dicitur eam obtinere ex opere operantis; quia Deus ad eam donandam movetur opere pœnitentis; 2 *ex opere operato* (1), quando nempe gratia confertur non propter fidem et pietatem operantis; sed propter ipsum opus in se habens ejus producendæ valorem independentem a merito operantis.

Q. 2. *An Sacramenta novæ Legis gratiam conferant?*

R. Protestantes gratiæ conferendæ vim fidei soli adscribunt, Sacramentis autem novæ Legis hoc solum tribuunt, ut nempe fidem nutriant: quo fit, ut ipsi Sacramenta habeant tantum, vel ut signa externa acceptæ per fidem gratiæ, vel ut notæ quædam distinctivæ christianæ professionis; ideo verba, quibus Sacramenta conficiuntur, *concionatoria* esse contendunt, nempe simpliciter dispositiva, non autem *consecratoria*, seu effectiva illius, quod significant. Verum de fide catholica est, Sacramenta novæ Legis continere gratiam quam significant, eamque conferre omnibus *non ponentibus obicem,* et quidem ex opere operato. Constat ex Tridentino, sessione VII, canone V ait: *si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit* Canone VI: *si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Can. VII: *si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.* Can. VIII: *si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Id probant Scripturæ, in quibus habetur septem Sacramenta novæ Legis gratiam conferre, et peccata dimittere, et quidem ex virtute sibi propria. De Baptismo legitur: *baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum* (2). De Confirmatione dicitur: *imponebant manus super illos et acci-*

(1) Quæ verba sunt nova quoad sonum, non quoad doctrinam, quam continent. Neque obstat, si barbara videantur: *melius est* (ait in re simili Augustinus *In Ps.* 123), *ut reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi.*

(2) Act. 2.

piebant Spiritum Sanctum (1). De Eucharistia autem: *qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam* (2). De Pœnitentia: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (3). De Unctione Extrema: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum* (4). De Ordine: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (5). De Matrimonio tandem satis colligitur ex illis verbis: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (6). — Adde Ss. Patrum consensum: S. Basilius affirmat, per Baptismum *renovari animam* (7); S. Cyrillus hierosolymitanus dicit: *gratiam una cum aqua dari* (8); S. Augustinus ait: *aquam corpus tangere et cor abluere* (9); pulchre etiam Tertulianus: *caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur; ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur* (10). Plura non citamus, cum vel ipse Calvinus fateatur, in hac re, Patres consentientes esse, adeo ut ad eos infirmandos, debuerit asserere, ipsos hyperbolice locutos fuisse. — Adde tandem constantem Ecclesiæ sensum, qui inter cætera ex eo maxime patet, quod Ecclesia semper firmum et efficacem habuerit parvulorum Baptismum, etsi a malis ministris collatum: at talis Baptismus non ex virtute ministri, quia malus: non ex virtute infantis, quia nullius actus capax; ergo ex opere operato valere debet.

Diximus *non ponentibus obicem*, et quantum est *ex parte Dei;* quia ex parte suscipientium quædam requiruntur dispositiones tamquam conditiones, quibus obices removeantur: sic ignis utut actuosus, in ligna tamen madida vel in lapidem suam non exercet activitatem. Hoc sensu dicit Apostolus: *justificare hominem per fidem* (11), quia nempe per fidem homo viam sibi sternit ad justificationem: fides enim est omnis justificationis radix et initium. Unde Christus ait: *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (12) *(B).*

Quamnam (quæres) *gratiam Sacramenta producant?* — R. Sacramenta novæ Legis gratiam producunt tum habitualem, scilicet primam vel secundam; tum sacramentalem, eam nempe, quæ unicuique Sacramento propria est: — 1 *gratiam habitualem*, non vero actualem: ut patet in parvulis, qui incapaces sunt ad actus eliciendos: et tamen gratiam recipiunt per ea Sacramenta, quorum sunt capaces; — 2 *primam* vel *secundam;* nam Sacramenta mortuorum, Baptisma et Pœnitentia *de se* et *primario* conferunt gratiam primam, qua nempe homo primitus fit Deo acceptus; cum ideo sint instituta, ut hominem divinæ gratiæ mortuum ad vitam revocent spiritualem (13). Sacramenta vero vivorum primario instituta sunt, ut gratiam sanctificantem jam in homine existentem per se augeant: ideo vitam spiritualem in suscipientibus præsupponunt, ac nonnisi ulteriorem gratiam confe-

(1) Act. 8. (2) Joann. 6. (3) Joann. 20. (4) Jac. 5.
(5) I Tim. 4. (6) Eph. 5. (7) Hom. 13. (8) *Catech.* 3.
(9) Tract. 80 in Jo. (10) *De resurr. carnis.* (11) Rom. 3. (12) Marc. 16.
(13) Baptismus quidem delendo peccatum originale, et alia si quæ forte præcesserint. Pœnitentia delendo cætera peccata post Baptismum commissa. Notandam illud *ex se* et *primario*: quia

runt. Unde Tridentinum (1): *consentaneum visum est de sanctis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit vel cæpta augetur vel amissa reparatur; — 3 quæ unicuique Sacramento propria est* (2); nam Sacramentum quodlibet præter habitualem, conferre debet gratiam, quæ respondeat fini, ob quem fuit institutum; cum quodlibet finem sibi peculiarem habeat: si ita non esset, cur tam præclara Sacramentorum varietas? Porro hæc sacramentalis gratia communius docent sitam esse in jure habituali ad gratias actuales recipiendas, quæ ad diversum illum finem consequendum adjuvant, ob quem diversa sunt Sacramenta instituta.

Baptismus itaque præter gratiam habitualem suppeditat auxilium speciale, ut Christianus contemnere possit vanas mundi pompas et profana oblectamenta, quibus renuntiat. *Confirmatio*, ut fidem, data occasione, intrepide profiteatur. *Eucharistia*, ut maneat constanter in amore Christi, et in eodem progrediatur in dies. *Pœnitentia*, ut commissa delicta detestetur, occasiones peccatorum devitet, in gratia perseveret, et præteritas culpas expiare valeat. *Extrema-Unctio*, ut a peccati reliquiis purgetur, in infirmitate sublevetur, et dæmonis insidiis resistat facilius. *Ordo*, ut sacri ministri functiones omnes digne exerceant. *Matrimonium*, denique, ut conjuges fidem servent, cupiditates reprimant, prolem valeant pie educare, et omnia conjugii onera animo patienti perferre.

Cæterum Sacramenta gratiam conferunt majorem vel minorem pro majore vel minore suscipientis dispositione; Sacramenta enim sunt causæ necessariæ, quæ operantur vi promissionis a Deo factæ: at illud causæ necessariæ proprium est, ut majorem vel minorem effectum sortiatur, prout magis vel minus idoneum est subjectum, in quo operatur. Sic idem ignis ligna vividius vel remissius comburit, prout illa magis vel minus sicca sunt, et combustioni magis vel minus accommodata. Hinc Tridentinum docet, Baptismo insignitos *percipere gratiam secundum propriam cujusque dispositionem* (3).

Q. 3. *Quid de charactere Sacramentali?*

R. Quodcumque signum alicui rei impressum, ut ab aliis discriminetur, *characteris* nomine donare solemus: sic pastor gregis oves solet signare, ut cujus sint domini facile pateat; et tale signum *character* appellatur. Character autem Sacramentalis est: *signum spirituale et indelebile, per quod homo distinguitur ab aliis; et fit idoneus ad nonnulla, quæ sunt cultus divini.* Dici-

aliquando potest utrumque per accidens gratiam justificantem jam in anima existentem invenire, eamque augere: v. g. siquis adultus ad Baptismum accederet perfectam jam habens in se charitatem; vel si pœnitens eadem charitate donatus, aut non habens nisi venialia, accederet ad pœnitentiam, gratia sanctificante uterque ornaretur etiam ante Sacramenti susceptionem; et in tali casu gratia illa non posset, nisi augeri — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 5 et seqq.

(1) Sess. 7, hic. — Hoc tamen non impedit quominus hæc quoque Sacramenta per accidens primam gratiam conferre possint: ut si quis putans bona fide se esse in gratia, non sit, et ea suscipiat; nam cum Sacramenta vivorum non compatiantur peccatum, ex consequenti si casu illud inveniant, ipsum tollunt, si alius non ponatur obex. *Angelicus*, 3, p. q. 3, a. 1.

(2) Gratia sacramentalis non differt natura ab habituali. Addit tamen gratia sacramentalis gratiæ habituali aliquid intrinsecum; nam Sacramenta id efficiunt, quod significant. Sed singula vim specialis cujusdam gratiæ significandæ habent; diversimode ergo gratiam in animam infundunt.

(3) Sess. 6, c. 7.

tur *signum*, habet enim rationem veri signaculi, in quantum per sensibile Sacramentum imprimitur; *spirituale*, cum animam tangat, non corpus; *indelebile*, per characterem enim homines ordinantur seu consecrantur, et idonei fiunt ad quædam quæ sunt divini cultus: quæ porro semel consecrata et dedicata sunt, quamdiu integra, semper consecrata ac dedicata remanent; *per quod homo distinguitur ab aliis*, nempe baptizatus a non baptizato, miles a non milite, sacerdos a laico; *et fit idoneus ad nonnulla* etc., fit autem idoneus per Baptismum ad cætera Sacramenta suscipienda, per Confirmationem ad fidem Christi profitendam uti ejus miles, per Ordinem ad rite obeunda munia ministerii Clericalis. Essentia characteris non consistit in *initerabilitate;* quia hæc est potius illius effectus. Neque in *mera extrinseca denominatione;* quia character ex Tridentino est indelebiliter in anima impressus. D. Thomas docet illum esse certam animæ *modificationem*, seu, *qualitatem* aut *potentiam spiritualem*, quæ remanet etiam in altera vita, in beatis ad gloriam, in damnatis ad ignominiam (1).

Protestantes habent characterem Sacramentalem ut futile commentum recens a Scholasticis excogitatum: verum de fide est characterem esse admittendum, eumque a tribus tantummodo Sacramentis imprimi, quæ idcirco *characteristica* dicuntur, quæ ideo nequeunt iterari. Sic enim Tridentinum definivit: *siquis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (2). Hæc veritas, quæ in Scripturis satis innuitur (3), ex constanti traditione firmissime constat; hujus autem testes sunt Patres, quorum quidem auctoritates diligenter collegit Trombellius (4). Nos pro Baptismo appellamus Cyrillum hierosolymitanum, qui illum dicit *signaculum sanctum et indissolubile* (5): pro Confirmatione Cyprianum, qui ait per ipsum baptizatos *signaculo Dominico consummari* (6): pro Ordine Augustinum, qui scribit ipsum *quadam consecratione homini dari, ideoque iterari non licere* (7). Congruentem rationem assignat Angelicus: suscipiens hæc tria Sacramenta constituitur in novo statu, et in gradu speciali de se perpetuo; siquidem per Baptismum adscribitur familiæ Christi, per Confirmationem militiæ Christi, per Ordinem ministerio Christi. Quod in aliis Sacramentis non contingit; nam per Eucharistiam homo solum participat de Corpore Domini, per Pœnitentiam reconciliatur Deo, per Extremam-Unctionem purgatur reliquiis

(1) 3, p. q. 63, a. 2 et 5. — *V.* Bellarminus, Estius et Vasquez, qui fuse disserunt. Circa characteris essentiam in Congregationibus privatis ac præparatoriis disputatum est tempore Tridentini Concilii; numquam tamen de ipsius characteris existentia, ut refert card. Pallavicini, quæstio fuit. *V. Storia del Concilio*, ecc. l. IX, c. 5. — Est autem character quædam Sacerdotii Christi participatio; per illum enim fideles deputantur ad recipiendum vel tradendum ea quæ sunt cultus divini juxta christianæ Religionis ritum: at omnis ritus christianæ Religionis ab uno Christi Sacerdotio derivatur. *V. Billuart.* (2) Sess. 7, c. 9.

(3) Ex 2 Cor. 1: *qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* — Et Eph. 1: *signati estis Spiritu promissionis sanctæ.*

(4) Tom. v. *de Bapt.*, et t. I *de Confirm.*

(5) In *Procatechesi.* (6) Ep. 73.

(7) L. II *contra Parmen.* 13.

peccatorum, tandem per Matrimonium accipit quod possit sancte conjungi, legitimam prolem suscipere eamque christiane educare.

Q. 4. *Quid de cæremoniis Sacramentorum?*

R. Sacramentorum cæremonias dicimus: *ritus illos, qui ex Ecclesiæ institutione solent in Sacramentorum celebratione adhiberi.* Isti autem distinguuntur omnino a materia et forma; et ideo ad Sacramenti essentiam nullo modo pertinent. Cæremoniæ aliæ dicuntur *integrales,* quæ Sacramenti actionem complent, ejusque effectus clarius indicant, ut exorcismi in Baptismate; aliæ *accidentales,* quæ ad rei ornamentum et decorem pertinent, ut genuflexiones, etc. Cæremoniæ autem proprie discrepant a *ritibus*, quamquam promiscue usurpentur: cæremonia enim est ipsa actio; ritus est modus, quo ea actio fit (1). Porro hæc statuenda sunt de cæremoniis Sacramentorum:

1. Ecclesiam potestatem habere eas instituendi et adhibendi: est contra hæreticos, præsertim protestantes hodiernos. Si enim potestatem habuit Synagoga sacros quosdam ritus instituendi et adhibendi, nequit hæc catholicæ Ecclesiæ negari, cujus Synagoga erat figura. Adde: ea potestate semper Ecclesia usa est, ut patet ex Justino, Cypriano, Cyrillo et antiquissimis tum græcis tum latinis Ritualibus. Quod si primitus non ita splendidus fuit nostræ Religionis cultus, ob sævientes persecutiones; semel tamen ac potuit Ecclesia sua libertate frui, illico cæpit et solemnes ritus inducere; scit enim homines ita esse comparatos, ut ad spiritualia difficilius assurgant sine externis adminiculis. Quare merito Tridentinum definivit: *prædictam potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret* (2).

2. Cæremoniarum usum pium esse, laudabilem atque utilem; uti enim tradit Catechismus R., ille mirifice inservit: 1 ut dignitas Sacramentorum commendetur, eisque concilietur debita reverentia; 2 ut ministri sancta sancte tractare videantur; 3 ut eorum, quæ in Sacramentis peraguntur, virtus et efficacia innotescant magis, et quasi ob oculos ponantur, ut inde excitetur fides, ac populorum enutriatur pietas; 4 adde mysticam significationem quam continent cæremoniæ, qua quidem fideles ad cœlestia eriguntur (3):

(1) Hoc *Liturgiæ* nomine generatim accipi solet, quamvis *Liturgia* in sua genuinitate quodcumque munus publicum designet, a græco *leitos* (publicum), et *ergon* (opus). *V.* Macri, *Notizia de' vocaboli Ecclesiastici.* — *V.* Bona, Gavanti, Merati, Gardellini etc.

(2) Sess. 21, c. 2. — Christus ipse cæremonias adhibuit, sive cum luto cæcum (*Joann.* 9); sive cum saliva mutum et surdum sanavit (*Marc.* 7); sive cum flexis genibus in terram prostratus oravit (*Matth.* 26); sive cum per insufflationem Spiritum Sanctum Apostolis communicavit (*Jo.* 20), etc. — In cæremoniis nostris crucis signum sæpissime usurpamus, et convenientissime; hoc enim signum vim habet: 1 per modum invocationis, nempe Christi crucifixi et meritorum ejus; 2 tamquam opus fidei et professio Religionis christianæ; 3 propter honorem quem cruci tribuimus. V. Quarti, *De sacris benedictionibus.*

(3) Objicienti illud adagium: *pluribus intentus minor est ad singula sensus*, respondemus distinguendo: *pluribus intentus* etc., si *illa plura* sint talia, quæ per se distrahant sensum ab uno et eodem objecto, concedo; si illa plura sint talia quæ per se dirigantur ad majorem sensuum applicationem in unum et idem objectum, nego. Distinctio patet per se, cum res sit valde

hoc tamen ut obtineatur, populo explicandæ sunt. «Es un deber (ad rem Gousset) de los Curas, de los Predicadores, de los que enseñan el catecismo esplicar á los fieles no solamente la naturaleza y efectos de los Sacramentos, sino aun las ceremonias de la Iglesia tan propias para reanimar la fe, la confianza y la piedad. Pocos Sacerdotes hay entre los que ejercen el santo ministerio, que no hayan de hacerse algun reproche sobre el particular. De aquí dimana la ignorancia del pueblo sobre uno de los puntos mas importantes del culto católico; y de aquí mismo el disgusto ó la indiferencia en muchos fieles hácia los misterios y Sacramentos de la Religion (1)».

3. Cæremoniis rite peractis, durissima quoque adversariorum pectora scindi. Sic Valentis perfidi in arianismo Imperatoris linivit animum stupor in sacris cæremoniis a D. Basilio pie administratis (2). Sic satellites a Justina missos ad D. Ambrosii trucidationem ad pœnitentiam reduxit sacer ritus ab eis inspectus (3). Et ex historia habemus, non paucos ad Religionem nostram conversos fuisse ipsarum cæremoniarum apparatu ac pompa (4).

4. Peccare *pro materiæ gravitate* ministrum, qui cæremonias mutat, negligit vel aspernatur; quia negligit Ecclesiæ præcepta gravibus de causis imposita: sicque fideles non modo ad Sacramentorum reverentiam non invitat, sed etiam a devotione revocat, a pietate, a fide, experientia teste (5): idque ideo magis, quia ritus isti cum doctrinis dogmaticis et moralibus arcte sunt conjuncti. Vel ipsi protestantes in Confessione Augustana et Saxonica aperte affirmant: *peccare illos qui cæremonias cum scandalo violant atque superbe contemnunt, quippe ordinem disciplinæ ac regiminis intervertentes, et turbantes tranquillitatem.* Merito igitur Tridentinum: *siquis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit* (6). — Diximus *pro materiæ gravitate;* ideo graviter, si negligat cæremonias integrales, quæ graviter præcipiuntur, vel accidentales in magna quantitate, aut cum scandalo gravi, aut cum contemptu *(C).*

Scholium. — *De Sacramentalibus.*

Q. 1. *Quid et quot sunt Sacramentalia et quæ eorum efficacia?*

R. *Sacramentalium* vocabulo nuncupamus *cæremonias quasdam ab Ecclesia inductas, ut ad instar Sacramentorum res sacras significent, et pie adhibitæ plurimum afferant spiritualis utilitatis.* Differunt a Sacramentis tum quia hæc a Christo, illa ab Ecclesia sunt instituta; tum quia hæc effectum suum

evidens, cæremonias sacras non distrahere sensum ab objecto Sacramenti, sed eo unice dirigi, ut magis ac magis sensus in illud intendatur.

(1) Hac in re *v.* Gaume, *Catechismo.* (2) *V.* Baronius, *Ann.* ad ann. 370, n. 44.

(3) D. Ambrosius, *Epist.* xx *ad Marcellinam sororem.*

(4) *V. Memorie di Religione, di Morale*, etc. Modena, t. III et x. — Scotti, *Teoremi* ecc.

(5) *V.* Liguori, *La Messa strapazzata*, § 2. — Pavone, *Guida Liturgica.*

(6) Sess. 7, c. 13. — *V.* Muzzarelli, *L' Emilio disingannato*, t. III, dial. 12.

producunt *ex opere operato*, illa vero *ex opere operantis*. — Sex autem Sacramentalia numerantur hoc versiculo:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, indicat Orationem Dominicam, et cæteras Ecclesiæ preces, præsertim publicas. *Tinctus*, aspersionem aquæ lustralis, et sacras in diversis consecrationibus unctiones. *Edens*, manducationem esculentorum, quæ á Sacerdote benedicuntur. *Confessus*, confessionem quæ a Diacono fit populi nomine feria v in Cœna Domini; sicuti illam etiam, quæ fieri solet in Missa et in Officio. *Dans*, eleemosynam præsertim, et quidquid ex præcepto virtutis et Ecclesiæ tribuitur. *Benedicens*, benedictionem Episcopi, Abbatis, Sacerdotis. Item benedictionem *candelarum, cinerum, palmarum*, etc.

Sacramentalibus vis inest remittendi peccata venialia et gratiam sanctificantem augendi, non quidem ex opere operato (1); sed quatenus per illa pii quidam motus in nobis excitantur doloris aut charitatis, quibus venialia delentur. Pii autem illi motus obtinentur per modum impetrationis ratione precum Ecclesiæ, quibus ipsa Sacramentalia conficiuntur. Audiatur Angelicus: *triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata.....: et hoc modo per Eucharistiam et Extremam-Unctionem, et universaliter per omnia Sacramenta N. L. in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum: et hoc modo confessio generalis* (per quam intelligenda videtur, quæ fit recitando *Confiteor*), *tunsio pectoris et Oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum; nam in Oratione Dominica petimus:* dimitte nobis debita nostra. *Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, et ad res divinas: et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum* (2). Hinc consultum est ad sumptionem aquæ benedictæ se excitare ad actus doloris seu amoris.

Q. 2. *Quid specialius de aqua benedicta; deque Angelica Salutatione?*

R. Ad 1: Aquæ lustralis seu benedictæ usus antiquitate commendatur; ab Apostolica enim traditione manasse semperque in Ecclesia floruisse docent eruditi. Aspersio aquæ lustralis est symbolum interioris ablutionis; et per preces Ecclesiæ sanctificata ex ejusdem Ecclesiæ meritis ad salutares effectus habet efficaciam. Synodus Novariensis hac de re notat: 1 ut singulis Dominicis ante Missam parochialem aut conventualem populus consuetis precibus aspergatur; 2 ut ad eam asservandam juxta Ecclesiæ januas vas marmoreum sive lapideum ponatur, et nitidum servetur, ac in ejusdem aquæ renovatione vetus effundatur in sacrarium; 3 ut unusquisque fidelis eam suo in cubiculo religiose servet; 4 ut ædes fidelium a Parocho aliove Sacerdote ab ipso constituto, comitante Clerico, Sabbato Sancto benedicantur de more (*pag.* 158).

(1) In sententia communiori et veriori, quam tuentur Wigandt, Tournely, Lugo, Suarez, Croix, etc. Nam nullibi legitur hanc facultatem fuisse Ecclesiæ tributam.

(2) 3 p. q. 87, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 90 et seqq.

R. Ad 2: Religiosa consuetudo Beatam Virginem salutandi ad certum campanæ signum mane et vespere ab Urbano II videtur excogitata. A Gregorio autem IX addita salutatio est etiam ad meridiem : aliis alii tamen piam consuetudinem tribuunt ; quidquid sit, ea est antiqua, salutaris, et Indulgentiis cumulata et ideo a Parochis diligentissime fovenda (1).—Idem dicatur de precibus fundendis pro defunctis, dato campanæ signo ad primam noctis horam. Et qualibet feria VI de recolenda passione Christi post meridiem : quod Benedictus XIV jussit Const. *Ad passionis* 1740 (2).

Q. 3. *Quænam sunt usitatiores in Ecclesia benedictiones?*

R. Est: 1. *Benedictio cereorum,* quæ suam habet originem ab institutione festi Purificationis B. M. V., cui instuendo viam patuisse tradunt eruditi, cum Gelasius pontifex inhonesta illa lupercalia sustulit, quæ peragebant Romani, ineunte februario, accensis cereis: quare festum hujusmodi *Candelaria* solet appellari. De cereo Paschali Christi resurgentis figuram repræsentante qui *via, veritas et vita est,* docet præclarissimus *Annalium Ecclesiasticorum* pater, cardinalis Baronius ad annum 418, Zosimum pontificem decrevisse, ut in Parœciis omnibus adhiberetur. Ex quo patet ante sæculum V id obtinuisse.

2. *Benedictio* et *impositio cinerum,* et *Benedictio palmarum.* Cineribus benedictis adspergi jamdudum consuevere qui publicam agebant pœnitentiam. Nunc solet Ecclesia cineres benedicere iisque fidelium capita adspergere feria IV post Quinquagesimam (quæ idcirco *dies Cinerum* nuncupatur), ut salutarem mortis memoriam in eorum animos revocet, et sic ad pœnitentiam eosdem adhortetur initio jejunii Quadragesimalis. *Palmarum* vero *benedictio* VIII certe sæculo antiquior est; ejus enim extat testimonium in *Sacramentario* Gregorii M. Palmæ benedictæ tum christianæ charitatis symbola, tum triumphalem D. N. J. C. in Hierosolymam ingressum exhibent. Hæc autem omnia ut religiose tam a Parochis, quam a fidelibus observentur, Synodus Novariensis expresse jubet (3).

3. *Benedictio Crucum cerearum.* Veteres rerum Ecclesiasticarum Scriptores Albinus, Amalarius aliique testantur, eam fuisse jampridem in Ecclesia Romana consuetudinem, ut cera intra Paschatis octavam benediceretur, fidelibus postea distribuenda ; idque ad sanctissimam Christi Humanitatem exhibendam. Ea cera modo imprimebatur *agnorum forma* ad significandum Agnum Dei immaculatum : modo alia forma et præsertim sanctissimo *Crucis vexillo.* Cereas autem hujusmodi cruces consuevere antiqui pio animo suscipere, domi asservare; et in quibusdam regionibus eas statis supplicationibus ad urbis portas, vel alia definita loca solemniter affigere, uti adhuc fit in Novariensi Diœcesi (4).

(1) *V.* Bergier, *Dizionario Teologico,* art. Ave Maria. — Riccard et Giraud, *Bibl. sacr.* art. Salutazione Angelica. — It. *Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai SS. Pontefici le SS. Indulgenze.* (2) *V.* etiam ejus *Notificatio* LXI.

(3) Pag. 159. Sacerdos die S. Blasii, maxime si solus sit in loco, nihil impedit, quominus se ipsum, solita invocatione, signet candelis accensis. ac gutturi admotis.

(4) *V. Degli scritti del V. D. Carlo Bescapè.* Ediz. compendiata ad uso de' RR. Parochi della Diocesi, Novara 1830.

4. *Benedictiones cæteræ et exorcismi ad morbos depellendos, ad noxia animalia profliganda, ad ingruentes grandines avertendas.* Hic item usus sua antiquitate commendatur, uti videre est in Ritualibus etiam vetustissimis ; cavendum tamen semper, ne foveatur vana et superstitiosa credulitas popelli. Sapientes leges habent Diœcesanæ Synodi, uti Novariensis : quæ nempe monet : 1 ut Sacerdotes omnes sedulo caveant, ne benedictiones aut exorcismos sumant ex ineptis quibusdam libellis, qui circumferuntur : neque aliis umquam utantur cæremoniis precibusque, quam quæ in Rituali R., quæque in Benedicti XIV operibus, et Venerabilis Novariensi episcopi Caroli Bescapè scriptis exibentur. Imo neque exorcizare præsumant sub gravissimis pœnis, absque expressa Episcopi licentia ; 2 ut cœlo tonante et fœda ingruente tempestate, curet Parochus populum in Ecclesia convocandum ; non tamen noctu. Eumque excitet ad peccatorum contritionem ; Litanias Sanctorum aliasque preces, ipso alternante populo, recitet ; eidemque suadeat Deum esse jejunio imprimis, orationibus et virtutum exercitio placandum ; neque ad flagella avertenda prodesse *solum campanarum sonitum*, imo potius ictus fulmineos provocare (1) ; 3 ut totis viribus in id incumbant Parochi primum, ac cæteri dein Sacerdotes, quo e vulgo erroneæ opiniones de potestate dæmonum vel lamiarum prorsus eradicentur. Neque umquam quidquam fiat, quod Religionis puritati, et integritati fidei nostræ non sit consentaneum (2). *(D).*

DISPUTATIO SECUNDA

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE, NATURA, INSTITUTIONE ET NECESSITATE BAPTISMI (3).

Q. 1. *Quid est Baptisma et an sit verum Sacramentum?*

R. *Baptismi* nomen græcam habet originem, ac generice significat *immersionem* et *ablutionem*. Verum prout est ritus christianæ Religionis, ad ejus præstantiam indicandam Baptisma compluribus consuevere Scriptura et Patres designare vocabulis : sic dicitur : *lavacrum regenerationis ; illuminatio ; sepultura ; Sacramentum fidei ; prima salutis tabula ; janua Sacra-*

(1) Diximus *solum campanarum sonitum*, id est quasi salutaris effectus sit expectandus a sono campanæ, quatenus naturalis quidem clangor est. Cæterum bene poterit expectari quasi ab instrumento variis precibus consacrato : hinc Ecclesia in campanarum benedictione postulat a Deo, ut cum illæ insonuerint, procul recedant *incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruum, calamitas tempestatum omnesque spiritus procellarum* etc.

(2) *V.* Canestri, *La Rubrica de' Parochi*, ubi Parochus normam invenit sese gerendi in iis, quæ spectant ad sacri sui ministerii exercitium.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 95 et seqq. : it. *Opera Dogmatica*, sess. VII, n. 36.—Saporiti, *Notificazione istrutt. sul Battesimo.* Genova 1756.

mentorum ; sigillum, signaculum, obsignatio (1). Communiter autem Baptisma definitur: *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominum regenerationem, quæ fit per ablutionem aquæ et cum expressa SS. Trinitatis invocatione.* Dicitur: 1 *Sacramentum a Christo institutum*, et sic convenit cum aliis Sacramentis ; 2 *ad spiritualem hominum regenerationem*, et sic patet ejus differentia; 3 *per ablutionem aquæ*, ut designetur ejus materia; 4 *et cum expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione*, ut ejus forma indicetur *(E)*.

Baptisma esse verum N. L. Sacramentum, de fide est a Tridentino et Florentino definitum. Et sane tria quæ requiruntur ad verum et proprie dictum Sacramentum, in Baptismo concurrunt:—1 concurrit ritus externus et sensibilis; talis enim est ablutio aquæ : talis est etiam expressa Trinitatis invocatio ;—2 Christi institutio; etenim quod talis ritus a Christo institutus sit, probant verba Christi ipsius : *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris,* etc. (2). Hoc nec ipsi hæretici audent inficiari ;—3 gratiæ collatio ex divina institutione, quod constat ex illo Christi oraculo: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (3) ; ergo poterit qui renatus fuerit. Verum qui potest cœlum introire, Dei gratia debet esse donatus. Hinc Tertullianus Baptismum vocat *Sacramentum aquæ* (4). Et D. Augustinus habet (5) : *si evangelicis verbis* in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

Valde autem probabiliter dicimus cum Cathechismo romano, Nazianzeno, Augustino, et D. Thoma Baptisma fuisse institutum ante Christi passionem, quando nempe Christus in Jordane voluit a Joanne baptizari; tunc enim videtur aquæ virtutem regenerandi ex illo contactu tributam fuisse. Promulgatum vero constat post resurrectionem, cum Christus ipse Apostolos misit in universum mundum : *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Q. 2. *Quid statuendum de necessitate Baptismatis* (6)?

R. Baptismus post sufficientem Evangelii promulgationem omnibus omnino necessarius est ad salutem necessitate medii, nisi ejus vices suppleat votum vel martyrium.

Diximus 1 : *post sufficientem Evangelii promulgationem,* ut Tridentinum

(1) Klee, *Storia de' dogmi* (t. II) alia plura nomina recenset.

(2) Matth. 28. (3) Jo. 3. (4) *De Baptismo*, c. 1.

(5) *De Baptismo*, l. III, c. 15. « Veterum hæreticorum, nempe archonticorum, marcosianorum, valentinianorum et quintilianorum doctrina, qua rejiciebatur Baptisma tamquam a malo principio invectum, jamdiu obsolevit. Hæretici recentiores, lutherani et calvinistæ cum sectis, quæ ex illis prodierunt, veritatem hujus Sacramenti ultro admittunt. Si qui autem sunt qui illud rejiciant, increduli potius quam hæretici sunt, contra quos frustra ex Scripturis et traditione pugnares. » *Perrone.*

(6) Triplex distingui solet Baptismus : *Flaminis*, et est ardens desiderium suscipiendi Baptismum : sic dicitur quia fit per impulsum S. S. qui flamen dicitur. *Sanguinis*, et est martyrium hominis non baptizati pro Christo perpessum. *Fluminis* et verum est Baptisma, quod Sacramentum est, et quod semper intelligitur, cum sine addito usurpatur Baptisma : imo cæteri nonnisi istius vices supplent ; unde dicitur, *unum Baptisma.*—Hæ species sequenti enumerantur versiculo:

Baptismum reddunt et votum et sanguis et unda.

docet (1); cum enim lex Baptismi positiva sit, non potest obligare, nisi sit sufficienter promulgata. Hinc Apostolus: *quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante* (2)? Theologi autem ancipites sunt in hac sufficienti promulgatione definienda, etsi communiter censeant quoad Palæstinam intra decem, et intra quadraginta annos quoad romanum Imperium illam factam esse. Docent item hanc promulgationem relativam esse tum respectu Regnorum, siquidem apud Americanos sæculo XV nondum ea habebatur, et quoad incolas Occeaniæ vix initio sæculi XIX; tum respectu individuorum, qui si Evangelium invincibiliter ignorant, nequeunt tali obligatione ligari. Illi ergo, apud quos Evangelium nondum penetravit, in eadem conditione adhuc versantur, in qua versabantur gentes ante Christi adventum: qui proinde si boni permaneant, mediis necessariis utendo, non damnabuntur: *in nationibus*, ait D. Bernardus, *quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos; parvulis autem solam profuisse et suffecisse parentum fidem* (3). Vel alio medio Deus illis fidelibus providebit, sicut providit Cornelio (4).

Diximus 2: *omnibus omnino necessarius est ad salutem necessitate medii*, ergo etiam infantibus: quod de fide est contra Pelagianos, Valdenses, Socinianos, Calvinianos et protestantes passim, præsertim rationalistas. Veritas catholica probatur ex his Scripturæ verbis: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (5). Quæ quidem cum generalia sint, etiam infantes obstringere debent: qui tamen cum non sint capaces præcepti positivi, dicendum est ea verba necessitatem medii includere, seu conditionem *sine qua non*. Id confirmat traditio, cujus testes sunt Patres: S. Augustinus habet: *cum baptizandis parvulis festinatur et curritur... sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse* (6). S. Cyrillus scribit: *si quis non baptizatur, salutem non habet præter solos martyres* (7). Et S. Ambrosius loquens de hac re ait: *Christus utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate* (8). Ratio theologica suffragatur: nemo potest salvari nisi per Christum, sic ut illi incorporetur et ejus fiat membrum; atqui est per Baptismum, quod homo Christo incorporatur et illius membrum fit (9). Hinc Tridentinum definit: *siquis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit* (10).—Baptismus autem adultis est insuper necessarius necessitate præcepti; nam quod est necessarium necessitate medii ad salutem, tanto magis debet esse necessarium necessitate præcepti in persona capaci, quæ proinde, si potest, in re Baptismum suscipere debet.

Diximus 3: *nisi ejus vices suppleat votum* vel *martyrium*: hæc autem non infirmant Baptismi ipsius necessitatem; cum sint tantum in ejus supplementum. Quod ut plenius intelligatur, notandum est: medium salutis vel est *internum*, nempe gratia sanctificans; vel *externum*, nempe in præsenti Baptismus. Ubi hoc est discrimen, quod sine medio interno actu et re per-

(1) Sess. 6, c. 4. (2) Rom. 10. (3) *De Bapt.* c. 1. (4) Act. 10.
(5) Jo. 3. (6) Ep. 165 ad Hieron. (7) *Catech.* 3. (8) L. I, *de Abr.* c. 18.
(9) S. Thomas, p. 3, q. 68, a. 1. (10) Sess. 7, c. 5 de Bapt.

cepto impossibile est vitam æternam obtinere, nam sine gratia salvatur nemo; at sine medio externo, nempe Sacramento, potest utique homo salvus fieri, si aliunde possit gratia sanctificante donari. Et sane Christus medium externum ordinavit ad interiorem gratiam producendam; si ergo in aliquo casu possit hæc gratia alio medio produci, jam salus obtinetur: hoc porro evenit per martyrium, atque ipsius Baptismi votum.

1. Per *martyrium:* martyrium vices supplere Baptismi etiam in infantibus, probat constans et perpetua Ecclesiæ praxis, quæ semper uti martyres venerata est infantes ab Herode pro Christo necatos (1). Quod quidem fundamentum habet tum in illis verbis Domini: *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (2): porro isti infantes Christum sunt confessi *non loquendo, sed moriendo,* ut canit Ecclesia; tum in illis: *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (3). Hinc Cyprianus, vel quivis alius (4): *martyrium appellatur tam corona, quam Baptisma; quia baptizat pariter et coronat;* — 2 per *Baptismi votum* (quo intelligitur contritio perfecta, vel amor Dei super omnia cum desiderio Baptismi suscipiendi): porro votum vices Baptismi, in illius suscipiendi impotentia, supplere constat ex eo, quod perfecta charitas est inseparabiliter conjuncta cum gratia sanctificante juxta illud: *qui diligit me, diligetur a Patre meo* (5): idque declaratum habemus in Tridentino (6). Unde Innocentius III consultus de Judæo, qui se ipse baptizaverat, ait nullum esse Baptisma; si tamen continuo decessisset, ad patriam evolasse, utique ob votum Baptismatis (7). Et divus Ambrosius de Valentiniano mortuo catechumeno, sed vivo Baptismum desideranti, ajebat: *non habet ergo gratiam quam desideravit? non habuit quam poposcit? certe quia poposcit, accepit.*

Objiciunt 1: *Qui Evangelium invincibiliter ignorat, non tenetur lege Baptismi; atqui tales sunt qui in infantia moriuntur.*—R. Infantes, qui sine baptismo moriuntur, non damnantur, quia violarunt baptismi legem; sed excluduntur ab æterna beatitudine, quia originali peccato detinentur. Nempe si Baptisma «ipsis conferatur (audiatur Perrone), hi jus acquirunt ad æternam ac supernaturalem felicitatem, ad beatitudinem scilicet *per se* humanæ naturæ indebitam. Quod si his non applicetur, quamcumque demum ob causam id contingat, ipsi non privantur nisi beneficio gratuito; nec pejor fit eorum conditio, perinde ac si numquam humana natura evecta esset ad

(1) Neque dicas istos infantes decessisse sine peccato originis utpote circumcisos, ideoque coli ut sanctos, non ut martyres. Hoc enim de pluribus verificari non potuit (etiamsi ponatur, quod circumcisio peccatum originale deleret): ratio concludentissima est, quia circumcisio non dabatur ante octavum nativitatis diem; Herodes autem omnes infantes jussit occidi a bimatu et infra.— Neque etiam dicas martyrium esse actum fortitudinis, cujus illi infantes non erant capaces. Utique martyrium sumptum pro voluntaria mortis acceptatione est actus fortitudinis formaliter; sed accipi etiam potest por ipsa morte pro Christo tolerata, quo sensu satis est, ut sit actus fortitudinis objective: sic etiam ut martyres habentur plures infantes in odium Christi necati. *V.* Benedictus XIV, Constitutione *Beatus Andreas,* 22 febr. 1755. (2) Matth. 10.

(3) Matth. 10. — *V.* Benedictus XIV, l. III, c. 15 *de Canonizatione Sanctorum.*

(4) L. *de singular. Clericor.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 101 etc.

(5) Joann. 14. (6) Sess. 7, can. 4.

(7) *Decr.* Gr. L. III, t. XLII *de bapt.* — *V.* Berti, Tournely; et Charvaz, *Guida del Catecumeno valdese,* l. VII, pag. 3.

ordinem supernaturalem. Hæc quidem privatio in præsentiarium ordinem habet damnationis ob relationem ad culpam originalem, quæ ab infantibus nascendo contrahitur, ast in se et absolute nihil detrahit ex eo, quod exposcit humanæ naturæ conditio.»

Objiciunt 2: *Si infantes Christianorum absoluta Baptismi necessitate tenerentur, pejor foret istorum conditio, ac sit conditio eorum qui nascebantur olim sub lege naturæ, et nunc nascuntur ab infidelibus negativis (qui nempe nullam adhuc habuerunt veræ Religionis notitiam); nam tales infantes per parentum fidem (ad summum per aliquod signum externum illis applicatum) salvantur.* Verum negamus Christum quoad Christianorum parvulos restrinxisse media salutis; nam ut constat ex historia, paucissimi eorum quibus non est promulgatum Evangelium, veram fidem conservarunt, ideo paucissimis infantibus profuit ac prodest infidelium parentum fides. Contra vero, cum Evangelium ubique terrarum promulgatum fuerit, certe longe pluribus infantibus subventum est, et subvenitur per lavacrum regenerationis a christianis parentibus (1).

CAPUT SECUNDUM

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

Q. 1. *Quænam est materia remota Baptismi?*

R. De fide est, materiam remotam Baptismi non aliam esse præter aquam naturalem, ut clare innuunt ea Christi verba ad Nicodemum: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* etc. Et illud Eunuchi Reginæ Candacis ad Philippum: *ecce aqua, quid prohibet me baptizari?... et descenderunt uterque in aquam* (2). Hinc Tridentinum definit: *siquis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa D. N. J. C.* nisi quis etc. *ad methaphoram aliquam detorserit, anathema sit* (3). Hujus autem veritatis testes sunt omnes Patres, et quotquot supersunt Rituales libri latinorum, et orientalium ecclesiarum euchologiæ, ut ostendit Renaudotius. Hoc est contra Bezam putantem quovis liquore Baptisma in necessitate conferri posse: contra Seleucianos docentes in igne esse baptizandum, juxta illud Joannis Baptistæ, qui ait Christum esse baptizaturum in *Spiritu Sancto et igne* (4): contra Socinianos, Quakeros, aliosque, qui per aquam accipiunt munditiem cordis (5). Verum allata Scripturæ verba nonnisi de vera aqua accipi possunt; hinc Augustinus: *quid est Baptismus Christi? lavacrum in verbo: tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum, non est Baptismus* (6).

(1) *V.* Perrone, *Il protestantesimo e la regola di fede*, p. 2, c. 4, a. 2, pag. 239. — Gousset, *De Baptismo. — Tesori di confidenza*, ecc. — Muzzarelli, *Buon uso della logica*, ecc. Opusc. XXV della salute dei pagani. — Frayssinous, *Conferenze*, etc. : la salute degli uomini.

(2) Act. 8.

(4) Matth. 3. — Quod tamen dixit Joannes ad discriminandum Baptismum suum, quasi diceret, se tantum baptizare in aqua, et Salvatorem in Spiritu Sancto esse baptizaturum, qui ignis est peccata consumans; vel qui igne charitatis inflammat nos.

(3) Sess. 7, can. 2.

(5) *V.* Moehler, *La Simbolica*, t. II, § 68. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 102.

(6) Tract. XV *in Joann.* n. 4. Atque ideo falsum et suppositititium habetur decretum Sylicii papæ,

Porro *loquendo de validitate* fatentur omnes naturalem esse existimandam aquam fontis, putei, maris, fluminis, lacus, cisternarum et pluvialem; nec refert frigida sit, an calida (1). Idem est de aqua resoluta ex nive, glacie vel grandine: de aqua sulphurea, seu minerali: de aqua defluente tempore nimboso a pariete vel arborum foliis, aut collecta ex densatis vaporibus. Idem de rore, de aqua venenata, turbida vel mixta cum alia re; modo aqua sit adhuc prædominans ita, ut in communi existimatione adhuc censeatur aqua. Sed habetur ut *materia invalida* sanguis, lac, oleum, vinum, urina, pituita: succus herbarum ac fructuum; cum non sit aqua. Habetur autem communiter uti *dubia materia*: jus, lixivium, theum, coffea, aqua soluta ex sale, cervisia, et atramentum, quamvis sit tenue; cum talis aqua magis corpus polluat, quam lavet.

Diximus vero *loquendo de validitate*. Nam ad licitatem quod spectat, extra necessitatem (in Baptismo saltem solemni) sub mortali est adhibenda aqua munda et pro baptismo specialiter consecrata; tum ex præcepto Ecclesiæ; tum in reverentiam Sacramenti (2).

Quid (dices) *de aqua* arte alchymica *educta ex floribus, plantis, radicibus et materiis similibus?* — Concina et Gonet cum D. Thoma negant aquam illam esse validam; quia artificialis est. Sed Continuator Tournely, Croix, Holzman, etc. dicunt eam esse probabiliter validam; et ideo in necessitate extrema esse adhibendam sub conditione: *si hæc materia sit sufficiens*. Docent enim Philosophi in mixtis semper vere et formaliter remanere elementa, quæ adhuc ars chymica posset in species suas resolvere, si ita placeret; et sic evaderet vera aqua, ut prius erat. Videtur etiam jus canonicum convenire (3).

Dicimus *arte alchymica*; nam aqua naturalis simpliciter distillata, rosis aut aliis floribus in aqua infusis, est vera aqua naturalis.

Quid (addes) *de saliva, sudore et lacrymis? de aqua fluente e vite et plantis? De glacie et nive non solutis?*—De saliva verius illam asserunt materiam omnino ineptam, ut declaravit Innocentius III (4): idem communiter docent de sudore et lacrymis; non enim est vera aqua. Aquam vero fluentem e vite et plantis, licet aliqui faciant materiam absolute invalidam, cum potius succus sit; melius tamen illam dubiam docent, quia adhuc aliquid continet de vera aqua. Quoad ultimum vero, si nix vel glacies a baptizante ipso ita

quo dicitur validum Baptismum in vino collatum; illud enim decretum omnium primus post plura sæcula protulit et invexit Theodoretus cantuariensis, proprio marte.

(1) Hic notamus ex Synodo Novariensi (*de Bapt.*) pro incolumitate puerorum tuenda in rigida hieme, parum aquæ tepefactæ esse miscendum in cochleario cum aqua baptismali.

(2) Hujus consecrationis seu benedictionis meminit Auctor *Const. Apostol.* l. VII et VIII; sanctus Basilius, lib. *de S. S.* c. 27; S. Cyprianus, *Epist.* 70 *ad Jan.*; S. Ambrosius, l. I *de Sacrament.* c. 5; et S. Augustinus, *Hom.* 27 et 50. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tract. XIV, n. 8.

Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate: Rituale. «Sucede á veces que los padres se empeñan en que sus hijos sean bautizados con agua del Jordan, que ellos se han procurado por un conducto seguro. Creemos que, sin alejarse de las reglas de la Iglesia, pueden satisfacerse sus deseos mezclando una pequeña cantidad de esta agua con la que se ha tomado del baptisterio.» Gousset.

(3) C. *in quadam* de celebr. Missæ. (4) C. penult. *de Bapt.*

applicetur baptizando, ut frictione illa resolvatur et fluat, baptismus est validus, quia reipsa admovet aquam: si autem nix vel glacies a baptizante injiciatur tantum baptizandi corpori, a cujus calore dein resolvatur, Anversa adhuc putat validum; sed dicendum non valere, aut saltem esse dubium, quia corpus non videtur a baptizante ablui (1).

Cur (quæres) *aquam elegit Christus pro materia Baptismi?*—Præter sapientem ejus voluntatem, ratio esse potest tum quia aqua est elementum omnibus obvium; tum quia inter effectum aquæ in corpore et effectum Baptismi in anima adest optima analogia (2). Quænam autem aquæ quantitas requiratur ad valorem baptismi, dicimus tantam generatim requiri, quanta sufficiat, ut corpus dicatur vere ablui. Communiter ajunt Concina, Layman ac Tournely non sufficere unam vel alteram guttam, præsertim si gutta non fluat; verum tenent probabilius Elbel et Holzman id dubium esse. Cæterum si baptizans motu digiti madefacti statim ablueret partem corporis baptizandi, commune est cum Anacleto, Coninchio, Filliucio aliisque valere Baptismum; quia tunc ipsa aqua revera flueret.

Q. 2. *Quænam est materia proxima Baptismi?*

R. Cum materia Sacramenti proxima non aliud sit, quam usus et actualis applicatio materiæ remotæ facta subjecto, cui sacramentum confertur, cumque aqua applicetur baptizando per ablutionem, clare deducitur, *ablutionem* ipsam esse materiam Baptismi proximam. Hæc autem ablutio tripliciter fieri potest: 1 per immersionem, corpus nempe mergendo in aqua sicut in balneo: primis sæculis Baptismus conferebatur per trinam immersionem (3): 2 per aspersionem, modo quo solent aspergi fideles aqua lustrali; 3 per infusionem, vel potius effusionem: et est ablutio hodie in usu in Ecclesia latina, quæ consistit in effundendo aquam super caput baptizandi.

Ad valorem Baptismatis nihil refert quocumque modo ex dictis puer abluatur, cum semper censeatur vere ablutus. Hæc nostra propositio non est contra Lutheranos vel Calvinistas, qui nobiscum hac in re conveniunt. Sed contra Græcos schismaticos, qui dicunt Latinos a fide catholica discessisse omittendo trinam immersionem: at frustra ipsi nos calumniantur; licet enim illa triplex immersio esset in usu penes veteres, non ita tamen observabatur, ut haberetur tamquam invalidus Baptismus collatus per simplicem infusionem vel aspersionem: unde si quæ citantur statuta id prohibentia, respiciebant licitatem, non autem baptismi validitatem. Testem

(1) Idem de pruina et grandine nondum solutis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 105.

(2) Sic aqua corpus lavat et sordes abstergit, et gratia Baptismi maculas abluit animarum. Aqua calores ardoris attemperat, et gratia Baptismi passionum moderatur æstus ac castigat. Aqua omnia fœcundat, et Baptismi aqua irrigatus animus fit hortus amœnissimus. Aqua sedat sitim quæ est appetitus frigidi et humidi, et gratia Baptismi omnia cordis nostri desideria cœlestibus implet. Ita Contenson, *Reflexio ubi de necessitate Baptismi.* — Pulchre hic Lacordaire, Conferenza LIX: «El agua es hidrógeno mezclado con oxígeno; pero cuando el genio del hombre se apodera de ella, se convierte en vapor, en movimiento, en comercio, en civilizacion. ¿Qué será cuando se apodere de ella Dios? Gloria al Señor, que ha obrado cosas tan grandes con medios tan débiles.»

(3) Hoc ex parte Ambrosiani imitantur, dum caput infantis leviter et ex parte in aqua mergunt, crucem signando.

appellamus Cyprianum episcopum, qui doctrina et sanctitate præfulsit sæculo III: consultus, quid sentiendum esset de Baptismate *clinicorum, qui aqua salutari non erant loti, sed tantum perfusi*; respondit *aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtineri* (1). Idem confirmatur ex facto, quod legitur in Actis Apostolorum, ubi constat tria circiter hominum millia Baptismum recepisse eadem die; at verisimile non est multitudinem tantam fuisse intra spatium unius diei ab Apostolis baptizatam per trinam illam immersionem: verisimilius profecto videtur baptizata per simplicem aspersionem vel infusionem (2). Et S. Laurentius sanctum Romanum urceo baptizavit in carcere (3): et S. Lindgerus hortabatur mulieres, ut morituros infantes baptizarent *intinctos aqua*, *vel superinfusos* (4). Id constat insuper ex veteribus picturis, teste Martenio, in quibus cernitur baptismus infusione datus. Doctrina ergo in romana Ecclesia vigens, quæ tenet valere baptismum quocumque modo ex dictis ministretur, certa est ex parte facti; sed etiam de fide est ex parte juris, cum Tridentinum definierit: *si quis dixerit, in Ecclesia romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit* (5).

Diximus *ad valorem Baptismatis;* ad licitatem enim in qualibet Ecclesia sub gravi observanda est ea, quæ viget consuetudo; cum res gravis sit. Hinc (si non urget necessitas) trina ablutio ex Rituali romano sub gravi requiritur: nempe infunditur aqua super caput infantis in modum crucis, simul verba proferendo hoc modo: *N.* (exprimitur nomen baptizandi) *ego te baptizo in nomine Patris* † (fundat primo), *et Filii* † (fundat secundo), *et Spiritus Sancti* † (fundat tertio).

Q. 3. *Quænam corporis pars est abluenda ad validum Baptisma?*

R. Pro certo habent omnes valere Baptisma, si ablutio contingat in capite uti præcipua corporis parte. Imo communissime docent valere etiam, si contingat in scapulis, humeris, pectore, vel parte alia principali; quia est vera hominis ablutio: quamquam extra necessitatem semper caput sit præferendum. Quia tamen semper remanet aliquale dubium, cum dissidium sit inter Doctores, ut notat Benedictus XIV (6), cumque hac in re tutiora semper sequenda sint; merito docet Angelicus, quod si caput non abluatur, Baptisma sit postea iterandum sub conditione, uti etiam Rituale præscribit: quod multo magis fieri debet, si Baptismus datus sit in digito, in pede, vel alia parte minima corporis.

Si vero ablutio contingat tantum in *veste*, tale Baptisma esset prorsus invalidum; cum sic non abluatur homo. Quod si ablutio tangat tantum *capillos*, alii negant cum Concina valere Baptismum; quia crines non sunt animati: alii vero probabiliter affirmant illud valere; quia licet crines non sint

(1) Epist. 76. — Clinici more Ecclesiæ dicebantur qui falso Religionis prætextu ad mortem usque differebant Baptismi susceptionem. Est a græco *clinê*, lectulus.

(2) Cap. 2. — Justis autem de causis Ecclesia latina immersionis ritum omisit, ac præcipue ut puerorum incolumitati et mulierum pudicitiæ consuleretur. In Medionalenensi tamen Ecclesia adhuc datur Baptisma per trinam immersionem, ut dictum est.

(3) *Acta SS.* apud Surium. (4) Martenius, *De antiq. Eccl. ritib.* l. I, c. 1.

(5) Sess. 7, can. 3 de Bapt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 107.

(6) *De Syn. Diœcesana*, l. VII, cap. 5.

animati, bene sunt partes hominis (idem dicunt, si tantum abluantur *ungues*). Nobis videtur recta opinio Lugo et Laymani, qui dubitant; et ideo in necessitate dicunt Baptisma esse conferendum sub conditione. Hinc monet Rituale, quod si baptizandus sit capillatus, *digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminet Sacerdos, dum dextera aquam infundit:* et optimum tunc erit, si in fronte abluatur puer.

Quidnam (quæres) *siquis ad baptizandum puerum, ipsum projiciat in flumen, formam Baptismi pronuntians?*— R. Alii negant valere talem Baptismum; quia contactus aquæ non fieret a ministro, sed a corporis mole: alii affirmant; quia jam hic omnia concurrunt: materia, forma, intentio et actio ministri. Utrumque est probabile (1). Certe tamen esset invalidum Baptisma, si quis verba proferens supponat puerum alteri, qui aquam infundit: quia una et individua debet esse in Baptismo causa moralis, idem scilicet et qui aquam infundit et qui verba pronuntiat. Aliter esset, si quis puerum supponeret aquæ e tecto decidenti; tunc enim, cum hic solus moraliter operetur, ipse in veritate dicitur abluere.

Q. 4. *An infans in necessitate baptizari possit, etsi nondum natus?*

R. *Cum... præscribitur nemini sine Baptismo competere satutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: nisi renatus ex aqua quis erit,* etc. (2). certum est nullum esse Baptisma: 1 si pro puero abluatur corpus matris: nam puer est a matre omnino distinctus; 2 si infans in utero matris clausus in nomine Trinitatis benedicatur: quod est contra Cajetanum; a cujus tamen operibus jussu Pii V hæc opinio expuncta fuit; 3 si mater nomine pueri oret Deum, et ea oratione ipsa mortem suam offerat in contestationem veræ fidei, ut excogitavit Ludovicus Bianchi; 4 si ipsi parentes pro puero preces fundant ad Deum cum efficaci desiderio Baptismum eidem conferendi: quod non inverisimile putavit Amort (3). Omnes enim isti modi sunt insufficientes, cum in nullo eorum verificetur, quod ex aqua renascatur puer: quare si iste in matris utero clausus non potest ullo modo aqua tingi, ejus saluti provideri non potest.

Quod si puer in ipso matris utero per aliquod instrumentum aqua tingi possit, etsi nondum pars ulla in lucem prodierit, utrum valeat Baptisma sic collatum, disputant. Alii negant; quia nemo dici potest *renatus*, nisi prius natus sit; nam de Baptismo dictum est: *nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Addunt auctoritatem Ritualis, cujus en verba: *nemo in utero matris clausus baptizari debet.* Addunt Ss. Thomam, Augustinum, Isidorum (4). Sed

(1) Dicimus autem numquam fas esse infantem, quamvis mox decessurum, in flumen projicere, quia numquam fas est innocentem directe occidere ex illo Scripturæ oraculo (Exodi 23): *insentem et justum non occides.* Communiter tamen cum Laymano dicunt licere aqua nimis frigida (si alia haberi nequit) puerum baptizare mox moriturum; licet timeatur ex hoc mors acceleranda. Quia mors non eveniret, nisi per accidens: cum talis actio per se tendat ad ablutionem. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 106.

(2) Ita Tertullianus, *De Bapt.* c. 12.

(3) Has hypotheses jam inanes ostenderat Vasquesius *in* 3, p. 1 *S. Thom. disp.* 151.— *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. — Ricard et Giraud, *Bibbliot. sacra* ecc. V. Bambini. Battesimo. — Perrone, *de Baptismo.* — Pallavicini, *Storia del Conc. Trid.* l. IX. c. 8. Quoad sortem infantium sine Baptismo decedentium *v.* dicta *de pecc. orig.*

(4) 3 p. q. 68, a. 11.— Ep. 57 ad Dardan.— Ex c. 115. de cons. d. 4.

alii satis probabiliter affirmant, quibus non parum adhæret Benedictus XIV (1); quia talis homo jam existit viator, et ideo potest Baptisma suscipere. De tali autem existentia explicant vocabula *nasci* et *renasci;* nonne de Christo in utero Virginis vix concepto dictum fuit: *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* (2)? Rituale autem et Patres explicant de puero ita clauso in utero matris suæ, ut baptizari nequeat, nisi abluendo solum corpus matris ipsius. — Nos porro putamus in casu necessitatis talem puerum esse omnino baptizandum sub conditione: quod tamen non a Parocho ipso, sed ab obstetrice vel chirurgo peragendum est pudoris causa (3).

Diximus *etsi nondum pars ulla in lucem prodierit;* nam ex Rituali, *si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, iterum est baptizandus.* Quod si aliam partem emiserit, puer in ea conditionate *si ex capax*, baptizetur, urgente necessitate; sed postea si perfecte nascatur et vivat, est rebaptizandus sub forma: *si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc.

Sed (quæres) *an liceat incidere matrem ad baptizandum infantem?* — Affirmative, si periculum mortis matris sit remotum; non vero si sit proximum. Cum enim non liceat matrem occidere, ut puer baptizetur; ita etiam non licebit eamdem probabili et proximo mortis periculo ob talem causam exponere. Ita ait Angelicus citans illud Apostoli: *non sunt facienda mala, ut eveniant bona* (4): judicium autem de periculi natura ferendum erit a peritis. Hic tamen adnotamus: 1 si mater jam mortua sit, tenetur curare Parochus, ut ejus statim fiat incisio: et fœtus quamprimum caute extrahatur, ubi spes aliqua effulgeat salvandi infantulum; 2 si mater gravida sit ad mortem condemnata, quamvis generatim loquendo sit expectandum tempus puerperii (5); valde tamen probabiliter dicunt Filliucius, Layman, Suarez, etc., quod (si certo timeatur infans morte decessurus priusquam nascatur) licite possit secari venter matris anticipando supplicium. Alias dilatio, quæ datur tantummodo in bonum prolis, vergeret in illius damnum *(F)*.

Q. 5. *Quænam est forma Baptismi?*

R. Definitum est tum in Lateranensi (6), tum in Tridentino (7) veram et legitimam Baptismi formam consistere in his verbis: *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, juxta illud Christi præceptum: *euntes in mundum universum docete omnes gentes baptizantes eos in nomine* etc. (8). Hisce Patres innixi uno ore docent nullum esse Baptismum sine trium divinarum Personarum distincta invocatione. Tertullianus habet: *lex tingendi imposita est et forma præscripta: ite, inquit, docete nationes tingentes eas in nomine Patris,* etc. (9). Et sic Patres reliqui, quorum plures ex hac constan-

(1) *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 5. (2) Matth. 1. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 107.

(3) Laudatus Pontifex affert etiam doctrinam Sylvestri et Vasquesii, qui volunt esse baptizandum infantem licet adhuc involutum in secundina. Quod Layman censet probabile; nam secundina habetur veluti pars infantis, quia illa cum ejus umbilico continuatur. (4) Rom. 3.

(5) Ex L. *prægnant.* 3. ff. de pœn. (6) C. *Firmiter.* (7) Sess. 7, c. 4.

(8) Hæc forma semper viguit in Ecclesia catholica, cum hoc solo discrimine accidentali, quod Ecclesia græca omittit pronomen personale *ego:* et ejus loco dicit *baptizatur* vel *baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Hac de re errores enumerat Klee, *Storia de' dogmi*, t. II.

(9) *De Baptismo.*

ti baptizandi praxi argumenta eruebant ad confundendos Trinitatis osores. — Ubi etiam vides quinque ad formam pertinere, juxta quæ Baptismi valor expendi debet: 1 *persona, quæ baptizat,* saltem in actu exercito; cum ipsa sit, quæ operatur; 2 *actus baptizandi,* ut sic materia determinetur ad specialem effectum; 3 *persona, quæ baptizatur;* sicut enim ablutio, ita et forma circa determinatam personam versari debet; 4 *unitas divinæ naturæ,* ut vera habeatur Dei confessio; 5 *personarum distinctio cum propriis vocabulis,* ut probat, ex dictis, Patrum consensus, Ecclesiæ praxis ac Christi institutio, a qua quidem suum habet effectum Baptisma.

Q. 6. *Quæ variatio formæ Sacramentum Baptismatis invalidat?*

R. Videndum, an variatio formæ sit substantialis, an accidentalis:

Variatio *substantialis* habetur, quando non amplius existit substantia verborum, quæ præscripta sunt: et hæc profecto Sacramentum invalidat. Esset v. g. siquis illud conferens dicat: *ego te ungo.* Vel *ego te communico in nomine,* etc. Vel *ego te baptizo in nominibus Patris,* etc. Vel *in Patre et Filio,* etc. Vel *cum Patre et Filio,* etc. Vel *in nomine Patris per Filium et Spiritum Sanctum.* Ratio est, quia non satis explicaretur unitas essentiæ divinæ.

Variatio *accidentalis* habetur, quando sensus adhuc remanet quoad substantiam: et hæc Sacramentum minime invalidat, nisi variet in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Esset siquis vel mutet idioma; vel substituat verba synonima; vel si latinus adhibeat formam Græcorum; vel omittat verbum *ego.* Ratio, quia adhuc satis redditur sensus. Vel (saltem in probabiliori sententia) si omittat verbum *in;* latino enim idiomate tacentur præpositiones ad elegantiam (1) vel ob balbutiem formam corrumpat in fine; sic enim voces constitutæ sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent, cum jam ab initio sensus præoccupatus sit. Hinc Zacharias Papa validum declaravit Baptisma ita collatum ob linguæ latinæ ignorantiam: *ego te baptizo in nomine Patria, Filia et Spiritu Sancta.* Vel si dicat: *ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii,* etc., nam repitio nominis ex se non mutat sensum (2). Vel *cum nomine Patris, Filii,* etc., ex variis decisionibus (3): vel si omittatur conjuntio *et,* modo præponatur tertiæ personæ; nam ex communi usu, si sint plura nomina, sufficit conjunctionem addere ultimo.

Quid (inquies) *siquis Baptisma administret in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque?* — R. Baptismus hujusmodi saltem ut dubius habendus est ex S. Thoma; nam hic assumenda sunt illa nomina, quibus communius consueverunt nominari Personæ. Item merito ajunt, si loco *Filii* dicatur *Jesu Christi;* licet enim Jesus Christus noscatur esse Filius Patris,

(1) « Hæc sententia, spectata ratione, mihi videtur verior; sed cum agatur de valore Sacramenti, saltem ob auctoritatem DD. dicerem ab altera non recedendum. Ideo talis omissio non posset excusari a mortali. » Ita Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 112.

(2) Id probabilius; attamen quia contraria opinio non est omnino improbabilis, ideo talem formam censeo non esse tutam. — Ita Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 111.

(3) Ita S. Pœnit. 18 julii 1825. — S. C. C. 24 maji 1823, ut refert Ferraris *Bibl.* in nova Ed. Montis Cassini. Et ex decr. Benedicti XIV, 7 dec. 1741, ut refert Alasia.

tamen id non satis exprimitur. Item dicunt de hac formula: *ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis, aut in nomine trium divinarum personarum:* est invalidum, vel saltem valde dubium; nam in tali forma non satis distincte exprimuntur singulæ personæ Ss. Trinitatis, uti voluit Christus (1).

Quid (addes) *de Baptismo dato in solo nomine Christi Jesu?* — Nemo illum hodie uti validum habet; deest enim præscripta illa trina personarum invocatio, de qua in Evangelio, in Patribus et Tridentino. Neque obstant ea Scripturæ verba: *in nomine Christi baptizabantur viri* (2); communius enim et probabilius interpretes ibi pro nomine *Christi* intelligunt Baptismum a Christo institutum, ad differentiam Baptismi Joannis: et hæc videtur vera sententia. Hinc cum Apostolus discipulos quosdam interrogasset an accepissent Spiritum Sanctum, et ipsi respondissent se neque si Spiritus Sanctus sit audivisse, subjungit: *in quo ergo baptizati estis* (3)? Unde ait Billuart, D. Thomam, qui docet Apostolos sic baptizasse ex speciali Christi revelatione, hypothetice potius fuisse locutum *(G)*.

CAPUT TERTIUM

DE BAPTISMI MINISTRO.

Q. 1. *Quinam Baptismi minister quoad validam administrationem?*

R. Traditione constat et de fide est contra Calvinum, quemlibet sive sit vir sive fœmina, sive christianus sive non, sive in necessitate sive extra, valide Baptismum conferre; ad illius enim administrationem non requiritur actus Ordinis. Hinc Augustinus ait: Baptismum, *etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, non posse dici non datum* (4). Idque declaratum fuit a Lateranensi IV, capite *Firmiter:* sane pertinet ad Dei misericordiam, ut quæ sunt de necessitate salutis quisque facile inveniat. Quæ autem opponuntur documenta, quibus nempe prohibetur fœminis, hæreticis, infidelibus et laicis Baptismum conferre, intelligenda sunt de licitate, et maxime de Baptismo publico et solemni, ut patet ea volvendo.

Triplex enim distinguitur Baptismi administratio: *solemnis*, et ea dicitur quæ fieri consuevit in solemnitatibus Paschæ et Pentecostes; *publica*, quæ passim fit suis ritibus ac cæremoniis; *privata*, quæ fit in necessitatis casu, cæremoniis omissis. — Item triplex distingui solet Baptismi minister; unus *ordinarius*, qui nempe jure ordinario vel solemniter vel publice baptizat; alter *extraordinarius*, qui publice quidem baptizat, sed ex delegatione; tertius *necessitatis* qui in necessitatis casu privatim, cæremoniis omissis, baptizat. Hoc posito:

Dicimus 1: Minister ordinarius Baptismatis solemnis est Episcopus, ut

(1) *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. XIV, n. 14; et *Opus Mor.* l. VI, n. 111.

(2) Act. 8.

(3) Act. 2. — *V. Bibbia* di Vence, vol. VI, dissert. Sopra il Battesimo in nome di G. C. — Calmet, *Dictionar. Bibl.* h. v.

(4) Contra Parmen. l. II. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 103.

apud omnes in confesso est. Baptismi autem publici ordinarius minister jure divino est non solum Episcopus, sed etiam Sacerdos, licet subordinatus: constat tum ex decreto Eugenii IV ad Armenos; tum ex Cathechismo romano; tum demum ex usu et praxi Ecclesiæ, quæ hoc sensu semper intellexit illa Christi verba: *euntes, docete, baptizantes.* — Diximus *jure divino;* nam præcepta a Tridentino et facta hodie Parœciarum distinctione, de jure ecclesiastico *minister ordinarius ac legitimus est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus*, ait Rituale romanum (1); æquum est enim, ut ipse pastor suis ovibus provideat (2).

Dicimus 2: Minister legitimus et extraordinarius Baptismi publici vi ordinationis est Diaconus, ut habet Pontificale R. Verum id ex usu Ecclesiæ, et jure (3) intelligitur tantum de commissione, vel licentia Episcopi aut Parochi: quæ quidem est tribuenda tantum in necessitate (4). Hæc commissio adeo est in præcepto, ut (in communiori ac probabiliori sententia) nequeat Diaconus sine illa publice baptizare, licet Parochus absit a quo petatur facultas, et urgeat casus.

Dicimus 3: Minister necessitatis quoad Baptisma privatum est quilibet homo. Patet ex decreto ad Armenos; ex praxi fidelium; et ex Patrum consensu. Audiatur D. Hieronymus: *si necessitas,* ait, *cogit, scimus etiam licere laicis baptizare* (5). Imo tunc nedum quilibet possit, sed baptizare tenetur; *secus*, ait Tertullianus, *laicus reus erit perditi hominis* (6). Hic tamen ordo est observandus, ut nempe primus Parocho concedatur locus, cum ipsi specialiter animarum cura demandata sit; qui si desit, en ordo ex Rituali: *si adsit Sacerdos Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir fœminæ.* Sed ex eodem Rituali hic ordo invertitur: tum si id pudor exigat; tum si unus præ alio melius baptizare sciat.—Item ex jure Canonico prohibentur pater et mater propriam prolem baptizare, si alii adsint. Item si adsit quidem Sacerdos, sed excommunicatus sit, in veriori sententia postponendus est; cum uti putidum membrum habeatur.

Docent autem communiter laicum peccare graviter, si baptizaret etiam in necessitate, præsente Sacerdote, sine legitima causa; cum Sacerdoti commissum sit ex potestate Ordinis baptizare. Si laicus baptizaret sine causa, præsente Diacono, qui non habeat commissionem, utrum adhuc ille peccet graviter, disputant; cum Diacono hoc jus non competat, nisi ex ipsa commissione. Si vero laicus, præsentibus aliis Clericis inferioribus, baptizaret, recte ajunt id non esse mortale; cum sit tantum aliqualis indecentia.—Qui vero cum non sit ordinarius minister, publice tamen baptizat, peccat graviter; quia usurpat jus alienum in re gravi. Imo Clericos Diaconatu inferiores certum est jure fieri

(1) Tridentinum, sess. 24, cap. 13 *de Ref.* De Fontis Baptismalis origine et benedictione, vide Benedictum XIV, *Notificatione* 1. — *V.* Ita Gousset, *De Baptismo.*

(2) Hinc si mulier casu pariat in pago non suo a proprio duabus vel tribus tantum horis distanti, potest urgere, ut in sua Ecclesia proles baptizetur. Imo id præcipitur in Novariensi Synodo, si possit commode fieri. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 115.

(3) Can. *Diaconos* 13, dis. 93.

(4) Quæ necessitas neque debet esse extrema, sed sufficit gravis et rationabilis, ut infirmitas Parochi, absentibus aliis Sacerdotibus, multitudo baptizandorum, vel Parochi assistentia ad infirmos etc.

(5) Dial. advers. Lucif. (6) *De Bapt.* c. 7.

irregulares, si id temerarie audeant (1) : quod ajunt communissime currere etiam de Diaconis, non interveniente delegatione; quia tunc nullum ipsis competit jus. Hanc tamen pœnam communius et probabilius non incurrunt laici; quia textus loquitur de Clericis tantummodo.

Q. 2. *An duo possint simul unum baptizare?*

R. Si quilibet intendit agere independenter ab alio, ut causa particularis et individua, validus est Baptismus; quia adsunt omnia requisita, ut patet a simili in ordinatione, qua Sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo (qui tamen primus formam complet, ipse solus baptizat, ut patet). *Nec traderent aliud et aliud Sacramentum,* ait Angelicus; *sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum per utrumque conferret* (2). Hoc tamen, ut patet, erit graviter illicitum, nisi forte excuset præcipitantia aut timor, ne infans non tinctus decedat.—Si vero unus intendit agere dependenter ab alio, ut causa communis et simultanea, tunc invalidus est Baptismus tam si dicat, *ego te baptizo;* quam si dicant simul, *nos te baptizamus.* Nam, ut ait idem Angelicus, *homo non baptizat, nisi ut minister Christi et vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet unum esse ministrum, qui Christum repræsentet.*

Sed quid (quæres) *si unus plures baptizet eodem tempore?*—Illicite extra casum necessitatis plures eodem tempore ab uno baptizantur; nam Rituale R. formam illam: *ego vos baptizo* ad plures simul directam reprobat, nisi adsit mortis periculum; nec tempus sinat, ut singuli separatim baptizari valeant. Valide tamen; neque enim sic agendo diversificatur forma necessaria; nam plurale est singulare geminatum. Unde sic agere est contra usum, contra præceptum Ecclesiæ, ac Sacramenti dignitatem; non vero contra substantiam (3).

Potestne (addes) *quis seipsum baptizare?*—Nec licite nec valide potest quis se baptizare; tum quia persona baptizantis diversa esse debet a persona baptizanda: tum quia Baptismus, cum sit spiritualis generatio, imitari debet naturam, in qua nemo se gignit (4).

Q. 3. *Quandonam Baptisma debet ministrari* (5)?

R. Infantibus, quo citius fieri potest, Baptisma est ministrandum; et graviter peccat qui per multum temporis spatium differt. Id commune est pluribus Conciliis Provincialibus; Rituale vero sic habet: *Parochus hortetur, ne pueris Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Sane, uti observat Catechismus R., infantes infinitis pene periculis obnoxii sunt: aliunde præstat eos citius a potestate dæmonis liberare. Qualis autem reputetur dilatio gravis, dicunt communius et probabilius eam non esse talem, nisi 10 vel 11 dies excedant.—Plures Synodi (ut Novariensis *pag.* 78) præcipiunt, ut non protrahatur ultra triduum sine peculiari licentia Ordinarii. Imo parentibus cæterisque, quorum ea cura sit, excommunicationis pœnam minantur, si id negligant ultra octiduum.

(1) *Decr.* Greg. l. V, t. 28: *de Cler. non ord.* c. 1.
(2) 3 p. q. 67, a. 6.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 120.
(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 29. (4) Ex C. 4 de Bap.
(5) De tempore et loco *v.* Benedictum XIV, *Notificatione* XCVIII.

Diximus *infantibus*: adultis enim Baptisma bene diferri potest, uti docet Angelicus (1), ut sic plenius instruantur. Imo præstat, ut taliter baptizandi sese Episcopo sistant, nisi adsit vitæ discrimen (2).

Q. 4. *Quo loco Baptisma est adsministrandum?*

R. Cum locus ordinarius Baptisma conferendi sit Ecclesia, et quidem Parochialis, vel alia ubi jus fontis est, generatim loquendo in illa debet Baptisma administrari: et peccaret mortaliter qui *sine necessitate* contrarium faceret; cum agatur de re gravi. Diximus 1: *generatim loquendo:* excipitur enim, si adsit periculum infamiæ in parentibus aut alterius damni gravis; vel si infans sit filius Regis vel Principis (3), aut ab ipsis descendens, qui etiam potest domi baptizari solemniter (4): *dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta:* ita Rituale; 2 *sine necessitate;* ea enim urgente, debet infans domi baptizari, ne periculum subeat sine Baptismo moriendi (5).

Q. 5. *Quoties Baptisma potest eidem ministrari?*

R. Cum Angelico: *dicendum, quod Baptismus iterari non potest:* 1 *quia Baptismus est quædam spiritualis generatio...; et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio...;* 2 *quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitæ, Christus autem semel tantum mortuus est: et ideo Baptismus iterari non debet...;* 3 *quia Baptismum imprimit characterem, qui est indelebilis...;* 4 *quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum: et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus* (6). Hinc nullus est Baptismus iteratus: et qui temere baptizat jam valide baptizatum, aut qui jam baptizatus scienter iterum Baptismum suscipit, grave committit sacrilegium et irregularitatem incurrit (7).

Quid (dices), *siquis temere rebaptizet quidem, sed addat conditionem:* si non est baptizatus?—R. Qui sine causa sub conditione rebaptizat, mortaliter peccat, inaniter Sacramentum usurpando. Utrum vero incurrat etiam irregularitatem quæstio est: alii negant; nam qui sub conditione baptizat jam baptizatum non vere rebaptizat; at leges pœnales stricte accipi debent. Alii (et hoc videtur probabilius spectata auctoritate) affirmant; nam Catechismus R. reprehendens qui in Ecclesia sub conditione rebaptizant pueros, quamvis certi sint eos jam domi rite fuisse baptizatos, sic inquit: *sine sacrilegio id facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant.* Ita etiam statutum fuit a D. Carolo in Concilio Mediolanensi III (8).

(1) 3 p. q. 68, art. 3. (2) Hoc monet et etiam Synodus Novariensis, *pag.* 81.

(3) Clem. unica, *de Bapt.*

(4) Glossa in *Clem.* cit. Liguori, *Homo Apost.* tr. XIV, n. 18.

(5) Hæc autem sunt hujusce periculi signa præcipua: 1 si puer oriatur sine vagitu et lacrymis; 2 si modice respiret; 3 si appareat lividus præsertim in facie aut capite; 4 si nascatur post multum laboris obstetricis; 5 si enascatur ante septimum mensem; 6 si cranium habeat valde molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas.

(6) 3 p. q. 66, a. 9. (7) C. ex Litterarum 2 *de apost. et reiterantibus Bapt.*

(8) Et sane quando quis certo scit puerum esse jam valide baptizatum, et rebaptizat sub conditione, conditio pueriliter, ac malitiose apponitur, et ideo merito habetur pro non apposita. Sed

Si tamen adsit causa nedum peccet sub conditione rebaptizans, imo laudabiliter agit; per conditionem enim et proximo et Sacramento consulit (1). Cum tamen temere rebaptizare sit mortale ex suo objecto et in genere sacrilegii; idcirco attente videndum est, an adsit vera causa, id est non leve, sed grave et prudens dubium de valore Baptismi jam prius collati, sive sit juris sive facti (2). Qua in re notandum :—1 ad probandam Baptismi collationem sufficere unum testem ocularem, probum et fide dignum, sive masculus sit sive fœmina (3). Neque enim hic periculum deceptionis est: quod utique timeri potest in cæteris rebus humanis, in quibus vel acceptio personarum, vel alicujus lucri spes unum testem nonnumquam valet facile corrumpere;—2 Baptisma præsumi jam collatum, si sermo sit de adultis, qui nati sunt a parentibus catholicis, et inter catholicos educati; tametsi nullum extet in libris Baptizatorum accepti Baptismi testimonium, nisi graves adsint conjecturæ in contrarium (4);—3 baptizandum sub conditione adultum, qui ab infantia raptus fuerit a barbaris; nec certo scitur, an aliquando fuerit baptizatus (5);—4 quoties est iterandum Baptisma adultorum, secreto id faciendum esse ad evitanda murmura ac scandala, et quidem sine præjudicio matrimonii (quod semper subsistit), si forte eo ligatus sit ille, de cujus Baptismo dubitatur (6); cæterum consulendus est Episcopus, sicuti in omni gravi re fieri semper debet.

Quomodo (dices) *se gerere debet minister cum infantibus expositis?* Si expositi sunt sine ulla schedula testante de Baptismo collato, consentiunt omnes eos Baptizandos esse sub conditione. Imo licet schedulam habeant, sententia verior et communior adhuc tenet Baptizandos esse sub conditione, nisi ea talis sit, ut certitudinem pariat, v. g. si a Parocho noto scripta sit vel subscripta; alias semper remanet prudens dubium de valore. Ita Benedictus XIV (7), qui affert Concilium Mediolanense III, ac declarationem S. C. C. «Lo que decimos, *addit Gousset,* de los niños espósitos, se aplica naturalmente á los que dejan los vagamundos por los lugares donde pasan, aunque sean de la edad de dos, tres, cuatro y cinco años y mas, si no se tienen pruebas

rebaptizare sine conditione et sine causa importat irregularitatem; ergo etiam rebaptizare sine causa et sub conditione in eo casu. Ita Benedictus XIV citans ea de re declarationem S. C. C. (de *Syn. Diœc.* l. VII, c. 6; et *Notif.* LXXXI).

(1) Quando publice renovatur Baptismum dubium, rationabiliter dicit Continuator Tournely conditionem exprimendam, ne adstantes credant, Baptismum absolute reiterari contra legem Ecclesiæ. Liguori, *Opus Mor.* l. VII n. 29.

(2) Dubium *juris* est, quando constat Baptisma fuisse collatum cum materia, vel forma vel intentione dubia. Dubium *facti* quando dubitatur sive positive sive negative, an Baptismus datus sit an non. In utroque dubio debet minister rebaptizare sub conditione. *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse rebaptizandos*, inquit Concilium Carthaginense V (cap. Placuit III, *De cons.* diss. 4). — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 122.

(3) Glossa in c. *Cum* 112 de cons. d. 4 ei *Nuper* 51, Decr. Greg. l. II, t. XX *de test.*

(4) C. *veniens* 4 de presb. non bapt. — *V.* Careno, *Delle regole* ecc. Esame 21.

(5) C. *Parvulos* d. 4 de cons.

(6) S. C. C. 21 dec. 1733; *V.* Girardi, *Expositio juris Pontificii.*

(7) *Notificatione* 84. Parochi et Sindaci est expositorum curam gerere, eosque ad hospitale mittere. Vid. Pro Sabaudia, *Istruzione per l' amministrazione dei Comuni*, 1 apr. 1838, §§ 55 et seqq. Et aliæ Instruct. postea datæ, quæ in Archivio Parochiali asservantur.

ciertas de que sean bautizados; porque la mayor parte de vagamundos viven sin religion; y muchas veces no se atreven á prestar sus hijos á la Iglesia, por temor de ser preguntados sobre sus creencias ó de que sea descubierto su libertinaje.»

Quoad infantes jam Baptizatos ab obstetrice vel ab alio laico, monet S. Carolus: *si, re accurate investigata, Parochus exploratum habuerit puerum, forma servata, Baptizatum esse, caveat omnino, ne sub conditione baptizandi formam adhibeat* (1).

Quid (addes) *cum pueris, quos constet baptizatos fuisse ab hæreticis?*

De fide est valere Baptismum collatum ab hæreticis, si omnia requisita ad Sacramenti naturam adhibentur. Verum merito hodie dicunt præstantiores Theologi baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos saltem sub conditione; nam gravissima urgent motiva (nostra præsertim ætate) dubitandi de valore talis Baptismi; cum constet facile nunc ab hæreticis violari vel materiam vel formam (2). Quia ipsi putant hoc Sacramentum non esse absolute necessarium; et ideo parum curant de eo rite conficiendo (3).

Q. 6. *Quid agere debet Parochus, si pro certo advertat plurimos fuisse ab obstetrice vel alio invalide baptizatos?*

R. Cum Voit: Parochus poterit facile remedia adhibere, si invalide baptizati adhuc sint in tenera ætate; eos privatim ad se vocet, et tamquam iis volens benedicere, frontem aqua baptismali ad hoc parata, vel in ejus defectu, aqua lustrali aspergat largiter, et insuper pollice bene madefacto signo crucis muniens clam pronuntiet formam baptismalem. Res difficilior est, si agatur de adultis, quorum Baptismus renovari non potest sine admiratione ac scandalo. Voit idem facere docet quod de pueris; Layman vero vult, ut occulte admoneantur, et occulte baptizentur. Verum in hac re consulendus Episcopus, ut pro circumstantiarum varietate provideat.

Quæ maxima inconvenientia ne eveniant, monet Rituale: *curare debet Parochus ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.* Verum ista diligentia in hoc Sacramento summæ necessitatis raro (proh pudor) adhibetur, obstetrices nec instruendo, nec examine probando circa illa omnia, quæ non modica sunt, et ad rite conferendum Baptismum in casu necessitatis inserviunt (4). Quare Synodi fere omnes post S. Carolum (5) ac Benedictum XIV (6) (uti Synodus Novariensis) merito ac graviter præcipiunt, ut Parochi eas, quæ obstetricam artem exercent, bene

(1) Instructio, *De Baptismo.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 135 et 136.

(2) Cum autem hic posterior Baptismus datus sub conditione non sit certus, cum prior possit esse validus, hinc est dubium, an remittat peccata post primum Baptismum commissa. Hæc igitur hæreticus ad gremium Ecclesiæ rediens tenetur confiteri et ab eis absolvi sub conditione, *si capax es:* quæ conditio respicit dubiam validitatem Baptismi primi, quando datur absolutio ante iterationem Baptismi: respicit vero materiam absolutionis, si hæc conferatur post iteratum Baptisma: et hoc secundum melius fit.

(3) Qui moriuntur eum dubio de validitate Baptismi, in loco sacro sepeliuntur; post factum enim recte supponitur factum, quod erat de jure faciendum. Est Canonistarum doctrina. — *V.* Pavone, *Spicilegio Canonico* etc. n. 313.

(4) *V.* Benedictum XIV, *De Syn Diœc.* l. VII, c. 6. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 137.

(5) Ita Baruffaldus. *Comment. in Rituale.* (6) In *Actis Eccl. Mediol.*

instruant, illis insuper aperiendo difficiles casus, qui in Rituali notantur et evenire possunt. Quia tamen obstetrices ex officio non habentur ubique, ideo tunc curare debent, ut nonnullæ integerrimæ ac prudentes mulieres ad hoc munus deputentur; quæ tamen singulo biennio accurate sunt examinandæ, et semper monendæ, ut duas saltem præter infantis matrem personas, si fieri possit, Baptismo adesse curent, quæ modum, quo res tota agitur, animadvertant, ut sic fidem facere possint (1). Imo tenentur Parochi omnibus suis parochianis diligenter explicare quæ ad Baptismum pertinent, etiam vernaculo sermone; quia evenire potest, ut occurrente inopinato casu, illud ministrare debeant.

Hæc insuper specialiter observare debent Parochi ex Synodo Novariensi: —1 ut quando agitur de Baptismo jam privatim collato, attente perpendant utrum rite collatus sit. Imo quoties ipsis infans baptizandus exhibetur, toties inquirant, an domi fuerit aqua tinctus;—2 ut ab Ecclesia procul distantibus suggerant, ut cum puerum baptizandum deferunt, aquam secum gestent, si quæ forte necessitas baptizandi extemplo urgeat;—3 ut fontem baptismalem decenter ornatum et bene communitum teneant, ita ut aqua lustralis servari possit nitida pro toto anni cursu, ac singulo quoque anno renovetur;—4 ut fœminas gravidas interdum moneant de omni cura habenda fœtus, quem utero gerunt, ut caveant tam a sarcinis immodicis vehendis, quam a ducendis choreis aliisque similibus, quæ fœtui nocere possint;—5 ut mulieres post expletos puerperii dies, sese templo sistant pro benedictione suscipienda, quæ a solo Parocho (excluso quocumque alio Sacerdote ab ipso non deputato), et quidem in ipsa Ecclesia tradenda est;—6 ut caveant matres a decumbendo cum infante in lectulo sine sufficienti repagulo, ob periculum suffocationis: est casus reservatus;—7 ut sæpe commemorent parentibus officia erga liberos, et fidelibus omnibus sponsiones et obligationes Baptismi suscepti. Quam in rem animadvertant festum Circumcisionis assignari pro dictis sponsionibus renovandis publice in Ecclesia; et summopere commendari, ut functionem hanc sancte et religiosissime peragant, non omissa mentione Indulgentiæ plenariæ a S. Pontifice Pio VII concessæ (tit. *De Baptismo*, pag. 79).

CAPUT QUARTUM

DE BAPTISMI SUBJECTO.

Q. 1. *Quodnam est Baptismi subjectum* (2)?

R. Subjectum Baptismi dicitur quisquis est capax et idoneus ad illum recipiendum: talis est *omnis* et *solus homo vivus* ab Adamo descendens, et nondum baptizatus sive adultus sive infans:—1 *omnis homo vivus;* ideo etiam jam in utero sanctificatus, tum ut fiat Ecclesiæ membrum; tum ut Christo

(1) *Notificatione* VIII.

(2) *V. Istruzione pratica e utile sia per la retta amministrazione del Sacramento del Battesimo, sia perchè si conferisca a quanti maggiormente si possa.* Vercelli 1853. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 121 et seqq.

configuretur per characterem; tum ut sit capax aliorum Sacramentorum. Hinc et B. Virginem Baptisma suscepisse docent Vasquez, Sotus, etc. (1);— 2 *solus homo vivus:* mortui enim frustra baptizantur. Nam ex una parte cadaver non est capax generationis spiritualis: ex alia mortuus est extra statum vitæ. Est contra veteres hæreticos Cerinthianos, Cataphryges, etc. (2).

Q. 2. *An recte baptizentur parvuli?*

R. Storchius anabaptistarum parens sæc. XVI docuit invalide baptizari infantes, utpote fidei actualis incapaces: quam doctrinam amplexati sunt Servetus, sociniani et arminiani. Erasmus vero contendit interrogandos esse pueros cum ad annos discretionis pervenerint, ratum ne habeant quod susceptores illorum nomine polliciti sunt; et si ratum non habeant, ad fidem non esse cogendos. Hoc ipsum adoptavit Lutherus, et omnes protestantes in praxim deduxerunt, eamque interrogationis cæremoniam *confirmationem* appellant. Sunt denique qui contendunt pueris permittendum esse, cum adoleverint, fidei examen, ne enthusiasmo ut ajunt, seu fanatismo credere videantur. Contra tamen hos omnes:

Dicimus 1: de fide est recte baptizari parvulos, licet actum credendi non habeant. Hoc satis insinuant Scripturæ verba: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei:* nemo porro dixerit Christum a Regno Dei excludere voluisse infantes. Idque comprobatur ex perpetua constantique Ecclesiæ praxi; hujus testis est S. Irenæus. Polycarpi discipulus, qui fuit Joannis Apostoli auditor (3), Origenes (4), Cyprianus (5), etc. Unde Augustinus de parvulorum Baptismo scribit: *hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide suscepit, hoc usque in finem perseveranter custodit* (6). Quare merito Tridentinum: *siquis dixerit parvulos, eo quod credendi actum non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit* (7). Iterum declaravit: *si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit* (8); Christo sane non fuit necessarius Baptismus uti infantibus ex Adæ progenitis: hinc consuetudinem, quæ sæculo IV et V inoleverat nonnisi ad seram ætatem suscipiendi Baptismum, Ecclesia et Patres semper improbarunt.

Dicimus 2: *parvuli baptizati, cum adoleverint, interrogandi non sunt, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderent, non sunt suo arbitrio relinquendi.* Est de fide assertio, cum totidem verbis sit a Tridentino definita (9). Sane lex naturæ clamat, ut qui a maximo liberatur malo, uti est mors sempiterna, maximoque donatur bono uti est salus æterna, illam debeat adimplere conditionem, sub qua utrumque collatum est: nonne ita se gerit politica societas respectu

(1) Aliis tamen placet Virginem excipere; cum Baptismi susceptio videatur injuriosa eximiæ ejus sanctitati. Hac de re *v.* Trombellius, *Mariæ Ss. vita et gesta.*

(2) *V. Bibbia* di Vence, vol. VI, dissert. Sul Battesimo pe' morti.

(3) L. II contra. *hæres.* c. 22. (4) Epist. ad Rom. (5) Epist. 59.

(6) Ser. 10 *de ver. Apost.* (7) Sess. 7 *de Bapt.* c. 13. (8) Sess. 7, can. 12.

(9) Can. 14.

eorum, qui in ea nascuntur, ut nempe eos tamquam subditos sibi obstrictos habeat? Neque obstat, quod pueris sic onera imponantur, quin scienter ea acceptaverint: nam hic non agitur nisi de eorum anticipatione, cum statim ac adolescunt, ea teneantur suscipere; lex enim Evangelii atque salutis omnes respicit. Unde libet cum Augustino exclamare: *felix necessitas, quæ nos ad meliora compellit* (1)! Infantes ergo baptizati, cum adolescunt non tantum de fide respondere debent, sed de præceptis Ecclesiæ, juxta illud Tridentini: *siquis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit* (2).

Q. 3. *An infantes monstruosi sint baptizandi?*

R. Si ita sint monstruosi, ut non hominis formam referant, sed plane bestialem, non sunt capaces Baptismi. Quod si capite saltem et pectore hominis formam habeant, baptizandi utique erunt. Si vero caput tantum sit ferinum, differendum erit Baptisma, donec certius res cognoscatur, consulendo Episcopum: quod si adsit periculum mortis, erit conferendum sub conditione: *si es capax*, vel *si es homo, ego te baptizo*. Ita Rituale R. et S. Carolus, ac ipsa ratio suadet, ne forte pereat qui salvari potest.

Quid (inquies), *si infans membra hominis habeat geminata?* — Si unum sit caput et unum pectus, licet quatuor sint brachia vel pedes, unum est individuum completum; ideo unum tantum dandum est Baptisma. Si vero duo sint capita et duo pectora, duo judicantur individua; et ideo duo sunt danda Baptismata. Si duo essent capita et unum pectus, datur absolute unum Baptisma super unum caput; aliud vero conditionate super caput secundum, dicendo: *si tu es alius homo*. Si tandem unum sit caput et duo pectora, primo est baptizandum caput absolute; dein infunditur aqua super duo pectora simul, cum intentione non adhuc baptizatum abluendi, dicendo: *si alius es homo:* ita Rituale romanum.

Quid (addes) *de fœtu abortivo?* — Fœtus abortivus, qui scilicet ab utero egreditur ante tempus partui destinatum et immaturus, utcumque parvus, si habeat formam humanam et det signum vitæ, absolute baptizandus est, ut omnium est sententia. Si vero in eo vix appareant indicia humanitatis et vitæ, fœtus baptizandus est sub conditione: *si es homo*. Idem dicendum est de informi productione, nisi manifesta putrefactionis, descompositionis vel desorganizationis signa jam exhibeat: idque hodie præsertim, cum vigeat et fundata sit peritorum opinio fœtum nempe illico a conceptione animari. *Quot fœtus*, ait Roncaglia, *abortivos ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret, et corpus, licet informe, esset decentius tumulandum! Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit expellere ignorantiam? nonne Parochis* (3)?

Q. 4. *An recte baptizentur filii, invitis parentibus?*

R. Certum est: 1 contra Catharinum et Durandum tale Baptismum validum esse, ut probat Benedictus XIV Instructione, *Postremo mense; non enim*,

(1) *V.* Nat. Alexander, *Historia Ecclesiast.* dissertatio XIII, in sæc. XI et XII. — Et Perrone, *De Baptismo.* (2) Can. 7.

(3) *V.* Debreyne, *Essai sur la Theologie* etc. p. 3. — *Embriologia sacra*, c. 8, l. I.

ut ait Augustinus, *scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. (1); 2 hoc Baptisma esse etiam licitum, si agatur de filiis christianorum, quippe qui Ecclesiæ legibus subjiciuntur (2). Quod si agatur de infidelium filiis, utrum licite, invitis parentibus baptizentur, affirmat Scotus: verum communior et in praxi tenenda sententia, quam defendunt Thomistæ, docet generatim loquendo filios infidelium illicite baptizari, si eorum parentes sint vel censeantur fore repugnantes, quamvis aliunde Christianis principibus civiliter subjiciantur. Etenim baptizati vel subducuntur a parentibus, et eis fit injuriam; nam *de jure naturæ est quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris* (3): vel relinquuntur penes eosdem, et fit injuria Sacramento; cum illud exponatur irreverentiæ. Firmatur ex praxi Ecclesiæ, et ex Benedicto XIV tum Instructione *Postremo mense*, tum Constitutione *Probe te*. Imo quoad hebræorum filios adest Constitutio Julii III, qui imposuit delinquentibus suspensionem et pœnam mille ducatorum (4).

Diximus *generatim loquendo*. Nam si christiane ipsi poterunt educari, etiam licite baptizabuntur: — 1 si parentes sint nostra mancipia; tunc enim nostri potius juris sunt quam illorum; — 2 si parentes fuerint baptizati, vel uterque, vel saltem alteruter; quia tunc Ecclesia jus habet in eos; — 3 si alteruter parentum petat; quia justa ejus voluntas voluntati injustæ alterius præferenda est in favorem fidei et prolis. Item si, mortuo patre, consentiat avus paternus, etiam matre reluctante; cum apud ipsum sit patria potestas; — 4 si infans sit in periculo mortis: tunc enim bono prolis providetur, quin alicui injuria fiat; cum ab omni sit subtrahendus hominum potestate per mortem; — 5 si suæ jam compos rationis Baptisma petat ex se; quia in negotio Religionis jam est juris sui. In dubio autem de usu rationis, sufficit ætas septem annorum; — 6 si filius sit positus extra curam parentum, ut si esset expositus; tunc enim juri suo censerentur renuntiasse. Item si bello parentes capti sint; nam jure belli captivi sunt victoris; — 7 si pater offerat filium et postea consilium mutet; jam enim Ecclesia jus acquisiisset. Ita Benedictus XIV, plura S. C. C. decreta, ac communis Doctorum sensus.

Neque dicas: *obedire oportet Deo magis quam hominibus; Deus autem vult, ut omnes baptizentur*. — Utique vult Deus ut omnes baptizentur, sed volentes; at si nolunt parentes, nolunt et infantes, quorum voluntas in patris voluntate censetur inclusa. Quod autem sic parentes abutantur eorum potestate, et ideo ea expoliandi ab Ecclesia vel christiano principe; id utique verum est, si ea abuterentur in iis, quæ sunt ordinis naturalis, uti si filios necare vellent, quia tunc peccarent contra jus naturale et humanam sociotatem. At hoc non currit, si abusus sit circa ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, in quo subjecti non sunt neque Ecclesiæ, quæ potestatem non habet

(1) Epist. 98.

(2) Gousset, *Theol. Mor.* n. 81 *de Baptismo*, neque quoad Christianos parentes id facile concedit, si impii renuerent omnino, ad scandala cavenda.

(3) S. Thomas, 2, 2, q. 10, a. 12. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 126 et seqq.

(4) Et Regiæ Pedemontanæ Constitutiones imponunt contravenientibus pœnam 50 scutorum; et in defectu pœnam expulsionis ad triennium in viris, ad sex menses in fœminis (lib. I, tit VIII, c. 8).

de his qui foris sunt, judicare; neque principi sæculari, cujus potestas ad ea tantum extenditur, quæ naturalis ordinis sunt. — Si tamen proles jam sit, invitis parentibus, illicite baptizata, tunc Benedictus XIV cit. Instructione prohibet eam reddere parentibus ob certum periculum perversionis prolis et profanationis Sacramenti.

Q. 5. *Quid speciatim notandum quoad Baptisma adultorum?*

R. Adultorum *Baptismus*, ait Rituale R., *ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur; alioquin Parochus ipse baptizat, statuta cæremonia.* Adultorum Baptisma præstat ad aliquod tempus differre; tum ad cautelam Ecclesiæ, ne ipsa decipiatur; tum ob reverentiam Sacramenti, ut sancte administretur; tum ob utilitatem ipsorum baptizandorum, ut plenius instruantur. Diu tamen illud differre esset contra baptizandi charitatem, eum tanto bono privando. Antiquitus diversa tempora præscripta fuerunt; nunc res tota Episcopi judicio relinquitur *(H)*.

Ad validam vero susceptionem Baptismi in adultis requiritur et sufficit intentio saltem habitualis, id est habita et non retractata (1). Hinc infertur: 1 Baptisma ex metu gravi susceptum, licet dedeceat, nam, ut ait Tertullianus, *non est Religionis cogere Religionem;* tamen valere, quia sufficienter voluntarium: et suscipitur Sacramentum, quamvis non res Sacramenti. Hinc Concilium Toletanum IV validum declaravit Baptisma Judæorum, quibus a Sisebuto in Hyspaniis propositum fuit, vel ut Baptisma, vel ut cruciatus eligerent; electio enim voluntaria fuit, cum vere voluerint Baptisma ad cruciatus vitandos; 2 validum esse Baptisma collatum dormienti vel amenti, qui sui compos antea petierit: in dubio autem de petitione, Baptismus, urgente casu, conferendus est sub conditione: *si es capax.*

Ad licitam autem Baptismi susceptionem in adultis requiritur præter intentionem: 1 fides: nam *sine fide impossibile est placere Deo* (2); 2 timor Dei; nam *qui sine timore est, justificari non poterit* (3); 3 spes justificationis; secus fictitia esset illius voluntas; 4 initium amoris Dei; impossibile enim est, ut eum non incipiamus diligere, a quo bonum speramus; 5 propositum christiane vivendi; secus nugatoria esset Satanæ renuntiatio, factaque Deo promissio; 6 pœnitentia juxta illud: *pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum* (4); excipe siquis solum originale haberet; nam neminen pœnitet nisi de voluntariis voluntate sua. Verius autem tradunt sufficere attritionem; cum enim Baptismus ad delenda etiam actualia ante ipsum commissa sit institutus, si præexigeret contritionem, quæ *operit multitudinem peccatorum* (5), præexigeret effectum, ad quem producendum est institutus. Ad rem Angelicus: *ad hoc quod homo se præparet ad gratiam in Baptismo perci-*

(1) *V. de Sacr. in genere*, disp. 1, c. 1. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 139.

(2) *Hebr.* 2. Quoad fidem, requiritur ut sciat Sacramenta (saltem Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam), præcepta Decalogi, saltem crasso modo, et orationem Dominicalem; ultra quatuor illa scitu necessaria, id est Dei existentiam, Deum remuneratorem esse, Trinitatem et Incarnationem, passionemque D. N. J. Christi. In urgente autem periculo mortis, sufficit scire hæc quatuor ultima, ut bene dicunt Sanchez et Sotus.

(3) Eccli. 1.

(4) Act. 2.

(5) Jac. 5.

piendam, præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio (1). Hinc versus:

Crede, time, spera, tibi sit dilectio cœpta,
Propositum atque dolor, si ablui, adulte, cupis.

CAPUT QUINTUM

DE BAPTISMI EFFECTIBUS ET CÆREMONIIS.

Q. 1. *Quinam sint effectus Baptismi?*

R. Primus effectus Baptismi est remissio plena peccatorum omnium tum originalis, tum personalium actualium, si quæ commissa fuerint; ait enim Scriptura: *nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: quicumque baptizati estis, Christum induistis* (2). Hinc omnes renati in Baptismate appellantur passim *innocentes, immaculati, puri, innoxii, facti Deo dilecti, hæredes Dei, cohæredes Christi;* ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur (3). Hinc Ecclesia publice canit: *confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Et decretorie Tridentinum: *siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus* (4); — 2 est condonatio cujuscumque pœnæ peccatis antea commissis debitæ, *ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur*, prout habet Tridentinum; et sane equum est, ut qui ad vitam novam renascitur, nihil habeat de veteri. Non tamen liberat a malis vitæ præsentis, et merito; sic enim homo meretur mercedem laborum, virtutem perficit ac Christo conformatur: ratio autem, ob quam, sublato originali peccato quod est causa, adhuc remaneant pœnalitates, quæ sunt effectus, est quia sanata quidem est persona, non autem revocata ad pristinam integritatem sauciata natura; — 3 collatio tum gratiæ sanctificantis tum gratiæ sacramentalis. Primo *gratiæ sanctificantis;* neque enim nisi per illius infusionem delentur peccata: unde bene ait Apostolus: *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis* (5). Secundo *gratiæ sacramentalis*, ad rite nempe Christiani munia obeunda, cum ideo sit Baptisma institutum (6); — 4 capacitas tum alia Sacramenta suscipiendi, tum

(1) In 4, d. 6, q. 1, a. 3. — Neque etiam requiritur Confessio sacramentalis; quia ante Baptisma non est homo illius capax; post autem jam ablatum est *totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet*, ut ait Tridentinum (*sess.* 5 *de pec. orig.*). Quamquam, adulti antequam baptizentur, utiliter aperirent conscientiam suam, ut tutius dirigi ac convenientius præparari possent.

(2) Rom. 6 et 1 Timoth. (3) Rom. 8 et Gal. 3. (4) Sess. 5, can. 5.

(5) I Cor. 6. Etsi autem olim disputatum fuerit circa modum, uti constat ex Concilio Viennensi; numquam tamen dubitatum fuit circa veritatem hujusce infusionis.

(6) Simul autem cum sanctificante gratia infunduntur non tantum dona Spiritus S. et virtutes Theologicæ, ut eruitur ex Tridentino (*sess.* 7,); sed etiam cæteræ virtutes morales, uti habetur in Cathechismo rom. Firmatur auctoritate Clementis V, qui in Concilio Viennensi hanc *opinionem tamquam probabiliorem et dictis Sanctorum et Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duxit eligendam* (*V.* Boudrand. *l' anima elevata in Dio*, lez. VIII).

de aliis Ecclesiæ bonis participandi; baptizatus enim fit *civis Ecclesiæ, frater Christi, cohæres, membrum illius, templum et organum Spiritus Sancti,* sicut ait D. Chrysostomus (1); —5 *characteris impressio* ex dictis de Sacramentis in genere (2); et *cognatio spiritualis,* sed tantummodo jure Ecclesiæ, ex dicendis de Matrimonio *(I).*

Hæc de Baptismo proprie dicto; quoad alios Baptismos notamus:

1. Baptismus Joannis non operatur istos effectus: est contra Lutheranos et Calvinistas, qui tenent Baptismum tum Christi tum Joannis ejusdem esse virtutis; et utrumque operari per solam eos suscipientis fidem. Hinc Tridentinum: *siquis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit* (3). Nempe primus ex opere operantis pœnitentiam solummodo operatur; alter vero operatur gratiam ex opere operato.

2. Baptismum flaminis, sive votum seu desiderium recipiendi Baptismum, si adjunctam habeat perfectam contritionem de peccatis commissis, vices supplere Baptismi, est de fide ex definitione Tridentini (4). Et sane qui diligit, non manet in morte; qui Deum diligit, a Deo diligitur (5): unde quoad remissionem peccatorum et collationem gratiæ eosdem effectus producit ac Baptismus aquæ. Non tamen quoad characteris impressionem, et cujuscumque reatus pœnæ remissionem; cum hoc solius sit Sacramenti. —Desiderium autem seu votum Baptismi suscipiendi sufficit adhuc, si sit implicitum, quod nempe continetur in generali dispositione faciendi omnia a Deo præscripta, ut expresse docet sanctus Thomas (6).

3. Baptismus sanguinis, quasi ex opere operato, ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi, remittit culpam et pœnam; excluso tamen charactere sacramentali. Hinc Innocentius III ait: *injuriam facit martyri qui orat pro martyre* (7). —In adultis tamen præter acceptationem martyrii, quæ sit saltem habitualis ex motivo supernaturali, requiritur probabilius etiam contritio, vel dilectio Dei super omnia. Probatur ex illo Apostoli: *si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (8). Hæc est Angelici doctrina, qui ait: *effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate: ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, et non e converso* (9).

(1) Homil. ad Neophit.

(2) *V.* Klee, *Storia de' dogmi*, t. II, p. 144, ubi pluribus id adstruit. Graviter errant qui docent characterem Baptismi consistere vel *in lumine fidei*, quod per Baptisma in anima infunditur, vel in *animæ conjunctione cum Deo*, sive *in vita animæ* ipsius quæ in Baptismate efficitur; ex hoc enim sequeretur errasse Tridentinum, vel cum declaravit *characterem* Baptismi esse *indelebilem*, vel cum definivit gratiam Dei et fidem ipsam amitti posse; quo in casu certe amitteretur etiam character Baptismi, si in vita animæ esset constituendus.

(3) Sess. 7 *de Bapt.*, c. 1. — *V.* Bellarminus, *De Bapt.* c. 21. — *Bibbia* di Vence, diss. vol. VI sui tre Battesimi degli Ebrei, di S. Giovanni, di G. C.

(4) Sess. 4, c. 4. —Et Innocentius III expresse definit, *Decr.* l. VI, t. XLII, c. 4.

(5) Jo. 14, Prov. 8. (6) 3 p. q. 68, a. 2.

(7) *Decr.* l. III, t. XLI, c. 6. —Hic prodest etiam infantibus, ut probat Ecclesiæ praxis, quæ Ss. Innocentes ut martyres colit. Unde qui contrarium assereret, habendus esset saltem ut temerarius. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 96.

(8) I Cor. 13. (9) 2, 2, q. 124, a. 2.

Neque martyrium subire importat semper charitatem perfectam habere; nam potest quis velle potius mori, quam novum peccatum committere, sed propter metum inferni tantummodo.

Q. 2. *Quid de cæremoniis Baptismi?*

R. Baptismi cæremonias vetustas esse fatetur ipse Calvinus (1): harum aliæ Baptismum antecedunt, ut *nominis impositio*, *exorcismi;* aliæ ipsum comitantur, ut *abrenuntiatio Satanæ*, *fidei professio*, *unctio Olei sacri;* aliæ subsequuntur, ut *unctio chrismatis*, *cerei accensi traditio*, etc. Ad cæremoniarum dignitatem, et Sacramenti reverentiam notandum: 1 quod cæremoniæ e Rituali romano sint omnino suscipiendæ, ac religiose observandæ; 2 quod eas negligere in parte notabili sit mortale, excepto si Baptisma privatim administretur. Sic communiter putant esse mortale baptizare sine patrinis designatis, cum id sit de præcipuis cæremoniis, vel baptizare in aqua minime consecrata vel sine unctione Chrismatis: vel cum Chrismate alterius anni, nisi oleum novum Pastor non sit accepturus per decem vel undecim dies, et adsit periculum in infante (2).

Si Baptismus sit repetendus, an etiam cæremoniæ repetendæ sint, alii affirmant cum Salmanticensibus et D. Antonino; quia hæ habentur ut quoddam accessorium, cujus proprium est, ut sequatur naturam principalis. Sed communius negant cum Coninchio, Suarez aliisque: quia in Sacramentis characterem imprimentibus tenenda est regula canonica et generalis, qua dicitur, nihil iterandum; *sed caute supplendum*, *quod incaute fuerat prætermissum* (3). Utraque sententia probabilis est, sed prima tutior: ideo suadenda in praxi, si absque scandalo fieri possit aut infamia vel admiratione, quæ merito timeri possunt, si de adultis agatur. — Si autem puer domi fuerit valide baptizatus, aliqua cogente necessitate, tunc absolute intra nonum ab ortu diem (vel cum primum convaluerit) ad Ecclesiam est deferendus, ut omissa suppleantur: et quidem sub mortali, cum agatur de re gravi: et Rituale ritum tunc adhibendum assignat. Hoc tamen non est de more in hæreticis conversis; ne plebs putet eorum Baptisma, si rite collatum, nos improbare (4).

Monet Rituale R.: *curet Parochus*, *ne obscœna*, *fabulosa*, *vel ridicula*, *vel inanium Deorum*, *vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius quatenus fieri potest, Sanctorum.* Ex quo deducit Croix, non esse peccatum imponere nomen alicujus non Sancti; cum hoc sit monitum, non præceptum. Imo ait neque illicitum nomen in Baptismo semel impositum mutare auctoritate propria; cum hoc nullo jure sit prohibitum: licet saltem in Confirmatione (5).

(1) Illarum meminit S. Justinus, *Dial. cum Thriph.;* Tertullianus, *De præscr.* c. 41; S. Cyprianus, *Ep.* 2; S. Cyrillus, *Cath.* 1; S. Ambrosius, l. I *de Sacr.*, c. 3; S. Augustinus, l. III, *de pecc. orig.*, c. 40; S. Clemens, l. III *Recog.;* S. Joann. Chrysostomus, *Hom.* 6 in capite 2 *Ep. ad Coloss.*

(2) *V.* Liguori, qui inter diversas sententias sic resolvit, *Opus Mor.* l. VI, n. 141.

(3) *Decret.* Greg. l. I, tit. 16, cap. 1.

(4) *V.* Benedictum XIV, *Notificatione* LXXXIV.

(5) *V.* Rossignoli, *Devoti ossequi a' Santi del mese e del nome.* Hic duo notamus cum Benedicto XIV: 1 Bulla *Quam provinciale* mandat servari canonem Concilii III Albanensis, quo prohibe-

In publica Baptismi collatione etiam patrini adhibendi sunt: patrinos autem dicimus personas illas, quæ baptizatum quasi patres spirituales de fonte suscipiunt in curam propriam. Antiquissimus est in Ecclesia eorum usus, et historici aliqui eum desumunt ab Hygino pontifice sæculi II. A veteribus appellantur *susceptores, fidejussores, sponsores.* Rationem hujus institutionis ex eo deducit Angelicus, quod spiritualis generatio assimiletur carnali, in qua parvulus nuper natus indiget nutrice et pædagogo: quod de ipsa Confirmatione valet, quæ est Baptismi complementum (1). Tenet autem probabiliter Croix ad hoc, ut quis valide sit patrinus, requiri septenium; secus non videtur capax muneris sui suscipiendi.—Obligationes vero patrinorum sic pandit idem Angelicus: *ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi: et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret* (intellige tamen circa res fidei et morum), *sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere* (2). «Por desgracia (addit hic *Gousset*) lo que era una escepcion en tiempo de este santo Doctor, ha pasado en nuestros dias á ser cosa general.»

Q. 3. *Quid agere debet minister post Baptisma?*

R. Rituale monet Parochum: 1 adnotet de vice in vicem sine mora in libro apposito, et modo præscripto nomina baptizati et parentum, annum, diem et horam nativitatis, etc. Multi Parochum damnant de mortali, si hæc negligat; cum id evenire non possit sine gravi familiarum damno; 2 ut moneat patrinos de cognatione spirituali contracta, et de cæteris eorum obligationibus inde prodeuntibus; 3 ut matribus et nutricibus præcipiat, ut caveant a decumbendo cum infantibus ob periculum suffocationis. Imo in pluribus Synodis (uti in Novariensi) hic decubitus cadit sub reservationem (3).

tur, ne Christianis apud Mahumetanos degentibus turcica nomina imponantur; 2 Bulla *Omnium sollicitudinum* firmat decretum Inquisitoris Tournon, quo Missionariis Indiarum orientalium prohibetur nomina imponere idolorum, vel falsæ religionis pœnitentium. Sed nomina desumenda præcipit e *Martirologio Romano*, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem perantiquam sane, ut ita Sanctorum frequens memoria nos excitet ad virtutem, et eorum auxilium super nos invocetur, uti ex Ss. Ambrosio et Chrysostomo discimus; quod probat ipse Benedictus XIV, *De Canonizatione Sanctorum*, lib. IV, par. 2ª, c. 19.

(1) 3 p. q. 67, a. 7. Diximus *in publica Baptismi collatione;* nam in privata licet congruentius adhibeantur patrini, non tamen præcipiuntur; semper tamen adhibetur in collatione Confirmationis, etsi privatim ea conferatur.

(2) 3 p. q. 67, a. 7. Cætera vid. *De Matrim.* disp. 3, c. 2. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 146.

(3) Optimum erit si parochus librum conficiat, in quo ordine alphabetico scribat omnia cognomina, nomina et paternitatem, notando diem, mensem, annum in quo unusquisque parochianus baptizatus, nuptus, et mortuus est. Labor pro una vice, sed plurimum inserviet, cum de aliquo quæritur.

DISPUTATIO TERTIA

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPUT PRIMUM

DE NATURA, INSTITUTIONE, NECESSITATE, MATERIA ET FORMA.

Q. 1. *Quid est Confirmatio* (1)?

R. *Confirmationis* nomine secundum novæ Legis Sacramentum solet appellari; quia est ipsius vires et robur animo nostro suppeditare, ut fidem intrepide profiteamur. Appellatur per antonomasiam: *impositio manuum, Sacramentum Chrismatis, Sacramentum unctionis, Chrisma salutis, Chrisma sanctum, signaculum spirituale et Dominicum, signaculum vitæ æternæ*, etc. Definitur autem: *Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo per manuum impositionem et sacri Chrismatis in fronte unctionem, sub præscripta forma, Baptizatis additur robur tam ad firmiter credendum, quam ad fidem ipsam constanter fortiterque propugnandam.* Dicitur: 1 *Sacramentum novæ Legis:* sic Confirmatio convenit cum Sacramentis cæteris; 2 *quo per manuum impositionem, et sacri Chrismatis in fronte unctionem sub præscripta forma:* sic habetur materia et forma; 3 *Baptizatis*, sic indicatur subjectum Confirmationis solos esse Christianos, non infideles, neque catechumenos; 4 *tam ad firmiter*, etc.; quæ verba finem peculiarem Confirmationis exponunt.

Definitum est in Tridentino contra Lutheranos et Calvinistas, inter quos eminet Dallæus et Basnagius, Confirmationem verum esse Sacramentum a Baptismo distinctum: *siquis dixerit Confirmationem Baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, anathema sit* (2). Id clare evincitur ex Scriptura, ubi legimus: *cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum* (3). — Id constat quoque ex PP.: D. Hieronymus ait, *an nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum* (4). Et D. Augustinus: *Sacramentum Chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus* (5); idem docent Cyprianus (6), Chrysostomus (7), Cyrillus (8) et alii.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 161 et seqq.
(2) Sess. 7 *de Conf.*, can. 1. (3) Act. 8. (4) *Dial. contra Luciferianos.*
(5) Lit. cont. Petil. l. II, c. 105. — *V.* Klee, *Storia de' dogmi*, t. II.
(6) Ep. 72 et 73. (7) Hom. 18 in Act. Apost. (8) *Catech.* 21.

Accedit perpetuus et universalis omnium Ecclesiarum orientalium consensus, ut ineluctabilibus monumentis ostendit Renaudotius. Tandem ratio theologica firmat; nam ad constituendum strictum Sacramentum novæ Legis requiritur signum sensibile, gratiæ divinæ collatio, et divina institutio. Atqui hæc tria hic habentur: 1 signum sensibile in manuum impositione *imponebant manus super illos;* 2 gratiæ divinæ collatio ex illo *et accipiebant Spiritum Sanctum;* 3 divina institutio; cum ritus externus a sola Dei institutione possit habere vim gratiæ conferendæ.—Patres autem passim vocant Confirmationem *perfectionem* Baptismi, non ratione Sacramenti, sed ratione effectus, quatenus homo utroque Sacramento munitus plene sanctificatus est; cum non tantum natus habeatur spiritualiter, sed et roboratus (1).

Christus non instituit Confirmationem *eam exhibendo*, ait Angelicus, *sed eam promittendo:* siquidem nonnisi post Ascensionem plenitudo Spiritus Sancti descendit (2). Putant alii eam institutam fuisse, cum Salvator parvulis manum imposuit; alii dum recubuit cum Apostolis in ultima cœna (3). Est tamen probabilius ipsam fuisse institutam eo temporis intervallo, quo a mortuis redivivus per dies quadraginta cum Apostolis suis commoratus est *loquens de Regno Dei* (4). Et sane existimandum est eo tempore ipsum instituisse hoc Sacramentum, quo Apostolis suis promisit gratiam supervenientis Spiritus Sancti; quo plenam iis in mysticum Ecclesiæ corpus contulit potestatem; quo plura alia revelavit mysteria; quo magis Apostoli indigebant ad se roborandum contra fremitum gentium ac impios judæorum conatus. Et hoc maxime, si aliud tempus assignari nequeat ratione satis congrua: *iis diebus*, ait Leo Magnus, *magna confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria* (5).

Q. 2. *An Sacramentum Confirmationis sit necessarium?*

R. Confirmatio non est necessaria necessitate medii; certum est enim salutem nos posse consequi etiam sine illa, cum scriptum sit: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (6). Id patet etiam ex constanti romanæ Ecclesiæ praxi, quæ infantes statim a Baptismo non solet confirmare: quod non ageret, si hoc Sacramentum existimaret necessarium necessitate medii. —Sed quæstio magna est, si sermo sit de necessitate præcepti. Alii obligationem per se gravem tuentur tum ex præcepto naturali; quia grave detrimentum sibi infert qui negligit ad tentationes superandas se tali robore munire ad hoc instituto; tum ex præcepto positivo tam ecclesiastico, ut habetur in jure Canonico (7): tam divino; nam Christus præcepit Apostolis, *ut expectarent promissionem Patris*, nempe Spiritum Sanctum, cujus donum in Confirmatione tribuitur (8). Alii quibus adhæret S. Thomas, levem esse affirmant per se, et volunt fieri posse gravem solum per accidens

(1) S. Cyprianus, *Epist.* 72. (2) 3 p. q. 27, a. 1.

(3) Idque probant ex quadam Epistola S. Fabiani Pontificis ad Orientales: quæ tamen Epistola ab eruditis apocrypha habetur. Huic sententiæ videtur conformis singularis plane revelatio Emerich, ut ex libro, *La dolorosa passione di N. S. G. C. secondo la contemplazione di Anna Caterina Emerich Agostin. a Dimen, morta in odore di santità 9 febb.* 1824. Milano.

(4) Act. 1. (5) Serm. *de Ascen. Domini.* (6) Mar. 16.

(7) C. *Omnes* 1. d. 5 de cons. (8) Act. 1.

v. g. ad scandalum vel periculum grave declinandum; quia ad superandas tentationes sunt alia plura remedia. Hæc tamen sententia hodie non videtur satis probabilis, postquam Benedictus XIV Bulla *Etsi pastoralis*, declarato, quod omnes Confirmationem suscipientes a Presbyteris Græcis invalide confirmantur, hæc ait de illis: *monendi sunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad Confirmationem accedere renuunt et negligunt* (1).

Est autem notandum Episcopum, nisi eum moralis impossibilitas excuset, mortaliter peccare, si diu differat hoc Sacramentum ministrare, puta ad 8 aut 10 annos, saltem per loca præcipua; cum sit subditos ingenti bono privare. — Quia tamen illud non est absolutæ necessitatis, ideo Episcopus nequaquam obstringitur, saltem ex justitia, illud ministrare peste laborantibus, ut ait Benedictus XIV (2); quamquam præstet imitari S. Carolum, qui etiam illis tribuere curavit.

Q. 3. *Quænam est materia remota et proxima Confirmationis?*

R. Ad 1: Materia remota Confirmationis est Chrisma confectum *ex oleo olivarum et balsamo, benedictum ab Episcopo.*

1. Ad *oleum* quod pertinet, dicimus illud necessarium esse de necessitate Sacramenti (3): et quidem de olivis expressum, ut docet Angelicus (4). Et merito; quia hoc oleum cum sit ex natura sua pingue et diffluens, melius inservit ad significandam gratiam Spiritus Sancti, quæ, uncto capite, in confirmatos effunditur. Aliunde cum simplicitur dicitur *oleum*, semper intelligitur oleum olivarum.

2. *Balsamum* quod sit de necessitate præcepti, a nemine potest negari. Sed utrum sit etiam de necessitate Sacramenti, negant probabiliter Continuator Tournely, Juveninius et alii; attamen sententia communior et probabilior affirmat cum S. Thoma ac Catechismo R. Sic enim Confirmationis efficacia ac robur optime significatur; quia balsamum et bonum Christi odorem et immunitatem a vitiorum corruptela designat. Hinc Innocentius III Sacramentum hoc *Chrismationem* appellat: et Eugenius IV ad Armenos expresse docet materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo et balsamo (5).

3. Quod de necessitate Sacramenti Chrisma *benedicendum* sit ab Episcopo, videtur omnino affirmandum; quia idem Eugenius Chrisma illud vocat *ab Episcopo benedictum*. Hæc sententia uti tutior tenenda est; quamvis quæ docet benedici posse etiam a simplici Sacerdote de Papæ licentia, sit speculative probabilis. Sicut enim Papa potest committere chrismandi facultatem

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 182. — Sunt adhuc tamen qui tenent ea verba Benedicti XIV non concludere pro omnibus; quia (inquiunt) hic Pontifex tantum loquitur de invalide confirmatis a Presbyteris græcis, qui renuunt ad Confirmationem de novo accedere, quasi habeant validam primam: unde hic habetur ratio peculiaris.

(2) *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 19.

(3) Ex c. ult. de Sac. Unct.; et ex Decreto ad Armenos.

(4) 3 p. q. 78, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 160 etc.

(5) Quia tamen hæc sententia, ipso fatente Benedicto XIV, non est omnino certa; ideo in necessitate erit sub conditione conferenda Confirmatio etiam solo oleo confecta. Ajunt enim contrarii primis sæculis nullam fieri balsami mentionem.

simplici Sacerdoti, ita videtur posse eidem committere Chrismatis benedictionem (1).

R. Ad 2: Circa materiam proximam Confirmationis plures sententiæ: sed tres sunt principaliores. Prima cum Aureolo, Sambovio, Sirmondo et aliis paucis docet materiam proximam essentialen et unicam esse illam manuum impositionem, quæ habetur in Pontificali, cum Episcopus in principio sacri ritus extendit manus suas ad confirmandos inquiens: *Omnipotens, sempiterne Deus* etc. Unctionem autem, quæ fit postea, dicit esse cæremoniam pure accidentalem, institutam ab Ecclesia. Hæc opinio habetur ut improbabilis: hinc Episcopi communiter non dubitant confirmare eos, qui postquam primus ille ritus est completus, accedunt. — Secunda cum Merbesio, Juvenino, Concina, Gotti, Duhamel, etc. dicit materiam proximam essentialem tam ab impositione manuum componi quæ fit in principio, quam ab unctione quæ deinde adhibetur. — Tertia demum sententia cum Berti, Estio, Gonet, Salmanticensibus, Scoto, Sylvio, Soto, Suarez, Vitasse, etc. materiam adæquatam collocat in Chrismatis unctione, quam agit Episcopus in fronte confirmandi, et in simultanea illa manus impositione super chrismandum, quando dicit: *signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis* etc.: quæ proinde manus impositio ab unctione est indistincta. Hæc sententia est communis vel fere communis, et Bellarminus eam appellat certissimam: et a nobis etiam tenetur ut talis; tum propter auctoritatem Ss. Angelici, Bonaventuræ et Antonini: tum propter sapientissimum illud Augustini: *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Ex historia autem patet illam Chrismatis unctionem fuisse semper adhibitam in Ecclesia tam Latina quam Græca: quod non ita fuit de illa prima manuum impositione (2). Confirmatur ex Catechismo R.; ex decreto Eugenii IV ad Armenos: tandem ex Epistola Encyclica Benedicti XIV, *Ex quo primum* data ad Archiepiscopos et Episcopos ritus græci 1756, ubi de sola unctione Chrismatis manu Episcopi peracta fit mentio tamquam de materia totali adæquata. Ex quibus omnibus Sylvius deducit id esse de fide tenendum.

Unctio autem de necessitate Sacramenti fieri debet in fronte. Patet tum ex praxi Ecclesiæ; tum ex Sacramentario Gregorii Magni; tum ex decreto Eugenii IV. Imo probabilius in modum crucis facienda est; alioquin verba formæ non verificarentur. Quod autem fieri possit ab Episcopo etiam penicillo vel alio instrumento, nos merito negamus; tunc enim deesset inmediata impositio manus, quæ requiritur (3).

(1) Hic notandum: — 1 Chrisma ex præcepto gravi Ecclesiæ feria v in Cœna Domini benedicendum esse. In qua quidem benedictione adhibentur *preces* ad Deum; *omnis enim creatura* ex Apostolo *sanctificatur per verbum Dei et orationem.* Item *signum crucis;* nam crux et Leone M. *fons est omnium benedictionum.* Item *salutatio Chrismatis*, quæ nempe ad Christum directa est per Chrisma repræsentatum; — 2 sub gravi prohibitum esse uti Chrismate anni elapsi. In hac re Papa solus dispensat, ut docet Benedictus XIV Constitutione, *Cum ad infrascripta* 1741.

(2) Et quamvis in Scripturis non fiat expressa mentio unctionis; ex traditione tamen constanti probatur Confirmationem ita semper collatam fuisse, nempe per unctionem cum simultanea manus impositione. *V. Dissert.* S. Alphonsi *Opus Mor.* l. VI, n. 164.

(3) Si Episcopus habeat infirmum pollicem manus dexteræ, licite poterit unctiones peragere

Q. 4. *Quænam est forma Confirmationis?*

R. Sicut sunt diversæ opiniones circa materiam proximam Confirmationis; ita et circa formam. Nos, aliis prætermissis, uti communiorem tenemus quæ docet, sicut materia adæquata, totalis et proxima est unctio Chrismatis facta per manum Episcopi in fronte confirmandi; ita totalem et adæquatam formam consistere in verbis istis, quæ ab Episcopo latino proferuntur actu, quo dictam unctionem operatur: *signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sic tradit Angelicus, et Catechismus R. Sic definivit Eugenius IV in Decreto ad Armenos inquiens: *forma autem est, signo te signo crucis* etc.

Forma vero Græcorum est: *signaculum doni Spiritus Sancti:* ubi juxta illius linguæ genus subintelligitur *ecce*, vel *datur tibi.* Quæ forma utique valida est, uti declaravit Urbanus VIII.

CAPUT SECUNDUM

DE MINISTRO, SUBJECTO, EFFECTIBUS ET CÆREMONIIS.

Q. 1. *Quisnam est minister ordinarius Confirmationis* (1)?

R. Minister ordinarius Confirmationis, qui nempe vi ordinationis suæ completam potestatem accipit, est solus Episcopus. Est de fide contra Photium, Græcos hodiernos, Valdenses, Wiclephitas et Hussitas: sic enim ait Tridentinum: *si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum; sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit* (2). Id eruitur ex Actis Apostolorum, ubi semper leguntur confirmasse Episcopi. Id firmat PP. auctoritas: *per manus impositionem Episcopi*, ait Cyprianus, *datur unicuique credenti Spiritus Sanctus* (3). Et Cornelius papa de Novatiano scribebat: *neque ab Episcopo consignatus est* (4). Et semper una fuit Ecclesiæ tum orientalis tum occidentalis praxis. — Id suadet tandem ratio; nam milites designare non est omnium, sed Ducum. Atqui per Confirmationem Christiani designantur milites Christi; ergo hoc Ecclesiæ Præsulum esse debet, id est Episcoporum.

Episcopus graviter peccat, si vel in aliena Diœcesi, vel sibi non subditos etiam in sua Diœcesi confirmet: imo confirmans in aliena Diœcesi etiam subditos suos, incurrit ex Tridentino ipso jure suspensionem a pontificalibus (5). Valida tamen est Confirmatio, quia hæc ab Ordine dependet. — Cæterum communius et probabilius censent licitum esse in propria Diœcesi alienos subditos confirmare, si præsumatur consensus eorum Episcopi, uti est etiam praxis ubique recepta, vi cujus semper præsumitur, nisi de contrario positive constet; semper enim præsumendum, Episcopos velle oves suas hoc Sacramento minime privari; cum nullum incommodum ipsis proveniat.

alio digito: sed peccaret (graviter quidem juxta quosdam, venialiter autem juxta alios) si sine causa ita perageret; cum sit contra præscriptum.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 170 et seqq. (2) Sess. 7 de Conf. c. 7.
(3) Ad calc. Oper. (4) Ep. ad Fabium. (5) Sess. 6 de R. c. 5.

— Volunt nonnulli esse mortale collationem Confirmationis extra templum; cum id adversetur constanti Ecclesiæ consuetudini. Sed probabilius alii negant, cum talis consuetudo non videatur obligare sub gravi; obligatio autem levis evanescit, cum aliqua causa rationalis etiam levis existit. Sic enim habet Rubrica Pontificalis Romani: *hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco ex causa ad arbitrium Episcopi.* Semper autem licite confertur in domestico Sacello. — Ad tempus vero quod spectat, quidquid sit de antiqua consuetudine, jamdiu penes nos usus obtinuit, ut Confirmatio conferri valeat quocumque die festivo vel feriali; et tempore tam matutino quam vespertino. Et ideo hodie tantum de consilio erit jejunium tam in confirmante, quam in confirmando observandum (1).

Quisnam (quæres) *est minister extraordinarius Confirmationis?* — Certum est contra Estium, Herminier aliosque simplicem Sacerdotem *ex speciali summi Pontificis delegatione* valide et licite posse confirmare. Constat ex decreto ad Armenos; eruitur ex Tridentino, quod dicens Episcopum esse *ordinarium* Ministrum, supponit alium existere extraordinarium; firmatur ex praxi et auctoritate Gregorii M., Nicolai IV, Urbani V, Sixti V, qui hanc dederunt delegationem; etiam Benedictus XIV Bulla *Eo quamvis* indulsit, ut Cophtis Sacerdotes missionarii in necessitate Confirmationem darent. Unde dicendum est, Sacerdotes per ordinationem incomplete potestatem hanc accipere, quæ completa fit per Ecclesiæ delegationem.

Diximus *ex speciali summi Pontificis delegatione*, adeo ut jure saltem novo ecclesiastico nulla sit Confirmatio, si Sacerdos ab Episcopo delegetur; id enim suprema Sedes sibi reservat (2).

Q. 2. *Quodnam est subjectum Confirmationis?*

R. Subjectum sunt omnes et soli baptizati, nondum confirmati. *Omnes*,

(1) Præscribit Pontificale, ut Episcopus induat amictum super rochetum (vel superpelliceum, si sit religiosus) ac stolam, pluviale albi coloris ac mitra et baculo utatur. Quæ omnia omittere verius mortale esset; cum id sit irreverenter. Sufficit tamen, ut baculus maneat publice expositus, vel detineatur a Clerico. Imo declaravit S. Congregatio, sufficere, quod Episcopus sine mitra, stola adhibita super rochetum vel superpelliceum, confirmet.

(2) Neque obstat dicere, quod confirmare est actus Ordinis; delegatio enim hac de re est actus jurisdictionis, quam quidem, renuente Pontifice, non habent Episcopi, ut tradit Benedictus XIV (*De Syn. Diœc.* l. VII, c. 7 et 9). Hinc versus illi:

Chrisma nequit validum simplex conferre Sacerdos,
Ni sibi donetur per Papam tanta potestas.

Quod ut plenius intelligatur, sciendum non unum esse usum in orientali et occidentali Ecclesia hac de re: « exploratum est (ad rem Perrone in suo *Compend.*) ex certissimis documentis, quæ proferunt Morinus, Lupus, Holstenius, Goarius, ac Renaudotius, ab immemorabili consuevisse Episcopos græcos et orientales demandare Presbyteris munus administrandi hoc Sacramentum, qui mos apud ipsos adhuc perseverat, ex tacita saltem conniventia rom. Pontificum, ut loquitur Benedictus XIV (*De Syn.* lib. VII). Quod vero spectat ad Ecclesias occidentales distinguendum est jus antiquum a jure novo, quod a pluribus sæculis obtinet. Juxta antiquum jus constat ex documentis a Morino prolatis in *Exercitat. de Sacr. Confirmat.* atque a reliquis laudatis auctoribus, potuisse Episcopos etiam in occidentali Presbyteros ad consignandum delegare. Nunc vero hæc delegatio soli rom. Pontifici reservata est pro occidentalibus Ecclesiis, ita ut irritum sit, si, illa non interveniente, Presbyter consignaret. Numquam vero factum est, secus ac contenderint Morinus, Holstenius ac Sirmondus, ut hæc facultas delegaretur Diaconis. Verba enim Innocentii I, epist. ad Decentium, quibus isti innituntur pro hac assertione, de sola manuum impositione super energumenos, intelligi debent.» — *V.* Liguori, *Opera dogmat.*, sess. VII, n. 4.

quia nemo est, qui adversus Christianorum hostes et naturæ imbecillitatem non debeat Spiritus Sancti fortitudine roborari. *Soli*, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum. *Nondum confirmati* : sic indicatur Sacramentum hoc non iterari.

Etiam perpetuo amentes (ideo magis, si quem habuerint aliquando rationis usum) esse possunt subjectum Confirmationis. Licet enim numquam videantur spiritualiter pugnaturi; id tamen per accidens contingit. Et fieri aliunde potest, ut aliquo saltem perfruantur lucido intervallo, quo eis tam magnum robur prosit ad salutem æternam.—Infirmis autem et moribundis *hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant* (1): præterea nonne ipsis æque, imo fortius cum hoste pugnandum ? —Quoad infantes vero spectat, ipsi valide suscipiunt hoc Sacramentum, quacumque ætate. Et sic fuit usus in Ecclesia latina usque ad sæculum XIII (et etiam nunc in græca Ecclesia usus est, ut Confirmatio infantibus ministretur, et quidem immediate post Baptismum). Verum hodie apud nos, deficiente alia causa, v. g. periculo mortis, vel longa absentia Episcopi, *maxime convenit Sacramentum iis differre usque ad annum septimum*, ait Catechismus R.: et idem legitur in Pontificali. Sane tunc rationis usum assecuti Sacramentum uberiori fructu certe suscipient. Et hoc præcipit Benedictus XIV Constitutione *Eo quamvis*, ubi ait consultissime cautum esse, ut in ea solum ætate conferatur, *in qua fideles intelligerent tantum inter se differre Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento.*

Q. 3. *Quænam dispositiones requiruntur in confirmando?*

R. Ut valide suscipiatur Confirmatio, in infantibus sufficit Baptisma. In adultis vero requiritur insuper intentio ; qui tamen ut etiam fructuose eam suscipiant, debent esse in gratia, cum sit Sacramentum vivorum. Verum probabilius Pœnitentiæ Sacramentum videtur tantum de consilio etiam pro iis, qui sibi mortalis conscii sunt, modo contritionem eliciant, nam Pontificale romanum habet : *adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari ; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.* Ait tamen Angelicus : *si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat* (putans nempe bona fide se contritionem habere, cum tamen non habeat) *per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur remissionem peccatorum.* —Curandum insuper 1 ut quantum ætas tulerit, confirmandus rudimenta fidei, orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, et Sacramenti suscipiendi naturam edoctus sit. Benedictus XIV Constit. *Etsi minime* eos prohibet, qui parum sunt instructi in doctrina christiana ; 2 ut jejunus accedat si adultus mane confirmetur, quod laudat Catechismus R. Item ut orationi vacet Apostolorum exemplo, qui erant perseverantes unanimiter in oratione et jejunio (2). Et monendus est, ut cum vestitu decenti, fronte non sordibus

(1) S. Thomas, 3 p. q. 67, a. 12. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 176. At complures probabiliter excusant Episcopos hac super re ab omni peccato ob incommodum eisdem proventurum, et praxim communem.

(2) Synodus Novariensis præcipit, ut per triduum in Benedictione Sanctissimi Litaniæ M. V. et hymnus *Veni Creator* decantentur ad divinam gratiam efflagitandam.

conspersa, nec capillis obtecta confirmandus accedat. Id enim ad Sacramenti reverentiam pertinet (1).

Q. 4. *Quinam Confirmationis effectus?*

R. Confirmatio hos habet præcipuos effectus:—1 confert gratiæ sanctificantis augmentum et speciale robur ad fortiter pro fide præliandum: *per Confirmationem*, ait Eugenius IV in Decreto ad Armenos, *augemur in gratia et roboramur in fide:* et S. Hilarius Arelatensis confirmationem vocat *gratiam augmenti simul et roboris* (2): unde si Eucharistia confirmat cor hominis nutriendo, Confirmatio illud roborando confirmat. Huic autem gratiæ comites sunt septem dona Spiritus Sancti: *in hoc Sacramento*, ait D. Thomas, *datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes;* et Tertullianus dicit, quod Ecclesia per confirmationem nos *Spiritu Sancto vestit* (3). Sunt autem hæc dona ex Angelico, *perfectiones hominis, quibus disponitur ut bene sequatur instinctum Spiritus Sancti* (4);—2 imprimit characterem ex dictis de Sacramentis in genere;—3 tandem cognationem spiritualem inducit ex dicendis de Matrimonio.

Q. 5. *Quænam sunt cæremoniæ Confirmationis* (5)?

R. Plures sunt Confirmationis cæremoniæ: aliæ, quæ ipsam antecedunt; aliæ, quæ ipsam comitantur; aliæ, quæ ipsam subsequuntur.

Præcipua quæ antecedit, est patrini designatio, quæ merito fit; qui enim pugnare debet, de modo certaminis instruendus est. Hujus mentio habetur in Sacramentario Gregorii Magni. Porro patrinus penes nos manum dexteram imponit super dexterum humerum ipsius confirmandi.—Statim alapa comitatur, quæ leviter infligitur in maxilla confirmati; tum ut Confirmationis recordetur; tum maxime ex Catechismo R. ut intelligat se paratum esse debere ad omnia fortiter toleranda pro Christo. Postea statim abstergitur frons confirmati gossipio comburendo: id penes nos (6). —Postremo Confirmationem subsequitur communis benedictio, quæ confirmatis omnibus simul ab Episcopo datur in fine. Quæ quidem cum sit simplex cæremonia, probabilius non obligat sub gravi facta admonitio, ne ante illam ab Ecclesia discedatur. Imo Layman et Palaus docent illam monitionem esse omittendam, si magnus sit populi concursus, ut aliis fiat locus, ac pluribus quoad pueros præsertim inconvenientibus occurratur.

Q. 6. *Quid ex Synodo Novariensi circa Confirmationem?*

R. Ex Synodo Novariensi quoad Confirmationem præcipue debet curare

(1) *V.* Benedictum VIV, *Notificatione* VI.

(2) Homil. in Pent. (3) De præsc.

(4) 1, 2, q. 68. — Vid. de donis S. S. Gousset, *Theol.* n. 139. — Gonet, *De Spiritus S. divinitate.* — Nat. Alexander, *De Confirm.* etc. — Saint-Jure, *L' homme spirituel.* Olim simul cum donis Spiritus Sancti conferebantur etiam *sensibilia dona*, ut donum linguarum. Quod ideo factum est, ut Evangelium facilius susciperetur. Unde sicut cum arbusta plantamus, tamdiu aquam infundimus, quamdiu radices egerint, ac postea omnis irrigatio cessat; ita miracula perpetrata sunt, quamdiu fides nondum tenaces radices jecerat, sed fide radicata, miracula cessarunt. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 169.

(5) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 184 et seqq. — Abrate, *Lo spirito del Parroco.*

(6) Alicubi ex Pontificali frons Confirmati linea vitta signo crucis notata obligatur, eaque plures pro consuetudine aut pauciores dies gestanda est.

Parochus : ut 1 suos instruat de hujus Sacramenti efficacia ac suscipiendi modo ;—2 in illius administratione seorsim mares a fœminis collocet ac templi fores custodiat. Item Episcopum præsentem moneat, si qui forte sit gravi morbo correptus nondum confirmatus, licet puer, ne sine tali maximo subsidio decedat;—3 ipse solus suorum schedulas conficiat, ac postea colligat et confirmatorum nomina in suo libro adnotet cum omnibus suis circumstantiis: tum ad cognoscendam cognationem; tum propter Ordines fortasse a confirmatis suscipiendos; tum ut subveniatur dubitanti de suscepta Confirmatione;—4 si adsint confirmandi ex aliena Parœcia, eorum elenchum eorumque schedularum exempla mittat ad proprium illorum Parochum (*pag.* 85, et seqq.).

DISPUTATIO QUARTA

DE EUCHARISTIA.

Q. *Quid est Eucharistia?*

R. *Eucharistia* quæ græce sonat *bonam gratiam, gratiarum actionem*, dicitur Sacramentum Corporis Christi, tum quia Christus illud instituit *gratias agens* (1); tum quia per illud possumus dignas pro acceptis beneficiis gratias Deo rependere; tum quia in eo Christum recipimus omnium gratiarum fontem.—Dupliciter Eucharistia consideratur: vel respective ad homines, quos sanctificat, sub qua ratione est Sacramentum ; vel respective ad Deum, quem colit et placat, sub qua ratione est Sacrificium. *Differunt autem plurimum inter se hæ duæ rationes*, ait Catechismus R.; *Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur: quare sacra Eucharistia dum in pyxide continetur vel ad ægrotum defertur, Sacramenti, non sacrificii rationem habet* (2).

Eucharistia variis nominibus donatur :—1 sumpta pro sacrificio simul et sacramento dicitur *eulogia*, id est benedictio juxta illud: *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est* (3)? *Pascha* juxta illud: *pascha nostrum immolatus est Christus* (4). *Synaxis*, id est collectio, quia multi convenire solent fideles, ut intersint sacrificio, et participes fiant Corporis Domini; —2 sumpta pro sacrificio tantum dicitur *Missa;* quia, sacrificio peracto, in pace dimittitur populus. *Sacrificium panis et vini, altaris oblatio*, etc.; —3 sumpta pro Sacramento tantum dicitur *cœna dominica, Communio;* vel simpliciter *Sanctissimum Sacramentum* ob ejus excellentiam; vel *agapa*, id est dilectio, quia est summæ Dei erga nos dilectionis argumentum, et mutuæ inter fideles charitatis vinculum (5).

(1) I Cor. 11. (2) Hic n. 77. (3) I Cor. 10. (4) I Cor. 5.

(5) Agapæ proprie significant convivia, quæ a fidelibus habebantur tum in signum mutuæ unionis, tum in honorem convivii Christi, quando Eucharistiam instituit : de his loquitur Apostolus (I Corint. 11). Primitus habebantur ante sacram Communionem ; sed jam ab Apostolorum tem-

Item *panis angelicus, Corpus Christi, viaticum*, etc. (1).

La Eucaristia! hé aquí el Sacramento mas augusto, hé aquí el manantial mismo de la gracia; hé aquí el misterio inefable por medio del cual se obra entre Dios y cada uno de nosotros la union mas perfecta que puede tenerse en este mundo. Dos bolitas de cera liquidadas juntamente, son una débil imágen segun el lenguaje de los Padres de esta union deifica. Gaume, *Catechismo di perseveranza*, par 2.ª, lez. XXXVII (2).

PARS PRIMA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

CAPUT PRIMUM

DE NATURA ET INSTITUTIONE EUCHARISTIÆ (3).

Q. 1. *Quid Eucharistia, prout est Sacramentum?*

R. Eucharistia si consideretur *in fieri,* est conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, remanentibus speciebus, ad spiritualem fidelium refectionem. Si vero consideretur *in facto esse,* est Corpus et Sanguis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem fidelium refectionem; et hoc posteriori modo communiter accipitur Eucharistia prout est Sacramentum, et definitur: *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino ad cælestem animarum nostrarum alimoniam institutum, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, et substantialiter sub speciebus panis et vini continetur.* Differt a cæteris hoc Sacramentum, tum quia cætera sunt in actu transeunte, hoc vero in re permanenti; tum quia in aliis nulla fit materiæ in aliam naturam mutatio, in hoc autem substantialiter materia mutatur.

Si excipiantur Sociniani et hodierni rationalistæ, omnes unanimiter catholici, schismatici et hæretici docent, Eucharistiam verum esse Sacramentum. Hoc definitum est a Florentino et Tridentino (4); et nititur ratione theologica; in Eucharistia enim reperiuntur conditiones verum Sacramen-

pore statutum erat, ut nonnisi postea fierent, ut ita jejuni omnes sumerent Corpus Christi; et huc referunt illa Apostoli verba: *cætera cum venero, disponam.* Quia tamen in manducatione hujus cœnæ irrepserant abusus, agapæ ubique proscriptæ fuere et Concil. Carthaginiense anno 397 eas expresse damnavit; aliquo tantum vestigio remanente in aliquibus Ecclesiis, in quibus inter Missarum solemnia pax tribuitur, et etiam bolum panis. — *V.* Ricard e Gireaud, *Dizionario* ecc. — Bergier, *Dizionario* ecc. — Tommasinus, S. Thomas, Billuart, etc.

(1) *V.* Klee, *Storia de' Dogmi;* et Habert.

(2) Quemadmodum enim si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera invicemque immeasse videbit; eodem quoque opinor modo, qui Salvatoris nostri Christi Carnem sumit ac ejus pretiosum Sanguinem bibit, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur. Ita S. Cyrillus, *In Evangel. Joan.*

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 189 et seqq.; it. *Opera Dogmatica,* sess. XIII.

(4) Sess. 7, can. 1.

tum N. L. constituentes : videlicet 1 ritus sensibilis, et sunt species externæ panis et vini ; 2 divina institutio ; nam *Dominus Jesus,* verba sunt Apostoli, *in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens, fregit et dixit: accipite et manducate, hoc est Corpus meum* (1) ; 3 gratiæ promissio : *si quis manducaverit ex hoc pane,* inquit Christus ipse, *vivet in æternum: qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam* (2). Accedit omnium fidelium persuasio, et omnium Patrum consensus : unus sufficiat S. Augustinus inquiens : *respice ad munera ipsius Ecclesiæ : munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia ; in cæteris sanctis Sacramentis quale munus est* (3) !

Moraliter specie unum est hoc Sacramentum, quamvis duplici conficiatur materia, tum quia est unus et idem Christus sub utraque specie ; tum quia ambæ materiæ unam animæ alimoniam respiciunt, quemadmodum cibus et potus unum est alimentum, ut ait Catechismus R. Diximus *specie unum esse:* numero enim potest esse multiplex ; nam Eucharistia est instituta per modum convivii, at in convivio moraliter tot sunt refectiones, quot sunt refecti. Unde si diversæ species consecratæ eodem tempore et in eodem altari proponantur, unum erit Sacramentum : si vero eædem species dividantur, et in diversis proponantur altaribus, diversa erunt Sacramenta (4) *(J).*

Q. 2. *An Eucharistia sit aliquid stabile et permanens?*

R. 1 : Lutherani et Calvinistæ, licet Eucharistiam fateantur verum esse Sacramentum, volunt tamen illud totum esse positum in solo usu et sumptione, ita ut Sacramenti rationem non habeat, nisi actu illo transeunte, quo sumitur. Kepnitius vero concessit Eucharistiam esse Sacramentum proprie dictum ; sed tantum cum benedicitur, frangitur, distribuitur et cum statim post confectionem defertur ad infirmos. Imo aliqui inter Protestantes Eucharistiam in gratiam infirmorum fatentur conservari posse etiam ad triduum ; sed triduo elapso, omnem Sacramenti rationem prorsus evanescere, ita ut reviviscant panis et vinum, sicut erant ante consecrationem.

R. 2 : Errores hujusmodi sic Tridentinum omnes simul damnavit : *si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem D. N. J. C. ; sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post : et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit* (5). Et ratio suffragatur, quod Eucharistia natura sua sit permanens :

(1) I Cor. 11. (2) Joann. 6. (3) In Ps. 103.

(4) In omnibus Sacramentis distinguuntur tria : *Sacramentum* tantum, et est illud quod significat ; *res* tantum, et est quod significatur, seu effectus Sacramenti ; *Sacramentum et res* et est quod significatur ab uno et significat aliud. Porro in Eucharistia *Sacramentum* tantum sunt species consecratæ, quæ tantum significant animæ refectiones ; *res* tantum est gratia ; *res et Sacramentum* tandem est Corpus Christi, quod significatur a speciebus et gratiam significat.

(5) Sess. 13, can. 4. — Hinc reprobandi catechismi, ubi Eucharistia definitur : *actio seu functio, qua manducatur Christi Corpus et bibitur ejus Sanguis* etc. ; si enim ea sita est in manducatione et potu, jam non erit in re permanente, sed in actione transeunte. Hæc fuit sententia Calvini, qui ut refert Tournely, *De Euch*, c. 4. a. II) dicit L. I, *Inst.* c 17, § 37 Eucharistiam esse *actualem actionem, qua manducatur Corpus et Sanguis bibitur Christi.* Item Berti, *De Theol. dicipl.* l. XXX, c. 1, ait : *opinio eorum qui putant Sacramentum Eucharistiæ situm esse in sola consecratione, sive*

1 Christus antequam Apostolis Eucharistiam traderet, sic ait: *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus;* ergo Eucharistia ante sumptionem jam existebat; ergo in sumptione ipsa Christus minime eam constituit; 2 Eucharistia fuit instituta tamquam cibus spiritualis animæ nostræ; atqui natura cibi cujuslibet talis est, ut in sua natura existat independenter ab ejus usu et sumptione; 3 Sacramentum hoc conficitur a Sacerdote, qui solus valide consecrat. At si tantum in ejusdem usu et sumptione esset illud constituendum, non conficeretur a solo Sacerdote; sed plerumque a fidelibus, a pueris, imo a mulieribus ipsum suscipientibus (1).

Q. 3. *Quandonam Eucharistia fuit instituta?*

R. Sentiunt omnes, Christum Eucharistiam immediate et per se instituisse in ultima cœna, quam cum Apostolis suis celebravit in civitate Jerusalem *pridie quam pateretur*. Id patet clarissime ex Scriptura: *cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait, accipite et comedite: hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem*, etc. (2).—At si quæratur de die præcise tam admirandæ institutionis, non satis conveniunt. Provenit discordia ex duplici controversia: prima, utrum Christus institutioni Eucharistiæ præmiserit celebrationem Paschatis mosaici; secunda, in casu affirmativo, quonam die Pascha comederit. Hoc posito, dicimus: Christus Pascha legale vere celebravit et quidem legitimo die, luna nempe 14.ª mensis Nisan, hoc est feria 5.ª ad vesperas. Ubi notandum Judæos a novilunio mensem inchoare: unde apud ipsos idem est primus dies, ac prima luna, mensis autem Nisan est martius.

1. Quod Christus verum Pascha Hebræorum celebraverit, admittunt communiter contra Lamy et Calmet: imo contrariam sententiam *nimis audacem* appellat Benedictus XIV (3). Sane in Scripturis habetur, Christum ab Apostolis interrogatum fuisse, *ubi vellet parari sibi comedere Pascha*. Ipso imperante, *paraverunt: Jesus discubuit cum Discipulis;* atque, ut luculentissime patet ex contextu, cum illis Pascha manducavit (4). Hinc Tridentinum aperte ait, quod Christus, *celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha* (5).

2. Quod autem id factum sit luna 14.ª mensis Nisan exeunte, communiter docent Latini contra Græcos; dicitur enim Christus *prima die Azymorum, quando Pascha immolabant Judæi, fecisse Pascha cum Discipulis suis* (6). Atqui hæc dies erat luna 14.ª sub vesperis, ut habetur in Levitico (7): *mense primo, quartadecima die mensis, ad vesperam phase* (hoc est Pascha) *Domini est, et quintadecima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est* (8).

ut placet Calvinianis, in sumptione sacramentali (panis et vini consecrati) *apertissime falsa est; et quantum ad secundam partem hæretica.* — *V.* it. Bellarminus, *De Euchar.* l. VI, c. 1.

(1) Etiam prioribus sæculis ea fuit Ecclesiæ consuetudo, ut Eucharistiam ad varios usus servaret. Sic per Diaconos mittebatur ad fideles, qui sacris interesse non poterant. Sic fideles illam adsportabant domum, sæviente tyrannorum persecutione, ut si eorum in manus incidissent, cibo illo cœlesti se ad pugnam roborarent. Reservabatur etiam favore peregrinantium, ut iis firmum in itinere præsidium esset. — *V.* Perrone.

(2) Matth. 26. (3) De Fest. l. 1, c. 6. (4) Matth. 26.
(5) Sess. 22, c, 1. (6) Marc. 14. (7) Lev. 23.
(8) *V.* Petavius, *De Doctrina Temporum*, l. XII. — P. Honoratus a S. M. *In artem criticam.* —

Quæ solemnitas a vesperis diei antecedentis incipiebat (1).

3. Quod tandem id evenerit feria quinta ad vesperas, probari potest ex testimonio Joannis: *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum,* etc. (2). Ergo Christus fuit occisus feria VI; Parasceve enim Hebræorum nostræ feriæ VI correspondet. Vespere autem antecedenti Christus suam Passionem inchoavit; ante Passionem Pascha celebravit; ergo revera feria V.

ARTICULUS I.—Realis Christi præsentia in Eucharistia.

Q. *Quinam realem Christi præsentiam in Eucharistia inficiati sunt?*

R. Juxta nonnullos Joannes Scotus in Hibernia sæculo IX primus omnium ausus est affirmare: quod in Altari consecratur, neque vere Corpus neque vere Christi Sanguinem esse; sed omnia specie geri et non veritate. Verum hoc valde incertum est (3). Unde:—1 hujus erroris parens censetur Berengarius Turonensis sæculo XI, qui in Conciliis compluribus cito damnatus fuit, ut videre est penes Witassium;—2 sæculo XII Petrus De-Bruis, a quo hæretici *Petrobrusiani,* aperte docuit Sacramentum Eucharistiæ nihil esse, neque Deo offerri debere. Eidem acriter adhæserunt paulo post Enriciani sic dicti a quodam Enrico De-Bruis sectatore præcipuo;—3 venerunt sæculo XVI Carlostadius, Zuinglius, Œcolampadius, Bucerus et Calvinus, qui omnes diversa quidem via, in id tamen conveniunt, ut negent veram ac realem Christi præsentiam; alii enim contendunt verba Christi *hoc est Corpus meum* sensu metaphorico intelligenda esse, nempe pro figura corporis; alii volunt Christum manducari per fidem, quia fidelis credendo illum sibi attrahit et reddit præsentem; alii censent Corpus Christi aliquam virtutem e cœlo diffundere in animam communicantis: alii aliter;—4 demum errorem secuti sunt Sociniani et rationalistæ. Qui omnes *Sacramentarii* in scholis nuncupantur. Contra istos sit de fide

Berti, Witasse, Billuart. — Salzano, *Corso di Storia Ecclesiastica,* lib. IV. — *Bibbia* di Vence diss. V, 6: sull' ultima Pasqua di Gesù Cristo. — Et maxime novum et pereruditum Opus F. Patritii, *De Evangeliis* libri tres, Romæ 1853.

(1) Apud Judæos tres dies distinguebantur: *naturales,* qui ab una media nocte ad aliam protrahebantur; *artificiales,* qui ab ortu solis ad occasum in duodecim horas distribuebantur; *legales* seu *festivi,* qui accipiebantur a vespera præcedentis diei ad vesperam sequentis. Qua distinctione admissa, plures apparentes difficultates solvuntur: sic Joannes, qui c. 13 ait Christum legalem cœnam fecisse *ante diem festum paschæ,* locutus est de die naturali a media nocte ad mediam noctem traducto; vel de artificiali ab ortu usque ad occasum solis. Cæteri vero Evangelistæ de die legali, a vespera nempe usque ad sequentem vesperam, cum scripserunt *prima die azimorum;* Matth. 26; Mar. 14; Luc. 22.

(2) Cap. 19, v. 31. — Hic notandum, *Pascha nostrum* non jam indictum esse in memoriam hujusce institutionis; sed Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi. Ideo Pascha appellari cœpit, quia primis Ecclesiæ sæculis non raro contingebat, ut illa solemnitas in diem Paschatis Hebræorum caderet: in Asia talis erat usus. — In prima tamen Nicæna Sinodo (anno 325) sancitum est, ut Paschæ dies festus dominica post quartam decimam lunam ab omnibus ageretur; ne christiani judæos imitari viderentur. *V.* Bergier, *Dizionario* ecc. V. Pasqua.

(3) *V.* Perrone, *De Euch.* n. 6.

PROPOSITIO.

In Eucharistiæ Sacramento post panis et vini consecrationem, Dominus N. J. C. verus Deus et homo, vere, realiter et substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium continetur (1).

Prob. 1: Ex Scriptura, ubi Eucharistiæ institutio sic refertur: *cœnantibus eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: accipite et comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes; hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (2). Quo nil evidentius: Christus nempe docet in Eucharistia esse suum illud ipsum Corpus, quod pro nobis in cruce tradendum erat; et illum ipsum Sanguinem suum, qui erat ibidem effundendus. Atqui verum et reale Corpus suum tradidit: verum et realem suum Sanguinem effudit, non in figura et in signo. Quis enim dixerit de simplici figura, de nudo signo et imagine Christum fuisse allocutum (prout plurimi novatorum cum rationalistis contendunt) quando Eucharistiam Discipulis suis promittens, inquiebat: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita? Amen amen dico vobis: nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (3)? Neque illud *manducare* et *bibere* sensu metaphorico accipi potest, nempe de manducatione et potu spirituali; Christus enim ipse omnem sensum metaphoricum hic aperte excludit, inquiens: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus*. Nemo autem dixerit cibum et potum spiritualem esse *vere cibum et vere potum*. Deinde Apostolos et Judæos litteraliter omnino locutiones Christi accepisse, evidentissime patet; nam primi novitate sermonis quasi offensi inquiebant ad invicem: *durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Alii autem *litigabant inter se dicentes: quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Sed si Christus, qui est *via, veritas et vita*, metaphorice fuisset locutus, debuisset ex eorum animis talem et tantum errorem et offensionem sustollere. Et tamen non solum non sustulit, imo crebra repetitione sensum suum litteralem aperte confirmavit: *amen amen dico vobis: nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (4).—Neque obstant verba, quæ

(1) «Se dice *vere* (ad rem S. Alphonsus Opera Dogmat. sess. XIII.) para escluir la presencia figurada de Cristo, como quieren los sacramentarios; la figura se opone á la verdad, y por esto se emplea la palabra *vere*. Se dice *realiter*, para escluir la presencia imaginaria, porque los herejes, pretenden que la carne de Jesucristo no está en la Eucaristía corporalmente como está en el cielo, si no solo por la fe que lo representa en ella como si estuviese presente. Calvino no repugna decir que en la Cena está el Cuerpo real de Jesucristo, pero no quiere reconocer que esté realmente en ella. Finalmente se dice *substantialiter* para escluir la presencia de solo eficacia ó virtud á que reduce Calvino la presencia del Cuerpo real de Jesucristo, diciendo que en la Eucaristía no está la sustancia de su Cuerpo, si no la de su virtud, por medio de la cual el Señor se comunica á nosotros con sus riquezas.

(2) Matth. 26; Mar. 14; Luc. 22; I Cor. 11. (3) Jo. 6.

(4) Tandem in sensu litterali esse accipienda verba Christi, patet vel ex ipsa difficultate sensum

postea subjunxit Christus: *spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Hoc enim subjunxit Jesus non ad indicandam spiritualem manducationem per fidem, sed ad excludendam materialem Capharneitarum intelligentiam, qui Corporis Christi manducationem modo cruento intelligebant, ita ut illius Corpus in propria specie premeretur dentibus et in frusta divideretur. *Non prodest quidquam,* explicat Augustinus, *sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur: non quomodo spiritu vegetatur; accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum* (1).

Prob. 2: Ex constanti et universali Ecclesiæ traditione, cujus quidem 1 testes sunt omnes Patres (2). Satis tamen sit referre eorum testimonia, quæ ad tria priora sæcula spectant; iis enim sæculis Ecclesiam fuisse puram vel ipsi fatentur hæretici. S. Ignatius episcopus et martyr, discipulus S. Joannis Evangelistæ, de hæreticis docetis seu phantasiastis scribit (3): *ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam Carnem esse Salvatoris Nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit:* ergo doctrina erat S. Ignatii in Eucharistia esse illam ipsam Christi Carnem, quæ passa est et suscitata. S. Justinus martyr de Eucharistia scribebat sæculo II: *alimoniam incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse edocti sumus* (4). Tertullianus autem sæculo III habet: *caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur* (5); sed caro non vescitur Corpore Christi per fidem, vel sensu metaphorico. Hoc argumentum desumptum ex doctrina Ecclesia per tria priora sæcula tanti roboris visum est ipsis Protestantibus, ut plures eorum ad fidem Catholicam perduxerit (6); — 2 traditionis testes sunt liturgiæ quæ usque ad sæculum XVI publico cultui inservierunt in universa Ecclesia tam occidentali quam orientali, ut monumentis probant Renaudotius, Martenius, Bona, Thomasinus, Mabillonius, Muratorius, Lebrunius et alii. Quæ quidem omnes liturgiæ expresse hanc veritatem supponunt et tuentur; — 3 testes sunt omnes sectæ antiquæ, gnostici, valentiniani, marcionitæ, ariani, nestoriani, armeni, syriacobitæ, græci schismatici, etc. qui circa hoc dogma convenere omnes, atque superstites adhuc conveniunt; — 4 vel æthnici testes sunt suis calumniis, quibus Christianos arguebant, quod ipsi nempe carne humana et sanguine vescerentur in suis conventibus.

Prob. 3: Ex præscriptionis argumento, ita ut inimici nullum hujus doctrinæ initium extra Christum et Apostolos indicare possint: cum tamen nos adsignemus primam doctrinæ contrariæ originem. Remanet ut concluda-

figuratum adstruendi. Sane jam ab anno 1570, uti Bellarminus refert, ducentæ numerabantur hæreticorum vel expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: *hoc est Corpus meum* (*De Euchar.* l. I, c. 8.)

(1) Tract. 27 in Joann.

(2) P. Perrone velut in synopticam tabulam Patrum doctrinam redegit ad decem capita argumenta revocando.

(3) Ep. ad Smir. c. 7.

(4) Apol. 1, n. 66.

(5) *De resurrect.* c. 8.

(6) *V. Viaggio di un gentiluomo Irlandese in traccia di una religione* di Tommaso Moore. Milano, Agnelli 1834. — Charvaz, *Guida del Catecumeno valdese*, p. 3ª, l. VII, rag. 5.

mus cum Tridentino: *si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere et realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem unacum anima et divinitate D. N. J. C. ac proinde totum Christum, sed dixerit tantum modo esse in eo uti in signo vel figura aut virtute, anathema sit* (1).

Obj. 1: Christus de se ipso ait: *ego sum panis* (2), nec tamen ita dicendo se ipsum mutavit in panem; ergo dicens *hoc est Corpus meum*, panem in corpus suum non mutavit. Adde: Joannes affirmat quod *Verbum caro factum est* (3), quin tamen inferri possit Verbum conversum esse in carnem; ergo vere dici potest *hoc est Corpus meum*, quin panis substantia fuerit immutata. Præterea: nonne de ferro candente et de dolio vinum continente recte dicitur *hic est ignis*, *hoc est vinum*, etiamsi nulla intercesserit mutatio? ergo dicere potuit Christus *hoc est Corpus meum*, etsi substantia panis adhuc subsistat, et in ea sit inclusum Corpus Christi.

R. Ad 1: priora verba metaphorice intelligenda sunt, siquidem non absolute Christus se panem appellavit, sed *panem vivum*, *panem vitæ*, scilicet comparate ad manna hebræorum, de quo sermo erat: at posteriora verba sensum litteralem habent, lutheranis ipsis fatentibus, et patet ex contextu. Adde repugnare Christum mutari posse in panem, cum id vetet ipsius natura quæ immutabilis est; at nulla pugna, si panis in Christi corpus convertatur. — Ad 2: Verbum est inconvertibile in panem: at panis bene mutari potest: unde verba Apostoli pro modo suo sunt accipienda, quod nempe Verbum assumpsit humanitatem, se haud immutando; panis vero immutatus fuit, et tota ejus substantia in Christi corpus conversa est, solis panis speciebus remanentibus. — Ad 3: ferrum candens ignis dicitur, quia omnes ejus partes ignis pervadit: item vini dolium vinum appellatur, quia ex communi usu destinatum est ad vinum continendum. At in nostro casu nec panis partes omnes Corporis Christi pervadit, nec a natura sua vel communi usu panis destinatus est ad continendum Christi Corpus. Hinc qui de pane, in quo lateret aurum, diceret *hoc est aurum*, falsum diceret: quia panis nec a natura sua, nec etiam ex hominum consuetudine ordinatus est ad continendum aurum.

Obj. 2: Christus post consecrationem apud Matthæum subjunxit (4): *dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum* etc.; ergo vinum adhuc erat in calice post consecrationem; ergo non nisi figurate dicitur Sanguis Christi. R. Eo in loco non agitur de calice consecrato: sed de calicis non consecrati distributione, quæ ante Eucharistiæ institutionem obtinuit, ut clarius patet apud Lucam (5). Cæterum non pugnat quod sanguis Christi vinum adhuc appelletur; tum quia ex vino conversus est: res autem in aliam versa in Scripturis primum etiam nomen retinet juxta illud: *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam* (6); tum quia sanguis Christi adhuc apparentiam habet vini, et in Scripturis res per eam, quam habet apparentiam, sæpe indicatur: sic Deus qui sub forma ignis apparuit, *ignis consumens* vocatur (7).

(1) Sess. 13, can. 1. — *V.* Klee, *Storia de' dogmi*, hoc tit.
(2) Joann. 6. (3) Joann. 2.
(4) Cap. 26. (5) Cap. 22. (6) Joann. 11. (7) Deut. 4.

—Sic etiam nonnulli Patres Eucharistiam appellant typum, figuram, imaginem, signum corporis Christi, ratione nempe specierum panis et vini, quæ ex Christi institutione sunt signum et figura corporis sui, non absentis quidem, sed præsentis et sub ipsis realiter contenti.

Obj. 3: Dogma realis Christi præsentiæ in Eucharistia rectæ rationi repugnat, repugnat 1 *quod unum corpus, nempe Christi, sit simul in pluribus locis, scilicet in tot hostiis consecratis;* 2 *quod accidentia subsistant sine subjecto, nempe panis et vinum sine panis et vini substantia: et sane si instituatur chymica analysis particulæ alicujus consecratæ, in ea reperitur substantia vegetalis panis et vini;* 3 *quod Christi Corpus nos nutriat et ejus Sanguis nos etiam inebriet;* 4 *quod Corpus Christi profanetur, frangatur, corrumpatur.*

R. Eucharistia (perinde ac reliqua Religionis mysteria) cum superet rationis nostræ captum, fieri nequit, ut demonstretur eam rectæ rationi repugnare; ut enim duorum terminorum ostendatur intrinseca repugnantia, clara illorum cognitio habenda est, ut sic comparentur, et ex comparatione contradictio resultet: nempe scire deberemus quid sit corpus in ordine supernaturali, quid corpus glorificatum, et in statu sacramentali, quæ locorum natura, et materiæ essentia: quæ tamen omnia ignoramus. Nequeunt igitur adversarii judicare de repugnantia corporis Christi in Eucharistia seu in statu corporis gloriosi et sacramentalis, prout non posset cæcus natus, qui nullam coloris ideam habeat, judicare et affirmare, quod repugnet circulus rubei coloris. Hoc autem indirecto principio omnes objectæ difficultates de facili solvi possunt. Sed respondendo directe:

Ad 1 dicimus: sicut potest homo speculum formare, in quo unus idemque homo appareat multiplicatus, licet multiplicatus non sit; poterit Deus, cujus virtus est infinita, multiplicem panem in vero Christi corpore convertere, ita ut unum idemque eodem tempore in pluribus locis vere et realiter existat, quin tamen varium et multiplex sit (1). — Ad 2: cum Deus possit per se ipsum producere omnes effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam; poterit etiam per se ipsum conservare accidentia sine subjecto, substracta substantia, per quam prius veluti per propriam causam conservabantur (2). Impossibile est autem, ut instituatur processus chymicus corporis gloriosi et incorruptibilis, ut est Christi corpus post

(1) Audiatur Angelicus (3 p. q. 76, a. 3): *corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiæ. id est per modum, quo substantia est sub dimensionibus; non autem per modum dimensionum, id est non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensiva loci. Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est in qualibet parte dimensionum sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte æris, est tota natura aëris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter, sive dimensiones sint actu divisæ, sicut cum aër dividitur vel panis secatur, sive sint actu indivisæ, divisibiles vero in potentia.*

(2) Iterum Angelicus (q. 76, a. 5; et q. 77, a. 1): *cum enim effectus magis pendeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest* in esse *accidens: substracta materia, per quam conservabatur* in esse *sicut per propriam causam. Sicut enim alios effectus causarum naturalium potest producere sine naturalibus causis, sicut corpus humanum formavit in Virgine sine virili semine. Manifestum est, quod accidentia non sunt in substantia corporis Christi, sicut in subjecto; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici... Ideo relinquitur quod accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto, virtute divina.*

ejus resurrectionem: quod si analysis chymica instituatur in species, jam ipsæ corrumpuntur; cum immutentur, ac partes secernantur : ergo sicuti cessat in stomacho nostro realis Christi corporis præsentia, statim ac corrumpuntur Eucharisticæ species, sic cessat, dum per chymicam operationem eædem species immutantur. — Ad 3: utique Christi corpus in Eucharistia, cum sit incorruptibile, nequit per se nos nutrire; sicut neque etiam nos nutrit aut inebriat sabstantia panis et vini, quæ in eo non sunt. Deus itaque extraordinaria ratione supplet (aut novæ substantiæ reproductione, ut aliquibus placet, aut alio modo sibi cognito); Deus enim ad exercitium fidei nostræ constituit, ut panis, idem dic de vino, consecratus easdem subeat vices, et eosdem producat effectus divina virtute, quos produceret, si consecratus non esset (1). — Ad 4: corpus Christi utpote gloriosum non magis attingitur in profationibus, quam ipsa divinitas, quæ etsi ubique præsens, non ideo tamen dicitur sordescere in sordibus; homines igitur sacrilegi sibi nocent, non Christi corpori in se. Nec alteratis speciebus eucharisticis, ideo corrumpitur Christi corpus, sed desinit esse (2): corruptio, fractio, et similia proprie nonnisi de speciebus prædicari possunt (3).

ARTICULUS II — De transubstantiatione et cultu eucharistiæ debito.

Q. 1. *Quomodo Christus est præsens in Eucharistia?*

R. Stabilita vera et reali Christi præsentia in Eucharistia contra Calvinianos et alios, nunc pugnandum est cum Lutheranis, qui admittunt quidem dogma veræ et realis præsentiæ Christi in Eucharistia; sed negant panem et vinum in ejus corpus et sanguinem transmutari : horum autem alii contendunt in Eucharistia Christum hypostatice conjungi cum pane et vino, sicut Verbum divinum unitur cum humanitate : et talem conjunctionem *im-*

(1) Iterum Angelicus : *unumquodque sicut se habet* ad esse, *ita se habet* ad agere; *quia igitur speciebus sacramentalibus datum est divina virtute, ut remaneant in suo esse, quod habebant, substantia panis et vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere; et ideo omnem actionem, quam poterant agere, substantia panis et vini existente, possunt etiam agere, substantia panis et vini transeunte in Corpus et Sanguinem Christi... Species Sacramentales sunt quidem accidentia; habent tamen actum et vim substantiæ; quantitas dimensiva retinet naturam propriam et accipit miraculose vim et proprietatem substantiæ, et ideo potest transire in utrumque, in substantiam, dimensionem... Ex hoc cibus nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti; species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam quæ ex eis generatur; per eamdem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres, et vermes*; *et ideo manifestum est, quod nutriunt* (3 p. q. 77, a. 3; et q. 77, a. 5 et 6).

(2) *Corruptio* (ait Angelicus, q. 77, a. 4) *est motus ex* esse *in non* esse. *Species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant, substantia panis et vini existente; et ideo hujusmodi esse potest corrumpi a contrario agente; sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, illa substantia abeunte. Species sacramentales licet sint formæ non in materia; habent tamen esse quod prius in materia habebant. Corruptio illarum non est miraculosa, sed naturalis; præsupponit tamen miraculum, quod factum est in consecratione, scilicet quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto, quod prius habebant : sicut et cæcus miraculose illuminatus, naturaliter videt.*

(3) Alia adversariorum objecta ex ratione petita vel ipse solvit Leibnitius licet protestans in lib. *Expositio doctrinæ* etc. Et citare possumus 30 art. Confessionis Calvinistarum, ubi dicitur *mysterium Eucharistiæ altitudine sua omnem sensum prætergredi, omnem naturæ ordinem superare, uno verbo, esse cœleste, neque nisi per fidem apprehendi posse.*

panationem et *invinationem* appellant. Alii ex adverso contendunt substantiam corporis Christi quodam quasi modo consociari cum substantia panis et vini, ita ut vel cum eo, vel sub eo, vel in eo existat: ad hoc indicandum *consubstantiationis* vel *companationis* nomine utuntur. — Verum Catholici docent totam ipsam substantiam panis et vini converti in Corpus et Sanguinem Christi, ita ut panis et vini nihil amplius remaneat præter externas eorum species: et in hoc situm est dogma *transubstantiationis*, quod sic a Tridentino definitum est: *si quis dixerit in sacrosuncto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini unacum Corpore et Sanguine D. N. J. C.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit* (1). Id jam declaratum fuerat in Lateranensi IV, in Constantiensi ac Florentino. Id firmat traditio PP. (2); sit pro omnibus D. Ambrosius (3): *qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erat?* Omnes tandem liturgiæ ab Apostolorum ætate ad nos usque concordant, ut videre est apud Renaudotium et alios.

Id autem plane constat ex Scriptura: sane verba illa *hoc est Corpus meum* (idem dic de vino) non significant panem esse simplicem figuram corporis Christi; lutherani enim nobiscum fatentur realem Christi præsentiam in Eucharistia: non significant panem uniri hypostatice cum Christo; addit enim Christus *Corpus meum, quod pro vobis tradetur;* at panis non est pro nobis traditus, nec crucifixus, sed verum Christi corpus. Non significant sub pane, vel in pane, vel cum pane contineri corpus Christi; nam talis sensus esset evidenter contortus et omnium loquendi legum subversivus: ex eo enim quod duo simul in eodem loco consistunt, non sequitur unum eorum esse alterum, aut unum de alio affirmari posse. Ergo significant panem mutatum esse in verum corpus Christi. Hinc vel ipse Leibnitius, lutheranus homo, habet: *pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in Corpus Christi, vinum in Sanguinem; passimque hic veteres agnoscunt* metastoicheiosin, *quam latini transubstantiationem recte verterunt...; quemadmodum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit (K).*

Q. 2. *An Christus totus contineatur sub qualibet specie et parte?*

R. Affirmative: veritas sic definita est a Tridentino: *si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit* (4). Christus sane præbens Eucharistiam Discipulis suis dixit: *manducate ex hoc, bibite ex hoc omnes;* atqui non omnes ex eo manducassent totum corpus neque totum bibissent sanguinem, sicut promiserat, si quælibet particula totum non continuisset: manducatio enim debebat esse multiplex;

(1) Sess. 18, can. 3.

(2) *V.* Wiseman, *Conferenze sulle dottrine e pratiche più importanti della Chiesa cattolica*, Confer. 14, 15 et 16. — It. Klee, *Storia dei dogmi.*

(3) *De initiandis*, c. 9.

(4) Sess. 13, can. 3.

debebat ergo omnis particula totum Christum continere. Hinc Ecclesia canit: *fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.*— Dicitur autem in Tridentino canone *separatione facta*: unde de fide non est totum Christum esse sub singulis specierum partibus etiam ante divisionem. Attamen omnino certum videtur; neque enim fractio efficere potest, ut Christus totus sit ubi antea totus non erat. Neque ideo multiplicia admittenda sunt corpora Christi sub unaquaque specie; Christus enim non est sub specie eo modo quo corpora naturalia sunt in locis, sed eo fere modo quo anima est in corpore, quæ tota singulis corporis partibus unita est.

Notandum autem quod *vi verborum* solum corpus sub specie panis et solus sanguis sub specie vini existit; quia *vi verborum* illud unum in Sacramento ponitur, quod per verba formæ exprimitur: at per verba, quibus consecratur panis, solum corpus exprimitur; et per verba quibus consecratur vinum exprimitur solus sanguis. Verum *vi*, ut vocant, *concomitantiæ* (quæ est conjunctio unius cum alio) corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, et sub utraque existere animam et divinitatem Christi, certum est; quia corpus Christi in Eucharistia est vivens, non potest autem esse tale sine sanguine et anima: anima autem et corpus proter hypostaticam unionem necessario cum divinitate sunt conjuncta. Hoc porro sine ingenti temeritate negari non posset; quia ex principiis fidei hæc veritas satis colligitur: imo sunt qui censent eam esse de fide immediata.

Q. 3. *Quandonam Christi Corpus desinit esse sub speciebus?*

R. Christus desinit esse in Eucharistia, quando tanta fit specierum immutatio, ut juxta consuetum loquendi modum non amplius videatur panis et vinum, sed materia corrupta; hæc enim est illius natura, ut tamdiu remaneat, quamdiu rationem habet cibi et potus. Hinc deducimus pro praxi, species in tabernaculo clausas frequenter renovandas esse; cum corruptioni magis subjectæ sint. S. R. Congregatio 7 apr. 1753 vult, ut Sacramentum renovetur qualibet dominica die: Benedictus XIV Constitutione *Etsi* vult, ut particulæ singulo octiduo, vel hyemali tempore ad summum quintadecima die renoventur.

Quod vero ad susceptores pertinet, alii censent in laico species consummari intra quinque *Pater* et *Ave;* in Sacerdote vero postquam ille vestibus sacris est exutus. Lugo tamen refert plures medicos a se consultos putasse, id intra minutum evenire in laico; in Sacerdote intra medium quadrantem. Verum hic ratio habenda est majoris vel minoris stomachi caliditatis, ut patet (1).

Q. 4. *In quonam situs est cultus Eucharistiæ debitus?*

R. Cultus Ss. Eucharistiæ debitus in his maxime consistit: ut ipsa latriæ cultu, etiam externo et publico, adoretur, peculiari celebritate veneretur et solemniter circumferatur. Hæc omnia de fide sunt a Tridentino contra novatores sic definita: *siquis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processio-*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 225.

nibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum; vel non publice, ut adoretur, populo proponendum; et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit (1). Et recte quidem, ut disserit idem Concilium; *nam illum eumdem Deum præsentem in eo* (Sacramento) *adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit:* et adorent eum omnes Angeli ejus; *quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur* (2). Item præstat, ut peculiari celebritate veneretur, eum solemniter circumgestando, ut ita *Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio.* Atque simul, *ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant* (3).

Q. 5. *Quid pro praxi notandum circa Sanctissimi Sacramenti asservationem et circa illius exponendi usum?*

R. Ad 1: *Consuetudo asservandi in Sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est*, ait Tridentinum, *ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit;* et postea definivit: *siquis dixerit non licere sacram Eucharistiam in Sacrario servari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam.... anathema sit* (4). Ne tamen id fiat indiscriminatim sine debita reverentia, Eucharistia ex pluribus decretis S. C. C. habitualiter asservari nequit, nisi in parochialibus Ecclesiis: quoad alias Ecclesias requiritur *præsidium Apostolici Indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quæ illius præsumptionem indueat*, ut ait Benedictus XIV Bulla, *Quamvis justo.* Semper autem obligatio est gravis eam asservandi cum lumine: unde ajunt Quintanus et Diana mortale esse, si ob negligentiam gravem integra die vel aliquot integris noctibus, non curetur, ut lumen ardeat. Quamquam Marchantius obligationem et consuetudinem tam universalem neget. Præstat porro, ut pastor populum suum hortetur ad visitandum Ss. Sacramentum ac Virginem Matrem: et insuper doceat, ut qui non potest convenire ad Ecclesiam, id spiritu domi agat (5).

R. Ad 2: Usus Eucharistiæ exponendæ et antiquus est, ut probat Christianus Lupus, et salutaris, cum retrahat a vanis atque ad devotionem excitet. Quia tamen frequentata vilescunt, ideo S. C. Congregatio, approbante Benedicto XIV, 16 apr. anno 1756 statuit *Sanctissimum Sacramentum non lice-*

(1) Sess. 13, can. 6. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 424.

(2) Quod valet etiam de *humanitate ipsius;* nam cum ea facta sit propter hypostaticam unionem propria Verbi, est utique adoranda eodem latriæ cultu. Ita Athanasius, *Ep. ad Adelph.* Neque æque dicas, nos adorare species, quæ sunt quid creatum; nos enim eas adoramus cum Christo per modum unius, neque uti objectum motivum adorationis: sicut humanitas Christi unita divinitati adoratur ratione divinitatis. — *V.* Bulla *Auctorem fidei*, propositio sub n. 61 damnata.

(3) Sess. 13, c. 5. (4) Sess. 13, cap. 6; et can. 7.

(5) *V.* Liguori, 1 *Homo Apost.* tr. VII, n. 42; — 2 *Visite al Ss. ed a Maria Ss.* Opus magno cum plausu ubique receptum; quodque plurimi faciebat Pius VI. — Pagani, *La divozione al Ss. Sacramento esposta in visite.* Milano, Pogliani 1845. — Gourdan, *Sacrificio perpetuo di fede, e di amore al Ss. Sacramento.* Piacenza 1844.

republice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario. Dico 1, ait S. Alphonsus, quod si quis privatus hanc expositionem fieri procuret ad publicam devotionem promovendam, tunc ista potius publica quam privata causa esse videtur; 2 in hoc spectandum est, an in iis locis ubi fit expositio, devotio et cultus Sacramenti augeatur magis vel minuatur, et juxta hanc regulam censeo expositionem faciendam vel omittendam, debita semper obtenta Ordinarii licentia. Hæc de expositione publica. — Ad levamen autem infirmi in mortis angustiis in usu est expositio privata: ideo tunc non licet Sacramentum extrahere eoque populum benedicere; sed tantum aperire tabernaculum et sacram pyxidem clausam ac velatam in ostiolo constitui et adorari, sex saltem cereis accensis (1). Ita Benedictus XIV Bulla *Cum ut recte,* anno 1755 *(L).*

ARTICULUS III — De necessitate eucharistiæ (2).

Q. 1. *An Eucharistia sit necessaria necessitate medii?*

R. Putant quidam Græci schismatici ac plures Calvinistæ, auctore Dallæo, Eucharistiam omnibus et singulis fidelibus necessitate medii necessariam esse. Sed veritas catholica est, eam non esse necessariam necessitate medii; nam incorporatio cum Christo facta in Baptismo sufficit, ut quis Christi ipsius membrum evadat, et filius Dei adoptivus cum jure ad cœlestem hæreditatem: *quicumque baptizati estis*, ait Apostolus, *Christum induistis* (3); *nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu* (4). Et Augustinus, cujus auctoritate abutuntur Græci, habet: *si percepto Baptismate, de hac vita migraverit* (infans), *soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumen veritatis* (5). Hinc merito Tridentinum: *siquis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit* (6).

Si ita est (dices), cur Ecclesia per duodecim priora sæcula etiam infantibus Eucharistiam administravit? cur verba: *nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* — R. A disciplina ad dogma hac in re non tenet illatio; non enim Ecclesia conferebat infantibus Eucharistiam, quia putaret iis esse necessariam; sed quia putabat utilem. Sic iis conferre solebat etiam Confirmationem; nullus tamen ex hæreticis inde concludet etiam Confirmationem esse necessariam necessitate medii. Adde: falsum est quod antiquitus ubique infantibus Communio tribueretur; nam docente Catechismo R., illa consuetudo fuit in quibusdam locis tantum recepta. Cæterum ob majorem reverentiam hujus Sacramenti, Ecclesia latina merito illud parvulis dari prohibuit, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ juxta D. Thomam (7).—Verba vero Christi: *nisi manducave-*

(1) Parochi pro hujusmodi oratione facta pro infirmo ex Synodo Novariensi percipere poterunt libellam unam monetæ novæ pedemontanæ (*pag.* 141). Hæc tamen pyxidis expositio ne fiat, exposito Sanctissimo pro oratione 40 horarum, eodem altari.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 192 et seqq. (3) Gal. 3. (4) Rom. 8.

(5) L. I *de pecc. mor.* c. 19. (6) Sess. 21, can. 4.

(7) P. 3, q. 80, a. 9.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 301.

ritis continent præceptum pertinens ad adultos. Non enim dixit: *nisi quis manducaverit*, quo in casu omnes omnino comprehendisset; sed *nisi manducaveritis :* unde verba dirigens Christus in secunda persona ac præsentibus, nonnisi ad eos, qui præcepti capaces sunt, dirigere voluit, ideoque ad adultos.

Q. 2. *An Eucharistia necessaria sit necessitate præcepti ?*

R. Eucharistia necessaria est præcepto divino et ecclesiastico:

1. Habetur *præceptum divinum* in illis Christi verbis: *nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (1). Ex communi vero sententia nos obligat ad Eucharistiam suscipiendam non solum in mortis periculo; sed etiam sæpius in vita. Sicut enim ad conservandam vitam corporalem necesse est non semel, sed sæpius cibum sumere terrenum; ita ad conservandam vitam spiritualem necesse est non semel, sed sæpius sumere cibum cœlestem (2). Certum est tamen quemque huic præcepto satisfacere, per se loquendo, si communicet saltem semel in anno; sic enim Ecclesia tempus determinavit. Attamen per accidens fieri potest, ut quis teneatur sæpius, vel quia alicui cœtui nomen dedit, in quo pluries Communio præscripta est; vel quia id necesse est v. g. ad superandam aliquam peculiarem tentationem, cui victoriæ non sufficiant alia remedia, uti orationes, jejunia et similia (3).

2. *Præceptum ecclesiasticum* habetur illis verbis percelebris decreti Concilii Lateranensis IV celebrati anno 1215 (4): *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur.... Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur et moriens christiana careat sepultura* (5). Huic Concilio concinit Tridentinum his verbis: *siquis negaverit omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis; saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit* (6).

(1) *Jo.* 6. Videntur reprobandi illi Catechismi, qui obligationem in fidelibus Eucharistiam sumendi probant tantummodo ex illo textu I Corinth. 11, et Luc. 22: *hoc facite in meam commemorationem*; tum quia per illa verba non adstruitur pro fidelibus directa obligatio, cum potius ea dirigantur ad Apostolos, quos Christus ordinavit sacerdotes, præcipiens eis ut facerent quod ipse tunc fecit, id est ut consacrarent, offerrent in sacrificium, sumerent, distribuerent Eucharistiam; tum quia viderentur innuere, quod nonnisi in actu sacrificii possit Eucharistia distribui, ut evenit in ultima cœna, ubi prolata sunt ea verba a Christo Domino.

(2) S. Thomas, p. 3, q. 80, a. 11.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 2. Hoc tamen in casu qui Communionem negligeret, non peccaret contra divinum Eucharistiæ præceptum; sed vel contra virtutem, adversus quam patitur illam tentationem, vel contra præceptum sui Ordinis.

(4) *Decr.* Greg. l. V, t. XXXVIII *de pœnit.* cap. *Omnis* 12. — Ante hoc tempus præceptum erat communicandi ter in anno, in Natali Domini, et Resurrectione et Pentecoste. *V. Catechismus Romanus.* — Liguori, Opusc. *sull' onorario delle Messe.*

(5) Quæ tamen pœna non incurritur, nisi post judicis sententiam. Nec eam marte suo potest infligere Parochus; nam interdictum est ferendæ sententiæ; privatio vero sepulturæ jurisdictionem in foro externo importat: hodie, hac ratione, nemini solet sepultura denegari, nisi certo constet, quod decessit impœnitens.

(6) Sess. 13 *de Euch.* c. 9.

Quod quidem præceptum Communicandi semel in anno tempore paschali (nisi ex gravi causa differendum) certissimum est obligare sub gravi: cum de re gravi agatur, ac de determinatione divini præcepti gravis: item non adimpleri per communionem sacrilegam: sic enim non susciperetur *reverenter*, ut vult Lateranense; neque *digne*, ut vult Christus: hinc contraria propositio ab Innocentio XI sub n. 55 damnata est (1). — Annum autem hujus obligationis, quamvis aliqui putent computandum esse a januario ad decembrem; communis tamen sententia et consuetudo ubique recepta solet hodie computare a Paschate ad Pascha; quia talis censetur annus ecclesiasticus. Tempus autem Paschale, quo vere urget præceptum (sic declarante anno 1440 Eugenio IV Bulla, *Fide digna*) exorditur a Dominica Palmarum et cessat Dominica in Albis; unde qui toto illo paschali tempore non communicat, etsi pluries in anno Eucharistiam susceperit, huic præcepto gravissimo non satisfacit. Episcopi tamen passim solent privilegio, necessitate, vel consuetudine plus temporis concedere.

Q. 3. *An qui Paschate non communicavit, teneatur quamprimum?*

R. Plures graves auctores cum S. Antonino negant: nam præceptum Communionis est affixum tempori paschali, sicut præceptum audiendi Missam et jejunandi est affixum festis et vigiliis. Unde sicut qui non tenetur jejunare nec Missam audire, transacta vigilia et festo; ita neque communicare elapso tempore paschali; sed sufficit si illum de omissione pœniteat. Excipiunt tamen nisi fuerit impeditus a Communione de Confessarii consilio; hoc enim expresse cautum est a Lateranensi Concilio. — Hæc sententia non est contemnenda; attamen communior cui subscribimus, affirmat eum qui in Paschate non communicavit, non posse expectare ad aliud Pascha, sed teneri sub gravi communicare quamprimum: sane tempus paschale non jam fuit ab Ecclesia determinatum ad finiendam obligationem; sed ad eam sollicitandam. Ex quo oritur, quod hujusmodi obligatio jam contracta, ubi nondum impleta sit, quamprimum impleri debeat: et qui non communicat, probabilius peccat quoties, data opportunitate, differt: cum obligatio, continuo urgeat. Addunt: Ecclesia duo circa Communionem præcepta imposuit: *unum* communicandi intra annum, *alterum* communicandi in Paschate, ut colligitur ex illis verbis, *singulis annis, saltem in Paschate;* ergo si communio in Paschate fuit omissa, debet quamprimum impleri, antequam terminetur annus. Ita inter cæteros Antoine, Croix, Gonet, Elbel, Hennus, Continuatur Tournely, Lugo, Suarez et Benedictus XIV *Notificatione* XLV.

(1) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLV. Sunt qui tenent, eum qui, transacto quidem tempore paschali, sed die immediate sequenti communicat, adhuc satisfacere præcepto; quia talis dilatio, etsi culpabilis, minima tamen est; hoc autem præceptum admittere debet parvitatem violationis. Sec hæc singularis opinio, quam vix reperies in Diana ac Pasqualigo, communiter et merito rejicitur; nam præceptum grave est communicandi Paschali tempore, at qui communicat die licet immediate sequenti sine causa, non amplius potest dici communicare Paschali tempore; ergo jam est transgressus grave præceptum; etenim tempus quando absolute et rigorose determinatum est, consistit in indivisibili. Nonne qui uno tantum puncto ab aliquo territorio egressus est, totus est egressus, adeo ut non amplius possit adstringi ad illius loci leges? Ita etiam qui uno tantum die egressus est, ut ita dicam, a tempore Paschali, totus est egressus, neque amplius valet communicare tempore utili.

Qui prævidens impedimentum communicandi in Paschate, Communionem anticipavit ante tempus paschale, si in Paschate cesset impedimentum illud, iterum communicare debet ipso Paschæ tempore, etsi anticipando habuerit intentionem satisfaciendi præcepto; intentio enim nequit efficere, ut actus positus tempore, quo nondum cœpit obligatio, sit satisfactorius: sic præcepto Missæ non satisfacit qui prævidens se die dominico impeditum iri, Missam audit die præcedenti. Unde colligitur, quod nondum cœpto paschali tempore, nemo tenetur ad præveniendum, etsi postea impediturus, ut communiter dicunt, quia talis Communio non esset adimpletiva præcepti, quod nec existit modo, nec umquam extitet; sed eo incæpto, jam obligatio urget: unde si jam cœpto paschali tempore quis prævideat se non posse amplius in Paschate communicare, nisi statim id faciat, tenetur illico ad Communionem; quia præceptum jam urget et impellit. Et habet etiam obligationem auferendi impedimenta quantumvis gravia; præceptum enim divinum est, atque ad animæ salutem valde confert (1).

Q. 4. Quinam tenentur in Paschate communicare?

R. Per se loquendo in Paschate communicare tenetur *omnis fidelis cum ad annos discretionis pervenerit*, ut ait Lateranense. Ergo tenetur etiam carcere detentus, uti praxis probat: etiam infirmus, ut monet Rituale, quamvis ante Pascha jam communicaverit. Diximus *per se loquendo;* nam — 1 ad pueros quod attinet, communissimum ac probabilius est, eos non teneri statim ac usum rationis consequuntur; discretionis enim anni accipiendi sunt respective ad materiam: porro major discretio requiritur in Eucharistia, quam in Pœnitentia, cum Pœnitentia respiciat actus proprios, nec ita in illa sit exercenda fides; et sic communis Ecclesiæ usus interpretatur obligationem quoad pueros, tum ut ipsi cum majori reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant, tum ne facile exponantur periculo transgressionis. Ajunt communiter hanc obligationem (extra periculum mortis) incipere ab anno 9; et non posse differri ultra 12, aut ad plus 14: S. Carolus assignat annum 10. Quæ tamen omnia non prohibent, quominus pueri prius admitti queant, *si possunt aliquam devotionem concipere*, ut ait S. Thomas (2); — 2 quoad adultos autem ex Concilio excipitur casus, quo *proprius Sacerdos* rationabiliter judicaverit Communionem differendam esse. Ubi notandum est ex communi, quod nomine *proprii Sacerdotis* intelligitur vel Parochus vel Confessarius (3).

Q. 5. Ubinam fieri debet Communio paschalis?

R. Communio paschalis a proprio pastore in parœciali Ecclesia suscipienda est, adeo ut huic præcepto non fiat satis, quamvis ea in Cathedrali suscipiatur. Ita generatim DD. explicant canonem Lateranensem: ita præcipiunt plurima decreta posteriora: ita se praxis habet (4) et merito; oves enim a proprio pastore cognosci debent (5). Excipe: — 1 Sacerdotes, qui ubivis ce-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 296 et seqq. (2) 3 p. q. 80, a. 8.

(3) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLV. — Liguori, *Homo Apost.* tract. VII, n. 26.

(4) Qui tamen sacrilege communicavit in Parœcia, non est necesse ut iterum in Parœcia communicet; sed sufficit, ut rite communicet quocumque loco. Nec tenetur ad Communionem in parœciali Ecclesia repetendam, qui infirmus Viaticum suscepit domi tempore Paschali: sic usus. *Gury.*

(5) Imo, contradicente Parocho, neque ipse Coadjutor titularis deberet Communionem pascha-

lebrent, ex consuetudine satisfaciunt; non tamen, si tantum communicarent; — 2 Religiosos, qui ex privilegio etiam in suis Ecclesiis admittere possunt proprios familiares, modo et actu inserviant, et intra eorum septa ac domos resideant, et sub eorum obedientia vivant, ut ex Tridentino docet Benedictus XIV; — 3 Peregrinos et vagos, qui nempe se communicant ex Rituali romano ubi actu degunt (qui neque necesse est, ut Communionem sumant de manu Parochi illius loci, nam peregrini et vagi proprium non habent pastorem, ut communissime dicunt). Item est de militibus, qui non sint in statione nec domicilium aut quasi-domicilium in civitate habeant; — 4 eos omnes, qui habent licentiam Pontificis vel proprii Episcopi, aut ejus Vicarii generalis, vel Parochi, uti omnes concedunt (1). Quæ licentia ex Lugo, Suarez aliisque potest esse etiam præsumpta, si tamen adsit moralis certitudo de consensu; cum tunc expressæ æquivaleat (2) *(M)*.

Hac in re ex Synodo Novariensi notantur præcipua *(pag.* 48): 1 ut Parochi per se, quoad fieri potest, Communionem hanc impertiantur, sedulo invigilantes, ne ulla fraus admittatur: 2 ab absentibus, cum redeunt in patriam, peractæ Communionis testimonium expostulent; sin intra 15 dies curent, ut communicent. Et inobedientes graviter moneant, ac demum Episcopo significent; 3 ut pueros decennes disponant: neque eis ultra duodecimum annum Communionem differrant; 4 monentur Ecclesiastici omnes, ut juxta consuetudinem solemniter communicent in Cœna Domini, nisi causa eos impediat.

Scholium.—*De Viatico.*

Q. 1. *An extet præceptum suscipiendi Viaticum?*

R. Extat utique præceptum grave communicandi in articulo atque periculo mortis. Constat 1 ex Nicæno Concilio generali I, quod præcipit *antiquam hanc regulam* adamussim esse servandam; 2 ex praxi fidelium, qui nonnisi cum scandalo audirent, infirmum eo tempore nolle communicare; 3 ex ratione; cum enim cibus iste cœlestis sit institutus ad roborandum contra hostium impugnationes, tunc ille sumendus, cum magis oppugnamur; unde mulieres difficulter parituræ, periculose navigaturi vel prælaturi, cum moraliter possint, sub gravi tenentur communicare. Quia tamen non agitur de Sacramento omnimodæ necessitatis, ideo non repugnat illud aliquando prohiberi, si id ejus administratio commissa est (3). Hinc in dubio *vomitus,* non

lem dare, quia esto, quod curam animarum habeat, sed eam nonnisi dependenter a Parocho habet; et munera principaliora sunt Parochi.

(1) Cum non sit mittenda falx in messem alienam, ideo regula generalis est, ut nemo sine pastoris consensu sacramenta administret: qui tamen consensus sic hodie communiter explicari solet, ut generatim pro administranda Eucharistia (quod valet etiam de Pœnitentia) sufficiat consensus interpretativus: pro administranda communione paschali (quod etiam extendunt ad Baptismum, et Extremam unctionem) requiratur consensus certo præsumptus in illis gravibus ac particularibus circumstantiis; pro adsistendo vero matrimonio omnino requiratur ad validitatem consensus positivus et datus. Lugo *de Sacr. Eucharist.* dis. 18, sess. 2.

(2) Probabile est, quod scandalo præcluso parochus possit currere in casu magnæ urgentiæ, ne ægrotus non communicatus moriatur. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 242.

(3) *V.* Benedictus XIV, *Notificationibus* XVIII, LIV et LV. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 240 et 300. — Pavone, *Spicilegio* n. 322.

est tribuendum, nisi cessaverit ad sex circiter horas : et si vomitus proveniat ex cibo, ad experimentum particula non consecrata tribui potest.— Quoad *tussim* vero, nisi ea sit adeo frequens, ut non possit infirmus particulam trajicere, Communionem non impedit ; quia alius est vehiculus, nempe guttur, quo trajicitur cibus, alius canalis, nempe aspera arteria, unde ejiciuntur flemmæ et suspiria. Monet Rituale : *diligenter curandum est, ne iis tribuatur Viaticum, a quibus ob frœnesim, sive ob assiduam tussim aliumque similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri possit.*

Etsi autem periculose infirmus possit etiam non jejunus, generatim loquendo, communicare ; si tamen facile possit Viaticum suscipere jejunus in sequenti die, teneretur utique expectare ; nam nonnisi ratione moralis impotentiæ a jejunio liberatur. Diximus *generatim loquendo*, nam secus esset, si adsit periculum mortis, vel si infirmus non possit commode expectare, uti si differre deberet medicamen opportunum : quod valet etsi fortasse possit una aut altera hora post mediam noctem jejunus accipere hoc Sacramentum ; nam hora tam intempestiva illud ministrari non posset sine gravi incommodo ac difficultate, neque expedit, si periculum mortis non urgeat. De reliquo bene ajunt, in hoc non esse scrupulose agendum, inquirendo videlicet an possit vel non possit sumi Sacramentum a jejuno ; cum in Concilio Constantiensi periculose infirmi generatim excipiantur a jejunii lege (1).

Solius est Parochi Viaticum administrare extra necessitatem, ut lege et consuetudine constat. Præstat vero ut Parochus, cum nequit id agere per se, alium deleget, sed Confessarium, si forsan infirmus Confessione indigeat (2). Eucharistia autem, ut ait Rituale, deferenda est manifeste et honorifice ; ideo non nocte, nisi urgeat necessitas : Tridentinum anathemate damnat qui dicunt *non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur* (3). Post Viaticum infirmus adjuvandus est ad gratias agendas divino Hospiti, aliosque virtutum exercendos ; fiat tamen moderate ac quiete, ne potius gravetur ægrotus.

Vel ipsi pueri tenentur Viaticum suscipere, si doli capaces sint, licet non habeant ætatem requisitam ad primam Communionem. Ita communissime cum Benedicto XIV (4) ; nam ex una parte tenentur ex præcepto divino com-

(1) Sess. 13. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 285, quær. 3.

(2) Potest Parochus pyxidem deferre collo serico sacculo inclusam, si longius sit iter et asperum. Imo S. C. C. 23 jan. 1640 tunc indulget, ut ex arbitrio ac prudentia Episcopi eam deferat equitando. Item si rheumate laboret, de Episcopi consensu ex eadem S. C. 5 martii 1693, Parocho indulgeri selet usus pileoli in itinere ; non tamen intra civitatem vel oppidum. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIX.

(3) Sess. 13, can. 7. — « Esceptuamos el caso en que se tratase de administrarla á un fiel en grave peligro, y cuyos padres impíos, permitiendo que un sacerdote se acercase al enfermo, se opusiesen absolutamente á que se hiciese ceremonia alguna en su casa. Desgraciadamente en este siglo de *tolerancia* y de *libertad*, sucede algunas veces. » (Sic potest Viaticum sine ullo apparatu et secreto ferri in locis hæreticorum, ubi alio modo non permitteretur). *Gousset.*

(4) *De Syn. Diœc.* l. VII, c. 12. — Ad rem Careno, *Delle regole a rettamente umministrare i Sacr.* Esame XIX : « Cuando los niños están en peligro de muerte, basta que sepan distinguir el pan natural del Sacramento eucarístico, porque, á falta de otra cosa, á lo menos participan de la gracia del Sacramento *ex opere operato.* Tenemos en apoyo de esta doctrina la disciplina de los primeros

municare, cum tempus urget ac necessitas impellit; ex alia sufficientem devotionem concipere possunt. Sed aliter consuetudo statuit quoad præceptum Paschale.

Q. 2. *An pluries possit eidem infirmo Viaticum dari?*

R. Infirmo etiam non jejuno, etiam durante eadem gravi infirmitate et eodem periculo, potest pluries Communio ministrari: nam Sacramentum hoc sumitur non solum ad satisfaciendum præcepto; sed etiam ad robur contra tentationes, quæ in morte validiores sunt. Imo Benedictus XIV monet Episcopos, ut id Parochis suis insinuent: imo Episcopi possunt ex eodem Pontifice pœnam decernere in Parochos qui ægrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam, deferre detrectent falsis prætextibus. Hac autem in postulatione Ecclesiastici aliis exemplo sint; neque enim sine fidelium offensione esse potest, ut ipsi infirmi raro vel numquam communicent, et nonnisi fere in extremis Viaticum et Unctionem suscipiant (1).

Hic audiatur Synodus Novariensis (pag. 94): *si periculosa infirmitate perseverante, post aliquot dierum intervallum æger, quamvis non jejunus, ad se Eucharistiam iterum deferri exposcat, ejus pio desiderio Parochus non desit; sed tunc communi utatur forma:* Corpus Domini etc. *Similiter quantum per alias in parochiali munere occupationes licet, numquam deneget hoc spirituale subsidium iis, qui etsi in nullo versentur probabili mortis periculo, ejusdem tamen Eucharistiæ pluries sumendæ desiderio flagrant, præsertim si bene valentes in frequenti Sacramentorum usu religiose se exercere consueverint: quibus subdicta communi forma et jejunis tantummodo conferatur. Cum vero unaquæque Parœcia fere semper id genus infirmorum complectatur, qui citra vitæ periculum satis incommoda valetudine utentes diu exire domo nequeant, illos idcirco solemnioribus saltem festis Eucharistia reficiendos Parochis omnibus totis viribus suademus. Utinam pientissimam adeo perutilemque consuetudinem per totam Diœcesim nostram inolescere perspiceremus!* (Ex Concilio Provinc. V).

Utrum autem qui mane communicavit, si eadem die incidat in mortis periculum, iterum communicare teneatur, disputant: alii affirmant cum Diana et Hurtado, quia urget præceptum communicandi in mortis periculo. Alii negant cum Anacleto et Roncaglia; quia Ecclesiæ praxis firma et sub gravi ubique recepta prohibet bis in die communicare, idque maxime ob reverentiam tanti Sacramenti. Alii cum Gobat dicunt id liberum esse ipsi in-

siglos de la Iglesia, en los cuales se comulgaba á los niños inmediatamente despues del bautismo bajo la especie de vino, para que desde luego participase de la gracia del Sacramento *ex opere operato*. Aquella disciplina no está vigente, pero la razon es aplicable á los niños que están en peligro de muerte.»

(1) Quod autem spatium intercedere debeat inter ipsas communiones, alii communius censent octo dies circiter; alii autem non improbabiliter dicunt quod infirmus assuetus sæpius communicare ex devotione, bene potest altero die statim post Viaticum communicare non jejunus; alii id in singulis diebus admittunt. Cæterum Gury ait ad varias locorum, personarum, statuumque particularium circumstantias attendendum esse: sic facilius concedi potest communio infirmis religiosis vel aliis personis piis in monasterio degentibus, sive sint jejunæ, sive non, quam cæteris; quia tunc minor habetur apparatus populique admiratio: cum S. Eucharistia eo in casu non sit publice per plateas deferenda. — Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 285.

firmo, ita ut possit, si velit, denuo Eucharistiam sumere per modum Viatici : nullo tamen præcepto adstringi. Hisce opinionibus adductis, ita concludit Benedictus XIV : *in tanta opinionum varietate Doctorumque discrepantia integrum erit Parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit* (1). —Cæterum quarta sententia est, quæ probabilius distinguit cum Lugo morbum violentum, ut si ex alto loco quis ceciderit, a morbo naturali, ut si apoplexia corripiatur. In primo casu tenetur communicare, non in secundo; nam in hoc secundo videtur posse dici jam mane communicasse in periculo; quia jam aderat morbus, licet occultus: quod non valet de primo casu (2).

CAPUT SECUNDUM

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

Sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima et remota; ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in aliis materia remota est res permanens; proxima vero ejus usus qui transit: hic vero remota transit et proxima manet, scilicet species panis et vini. Quæritur ergo tantum de *remota*, illa nempe quæ, facta consecratione, transit in Corpus et Sanguinem Christi.

Q. 1. *Quænam est materia Eucharistiæ?*

R. Materia Eucharistiæ est panis et vinum: de fide est, et constat tum ex ipsa Eucharistiæ institutione, siquidem Christus panem et vinum accepit, idque Apostolos facere jussit (3): tum ex Conciliorum generalium Lateranensis IV, Florentini ac Tridentini definitione; unanimi Patrum traditione ac constanti omnium Ecclesiarum usu et praxi. Unde si quando fideles lac, mel, etc., offerebant ad altare, non ideo erat ut ea consecrarentur, sed benedicta Clericorum sustentationi cedebant. Utraque autem materia necessaria est necessitate præcepti divini, tum quia ita exigit Eucharistiæ natura, quæ est per modum convivii, quod cibo et potu perficitur, tum quia Christus utrumque videtur expresse jussisse his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hinc consecratio unius tantum speciei esset quidem valida, sed gravissime illicita. *Valida* quidem; tum quia verba sacramentalia id efficiunt, quod significant; tum quia statim una species proponitur adoranda; tum quia id egit ipse Christus, qui unam prius consecravit; tum quia talis est sensus et praxis Ecclesiæ universalis. At gravissime *illicita* et in nullo omnino casu licet speciem unam consecrare absque alia (etsi agatur de Viatico administrando): quod patet tum ex facto Christi, tum ex Tridentino (4), ubi dicitur Christus præcepisse Apostolis, ne aliter seipsum offerrent, quam sub

(1) *De Syn.* L. VII, c. 11. *Quid vero* (dices) *de illo qui Viatico sumpto, mortaliter peccavit?*— Ipse non tenetur illud denuo sumere; quia præceptum jam adimplevit. Ita Concina, Suarez et alii.

(2) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tract. XV, n. 10; tract. XVI, n. 39, et Append. II, § 4 *Opus Mor.* l. IV, n. 241.

(3) Luc. 22, et 1 Cor. 11.

(4) *Luc.* 22; Tridentinum, *sess.* 22; item can. *Conferimus* dist. 2. de *consecr.* Imo Lugo non improbabiliter censet, quod si Sacerdos intenderet unam tantum speciem consecrare, invalide ageret, quia Sacerdos non recepit potestatem hoc Sacramentum conficiendi, nisi in sacrificiis. Per accidens tamen in omnium sententia, et citra culpam aliquando contingere potest unam speciem consecrari sine altera absque peccato. Si v. g. post consecratam hostiam Sacerdos loquelam subito amitteret, neque esset alius, qui posset Sacrificium perficere.—Liguori, *Opus Mor* l. VI, n. 196.

utraque specie: ex quo infertur hoc præceptum divinum esse, et ideo in illo non posse dispensari, ut communiter dicunt.

Q. 2. *Qualis esse debet panis in Eucharistia?*

R. Panem ad validitatem Eucharistiæ confici debere ex farina triticea et aqua naturali (quæ non refert si sit marina, cum hæc vera sit aqua): est de fide, et Ecclesia tum ex Christi exemplo tum ex communi verborum acceptione semper tenuit, uti demonstrant Patrum testimonia, liturgiæ utriusque Ecclesiæ et Concilia omnia sive generalia sive particularia: quare Rubrica habet: *si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum.* Ergo non est materia apta panis ex oryxa, milio indico (vulgo *maiz*), hordeo, amylo, phasiolis, phabis, pisis, lentibus, nucibus, avena, panico, castaneis, amygdalis et similibus rebus præparatus; quia non esset panis usualis. Item neque massa triticea cruda aut frixa: vel panis triticeus, sed alio liquore, quam aqua confectus, ut butyro, lacte, ovis: quia non esset panis usualis. Item neque hostiæ rubræ, quibus litteræ obsignantur; nam per admixtionem cinnabaris notabiliter alterantur. Sed quoad mixtionem, ait Angelicus: *modica permixtio non solvit speciem: quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo* (1).—Panis autem ex siligine est saltem materia dubia (2): quod idem dicunt de farre et spelta seu zea a farre parum dissimili. Quamquam agendo de *spelta* proprie dicta (quod dicitur etiam frumentum Suevicum) germani, teste Gobat, Layman, etc. censent esse materiam validam et licitam, quia ex spelta fit panis usualis, optimus et candidissimus, usitatus in aulis Principum, qui sine scrupulo adhibetur in Missa ipsa a Suevis. Quia tamen hic speltæ nomine alii verum frumenti genus intelligunt, atque ideo ob variam variarum regionum et vocum significationem difficile sit rem definire; hinc pro praxi consulendum peritorum judicium, et præstat attendere (concludit Voit) ad communem Diœcesis aut regionis æstimationem, quid nomine *tritici* veniat.

Diximus *ad validitatem Eucharistiæ;* nam ad licitam etiam ejus confectionem ex præcepto Ecclesiæ requiritur penes Latinos panis azymus, ac in forma orbiculari major pro celebrantibus, pro cæteris minor. Item curandum; ut hostiæ ac particulæ sint tenues, nitidæ, non ante 15 dies circiter confectæ, et quoad fieri potest ab Ecclesiasticis viris, vel a sacris virginibus præparatæ, ut tam mundam oblationem decet (3). Cæterum consecrare sine causa hostiam maculatam vel fractam, est tantum veniale, nisi adsit scandalum, aut macula vel fractura sit enormis: imo notabiliter fracta vel maculata si post oblationem deprehendatur, licite consecratur; quia jam aliquatenus est Deo dicata (4).—Apud Græcos panis requiritur fermentatus.

(1) 3 p. q. 74, a. 3 ad 3.

(2) Censet D. Thomas aptam esse materiam siliginem; quia siligo. *segala* (ab aliquibus dicitur etiam *biada*. etsi hoc nomen sit potius nomen generis, seu frugum terræ) ex vero tritico in malis terris seminatur, nascitur, et speciem a frumento distinctam non constituit: alii vero volunt, illam a frumento specie differre, et panem ex illo confectum simpliciter panem non dici. Talis panis est saltem materia dubia; ideoque ea uti non licet, quia nefas uti materia dubia in iis Sacramentis, quæ ad salutem hic et nunc necessaria non sunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 199.

(3) Hoc etiam urget Synodus Novariensis, tit. *De Missa.*

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 204. Quæsitum fuit a S. R. C. an liceat Missam celebrare,

Cæterum ad Sacramenti substantiam nihil interest sive azymus, sive fermentatus panis adhibeatur, modo sit triticeus; quia tam unus quam alter est simpliciter panis, et unus ab alio quoad speciem non differt. De fide est sic in Florentino definitum ab utriusque Ecclesiæ Patribus: *definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici.* Accedit perpetua universæ Ecclesiæ praxis, quæ pro locorum ac circumstantiarum varietate utrumque panem semper adhibuit. Quin imo et ipsi Græci latinæ Ecclesiæ usum consecrandi in azymo approbarunt, et solum sæculo XI Michaël Cerularius Patr. CP. in Latinorum morem debacchatus est. Firmatur exemplo ipsius Christi, qui uti nunc omnes consentiunt, celebrato paschate legali, instituit Eucharistiam in pane, qui tunc temporis ex legis præscripto ei præsto erat, nempe azymo. Neque dicas Christum legalia abrogasse: utique legalia abrogavit, quæ cum professione christiana componi non possent: non autem cætera, secus non liceret jejunare, festa celebrare, etc. Præcipit tamen idem Florentinum Concilium, ut unaquæque Ecclesia suum ritum omnino servet: et sane uterque ritus sustinetur (1). Fermentato utuntur Græci, tum ne se judæis conforment; tum ut ostendant, Dei Filium carne indutum esse, sicut fermentum miscetur farinæ. Azymo autem utuntur Latini, tum ut Christum imitentur, qui sic consecravit: tum ut sic edoceamur, quod de Christi Corpore participantes, epulari debemus *non in fermento malitiæ; sed in azymis sinceritatis et veritatis* (2) *(N).*

Sed (dices) *quid si Sacerdos latinus apud Græcos moretur, aut vicissim? poteritne utrique consuetudini ibi vigenti sese conformare?* — Consentiunt omnes quemlibet teneri servare ritum proprium, si in locis ubi moratur, adsit Ecclesia ritus proprii; cum nulla tunc sit ratio immutandi. Dubium est in casu, quo Sacerdos latinus transeat per regiones Græcorum, vel ex adverso, et ibi nulla sit Ecclesia proprii ritus; tunc communiter et probabilissime docent Antoine, Suarez, Tourneyl, etc. cuilibet fas esse ritum servare, prout liberit; cum quilibet possit se conformare loco, ubi degit. Neque obstat Bulla *Etsi pastoralis* Benedicti XIV data anno 1742, quæ sub pœna perpetuæ suspensionis a divinis, jam alias statutum confirmat, scilicet Sacerdotem quemcumque semper debere proprium servare ritum (nisi timeat scandalum, vel agatur de sacrificio complendo, quod alioquin mutilum remaneret): quia Bulla intelligitur, si celebretur in loco proprii domicilii; quo utique in casu non licet variare proprium ritum: probabilius neque ad Viaticum infirmo administrandum, quia præferenda est reverentia erga tantum Sacramentum utilitati proximi, cum illud non sit illi simpliciter necessarium (3).

Q. 3. *Quale vinum est materia apta ad Eucharistiam?*

quin in sacra hostia appareat imago Jesu C. Crucifixi? Responsum fuit: *servetur consuetudo;* 26 apr. 1834.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 202. — Ad *quæsitum*, an Presbyter græci ritus alter ex electis pro mandato feriæ v in Cœna Domini, possit et debeat sacra refici Eucharistia cum aliis duodecim ritu latino in azymo; respondit *in casu de quo agitur affirmative.* Decretum Sanctitas Sua approbavit pro eo casu dumtaxat, 25 aug. 1818.

(2) 1 Cor. 5.

(3) V. Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 202.

R. Solum vinum de vite esse materiam idoneam Eucharistiæ de fide est, ut ex sensu Ecclesiæ constat atque ex Decreto ad Armenos. Et sane liquor, quo usus est Christus ad Eucharistiam, *generatio,* seu *genimen vitis* expresse vocatur: praxis Ecclesiæ id confirmat, cujus testes sunt inter cæteros s. Justinus (1), s. Cyprianus (2); item omnes liturgiæ. Est contra veteres hæreticos ebionitas, encratitas et manichæos, qui omnes dicti sunt *aquarii,* quia aquam pro vino adhibebant; et contra recentiores, duce Calvino, qui docent aptam materiam esse quidquid vini loco homines bibere solent.

Quare valide non poterit consecrari Eucharistia, si liquor exprimatur ex pomis, cerasis aliisque fructibus; quia vinum non esset. Vel si succus exprimatur ex uvis omnino acerbis: cum sit tantum via ad vinum. Vel si vinum in pane sit inbibitum; quia non est potus, sed cibus. Vel si sit ad dimidiam, aut tertiam partem decoctum; tunc enim julapium est, non vinum: ergo neque spiritus vini. Attamen vinum aromatibus conditum illicite quidem, sed valide adhiberetur: excipe, nisi tanta sit alteratio, ut in communi hominum æstimatione vinum non amplius censeatur.

Quid (dices) *de musto et vino congelato?* — Mustum non licet adhibere ob fæces, quas habet permixtas, nisi in necessitate. Hinc Julius papa habet; *si necesse fuerit, botrus in calice exprimatur;* ergo est validum, et sane mustum *jam habet speciem vini* (3). Vinum vero congelatum, si resolvatur, adhiberi poterit; cum vini naturam habeat; si maneat congelatum, graviter prohibetur ob reverentiam Sacramenti: quamvis verius sit materia de se apta, quia licet non sit actu potabile, est tamen potabile de sui natura (sicut est comestibilis panis durus); et adhuc vinum appellatur (4).

Quid (addes) *de aceto et de vino acescente?* — Acetum, cum sit vinum substantialiter corruptum et ideo genuinam vini naturam non amplius retineat, certe non est materia valida: quod etiam dicendum est de vino, cujus vis omnino evanuit. In vino autem acescente valide consecratur; sed peccat graviter Sacerdos, si tale vinum scienter adhibeat et agatur de acrimonia ita gravi, ut vinum illud jamjam censeatur ingressum in limites corruptio-

(1) Apol. 1, n. 65.

(2) *Epist.* 22. Omne vinum sive gallicum sive hispanum sive italum, vel album vel nigrum, valida et licita est materia; nam quodlibet ex hisce vinis simpliciter est vinum. Caute autem advertendum, ne tam facile vinum extraneum adhibeatur, quia ut plurimum hæc vina vel omnino artefacta sunt, vel alienis commixta substantiis. Hic notandum: peccaret sacerdos (at nonnisi venialiter prout docent communiter cum Concina), si in purificatione calicis, seu in prima purificatione sola aqua uteretur. In ablutione autem digitorum seu in secunda purificatione esset adhuc veniale aquam tantum adhibere: excusabitur tamen si adsit rationabilis causa pro qua puto sufficere aliquem esse abstemium, vel vinum esse rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata. Hinc obiter nota, decentius esse, ut sanguis sumatur unico haustu; et melius esse si calix semel tantum ori admoveatur, aliquantulum immorando, ut quantum fieri potest, reliquiæ omnes attrahantur. Monet autem Pius v apud Gavanti, ut in calicem infundatur eadem vini quantitas, in qua fuerunt species sanguinis et sumatur per eamdem partem, qua sumptus est sanguis. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 408. (3) S. Thomas, 3 p. q. 74, a. 5.

(4) Idque clare probatur ex Rubrica Missalis, ubi dicitur: *si sanguis congeletur, involvatur calix pannis calefactis... donec liquefiat.* Ergo supponitur minime corrumpi species vini, alias ibi desineret esse corpus Christi: ergo vinum congelatum est verum vinum. Unde contraria Concinæ et Lessii sententia non pollet solida probabilitate.

nis. Quod non ita tamen esset, si haberet aliquod tantum quasi principium acrimoniæ et aliud vinum non posset substitui; tunc levis esset tantum inordinatio (1). Et ita ajunt accipiendam esse Rubricam, quæ absolute hoc damnare videtur. — Qui post consecrationem rationabiliter dubitat, an vinum fuerit acetum, aliud vinum legitimum consecrare debet sub conditione, *si prior materia non fuerit consecrata:* periculum relinquendi Sacrificium mutilatum est justa causa repetendi consecrationem sub conditione; cum integritas Sacrificii sit de jure divino.

Q. 4. *An aqua ad Eucharistiæ consecrationem sit vino miscenda?*

R. Affirmative et de fide est a Tridentino sic definitum: *siquis dixerit.... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit* (2): est contra Lutherum, qui talem mixtionem habet ut merum figmentum humanum; contra Calvinistas (quibus adhærent Lutherani recentiores) qui docent id esse liberum et indifferens. Hujus porro gravis præcepti inter alios meminit Justinus, Irenæus, Cyprianus, Gregorius Nissænus et Ambrosius (3): hanc admixtionem omnes vetustissimæ liturgiæ præscribunt; itemque Concilia, ut Carthaginense III anno 397, Bracharense IV anno 675, etc. Ex Tridentino autem id factum est, *tum quod Christus Dominus ita fecisse creditur; tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exivit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur* (4).

Aqua autem miscenda 1 debet esse naturalis; quia sic fert præceptum et consuetudo Ecclesiæ. Et ideo siquis misceret aquam rosaceam vel aliam artificialem, etiam in casu necessitatis, quamvis valide consecraret; peccaret tamen mortaliter, quia agitur de præcepto gravi;—2 in ipso calice est miscenda; quia commixtio hæc agi debet ad Rubricarum præscriptum; ideo non domi, sed in ipso Sacro: non in ampulla vel vase alio, sed in calice ipso, qui ad Eucharistiæ consecrationem adhibetur. Secus non sufficeret ad significationem Sacramenti (5); — 3 hæc mixtio fieri debet non ex necessitate Sacramenti, nam Concilia pro materia solum vinum assignant; et aliunde aqua non significat neque Corpus neque Sanguinem Christi; et hoc firmat Catechismus R.: unde si fuit omissa, non amplius post consecrationem mixtio facienda est. Sed fieri debet de necessitate præcepti, saltem ecclesiastici: quod addimus, quia sunt qui id repetunt ex præcepto divino, cum præsumant ita fecisse Christum ipsum in Eucharistiæ institutione: quæ opinio non caret sua probabilitate, cum talis esset usus illius terræ, ut ait idem Angelicus; — 4 aqua, quæ vino miscetur in Eucharistia, esse debet modica: *parum aquæ*, ait Rubrica Missalis; *aqua modicissima*, ait Eugenius IV; et D. Thomas ait, non requiri, ut quantitas aquæ sit magna, sed sufficere ut sit sensibilis. Aliqui probabiliter dicunt sine scrupulo posse immitti aquam usque ad octavam partem; alii usque ad quintam, quia ut ajunt, nullum vinum adeo debile creditur, ut tam modica aqua corrumpatur; imo alii putant sufficere, ut

(1) Benedictus XIV, *Notificatione* LXX.
(2) Sess. 22, can. 9.
(3) *V.* Klee, *Storia de' dogmi.*
(4) Sess. 22 *de Sacr. Missæ* c. 7.
(5) S. Thomas, 3 p. q. 74, a. 7.

aqua non excedat tertiam partem, in Concilio enim Triburiensi sic dictum fuit: *duæ sint partes vini, tertia aquæ.* Verumtamen in praxi Escobar, Viva et Palaus id non admittunt, nisi vinum sit generosum (1). In praxi generatim consulendum, ait Gury, ne Sacerdos excedat octo vel decem guttulas: quod si casu nimiam aquæ quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini est injicienda.

Quamvis non sit de fide, est tamen pro certo tenendum aquam illam in sanguinem converti; nam Tridentinum ait, post consecrationem solas species panis et vini remanere. Suadet ratio; particula enim demonstrativa *hic* demonstrare debet totum quod est in calice (2).

Q. 5. *An et quomodo materia consecranda debeat esse præsens?*

R. Ad validitatem consecrationis præsentiam materiæ requiri certum est; id enim exigit forma demonstrativa *hoc*, *hic:* nempe requiritur conjunctio physica materiæ cum forma. Duo autem sunt de necessitate hujus præsentiæ: — 1 ut materia sit ita præsens, ut non valde a celebrante distet, et sensu aliquo ab ipso percipiatur vel ratione sui, ut si videatur: vel ratione vasis, in quo continetur, ut si clausa in pyxide super corporali: vel ratione cumuli, ut si particulæ unæ aliis sint impositæ: etc.; id enim censetur vere præsens, quod potest demonstrari humano modo. Secus esset de hostia post parietem posita, vel tabernaculo inclusa; non enim videtur tunc connaturaliter designari per pronomen *hoc*. Secus esset pariter, si materia ita parva sit, ut percipi omnino non possit; nam Sacramenta sunt signa sensibilia; — 2 ut materia sit certa ac determinata; cum enim forma sit demonstrativa, exigit determinationem rei demonstrandæ: hinc qui habet coram se undecim hostias et non vult consecrare nisi decem, non determinando, ex Rubrica non consecrat. Si post consecrationem advertat Sacerdos duas esse hostias, licet putaret unam, ambas sumat, quia ambæ sunt consecratæ: neque officit error speculativus; nam semper prævalet intentio absoluta consecrandi materiam sibi præsentem, et maxime si manibus contentam, nisi aliunde fiat positiva exclusio (3). Si tamen id evenerit post offertorium, tunc unam reponat, quam

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* Appendix III, n. 93; et *Opus Mor.* l. VI, n. 210.

(2) Quomodo vero fiat hæc conversio, Thomistæ et Scotistæ communissime docent cum Catechismo R. et Pontificali, prius aquam converti in vinum, inde in sanguinem. Ratio est, quia non convertitur in sanguinem, nisi materia consecrabilis; hæc autem ex Tridentino et Florentino non est, nisi vinum de vite. Alii tamen censent cum Collet, Lugo, Tournely, etc. aquam immediate in sanguinem transire; nam ex recentioribus physicis non est admittenda transmutatio elementorum: et hoc experimento probant, cum nempe arte chymica bene invicem separentur. Unde dicendum est, vinum cum illa aqua fieri vinum usuale, ideoque totum simul esse consecrabile. Utraque sententia est per se satis probabilis. Hanc quæstionem fuse prosequitur Capisucchius Ord. Præd. in Opere, *Controversiæ Theologicæ selectæ.* Romæ 1670.

(3) «Es preciso distinguir dos clases de presencia, una *física*, cuando un objeto se representa á algun sentido; la otra *moral*, cuando este mismo objeto, si bien no puede estar actualmente bajo el dominio de los sentidos, existe en un lugar en el cual puede ser demostrado, no en sí mismo, sino por medio de alguna cosa destinada á contenerla y representarla. Un buque distante veinte millas sobre el mar es *físicamente* presente á mis ojos, porque les causa una impresion inmediata; el vino encerrado en un vaso, ó el dinero puesto en un bolsillo no tienen para mí mas que una presencia moral, puesto que no pueden demostrarse sino por medio del recipiente que los contiene. Esto sentado digo:

1.° La materia de la consagracion debe á lo menos en alguno de estos dos sentidos estar presente

postea sumat uti panem benedictum, peracta Missa. Cæterum tum ex præscripto Rubricæ, tum ad omnes animi anxietates tollendas (agendo de pane) oportet, ut Sacerdos materiam consecradam statim ponat super corporale: et hæc una sit illius intentio, consecrandi materiam intra corporale, quin numerum designet (1).

Siquis ad altare plures particulas attulerit consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis particulis jam super altare positis, vel rationabili modo animadverterit ab alio adferri ut consecrentur, etsi dum consecrat earum non ita expresse meminerit, modo sint præsentes in corporali, sunt consecratæ; quia intentio præcedens virtualiter perseverat. Idem dicunt Gury, Reuter et alii, si ciborium positum in corporali ex oblivione remanserit clausum tempore consecrationis; quia est præsens et Sacerdos censetur semper habere intentionem absolutam consecrandi quidquid, ipso sciente, est supra corporale, et est honeste consecrabile et per modum continui, licet ipse consecrationis tempore non amplius advertat (2). Hic notandum quod Sacerdos, si ei post oblationem offerantur particulæ, ut consecret ad populum communicandum, licite eas consecrat, suppleta mentaliter oblatione: imo probabiliter id fieri potest etiam Canone incæpto, si aliunde plures Communione carerent (3). Si tamen unus vel alter tantum remaneret, suadent potius, ut detur pars propriæ hostiæ: et sufficeret pro causa, si communicaturus diu expectare deberet, ut ait Croix cum D. Antonino et Sylvio.

al ministro sagrado: y la prueba está en la práctica de Jesucristo, que tomó en sus manos el pan y el vino para convertirlos en su cuerpo y sangre; en la costumbre de la Iglesia que no pronuncia las palabras de la consagracion sino sobre la materia presente; y en la naturaleza misma de la forma sacramental: la palabra *este* dos veces repetida significa una cosa presente; 2.° la presencia física de la materia de la Eucaristía no es necesaria ni suficiente para la consagracion. No es necesaria, porque se puede consagrar el pan dentro del globo y sin embargo no pueda verse ni tocarse *per se;* lo cual escluye la presencia física. No es suficiente, no pudiendo consagrarse si no se le puede aplicar el pronombre *esto:* quod quidem de re in longinquo posita verificari non potest; 3.° una presencia moral es bastante y necesaria: lo que se deduce de los tres principios establecidos: sic eniam materia satis habetur humano modo presens.»

(1) Si particulæ consecratæ misceantur non consecratis, totus cumulus hostiarum sub conditione (*si non sint consecratæ*) consecretur. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 216.

(2) *Quid* (dices) *si ciborium ex oblivione extra corporale relictum fuerit?* — Communiter et probabilius negant esse consecratum; quia cum intentio consecrandi extra corporale sit graviter peccaminosa, illam tu habuisse non præsumeris; sed quia contrarium non videtur improbabile, ideo rationabiliter ait Benedictus XIV (*De sacrif. M.* l. III, c. 18), ciborium esse sub conditione in alia Missa consecrandum; vel ut dicit Continuator Tournely, in praxi particulas illas esse sumendas post sanguinem; et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem; quia reliquiæ sanguinis sunt certe Sacramentum, sed particulæ illæ in ciborio sunt dubie. Sunt qui censent illas posse consecrari sub conditione in alia Missa; sed hoc mihi non placet: quia non videtur adesse justa causa, cum jam sumi possint, nisi tamen essent in magna quantitate. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 217.

(3) Quia, ait Sperone, nullum assignari potest præceptum præter usum, quo una cum hostia particulæ offerri debeant, vel præsentes esse ante præfationem vel canonem: sufficit ergo, causa extante, ut præsentes sint ante consecrationem. Utrum autem tuto sequi valeat Regula Ritualis parisiensis sic expressa: si quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiæ dividi in plures particulas, quæ singulis distribuantur? *S. R. C.* 17 *martii* 1833 *in Veronensi, respondit:* «servetur consuetudo dividendi consecratas particulas, si adsit necessitas.»

Quid (quæres) *de guttis, quæ calici adhærent?*—R. De guttis externis nulla quæstio; istæ enim non sunt consecratæ cum certo consecrari non intendantur. De internis (si Sacerdos nihil circa eas intendat) variant auctores: alii negant eas consecrari; alii affirmant; alii denique affirmant de propinquis: negant de guttis remotis, quia illæ, non istæ censentur haberi per modum continui. Monet Platel, quod Sacerdos advertens statim ante consecrationem tales guttas, si sint vicinæ, admisceat; si vero remotæ, vel abstergat (et congruentius ex S. R. C. 7 sept. 1716), vel excludat ab intentione. Sed Croix dicit etiam posse licite includere eas in intentione, ne in calice sit vinum quod non sit consecratum.

Q. 6. *Quænam est Eucharistiæ forma* (1)?

R. Pro duplici materia duplex forma Eucharistiæ. Forma pro consecrando pane præscripta desumpta est ab evangelista Matthæo (2), et sunt verba: *hoc est enim Corpus meum*. Illud *enim* ponitur secundum consuetudinem R. Ecclesiæ a B. Petro apostolo derivatam, ed hoc propter continuationem ad verba præcedentia. —Forma autem pro consecratione calicis sequens assignatur: *hic est enim calix Sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quæ omnia fere verba ex diversis Scripturæ locis accipi possunt; nam quod dicitur *hic est calix* habetur Lucæ 22, et I Corinthiorum 21. Matthæi autem 26 dicitur: *hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quod autem addatur *æterni*, et iterum *mysterium fidei* (3), ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos pervenit secundum illud I Corinthiorum 11, 23: *ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis*. Hæc omnia Angelicus (4). Hoc posito dicimus:

1. In consecratione panis verba de essentia sunt: *hoc est Corpus meum;* nam hæc complete significant, et important conversionem panis in Christi Corpus. Hinc ad essentiam non pertinet verbum *enim*, et ideo ejus omissio non esset nisi venialis: sed non improbabiliter Concina, Roncaglia et Suarez damnant id de mortali; ac revera in re tanti momenti non videtur levis quæcumque mutatio deliberate apposita. Neque ad essentiam pertinent cætera antecedentia verba: non illud *accipite et manducate;* cum id solum commemoret usum Sacramenti: non illud *quod pro vobis tradetur;* quia solam indicat passionem Christi. Neque tandem illud *qui pridie* etc., quia hæc non sunt verba Christi (5). Nec dicas, quod hisce verbis historicis prætermis-

(1) Hic plures errores: contendit Bucer in Eucharistiæ consecratione nihil proferendum; Calvinus formam usitatam a nobis magicam incantationem dicit; moderni Protestantes nullam ipsi tribuunt vim, ideo volunt illam esse amandandam. Contra omnes habet Tridentinum, sess. 52, can. 6: *siquis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.*

(2) Cap. 26.

(3) Sic dicitur ex Innocentio III, *quoniam aliud ibi creditur, aliud cernitur.*

(4) 3 p. q. 78, a. 2 et 3. —Quamvis autem consecrationis verba sint historica in quantum Christi verba referunt; assertive tamen vel significative ea proferre debemus, cum intentione faciendi quod Christus, cujus nos personam gerimus, fecit, id est consecrandi.

(5) Sacerdos non in propria, sed in solius Christi persona loqui debet: unde nulla erit consecratio si dicat: *hoc est Corpus Christi;* quia tunc non Christi personam sustineret, sed suam duntaxat. Ita Continuator Tournely. Hinc in Decreto ad Armenos dicitur: *forma hujus Sacra-*

sis, sequentia verba *hoc est Corpus meum*, indicarent corpus sacerdotis, non Corpus Christi; respondet enim Angelicus: *quod si Sacerdos sola verba prædicta* hoc est Corpus meum, *proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum; quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur* (1).

2. Verba essentialia in *consecratione calicis* communius hæc tantum habentur: *hic est calix Sanguinis mei;* tum quia hæc est mens Justini, Damasceni, etc.; tum quia hæc jam satis significant præsentiam Sanguinis Salvatoris sub speciebus vini. Sunt tamen qui requirunt etiam sequentia: *novi et æterni Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ut ita exprimatur virtus passionis Christi: cum ad hanc quoque Eucharistia sit instituta. Quod cum satis sit probabile, et ipse Angelicus non satis percipiatur: ideo qui ea omisissent, deberent integram sub conditione formam repetere.

Ad rem Collet (2): «Conviene pronunciar las palabras de la consagracion con voz distinta, respetuosa, continua como se haria en discurso ordinario, pero serio y grave. Por esto es de lamentar con razon de algunos sacerdotes, por otra parte muy apreciables, de los cuales unos hacen á cada palabra una pausa considerable, que parece truncar el sentido y la trabazon; los otros pronuncian las palabras con tan violentos esfuerzos que se les creeria agitados de movimientos convulsivos: tal es la agitacion en toda su persona. Por no faltar en nada faltan en todo: la palabra *hoc* tal como la pronuncian se convierte en *hoc hoc memeuum*, y así de lo demás. Nosotros les suplicamos se pregunten á sí mismos si creen que Jesucristo habló de este modo cuando instituyó la Eucaristía. Lo cierto es que este tono afectado aflige á las personas piadosas, escandaliza á los fieles y hace reir á los impíos.»

CAPUT TERTIUM

DE MINISTRO ET SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

Q. 1. *Quisnam est minister consecrationis in Eucharistia?*

R. Prima ætate Montanistæ et alii etiam mulieribus potestatem Eucharistiam consecrandi contulerunt; postea Waldenses eam tribuerunt omnibus viris; Lutherus tandem id omnibus concessit Christianis vi Baptismatis, quamvis ad vitandam confusionem nemo consecrare debeat extra necessitatem, vel delegationem. At catholica fides docet, solos Sacerdotes esse consecrationis ministros; constat: — 1 Scriptura, ubi Christus solis Sacerdoti-

menti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens conficit Sacramentum.

(1) 3 p. q. 78, a. 1, ad 4. — Quæ sententia est communis et probabilissima; sed sententiam, quæ vult saltem esse incipiendum a *qui pridie* etc. non audeo dicere improbabilem; tanto magis, quia Rubrica quando forma est repetenda ratione materiæ dubiæ vel ex eo quod forma calicis fuerit semiprolata ab uno Sacerdote qui obierit, et ab alio sit repetenda ad integrandum sacrificium, præcipit, ut Sacerdos incipiat ab illis verbis: *qui pridie, et simili modo.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 222.

(2) Trattato, *della Messa* ecc. c. 5.

bus in Apostolis hanc tradidit potestatem per verba : *hoc facite in meam commemorationem ;* — 2 traditione, cujus testes sunt omnes liturgiæ, et omnes Patres, inter quos audiatur D. Hieronymus : *si diaconi, qui Sacerdotibus adeo proximi sunt, consecrandi potestatem non habent, eo minus cæteri clerici, et laici inferiores* (1) ; — 3 Conciliis : ita definivit Nicænum I, Lateranense IV, Florentinum, atque sic tandem Tridentinum (2) : *si quis dixerit illis verbis :* hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

Opponunt : S. Laurentius diaconus videns Sixtum pontificem ad martyrium duci, sic eum allocutus est, referente D. Ambrosio : *experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris : cui commisisti dominici Sanguinis consecrationem* (3) ; ergo etiam Diaconi consecrant. — R. Cardinalis Bona ex veterum loquendi more dicit diaconum consecrare, *quatenus sanguinem dispensat, qui est consecratio et sanctificatio nostra, et fons atque essentia omnis sanctificationis.* Idque patet ex contextu ; ipsemet enim sanctus Levita non sacrificantem, sed sacrificantis ministrum se profitetur, nec de Sacerdotis absentia loquitur, sed de consortio ; nam subjungit : *cui consummandorum consortium Sacramentorum* (commisisti), *huic Sanguinis tui consortium negas?* Adde in aliis D. Ambrosii Operibus legi *sanguinis dispensationem*, non autem *consecrationem* (4).

Q. 2. *Quisnam est distributionis Eucharistiæ minister?*

R. Quæstio est de *licito* ; cum enim Eucharistia per se subsistat, valide a quolibet administrari potest. Porro licitæ distributionis duplex est minister, ordinarius et extraordinarius.

Minister ordinarius distributionis Eucharistiæ est quilibet Sacerdos. Id constat : 1 ex Tridentino, quod habet : *in sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent ; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet* (5) : 2 ex ratione : cum consecratio ad distributionem ordinetur, illius esse debet distribuere, cujus est consecrare ; cui enim competit plus competit quoque minus. — Debitus tamen ordo postulat, ut solus Parochus eam dispenset ; pastoris enim est oves suas pascere : unde qui contra illius vel Superioris *positivum dissensum* eam ministraret, in omnium sensu mortaliter peccaret usurpans jus alterius in re gravi. Diximus *contra positivum dissensum ;* nam hodierna consuetudine consensus semper præsumitur, si excipiatur Communio, quæ fit prima vice a pueris, Viaticum, et Communio paschalis. Commune est autem, Parochum teneri Eucharistiam ministrare suis ovibus, non tantum cum urget præceptum, sed quoties etiam opportune ac rationabiliter petunt : secus frustra Tridentinum ac Patres hortarentur fideles ad Communionem frequentem. Adde pastoris esse non solum arcere a peccato oves suas, sed etiam earum profectui consulere.

(1) Contra Luciferianos.
(2) Sess. 22, c. 2.
(3) L. de Officiis ministrorum, c. 41.
(4) Edit. Maur. in *adnot.*
(5) Sess. 13, c. 8. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 230 et seqq.

Minister extraordinarius distributionis Eucharistiæ est Diaconus; sed tantum hoc sensu, quod *publice ac solemniter,* absente Sacerdote vel ab eo præsente jussus ob aliquam necessitatem, possit eam ministrare: *Diaconus,* habet Arelatense I, *Corpus Christi, præsente Presbytero, tradere non præsumat.* Et Cartaginiense IV: *præsente Presbytero, Diaconus Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget* (1); qui jussus saltem tacitus est adeo Diaconis necessarius, ut si ipsi (sicut et alii Clerici) sine eo solemniter Eucharistiam ministrarent, incurrant irregularitatem (2); et si religiosi sint, etiam excommunicationem reservatam (3).—Diximus *publice ac solemniter;* nam privatim olim Eucharistiam ministrare, concessum erat non solum Diaconis, sed etiam aliis clericis; imo laicis, qui eam a Sacerdote accipiebant. Utrum autem id adhuc liceat in necessitate, alii affirmant cum Habert; quia nulla fit Sacramento injuria, cum id usurpetur ad non defraudandum infirmum tanto subsidio; alii negant cum S. Thoma (4), tum quia est contra consuetudinem; tum quia non agitur de Sacramento necessitatis.

An (quæres) *quis possit se ipsum communicare?* — R. Negative: nemo potest se ipsum communicare, si adsit Sacerdos: quia præceptum est, ut sumatur Eucharistia de manu illius. Si Sacerdos non adsit, tunc affirmant de Sacerdote, præciso scandalo, licet communicaret ex devotione; quia quantum ad illum nulla irreverentia est. In necessitate id permittunt etiam Diacono, quia tunc ipse est verus minister. Quoad cæteros sive clericos sive laicos, alii adhuc affirmant, cum adest vera necessitas, quia nulla prohibens potest lex citari. Alii negant, quia hodie id novum esset et inauditum (5).

Q. 3. *Quid servandum in Eucharistiæ distributione* (6)?

R. Ex debita tanto Sacramento reverentia hæc tria præcipue sunt observanda in illius distributione: tempus, locus atque modus.

1. Quoad *tempus,* excepto Viatico, nequit Eucharistia ministrari et quidem sub gravi, cum agatur de re gravi: 1 tempore interdicti localis (7); 2 nocte Nativitatis D. N. J. C., ac feria VI in Parasceve ex pluribus decretis S. R. C.: aliqui addunt etiam sabbatum sanctum, sed contrarius est usus; 3 in extrema diei parte, tum ob scandalum, tum ob hodiernam consuetudinem: item neque nocte, licet possit summo mane. Ex Rituali ea fieri deberet *intra Missas vivorum* statim post Communionem Sacerdotis, ut fuit usus per duodecim priora sæcula, nisi causa suadeat fieri ante vel post; uti si

(1) Decr. 1ª part. dist. 93, c. 18. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 235.

(2) Ex *Decr.* Greg. l. V, t. XXVIII *de Cler. non ordinato ministrante*, c. 1.

(3) Ex Clem. l. V, t. VII, *de priv.* c. 1. — Quænam sit ista necessitas, ut licite deputetur Diaconus, communiter cum Suarez dicunt sufficere gravem; cum nempe nullus adsit Sacerdos, qui ea possit commode ministrare: si enim necessitas est extrema, jam tunc tenetur etiam sine mandato illam ministrare, ut Viaticum moribundo. Idque vel ex præsumpta commissione matris Ecclesiæ, vel ex commissione generali. Hic tamen casus in Ecclesia saltem latina rarus omnino evadit, tum ob sufficientem Sacerdotum numerum; tum ob paucitatem Clericorum, qui in Diaconatu diutius morentur.. (4) In 4, d. 13, q. 1, a. 3.

(5) *V.* Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, l. III, c. 7, § 10.

(6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 241.

(7) C. *Quod in te de pœn. et remiss.*

plurimi essent communicandi, et populus Missam audiens tœdio afficiatur expectando, ex Benedicto XIV (1). Nihil autem refert, si ea fiat ex particulis præconsecratis; nam ad totum Sacramenti fructum percipiendum sufficit, ut fideles de eadem victima participent (2): neque communicantes de altari sacrificium sumunt, sed Sacramentum, cum ex Catechismo R. *omnis sacrificii vis in eo sit ut offeratur.*

2. Ad *locum* quod attinet hodie receptum est Eucharistiam tribui posse in omnibus Ecclesiis aut Oratoriis publicis. Diximus *publicis*, nam in privatis ea dari non potest neque particulis in ea Missa consecratis sine expressa Ordinarii licentia ex Benedicto XIV (3).

3. Quoad *modum* attendendus est ritus Ecclesiæ consuetus, qui utpote a legitima potestate sub peccato gravi vel levi juxta materiæ rationem est observandus. Hic notamus præcipua: 1 Communio ministranda est cum cotta, stola ac luminibus: si tamen sola lumina desint, Suarez dicit esse solum veniale: quod idem putat Roncaglia, si sola omittatur stola. In casu vero necessitatis (ut si infirmus jamjam sit moriturus), communius est et satis probabile cum Croix hæc omnia omitti sine peccato, ne moribundus tanto privetur subsidio. Non tamen liceret ita deferre Eucharistiam infirmo non graviter ægrotanti, quia ejus parentes ægre ferunt ipsum communicari; sed honorifice et manifeste est deferenda (4); 2 in ea ministranda uti debet Sacerdos pollice et indice; nam licet tota manus sit consecrata, tamen juxta ritum solummodo pollex et index sunt ad hoc munus destinati. Excipiunt probabiliter casum necessitatis gravissimæ (5).

Si particula in terram decidat, locus panno lineo tergatur, dein abluatur. Si decidat intra clausuram, monialis communicanda particulam lingua sumat, et locus abluatur; et si nulla amplius sit communicanda, particula patena aut pala suscipiatur Sacerdoti tradenda. Si decidat in sinum mulieris, mulier eam quærat et ipsa per se sumat, ac communicet digitos postea abluendo: et si necesse sit, se recipiat in cubiculum Ecclesiæ. Si decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis omittenda purificatio; quia melius semper est vitare admirationem, aut turbationem populi (6).

Q. 4. *Quodnam est Eucharistiæ subjectum ?*

(1) Diximus *intra Missas vivorum;* utrum id liceat etiam in Missis defunctorum, affirmant ex Tridentino (*sess.* 22, *c.* 6), quod optat, ut fideles adstantes *in singulis Missis* communicent: ergo etiam defunctorum. Cæterum in fine vol. II, append. V. Administratio Sacramentorum. — Et Benedictus XIV, *De sacr. Missæ*, l. III, c. 18.

(2) Sic etiam nullum extat præceptum, quo fideles teneantur communicare in Missa. Hinc Rituale romanum præcipit, ut *aliquot particulæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possint, conserventur in pyxide. V.* Benedictus XIV, Encycl. *Certiores* 1742. — Bercastel, *Storia Eccles.* l. XC, § 223.

(3) *De Sacr. Missæ*, l. III, c. 18; et *Encycl.* 2 junii 1751.

(4) *Decr.* Greg. l. III, t. XLII, c. 10 *Sane;* Conc. Prov. V; et Rit. R.

(5) In Communione monialium *misereatur,... ecce Agnus Dei,... benedictio Dei,...* et cætera omnia dicantur versus moniales, non versus populum. — Quis autem respondere debeat *amen* in administratione, juxta usum: sic in Gallia respondet qui sumit, Mediolani inserviens, Romæ Sacerdos. — Si consumandæ sint plures particulæ, potest Sacerdos plures simul sumere: at cum una sit Communio, non debet se signare iterum.

(6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 255.

R. Subjectum capax Eucharistiæ sacramentaliter suscipiendæ est omnis et solus homo viator, et baptizatus. *Baptizatus;* quia Baptisma est janua Sacramentorum: unde eam infidelis susciperet tantum materialiter. *Viator;* iis enim qui mortui sunt, ea quæ ad vitam conferunt, inutilia evaserunt. *Omnis;* ergo et indignus, ut contigit in Juda proditore, et in illis *qui manducantes panem hunc, vel bibentes calicem Domini indigne, fiunt rei Corporis et Sanguinis Domini* (1).

Quid statuendum est de infantibus, de amentibus, semifatuis, mutis, surdis, cæcis, epilepticis, energumenis ac capite damnatis (2)? — R. Ad singula: — 1 *infantibus,* qui sunt rationis impotes, Eucharistia non est danda nec in mortis articulo; tum ob periculum irreverentiæ; tum ob occidentalis Ecclesiæ contrariam consuetudinem; —2 *amentibus*, si tales perpetuo sint, cum æquiparentur infantibus, est quoque Communio deneganda ex Rituali. Si vero non sint perpetuo tales, ait divus Thomas (3): *si prius quando erant compotes suæ mentis apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis.* Et sane ex una parte præsumuntur interpretative petere; ex altera erit ipsis forsan necessaria Communio, si nempe non sint, nisi attriti; —3 *semifatuis,* si sciunt distinguere cœlestem hunc cibum ab aliis, Communio est danda tempore paschali et in morte; quia tunc urget præceptum, et ipsi sufficientem devotionem concipere possunt; —4 *mutis* ac *surdis* simul a nativitate, urgenti præcepto, est pariter Eucharistia danda, si ex signis constet eos discretionem habere: imo nihil impedit quominus sæpius communicari possint (4); —5 *cæcis* Communio dari potest per se toties quoties, cum eos nihil impediat: est tamen deneganda *mutis, surdis ac simul cæcis a nativitate,* cum in illis nulla discretio inveniri possit;— 6 *epilepticis* negatur Communio in ipso parosismo: idem dicendum de *obsessis,* si non sint sui compotes, qui cæteroquin ex Angelico pluries in anno recte communicant; cum Communio sit speciale remedium ad dæmones arcendos (5). Hinc ait Cassianus: *eis qui ab immundis vexantur spiritibus, Communionem a senioribus numquam meminimus interdictam;* —7 *capite damnatis* Communio danda est, etiam non jejunis; cum aliter fieri commode nequit. Neque enim in tanto discrimine constituti illo auxilio sunt privan-

(1) I Cor. 11. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 255.

(2) « Es preferible arriesgarse á administrar el Sacramento al que es incapaz de recibirle con todo el fruto que puede producir, que privar de él al que es capaz de aprovecharse del mismo. Regla general. » *Istrux sopra il Rituale di Langres.*

(3) 3 p. q. 80, a. 9.

(4) *Istr. cit.* habet: « No debe negarse la Comunion á los sordo-mudos de nacimiento, á menos que tengan algun conocimiento de las principales verdades de la Religion. Si, despues de haber sido instruidos por los que comprenden sus signos, asisten con reverencia al santo Sacrificio de la Misa, si tienen una buena conducta, si dan testimonio del dolor de las faltas cometidas, si se las vé distinguir el pan Eucarístico y divino del pan ordinario, puede dárseles la Comunion, de la cual no debe privárseles á pretesto de que parece que no tienen mas que una idea confusa del Sacramento, puesto que la Iglesia lo administró por mucho tiempo á los niños que no tenian de ella mayor conocimiento. »

(5) 3 p. q. 80, a. 9. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 303.

di: et talis est consuetudo in tota præsertim Italia, quam ubique ab Episcopo invehendam esse monet Benedictus XIV (1). Imo contrarium usum improbat Pius V.

Q. 5. *Quænam sunt dispositiones ad suscipiendam Eucharistiam?*

R. Duplicis sunt generis dispositiones: aliæ ex parte animæ et aliæ ex parte corporis. Hisce autem versiculis includuntur:

Quisque volens Christi condigne corpore vesci,
Sit bene devotus; sit corpore menteque lotus.

ARTICULUS I— Dispositiones in subjecto ex parte corporis.

Dispositiones ex parte corporis sunt mundities, jejunium et compositio.

Q. 1. *Quid de corporis munditie ad suscipiendam Eucharistiam?*

Nota. Quæstio non instituitur de menstruis, lepra alioque naturali morbo maxime perpetuo, morbi enim naturales cum non pertineant ad moralem bonitatem, per se devotionem non impediunt. Hinc quæritur tantum de pollutione et actu conjugali. Hoc posito:

R. 1: Ad pollutionem quod spectat, distinguendum est: vel pollutio paulo ante habita fuit voluntaria; vel non. Si 1, communiter docent teneri qui se polluit saltem sub veniali abstinere se ea die a Communione ob reverentiam, licet sit contritus ac confessus, nisi aliud justa causa exigat, ut Confessario videbitur.— Si 2, casu quo pollutio nullam reliquerit perturbationem, potest communicare; quia externa macula quæ præteriit, ad moralem honestatem non pertinet. Si vero reliquit perturbationem, dicunt communiter esse veniale communicare: nisi vel homo conetur eam quantum in se est repellere; vel aliqua aut necessitatis aut devotionis causa aliud postulet, qua nempe omnis irreverentia tollatur, uti docet Angelicus (2).

R. 2: Ad actum conjugalem quod spectat, dicimus: 1 post Communionem sumptam certum est nullum adesse peccatum in reddendo eadem die; imo est actus virtutis, cum sit debiti solutio. Petere autem aliqui dicunt probabiliter esse veniale, si fiat sine causa: alii communius dicunt nullum esse peccatum; 2 ante Communionem actum conjugalem exercere ob solam voluptatem, et ea die communicare, erit veniale; cum videatur aliqua indecentia. Ita communiter Concina, Lugo, Salmanticenses, Sanchez cum D. Thoma ac D. Gregorio (3). Ab hac tamen levi culpa quævis levis causa excusat, ut recte dicunt Antoine et Sanchez cum aliis: puta Indulgentia lucranda (4). Hic autem sapienter dicunt Layman, Sanchez, Suarez, quod Confes-

(1) *De Syn. Diœc.* l. VII, c. 11. Neque refert, quod jejuni non sint; ad mortem damnati vix abstinere possunt ab aliquo cibo corroborante. Adde ex sensu medicorum eos in prolatione sententiæ febri interna corripi, vehementi animi et sanguinis commotione. *V.* Gousset, *Th.* etc. n. 230.

(2) In 4, d. 9, q. 1, a. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 271.

(3) 3 p. q. 80, a. 7. — *Decr.* part. 2ª, can. 33, q. 4, c. 7.

(4) Si copula fit absque culpa, ut ad procreandam sobolem, tunc quamvis sit congruum ad aliam diem communicare; nulla tamen obligatio est. Quia cum procreatio sobolis sit actus honestus, satis reparat indecentiam: commune est cum D. Thoma.

sarius mulieri interroganti quid agere debeat, si in die Communionis vir debitum petat, respondeat ei, quæ frequenter communicat, ut reddat et communicet; ne exponatur periculo peccandi contra justitiam vel charitatem. Si vero pœnitens non tam frequenter accedit ad Eucharistiam, v. g. præcipuis tantum solemnitatibus, illi suadeat, ut precibus (non tamen nimis importunis) compartem roget, ut velit se abstinere in honorem Ss. Communionis: si nolit, poterit reddere et communicare, nisi ex redditione patiatur insolitam distractionem, quam nequeat facile repellere.

Q. 2. *Quid de jejunio in Eucharistiæ susceptione?*

R. Communicaturo sub gravi præceptum est jejunium naturale a medio noctis illius diei, quo communicat. Non tamen de jure divino, cum Christus Apostolis eam non jejunis distribuerit; sed jure apostolico, ut censet Augustinus (1): quod in pluribus Conciliis firmatum habemus. Hoc autem præceptum non admittit parvitatem neque *ex parte temporis:* unde cum primo ictu horologii media nox sit expleta, qui aliquid sumit post primum ictum (licet ante ultimum), non amplius potest communicare; nam verificatur illum non esse amplius jejunum (2). Neque *ex parte rei:* unde si quis vel minimum sumpserit, quamvis per modum medicinæ, sub gravi prohibetur communicare, ut ait Rubrica Missalis. Et congruenter ex Angelico factum est, ut nihil in nobis intret ante Christum, tum ob reverentiam, tum ad indicandum quod Christus primum debet locum habere in cordibus nostris (3).— Cæterum ad jejunium frangendum ex communi tria requiruntur:

1. Ut quod sumitur, *sumatur ab extrinseco;* quod enim sumitur intrinsecus, non reputatur trajici per modum cibi. Hinc deglutiens sanguinem e capite fluentem vel gingivis non solvit jejunium. Secus si sanguinem sugeret ex digito: sicut frangeret qui noctu, immisso saccharo in ore, adhuc aliquid trajiceret post mediam noctem; esset enim continuata comestio. Item frangeret jejunium qui lavando os, vel degustando jusculum, aliquam guttulam cum saliva voluntarie trajiciat; non autem frangeret, ut dicunt

(1) Ep. 54 ad Januar. — Qui dubitat, an post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, aut in ipso die aliquid deglutierit, si inquirendo non possit resolvere dubium, communicare potest; quia non constat de violato jejunio, proinde non constat esse prohibitam Communionem in tali casu; factum enim violati jejunii esset probandum, ut invocetur lex prohibens Eucharistiam non jejuno. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 282.

(2) Inter plura horologia dissonantia ajunt communissime Croix, Merati, etc. licere ultimum sequi, si de errore non constet; nec horologium sit tale ut plurimum erret. Nec refert, quod hodie, causa viarum ferrearum pluribus in locis horologia *tempori medio* (ut ajunt), accomodata sint juxta meridianum loci præcipui, adeo ut non omnimode respondeant ubique *tempori vero;* iis enim in locis hæc est regula ordinaria mensurandi tempus (merito inducta, ne currus viæ ferreæ e loco diverso, diverso et ignoto temporis momento semoventes, mutuo sese impellant et confrigantur, quin casus possit præcaveri). Adde esse ferme impossibile, ut habeatur ratio *dissonantiæ*, quæ parva est ac semper mutabilis: hinc confusio et anxietates, si hoc esset attendendum.

(3) S. Thomas, 3 p. q. 80, a. 8. — *V.* Liguori, *Opera Dogm. contro gli eretici*, sess. 22, n. 33; et *Opus Mor.* l. VI, n. 289 ait: non refert, quod quis post comestionem vel potionem non dormierit, vel non sit digestus; *refert autem* (ait S. Thomas) *quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter indigestionem aut insomnietatem, ex quibus si mens multum perturbetur, homo ineptus fit ad sumptionem hujus Sacramenti.* Hoc tamen puto non procedere, si vigilia vel indigestio provenerit ex causa naturali, aut rationabili et honesta, nec si homo conetur turbationem illam repellere, faciens quantum in se est, ut devote accedat.

omnes cum s. Thoma, si prædictæ guttæ casu trajiciantur, quæ tamen non sint in magna quantitate; nam neque sumuntur per modum potus, et cum salivæ commixtæ sint, vitari non possunt.—Quoad *reliquias* vero *cibi* in ore relictas, dubium est, an jejunium frangat qui eas voluntarie deglutit: negant probabiliter Quarti, Suarez, Elbel et videtur ipsis cohærere Rubrica, dum dicit: *si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem; cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ.* Alii tamen communius cum Laymano, Roncaglia, Tournely et D. Thoma (1) affirmant: hæc sententia videtur probabilior. Sed quia non nimis scrupulose in hoc incedendum est, ideo libenter dicimus cum Lugo ac Benedicto XIV (2), quod reliquiæ a dentibus avulsæ, quæ supra linguam sentiuntur, debent expui; sed non adest obligatio diligentiam adhibendi eas e dentibus scalpendi; dum hæc nimis esset scrupulis obnoxia, et tunc si deglutiantur, erit per modum salivæ.

2. Ut quod sumitur, *sumatur per modum comestionis* vel *potionis;* quia juxta communem hominum sensum hoc modo tantum jejunium frangitur. Hinc illud non solvit fumus ciborum aut similis; quia hic sumitur per modum attractionis. Idem valet, siquis pulverem, vel etiam ex accidenti pluviam, nivem, muscam deglutiret; quia talis actio non est comestio, sed respiratio: at si hoc fieret ex proposito in re, quæ rationem habet alimenti, esset vera et voluntaria deglutio.

3. Ut quod sumitur, *habeat rationem cibi* vel *potus;* secus non esset comestio, nec potatio. Hinc non solvitur jejunium, si edantur res omnino indigestibiles, ut capilli, ungues, metallum, fila ex lana, ossicula fructuum omnino depurata; quia hæc non habent rationem cibi. Secus esset, si res sint digestibiles, quæ a stomacho alterari et in substantiam hominis converti possint, ut carta, palea, filum ex lino, pulvis medicinalis; vel cera, quæ fere semper aliquid mellis retinet; item arborum folia, etc.

Quæres: *quid sentiendum de usu tabaci?*—Olim stricte prohibebatur tabaci usus tum ante Communionem, tum ante Missam; sed aliter hodie se habet usus. Unde commune est nunc licere: 1 tabacum per nasum sumere, licet aliquid illius in stomachum descendat; non enim sumitur per modum comestionis; 2 fumum tabaci ore haurire; quia fumus non est cibus, nec potus, neque hoc modo sumitur. Saltem id licet ex usu cohonestante, utait Benedictus XIV (3); 3 tabacum masticare, semper ac foras expuatur succus; nihil enim in stomachum trajicitur, vel nonnisi præter intentionem: numquam autem per modum cibi id fit, sed per modum salivæ. Non tamen negandum id esse indecens: ideoque veniale, si fiat sine causa.

Q. 3. *An sint causæ a jejunio excusantes in Communione?*

R. Cum jejunii præceptum in Communione servandum naturale non sit, sed positivum et ecclesiasticum, certum est posse interdum non obligare, gravi nempe causa accedente; quia lex positiva non obligat tam stricte, ut numquam cesset. Tales autem causæ, ob quas quis potest communicare non

(1) 3 p. q. 80, a. 8, ad 4.
(2) *De Sacr. Missæ*, l. III, c. 12. — *V.* Liguori *Hom. Apost.* tr. XV, n. 36.
(3) *De Syn.* etc. l. VI, c. 13; et *De Sacr. Missæ*, l. III, c. 9.

jejunus (si non possit jejunus), sunt:—1 *periculum mortis*, ex quacumque causa proveniat sive ex morbo naturali; sive ex judicis sententia; sive etiam ex malitia hominis, puta si gravissimo mortis metu obligetur quis ad celebrandum non jejunus, non quidem in contemptum, sed quia omnino aliqui volunt audire Missam; nam lex positiva non obligat cum tanto incommodo; —2 *periculum profanationis:* ut si periculum sit, ne Eucharistia male tractetur, v. g. ab hæreticis, vel impiis, si non sumatur. Alioquin lex jejunii in illius reverentiam inducta cederet in illius profanationem: et tunc potest sumi etiam ab eo, qui jam communicavit in eadem die, ut patet;—3 *periculum scandali*, vel *gravis infamiæ:* esset v. g. si Sacerdos jam Missam inchoaturus recordaretur, se non esse jejunum (quod tamen ab aliis ignoratur), et debeat celebrare in publico coram populo; neque causam innoxiam allegare possit; sed timeantur obmurmurationes, suspiciones, irrisiones, temeraria judicia ideoque vera scandala, si non celebret (1);—4 *necessitas perficiendi Sacrificii;* cum hæc necessitas sit de jure divino. Hinc si Sacerdos, consecrata hostia, moriatur, ab altero licet non jejuno et etiamsi jam celebraverit, est perficienda Missa: *nec aliquid per hoc derogatur unitati Sacramenti; quia omnes unum sumus in Christo propter fidei unitatem*, prout ait S. Thomas (2);—5 *unio moralis ejusdem Sacrificii.* Evenit quando Sacerdos post Missam reperit fragmenta a se consecrata: ea sumere debet etiam in sacrario, modo vestibus sacris adhuc sit indutus; quia id habetur veluti complementum Sacrificii. Si vero jam vestibus sit exutus, vel si fragmenta sint diversi Sacrificii, vel hostia relicta sit integra, tunc tantum ea sumat, si nequeunt reverenter servari (3);—6 *dispensatio romani Pontificis*, qui merito hac potestate potest uti et usus est, ut observat Benedictus XIV; Pontifex enim *omnia jura in scrinio pectoris sui censetur habere* (4).

Quid (dices) *si infirmi morbus sit diuturnus, nec tamen periculosus; darine potest ei Communio etiam non jejuno, si sine cibo aut potu stare omnino non possit?*—R. In hoc singulari casu (de quo tacet Alphonsus noster) conveniunt non licere Communionem dare, si frequentius fieret per annum; tum quia esset contra praxim et piorum sensum; tum quia illusorium tunc redderetur Ecclesiæ præceptum de jejunio servando. An autem aliquando id liceat in anno, v. g. semel, bis vel ter, diversi diversa opinantur: alii absolu-

(1) Ait Luzerne, *Istruz. sopra il Rit. di Langres:* «Es muy difícil que la interrupcion de una Misa no cause escándalo y no dé lugar á concebir sospechas poco favorables, aunque mal fundadas. Siempre debe temerse el escandalo, á menos que el celebrante sea de tan conocida santidad que goze de la confianza y afecto de sus parroquianos. Puede sentarse como regla general, que el sacerdote que ha empezado la Misa sin estar en ayunas puede continuarla, aunque no esté en la consagracion. Por las mismas razones digo lo mismo si el sacerdote está en el altar para celebrar, y aun si está en la sacristía estando ya el pueblo reunido aguardando la Misa.»—Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 289.—Gousset, Gury.

(2) In 4, d. 8, q. 2, a. 4.—Communissimum autem ac probabilius est contra Concinam, Sacerdoti non jejuno non licere ad Viaticum aliis administrandum celebrare; tum quia contra stat praxis; tum quia hoc Viatici præceptum non obligat, si rite non potest Communio dari. Excipiunt recte si infirmus absolute eo Sacramento indigeret: ita Layman, Viva aliique.

(3) Pariter licet ad deglutienda fragmenta sumere ablutionem; quia licet potus trajiciatur ante, tamen talis sumptio censetur moraliter una. Ita Rubrica ac Benedictus XIV.

(4) *Sect.* Dec. l. I, t. 1, *de Constitutionibus*, c. 1.

te affirmant cum Elbel (qui citat Busembaum, Bonacinam et Dianam, qui tamen de hac re nihil habent), si talis fidelis solebat frequenter communicare, et nunc vehementer communicari optaret; non est enim verosimile piam matrem Ecclesiam velle ipsum tanto auxilio destitui.—Alii id permittunt tantum in Paschate ad præcepto satisfaciendum, non vero si ex devotione fiat: id eruunt ex Rituali romano, quod tradit posse Viaticum morituris dari non jejunis; *cæteris autem infirmis qui ob devotionem in ægritudine se communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum* (de Sacr. Eucharist.): ubi mentio tantum fit de Communione ex devotione, non ex præcepto suscepta.—Alii cum Bouvier et Alasia absolute negant etiam pro Paschate Communionem dari posse, nam lex jejunii strictissima est, ad Sacramenti reverentiam inducta; et hoc ideo magis, quia communiter auctores quoad infirmos ab hac lege excludunt tantummodo casum morbi periculosi. Neque obstat præceptum divinum ab Ecclesia determinatum, Paschatis adimplendi: quando enim non potest consuli reverentiæ Sacramenti, præceptum cessat: idque maxime quia non agitur de Sacramento absolutæ necessitatis.—Tandem Gury in hac re concludit, spectandam esse locorum consuetudinem; et ipsi videtur ratio sufficiens in tali casu, si Eucharistia post mediam noctem infirmo jejuno administretur, saltem ad præceptum paschale adimplendum: quod tamen alii negant, quia ratio sufficiens Eucharistiam deferendi non solemniter est tantum periculum extremum; secus esset contra reverentiam ipsi debitam. Poterit tamen semper administrari summo mane, idque maxime in montanis regionibus, ubi illarum incolæ solent e strato surgere, vix ac ne vix quidem facta die (1).

Olim non licebat usque ad horam sextam sive bibere sive edere post Communionem: quod præceptum hodie abrogatum est. Attamen ex decentia sub veniali aliqua mora servanda est post sumptionem tanti Sacramenti ad alios cibos sumendos, ex Croix saltem ad quadrantem: excipe rationabilem causam.—Item per se non est illicitum expuere post Communionem, modo nullum particulæ fragmentum in ore remanserit: nullum enim est periculum irreverentiæ erga sacras species; nam via per quam sputa ejiciuntur, non est æsophagus, seu via cibi et potus; sed est via respirationis. Attamen congruum est, ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab expuendo sese abstineant (2).

(1) Scarpazza ex rigidioribus, relata opinione Elbel, ait: « Cuan reprobable sea esta opinion consta de lo claro y esplícita que está la ley de la Iglesia acerca el ayuno y de la unica escepcion hecha en favor de los que están en peligro de muerte. Se asegura pues sin fundamento, que es verosimil que la Iglesia no exige el ayuno en el caso propuesto; porque si en tales circunstancias se hubiese debido hacer una escepcion, la hubiera hecho. Iluminada como es por el Espíritu Santo sabe bien que no solo con los Sacramentos, sino con el solo deseo, se pueden recibir los dones del Señor. Es, pues, mas regular decir que Ella quiere, que los enfermos que no pueden estar en ayunas deban merecer la gracia con sus votos ó deseos, que interpretar por su silencio que les dispensa del ayuno. Por otra parte no toca á los súbditos interpretar las leyes, sino al mismo legislador. Si la persona devota no está contenta con ofrecer al Señor los deseos de su corazon y sufrir con paciencia no poder recibir á Jesucristo, acuda al Gefe de la Iglesia, pídale dispensa de la ley, y si hay graves motivos no dejará de concedérsela, como la concedió benignamente Benedicto XIV al príncipe Estuardo. » (Casistica, *Dizionario teorico-pratico* ecc. t. IV, V. Comunione per Viatico.)

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 283 et 284.

Q. 4. *In quo sistit compositio corporis in Eucharistia sumenda?*

R. Compositio corporis in Eucharistiæ sumptione consistit in eo, quod nihil communicandus in oculis, vultu, incessu atque vestitu præseferat, quod eos dedeceat, quibus dictum est: *glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1). Hinc mulieres graviter monet S. Carolus, ut modeste accedant, pectore cooperto atque sine vano ornatu: et si quæ nimis esset immodesta, ei Communio denegetur. Hinc Sacerdotes more laicorum communicantes vult Rituale, ut stola sint induti: quod tamen omittere commune est, veniale tantum esse; tum quia res non est admodum gravis; tum quia non est sub gravi præcepta. Præstat vero, ut alii clerici dum communicant, cotta sint induti. Demum quoad militares congruum est, ut arma deponant, si excipias milites sancti Joannis Hierosolymitani, qui nempe hoc signo utuntur ad Religionis defensionem (2).

ARTICULUS II—Dispositiones ex parte animæ.

Q. 1. *Quænam dispositiones requiruntur ex parte animæ ad salutarem Eucharistiæ sumptionem?*

R. Solam fidem non esse sufficientem præparationem ad Eucharistiæ sumptionem definivit Tridentinum contra Calvinum et Lutherum (3): utique fides requiritur, imo ad percipiendam uberiori cum fructu sacram Synaxim exigitur et viva fides et firma spes et ardens desiderium.

Sed alia quoque prærequiruntur, ac: 1 immunitas a censura, cum hæc spiritualibus bonis privet (4); 2 immunitas a mortali: *qui enim manducat et bibit indigne*, Apostolo dicente, *judicium sibi manducat et bibit,* id est suam condemnationem (5). Unde clamabat Augustinus: *innocentiam ad altare portate* (6): innocentia, seu immunitas a culpa mortali, est illa vestis nuptialis juxta Ss. Patres, quam qui non habet in hoc convivio, ligatis manibus et pedibus mittitur in tenebras exteriores; 3 Sacramentalis confessio et absolutio in eo, qui sibi mortalis conscius est, ita ut nunc neque ei sufficiat contritionem perfectam elicere: excipe nisi urgeat necessitas communicandi vel celebrandi, et simul desit Confessarius. *Communicare volenti*, ait Tridentinu, *revocandum est in memoriam præceptum:* probet se ipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessarii. Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur* (7). Communis porro et vera sententia docet, tale præceptum præmittendi Confessionem non esse tantum

(1) I Cor. 6. (2) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XCIX. (3) Sess. 13, can. 11.

(4) Quamquam si necessitas urgeat ad scandalum vitandum, neque adsit qui a censura absolvat, communicare liceat; cum hæc prohibitio sit tantum juris ecclesiastici.

(5) I Cor. 11. (6) Tract. XXIV in Joann.

(7) Sess. 13. cap. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 256; et *Homo Ap.* tr. XII, n. 23.

ecclesiasticum sed etiam divinum; nam Apostolus testatur in sua Epistola, se illud accepisse a Domino: consuetudoa utem Ecclesiastica illud declaravit, non introduxit.

Diximus 1: *qui sibi mortalis conscius est:* qui enim dubius est, an mortale commiserit, v. g. an adhæserit pravæ cogitationi, etiam quin confiteatur, rigorose loquendo potest celebrare et communicare, quia revera non est sibi conscius mortalis: attamen tenetur ad contritionem, ne se periculo exponat frustrandi effectum Sacramenti. Imo in praxi omnino est suadenda etiam ipsa Confessio; cum ordinarie id prosit ad conscientiæ traquillitatem (1).

Diximus 2: *nisi urgeat necessitas communicandi vel celebrandi:* quæ necessitas debet esse gravis, ut a gravi præcepto excuset. Unde per se non sufficeret celebritas festi, onus Missæ dicendæ ex beneficio, magna devotio, Indulgentia lucranda, Sacerdotis paupertas (nisi esset valde gravis) qui eleemosyna indiget (2).—Esset autem gravis necessitas, si Communio vel celebratio omitti non posset sine scandalo vel infamiæ nota, ut si Sacerdos jam populum convocaverit, et sub nullo prætextu suspendere possit celebrationem: idem est de eo, qui in communicantium scamno jam reperiretur, nec discedere possit quin ab aliis notetur. Item esset, si allato Viatico ad infirmum, tempus non suppeteret ad complendam Confessionem de mortalibus absque periculo mortis vel infamiæ: tunc audito aliquo peccato, Sacerdos debet moribundum absolvere, imponendo ei ut dein integre confiteatur, et tunc ipsum communicet. «La necesidad urgente subsiste todavía, *ait Gousset*, cuando el Cura ó el Vicario ha de decir Misa, ya por ser domingo ó dia de precepto, ó por ser una fiesta de devocion que quieren santificar los fieles oyendo Misa; ó bien cuando urge consagrar hostias para comulgar á un enfermo, ó si se trata de celebrar un matrimonio y quieren las partes y sus padres oir la Misa; de hacer un oficio fúnebre á la cual desea asistir la familia del difunto, á menos que se consienta que se difiera la celebracion de la Misa. Se supone siempre en el caso que no pueda confesarse ni hacerse suplir por un Vicario ú otro Sacerdote:» tunc sufficit conteri.

Diximus 3: *et simul desit Confessarius.* Copia Confessarii non censetur deesse, quia Confessarius ordinarius est absens, vel quia Confessarius præsens est junior, notior, non doctus. Censetur vero deesse, si adiri non possit absque magna difficultate, habita ratione itineris, salutis, ætatis, temporis brevitatis, etc.: vel adsit quidem; sed sit jurisdictione privatus, aut non approbatus pro eo loco, aut si Confessionem audire recuset: item est si Confessarius sit penitus ignarus idiomatis pœnitentis, qui etsi possit apud eumdem signis manifestare peccati sui dolorem, non ideo tamen tenetur; cum in præsentiarum vera peccati Confessio præscripta sit. «Se considera que no hay confesor, *iterum Gousset*, cuando no puede confesarse con uno de sus con-sacerdotes que está presente, sin causar á sí mismo, á este sacerdote ó á

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 432 et 475; et *Homo Ap.* tract. xv, n. 34.

(2) Si Sacerdos existens in mortali non posset audire Missam de præcepto, nisi celebret, adhuc tenetur Sacrum omittere sine copia Confessarii; quia præceptum Confessionis est divinum; auditionis Missæ, ecclesiasticum. Si vero agatur de satisfaciendo præcepto annuæ Communionis, disputant, nam tunc duo habemus præcepta divina.

un tercero un daño considerable; así por ejemplo, no está obligado á confesarse cuando no tiene mas que un sacerdote, por el cual se siente una repugnancia mas ó menos legítima pero invencible, si con verdad ó sin ella se tiene á este sacerdote como indiscreto y sospechoso (hasta cierto punto) en orden al secreto de la confesion. Finalmente se está dispensado de confesarse sino se encuentra mas que á un sacerdote privado de jurisdiccion, ya sea que sus licencias hayan concluido, ya sea que no tenga facultad para absolver del caso en el cual el penitente ha tenido la desgracia de caer.» Unde tunc celebraturus vel communicaturus, si sola reservata habeat, nec aliis culpis mortalibus teneatur, satis est ut conteratur: attamen, si advertat se non habere nisi attritionem tunc tenetur confiteri aliquod veniale aut mortale jam remissum, ut a reservatis, saltem indirecte, absolvatur et ita in gratia communicet. Quod si una cum mortalibus reservatis, alia mortalia non reservata habeat, tunc communissimum est ac probabilius quod pœnitens tenetur ad Confessionem; ratio quia cum urgeat præceptum divinum Confessionem præmittendi Communioni vel celebrationi, debet fieri confessio saltem formaliter integra, si non possit fieri materialiter. Utrum autem eo in casu pœnitens teneatur confiteri etiam reservata simul cum non reservatis, alii affirmant, alioquin non satis cognosceretur totus status pœnitentis: alii negant forte probabilius; nam quantum ad reservata Confessarius nequit esse judex (nisi agatur de recidivo vel occasionario, ut de ejus dispositione valeat judicare). Et tunc Confessarii absolutio indirecte caderet in reservata, in non reservata autem directe (1).

Diximus 4: *si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, tenetur confiteri quamprimum:* hoc ultimum a Tridentino præceptum est, et quidem communissime et satis probabiliter pro solis Sacerdotibus; tum quia in hac parte Concilium solos Sacerdotes nominat; tum quia cum Sacerdotes frequentissime celebrent, in ipsis facilius occurrit, quam in laicis, necessitas communicandi absque Confessione: igitur ne ad id assuescant, præceptum *quamprimum* confitendi recte eis impositum est (2).

Illud *quamprimum* rigorosum et grave præceptum continet, et ideo Confessio differri non licet: hinc Alexander VII damnavit has propositiones: 1.° *mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortale, confitendi* quamprimum, *est consilium, non præceptum;* 2.° *illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Per illud autem commune est, ac receptum triduum intelligi, nam ex jure *statim fieri dicitur quod intra triduum fit* (3): et Croix affert hac de re

(1) Qui habet excommunicationem reservatam, nec adsit qui ab ea possit eum absolvere, et urgeat necessitas sacrificandi, vel communicandi, conterat, et communicet vel celebret. Si tamen Confessarius adest, ei confiteri debet, etsi hic non habeat facultatem super excommunicationem, ut probabilius dicunt; ut enim recte probant Suarez, Lugo, etc. valide potest quis absolvi a peccato, non præmissa absolutione a censura.

(2) Unde infertur: si Sacerdos communicet more laicorum in necessitate sine Confessione, non teneretur statim confiteri. Secus vero (ut dicunt) si deberet complere casu sacrificium ab alio incœptum; vel si officium perageret in Parasceve, quia etsi tunc non diceret proprie Missam, dicitur tamen simpliciter celebrare ex Rubrica.

(3) Lege *fin.* cod. *de judiciis.* Verius autem et communissime dicunt: præceptum Confessionis non

declarationem S. C. Congregationis. Potest tamen contingere, quod Sacerdos ille teneatur confiteri eadem die et forte eadem hora, uti si tunc Confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit ; vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec possit cras confiteri *(O)*.

Quid (dices) *de illo, qui post Confessionem rite peractam, recordatur alicujus mortalis ex inculpabili oblivione non declarati : teneturne illud confiteri antequam communicet?* — Affirmant communius ; cum mortalis vere ille sit conscius, neque illud sit confessus : et talis est praxis fidelium. Attamen plurimi recentiores cum Collet, Gousset, Gury, et Pontas contrarium docent quoad illum, qui universali peccatorum suorum dolore confessus est : quod quidem nobis videtur omnino rationi consentaneum ; nam qui bona fide est confessus, vi Sacramenti justificatus est ; et ideo sufficienter se probavit. Neque potest dici conscius peccati mortalis : cum illud jam remissum sit, solaque maneat obligatio illud clavibus Ecclesiæ subjiciendi. Praxis autem quæ opponitur, est laudabilis usus suadendus (quem pariter et nos, præcisis circumstantiis, quammaxime suadendum putamus), non obligationis certa norma.

Corollarium. — *De Communione sub utraque specie, de Communione frequenti ac spirituali.*

Q. 1. *An Communio sub utraque specie sit necessario sumenda ?*

R. Labente sæculo XIV Petrus Dresdensis, coadjuvante Jacobello Misnensi, usum calicis (jam obsoletum) uti necessarium jure divino pro omnibus resuscitavit : horum partes susceperunt Hussitæ, ideo dicti etiam *Calixtini ;* quos omnes damnavit Concilium Constantiense. Errorem autem a Luthero et Calvino instauratum ultimo proscripsit Tridentinum : *siquis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christifideles utramque speciem Ss. Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit* (1). Id eruitur ex Scripturis, ubi colligitur alterutram speciem totam tribuere virtutem ; dicitur enim *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem* etc. (2). Firmatur tandem ex traditione ; nam per tredecim priora sæcula, quibus viguit contraria disciplina, sæpe sub una tantum specie Communio tribuebatur, uti infirmis, pueris, domi persecutionis tempore communicantibus, etc. Hoc ex historia ecclesiastica pluribus probant Billuart ac Perrone (3).

Neque dicas : *qui solum panem sumit, dimidiam cœnam sumit ; ideo habebit dimidium tantum fructum.* — R. De fide est a Tridentino definitum, *totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis*

respicit Sacerdotes sacrilege celebrantes cum conscientia peccati et copia Confessarii ; nam præceptum eos tantum respicit, qui in peccato, sed necessitate urgente, ideoque sine culpa, elicita contritione celebrant, ne scilicet sub prætextu, quod jam sint in gratia constituti per contritionem, confiteri differant. Non ergo respicit sacrilegos, quibus illud præceptum ecclesiasticum non est profuturum ; cum jam contemnant divinum præceptum non celebrandi in mortali. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 266.

(1) Sess. 21, can. 1. (2) I Cor. 11.

(3) *V.* Klee, *Storia de' dogmi.* Ex pluribus unum sit : constat ex S. Leone (*serm.* 4 *de quadr.*)

specie sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt (1); atque ideo convivii significatio si non adeo expressa, habetur tamen sufficiens in unico symbolo. Imo etsi non de fide, commune tamen est, per se majorem substantialiter gratiam ad salutem necessariam non produci per Communionem sub utraque specie; gratia enim non producitur ratione specierum, quæ sunt mera symbola, sed ratione rei sub ipsis contentæ; atqui res sub unaquaque specie contenta est semper eadem, nempe Christus totus et integer (2). —Non tamen negamus, quod maxime ratione fervoris in sumptione alterius speciei augmentum gratiæ obtineatur; sed per accidens, non substantialiter, quasi aliquid in se majus entitative suscipiatur (3).

Addes: Christus Communionem sub utraque specie præcepit iis verbis: *nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (4). — R. Christus hic inculcavit necessitatem Eucharistiæ quoad rem sumendam, non vero quoad modum sumendi; et talis erat ejus scopus. Audiatur Tridentinum (5): «qui dixit: *Nisi manducaveritis* etc., dixit quoque: *siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit: *qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam: *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo,* dixit nihilominus: *qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*» Ergo Christus, in prædicto textu, non modum sumendi Eucharistiam, sed tantum rem ipsam præcipit.

Ecclesia autem convenienter usum calicis interdixit, ut notat Catechismus romanus (6): 1 fuit ad profligandos tum illos, qui eos damnabant sacrilegii qui sub una tantum specie communicabant; tum illos, qui negabant sub qualibet specie totum contineri Christum; 2 fuit periculum effusionis sanguinis, in tanta nempe fidelium quotidie crescentium multitudine; 3 fuit Communio infirmorum, quibus videlicet qualibet hora erat deferendum Viaticum; 4 fuit multitudo abstemiorum, et eorum qui sine nausea vel etiam vomitu nequirent haurire ex calice communi; 5 fuit vini in multis regionibus penuria: porro æquum erat, ut uniformitas servaretur. Hinc Tridentinum: *siquis dixerit sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus*

manichæos diu latuisse Romæ, quamvis in sacra Synaxi unicum symbolum panis sumerent, vini symbolo relicto, a quo ipsi abhorrebant, ita ut necesse fuerit ad illos detegendos omnes indiscriminatim cogere ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie: quod præceptum Gelasius renovavit. Ergo liberum erat fidelibus alterutrum symbolum in publica Communione sumere; alioquin non diu adeo se manichæi contegere potuissent.

(1) Sess. 21, can. 3; et cap. 3.

(2) Neque refert, quod bis sumatur Christus communicando sub utraque specie; nam hæc sumptio semper est in ordine ad unam tantum refectionem.

(3) Hac ratione etiam qui sub una tantum specie communicat plus refert potest illo qui communicat sub utraque. «Sic plus saginatur mulierculæ fervidæ animus octiduana Communione roboratus Sacerdotibus illis tepidis qui dum Christum devotionis inanes quotidie edunt, ab ipso Christo tepiditatis eorum impatiente, sicut Scriptura loquitur, evomuntur. *Idcirco*, ut recte monet abbas Paschasius (I de Corp. et Sang. Domini, c. 17) *cogitandum a vobis est, non quantum dente prematur, sed quantum fide et dilectione accipitur.*» Ita Contensonius.

(4) Joann. 6. (5) Sess. 21, c. 1. (6) *De Euch.* p. 2.

adductam fuisse, ut laicos et etiam Clericos non conficientes sub panis tantum specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit (1).

Q. 2. *Quænam communio potest dici frequens?*

R. Consentiunt omnes Communionis frequentis nomine intelligi quotidianam, et eam quæ plusquam semel vel bis fit in hebdomada. De Communione singulis dominicis peracta quæstio est: hæc nobis, per se loquendo, non videtur habenda uti frequens; multo minus ea, quæ fit singulis quindecim diebus, vel singulis mensibus: quod quidem erudite probat S. Alphonsus (2). Et sane postquam in Ecclesia fidelium plebs numero aucta fuit, sed sanctitate diminuta, id est a sæculo VI, statutum est, *ut fideles omnes singulis dominicis communicarent, nisi criminali peccato et manifesto impedirentur* (3). Primitus enim singulis vel fere singulis diebus communicabant, ut refert Bona (4).

Jam vero si tunc omnibus Communio hebdomadalis erat in præcepto, ac sola immunitas a mortali requirebatur, ea in se præcise frequens non potest dici; neque enim Eucharistia immutata est, ut hodie major, quam ante reverentia eidem tribuenda sit (5).—Hæc igitur ad eam satis sunt: 1 immunitas a mortali, ne sacrilegio anima gravetur; 2 Communionis desiderium, ne cibus iste fastidio habeatur; 3 Confessarii consilium, ut omnis hallucinatio auferatur.

Sed nonne ad Communionem octiduam (dices) *requiritur etiam immunitas a veniali, et a quolibet illius affectu?*—Non sane in nostra sententia: *hortor*, ait S. Antoninus, *ad communicandum omnibus dominicis; sed hoc dico de illis, qui peccatis mortalibus non gravantur.* Et Wigandt viennensis doctor ait: *qui mortalia vitant, semel in hebdomada, et interdum bis, nimirum occurrente festo singulari, communicare possunt.* Id confirmatur ex veteri disciplina, ubi mortali crimine non inquinati semel in hebdomada sub gravi communicare jubebantur: imo apud Græcos sub pœna excommunicationis, ut notat Theodorus archiepiscopus (6). Ratio est, quod venialia (ut communius docent cum Angelico) licet impediant actualem refectionem spiritualis dulcedinis, non impediunt tamen augmentum gratiæ habitualis vel charitatis (7). Adde, ipsam voluntatem recipiendi Eucharistiam quamdam esse venialium virtualem detestationem. Ita docent P. Avila, Blosius, Clericatus, Granata, Salazar, Suarez, Turlot, etc. Unde concludit Scaramelli, hodie ex communi Asceticorum sensu, et Ecclesiæ praxi Communionem octiduam illis omnibus esse concedendam, quibus absolutio conceditur, nisi forte ex peculiari aliqua causa aliud Confessario videatur (8).

(1) Sess. 21, c. 2—Hæc disciplina apud Græcos non fuit aceptata, qui in templis adhuc communicant in fermentato sanguine intincto. — *V.* Benedictus XIV, Constit. *Allatæ* 1745; et *De Syn* etc. l. VI, c. 9. — *V.* Liguori, *Opera Dogmat.* sess. 21, nn. 1 et seqq.

(2) In Opusc. *Risposta apologetica sulla materia della Comunione frequente.*

(3) *Capitular.* l. VI, c. 17.

(4) *Rer. Liturg.* l. II, c. 17.

(5) Si semper fuit reverentia dignissima; et tamen sola immunitas a mortali præcipiebatur ad communicandum singulis hebdomadis, id pro frequentia non habebatur; ad frequentiam enim tanti Sacramenti omnes conveniunt aliquid amplius requiri.

(6) *Spicilegio*, t. IX, c. 12.

(7) 3 p. q. 79, a. 8.

(8) *Direttorio ascetico*, tr. I; a. 10.

Verum (dices) *huic obstat sanctus Franciscus Salesius hac in re facile princeps, qui divi Augustini auctoritate fretus ad communicandum singulis octiduis requirit etiam carentiam affectus cujuslibet ad veniale, et multo magis ipsius venialis* (1).—R. Tempore Augustini exorta fuit quæstio circa convenientiam vel disconvenientiam quotidianæ Communionis. Hinc inde Doctoribus disputantibus, medius surrexit Gennadius quidam ista proferens: *quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo nec vitupero; omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit:* quæ verba retulit Gratianus (2). Porro Salesius Communionem octiduam iis prohibuit, qui affectum ad venialia habent; tum quia illa verba, *si tamen mens in affectu peccandi non sit,* interpretatus est de peccato veniali; tum quia illud testimonium pro certo putavit esse Augustini. Atqui res aliter se habet: 1 ea verba esse tantum intelligenda de affectu ad mortale, est communis opinio. Ita docent S. Antoninus, Tournely, Sotus, Scotus, Dualdus, Frassen, ipse Adrianus VI (3), ipse Angelicus (4): imo et ipsa Glossa in ea verba: ita demum patet ex toto contextu; 2 illud testimonium non est Augustini; licet enim Tractatus *De Ecclesiasticis dogmatibus,* ubi ea verba reperire est, inter opera D. Augustini haberetur; hodie tamen nemo eruditorum est, qui eum non tribuat cuidam Sacerdoti massiliensi nomine *Gennadio.* Corruit ergo tota ratio, qua Salesius fretus est.

Q. 3. *Quid de Communione quotidiana vel frequenti in hebdomada?*

R. Certum est contra Jansenistas (præsertim Arnaldum) Communionem sæpius factam in hebdomada, imo quotidianam, esse optandam exemplo fidelium primitivorum, qui *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis* (5). Id vehementer exoptat Tridentinum (6): quod desiderium explicans Catechismus R. docet esse officium Parochi hortari fideles ad Communionem etiam quotidianam, eos instruendo, quod sicut corpus, ita et anima eget quotidiano alimento, addens id semper fuisse a sanctis PP. et Ecclesia valde probatum. Unde S. Carolus Episcopis suæ Provinciæ injunxit severe puniendos esse Parochos, qui oppositum disseminarent. Hoc demum Episcopis omnibus inculcavit Innocentius XI decretum S. C. C. anno 1679 approbando, ut videlicet in suis subditis hanc alerent devotionem, declarans nihil obstare, quod sint laici, negotiatores aut conjugati. Concludendum ergo cum Basilio M. (7): *singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti Corporis et Sanguinis Christi, bonum est et perutile.* — Quæ frequentia Clericos maxime urget, quorum quidem frequens ministerium erga tantum Sacramentum esse debet; neque enim facile dixeris eos Sacerdotes ex solida devotione quotidie celebraturos esse, si nunc conspicis Clericos sacram mensam fastidire.

(1) Sales, *Filotea*, p. 2ª, c. 20.
(2) C. *Quotidie* 13 de consecr. d. 2.
(3) *De Sacr. Euch.*
(4) 3 p. q. 79, a. 3; et in I ad Cor. 2, 11, lect. 7.
(5) Act. 2.
(6) Sess. 22, c 6. —Hanc veritatem P. Faure plurimis adstruit argumentis: probat enim quod illam frequentiam nobis suadent *hujusce institutionis finis, intentio Christi, primitivorum fidelium praxis, PP. sensus, Episcoporum, Pontificum,* et *Ecclesiæ desiderium, Ascetarum* et *Sanctorum consilium, bonum animarum,* etc. — *V.* Faure, *Le ciel ouvert, par la Confession sincère, et la Communion frequente.* Paris.
(7) Epist. 93 ad Cæsariam Patriciam, *de Communione.*

Q. 4. *Quid de conjugatis circa Communionem frequentem?*

R. Duo in quorumdam sententia conjugatos arcent a Communionis frequentia, tum domus et familiæ cura, tum usus conjugii. Verum ex decreto Innocentii XI ab ea nulla conditio excludit. Et sane quoad 1 attinet, dicimus cum Salesio per se conjuges potius ab hac frequentia vim magnam ac robur percipere ad propria munia accuratius obeunda. Unde tunc tantum est modus imponendus, quando familiæ cura revera passura est damnum, vel si inde familia turbetur (1). Ad 2 respondet Berti (2): *placet mihi admodum regula S. Francisci Salesii, qui docet a proxime communicaturo conjugale debitum non esse petendum; nil vero afferre impedimenti, si ei qui petit, reddatur.* Quod ex eo confirmatur; tum quia redditio debiti est actus virtutis; tum quia primi fideles licet conjugati, quotidie tamen communicabant.

Cæterum cum ex decreto Innocentii XI *Cum ad aures* (quod refert Billuart) judicio Confessariorum frequens ad Eucharistiam accessus sit relinquendus, nonnullas regulas auctoritate probatas hic adnotamus, ut Confessarii prudens judicium ferre valeant hac de re: neque enim una pro omnibus regula esse potest.

1. Quando anima experitur illius beneficio se crescere in divino amore, nec minui reverentiam Sacramenti, non debet abstinere a Communione etiam quotidiana: *unde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare.* Ita D. Thomas (3).

2. Quando anima sentit se maxime ad Communionem inclinari, expedit identidem eam mortificare Communionem differendo, et præsertim si inde turbetur, quod argumentum esset superbiæ. Non ita tamen expedit eam mortificare, si sit in ariditate ac tœdio; ex Sacramento enim vires acquiret: *licet tepide,* ait D. Bonaventura, *tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas* (4).

3. Si Confessarius vult animas valde proficere, curet ut ad sacram Synaxim imparatæ non accedant: et post in gratiarum actione immorentur tempore quo possunt. *Paucissimi sunt directores,* ait S. Alphonsus, *qui sedulo id faciunt; quia paucissimi sunt Sacerdotes, qui post Missam cum J. C. in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet: fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando ac petendo se exerceat* (5). Ajebat S. Theresia: « Despues de la comunion no perdamos tan felices momentos para negociar; no acostumbra Su Divina Majestad pagar mal el hospedaje cuando se hospeda bien.»

(1) Salesius, lib. III, *lit.* 3 scribit: « Cuando podeis comulgar sin cansar á vuestros superiores, hacedlo segun el parecer de vuestro confesor; cuando temeis molestarles contentaos con comulgar espiritualmente; y, creedme, esta mortificacion espiritual, esta privacion de Dios agradará estremadamente á Dios, y entrará en los adentros de vuestro corazon. *Et lit.* 13, por la comunion, si no es á satisfaccion de vuestro marido, no traspaseis los límites que acabamos de establecer... Aquietaos, y comulgad espiritualmente; Dios tomará á buena cuenta la preparacion de vuestro corazon. »

(2) *Theol.* t. III, l. XXXIII, c. 17, a. 1.

(3) In 4 sent. d. 12. q. 3, a. 1.

(4) *De profess. religiosa,* c. 78.

(5) *Praxis Confess.* § 4, n. 156.

4. Tandem placet concludere cum Clericato a Benedicto XIV valde laudato: *nullus est, cui menstrua Communio consuli non possit: pauci quibus Communio hebdomadaria sit prohibenda: paucissimi, quibus quotidiana sit concedenda,* si excipias aliquam peculiarem circumstantiam, puta aliquod Novennarium. Neque obstat, quod Sacerdotes quotidie celebrent, quamvis non ita ferventi ores; nam præterquam quod non excusantur si non conformant mores suos ad tanti Sacramenti dignitatem, alia urget ratio: quod nempe ipsi ex officio constituti sunt mediatores inter Deum et homines, ac Ministri Sacrificii, quod quidem prodest toti Ecclesiæ ex opere operato *(P).*

Q. 5. *Quid de Communione spirituali?*

R. Cum Angelico: *contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus hujus Sacramenti* (Eucharistiæ), *in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum* (1). Hæc Communio valde in deliciis fuit Sanctis, et in Tridentino commendatur (2). Hæc animabus piis valde utilis est; si enim Deus cujuscumque virtutis desiderium præmio afficit, quanto magis desiderium ipsiusmet Dei? Hæc ipsimet Christo est valde grata, quippe qui id miraculis patefecit: unde Confessarii esse debet illam suis pœnitentibus vehementissime insinuare, si velit eos ad perfectionem ducere.

Tribus porro actibus ipsa spiritualis Communio conficitur: 1 est *actus fidei,* quo spiritualiter communicaturus Christum sibi realiter in Eucharistia præsentem exhibeat. Talem actum sequi debent cæteri ad ipsam sacramentalem Communionem requisiti; 2 *actus mentis,* quo se sibi in animo fingat jamjam ad sacram mensam accedere, et hostiam de manu Sacerdotis accipere; 3 *actus gratiarum actionis,* ac si revera hostiam suscepisset. Tali modo Communio spiritualis fieri potest tam domi, quam extra; et quidem sæpius in die; tam ante quam post cibum; tam mane quam sero. Quamquam tempus opportunius sit ipsius Missæ tempus, quo Sacerdos communicat; cum ipsum Sacramentum oculis tunc exhibeatur, ac ardentius proinde corda inflammet (3). Qui tamen est in mortali, patet quod ipsum pœnitere debeat ut etiam utiliter communicet spiritualiter: hinc Tridentinum ad hoc requirit vivam fidem charitate informatam.

CAPUT QUARTUM

DE EUCHARISTIÆ VIRTUTE, SEU EFFECTIBUS.

Q. 1. *Quinam sunt effectus Eucharistiæ?*

R. Unicum vel præcipuum Eucharistiæ effectum peccatorum remissionem esse docuerunt novatores, in Tridentino tamen damnati: *siquis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit* (4). Imo peccatorum remissio per se non est effectus proprius Eucharistiæ; ipsa namque instituta

(1) 3 p. q. 80, a. 2. — Stapf, § 591. (2) Sess. 13, c. 8.

(3) *V.* Scaramelli, *Direttorio Ascetico,* tr. I, n. 441. — Rodriguez, *Esercizio delle perfez.* tratt. XVI, c. 15. (4) Sess. 13, can. 5.

est per modum cibi; at mortuis cibus non datur. Quæ autem contraria citantur documenta, aut de venialium remissione sunt intelligenda : aut si de lethalium accipiantur, non attingunt Eucharistiam nisi prout est Sacrificium propitiatorium ; vel si attingunt Eucharistiam prout Sacramentum, nonnisi per accidens evenit, quod mortalia remittat, prout fere communiter docent cum Angelico: *siquis facta diligenti discussione suæ conscientiæ... ad Corpus Christi accedat, aliquo mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat, imo magis ex vi Sacramenti* (Eucharistiæ) *remissionem consequitur* (1).

Effectus autem Eucharistiæ proprii ac præcipui sunt : — 1 intima fidelium cum Christo capite conjunctio, juxta illud: *qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in eo* (2). Unde Cyrillus hierosolymitanus vocat fideles *concorporeos ac consanguineos Christi ;* — 2 gratiæ sanctificantis augmentum, ut patet ex Tridentino: et liquet ex illis Christi verbis: *Caro mea vere est cibus ;* sicuti ergo cibus corporeus vitam auget animalem, sic Eucharistia vitam spiritualem, quæ in gratia sanctificante sita est (3). Hinc Chrysostomus : *tamquam leones igitur ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles* (4); — 3 actualis dulcedo spiritualis, ut habet Concilium Viennense: *in hoc Sacramento... dulcedo Domini degustatur :* consistit autem hæc suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas, quam qui obicem non ponit, miram sentit; — 4 jus ad gloriam juxta illud Christi (5) : *qui manducat* etc., *habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hinc ab Ecclesia sancta Communio dicitur *pignus gloriæ :* sane qui vivificantem Carnem manducat, vivificatur; — 5 remissio venialium præteritorum, tum directe vires animæ reficiendo; tum indirecte charitatis fervorem venialibus oppositum augendo. Hinc Tridentinum ait, Eucharistiam *esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis* (6). Diximus *præteritorum,* nempe habitu tantum remanentium; nam venialia actu placentia vel in ipsa Communione admissa non dimittuntur : imo potius mensuram charitatis lædunt ex parte, ut docet Angelicus (7) ; — 6 remissio pœnæ temporalis peccato debitæ, sed tantum indirecte, quatenus excitat fervorem charitatis: neque enim Eucharistia uti Sacramentum ad satisfaciendum instituta fuit; — 7 præservatio a peccatis ex eodem Angelico et Tridentino: tum quia roborat contra interiora corruptiva ; tum quia munit contra exteriores impugnationes (8).

(1) In 4, d. 9, q. 1, a. 3. (2) Joann. 6.

(3) Sess. 13, c. 2. — Cum autem per modum cibi Eucharistia sit instituta ; ideo ut gratiam producat, necesse est ut manducetur, id est ut ex gutture in stomachum trajiciatur. Unde qui eam retinet in ore usquedum corrumpatur, gratiam Sacramenti non recipit.

Probabilius autem est in manducatione primæ partis speciei gratiam produci, cum jam sit totum Sacramentum. Item valde probabile est gratiam augeri, quamdiu Eucharistia in corpore manet, majori dispositione accedente, quia est ad modum cibi instituta, qui quamdiu manet in stomacho sano, nutrit : ita Gonet, Mastrius, Tournely, etc. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tract. xv, n. 6 ; et *Opus Mor.* l. VI, n. 227. (4) Hom. 46 in Joann.

(5) Joann. 6. (6) Sess. 13, c. 2. (7) 3 p. q. 79, a. 8.

(8) Alios effectus habet Eucharistia erga corpus, ut tenent Lugo, Suarez, Salmanticenses, etc. nempe vim diminuendi fomitem concupiscentiæ, excitandi bonas imaginationes, corpus sanctificandi, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 269.

Q. 2. *An Eucharistia prosit etiam non sumentibus?*

R. Si accipiatur in ratione Sacrificii, utique Eucharistia prodest etiam eam non sumentibus : quia sacrificium etiam pro aliis offertur. At in ratione Sacramenti ex opere operato aliis non prodest; nam sumitur ut cibus, qui ex se soli sumenti proficuus est. Attamen ex opere operantis tam vivis quam defunctis prodesse potest, ratione scilicet Communionis omnium membrorum inter se, vi cujus opera nostra in charitate facta aliis applicare possumus et prosunt (1).

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

CAPUT PRIMUM

DE SACRIFICII EUCHARISTICI NATURA ET MINISTRO.

Q. 1. *Quid est Sacrificium* (2)?

R. Sacrificium sic dictum *a sacro faciendo*, si late sumatur, est omne opus bonum, quod in gloriam Dei suscipitur. Hoc sensu dicitur : *immola Deo Sacrificium laudis : Sacrificium Deo spiritus contribulatus : sacrificate Sacrificium justitiæ*, etc. (3): et hac etiam ratione omnes fideles bonis operibus gloriam Deo exhibentes Sacerdotes appellantur a D. Petro iis verbis : *vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta* (4). Sed si proprie accipiatur Sacrificium, definitur : *oblatio rei sensibilis facta soli Deo per ministrum legitimum cum aliqua destructione vel immutatione, ad testandum videlicet supremum dominium Dei ipsius in omnes creaturas.*

Dicitur : 1 *oblatio*, quæ vox locum tenet generis : sic enim Sacrificium convenit cum aliis oblationibus, v. g. decimarum ; 2 *rei sensibilis*, ut distinguatur ab ea, quæ tantum corde fit : atque etiam ut sit simul vinculum Religionis, quæ sensibus patet ; 3 *soli Deo*, cum enim sit eminentior actus Religionis, non debet nisi Deo convenire : hinc Augustinus de altaribus in Martyrum memoria erectis, ait *quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit* (5); 4 *per ministrum legitimum;* est enim actus publici cultus, qui proinde exigit personas specialiter deputatas juxta illud : *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (6); 5 *cum aliqua destructione*, vel *immutatione,* id est vel effusione sanguinis aut mactatione, si res animata sit, vel partium divisione aut adustione, si res sit inanimata : sic enim per-

(1) Hinc S. Ind. C. sub Alexandro VIII damnavit librum Theophili Renaudi, qui morem pro defunctis communicandi impugnabat.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 304 et seqq. Et *Opera Dogm.* sess. 22.

(3) Ps. 6, 49 et 50.

(4) Ep. c. 11.

(5) Contra Faust. c. 21.

(6) Hebr. 5.

fecte indicamus dominium universale et absolutum supremi Numinis, cujus est res omnes condere ac destruere. Attamen ajunt non necessario requiri rei oblatæ immutationem ad Sacrificii essentiam, si Sacrificium sit commemorativum alterius; tunc satis est quod vere ipsum repræsentet; 6 *ad testandum* etc., quæ verba finem primarium hujus actus indicant; scriptum est enim : *soli Deo honor et gloria* (1). Et ita Sacrificium a Sacramento distinguitur; hoc enim principaliter dirigitur ad hominis sanctificationem; illud autem ad Dei gloriam.

Multiplex autem Sacrificium distingui potest :—1 ratione materiæ : aliud in veteri Lege dicebatur *victima* seu *hostia*, et erat sacrificium, quo Deo animalia offerebantur. Aliud *immolatio*, cum nempe offerebantur res inanimes, sed solidæ, ut fruges terræ. Aliud *libamen*, cum offerebantur liquida ;—2 ratione modi : aliud dicebatur *holocaustum*, et erat quando res oblata tota comburebatur. Aliud *hostia pacifica*, cum nempe una pars comburebatur; altera cedebat in usum Sacerdotum; et tertia in usum offerentium. Aliud *hostia pro peccato*, cum scilicet una pars in honorem Dei comburebatur; et alia cedebat in usum eorum Sacerdotum, qui in atrio templi vescebantur ;—3 ratione finis : vel *latreuticum* est, si totum in Dei honorem exhibeatur : vel *eucharisticum*, si in gratiarum actionem offeratur: vel *impetratorium*, si ad nova obtinenda beneficia destinetur : vel *propitiatorium*, si ad Deo satisfaciendum pro peccatis fiat;—4 ratione significationis: aliud est *absolutum*, nempe quod tale per se est absque relatione ad alterum, nec est alterius commemoratio, ut mactatio pecudis : tale fuit Christi sacrificium in ara crucis : aliud *relativum* seu *commemorativum*, quod videlicet non est sacrificium nisi virtute alterius, ad quod refertur, cujus est commemoratio seu repræsentatio; tale est Missæ sacrificium, quod ad sacrificium crucis refertur, cujus commemorationem, seu repræsentationem exhibet per duarum specierum consecrationem, seu mysticam immolationem.

De natura veræ Religionis est, ut quoddam sacrificiorum genus offeratur Deo: *nam ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitæ subjectionis et honoris* (2). Hinc sacrificiorum usus cæpit ab ipso mundi principio; et sicut nullus est populus sine Religione, ita nullus invenitur sine sacrificio (3). Habemus in mundi exordio sacrificia Abelis et Caini ; in lege naturæ sacrificia Melchisedech, Abraham, etc.; et plurima habemus in veteri Lege ab ipso Deo præscripta.

(1) I Tim. 1. (2) 2, 2, q. 85, a. 1.

(3) *V.* card. Tadini, *Dei sacrificii religiosi di tutte le nazioni*. Genova 1845. Hac de re audiatur Stapf. (*Theol. Moral.* tom. II, § 215) : « Multam attentionem meretur, ab omni retro ætate opinionem viguisse, Divinitatem ab hominibus offensam nonnisi *effusione sanguinis*, seu victimis placari posse. Hæc populorum persuasio, quæ inter ethnicos postmodum horrendum in modum degeneravit, adeo, ut passim etiam homines macturentur, absque dubio originem suam ex *primitiva aliqua traditione* traxit (*Gen.* 4½, 4). Atque duplici axiomate nitebatur : *Sanguinem* in unoquoque animanti esse sedem et principium vitæ (*Gen.* 9, 4 et seqq.; *Lev.* 17 et 11; *Deut.* 12, 23 et sequent.); tum vero dari aliquam *reversibilitatem*, id est in locum ipsius delinquentis qui mortem promeruerat, hostiam aliquam, *vicariam* substitui posse. Cf. Le-Maistre, *Soirées de S. Pétersbourg*, vol. II. Generatim mos sacrificandi cum primis hominibus cœpit, et postea per omnes gentes diffusus fuit. » — *V.* Lacordaire, *Confer.* : La tradizione.

Sed omnia abrogavit Christus sacrificio suo cruentæ in cruce oblato, quod quidem incruente renovatur quotidie in Missa. Veterum autem sacrificiorum abrogationem, novique per totum terrarum orbem celebrationem prædixit Malachias his verbis : *non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen ejus in gentibus, et omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (1).

Q. 2. *An in Eucharistiæ confectione, quæ communi usu dicitur Missa, verum offeratur Sacrificium?*

R. Non solum calvinistæ, zwingliani, sociniani, methodistæ, rationalistæ, etc. qui inficiantur Christi præsentiam in Eucharistia, sed lutherani qui eam admittunt, veritatem sacrificii eucharistici negant : imo Lutherus dicit se a diabolo persuasum Missam abrogasse. Henricus VIII fere totam conservavit Missæ liturgiam : Eduardus VI universim mutavit ; tandem Comitia regni anno 1549 declararunt Eucharistiam esse quidem Sacramentum, non vero Sacrificium. Sed de fide est Missam verum esse sacrificium, ut definivit Tridentinum : *siquis dixerit in Missa non offerri Deo proprium et verum sacrificium, aut quod offeri non sit aliud, quam Christum ad manducandum dari, anathema sit* (2).

Probatur 1 *Scripturis* : Christus in cœna seu Eucharistiæ institutione verum et proprium sacrificium Deo obtulit; atqui illud ipsum quod Christus fecit, jussit fieri ab Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus per ea verba : *hoc facite in meam commemorationem* (3) ; ergo in Missa in qua fit, quod Christus fecit, verum sacrificium offertur. Major patet : ad sacrificium commemorativum (cujusmodi est illud quod a Christo in cœna oblatum est, et offertur in Missa) duo sufficiunt nempe realis Christi præsentia in Eucharistia, et repræsentatio mortis Christi ad significandam omnipotentiam Dei auctoris vitæ et necis. Porro utrumque adest : 1 realis Christi præsentia, ut demonstratum est ; 2 repræsentatio violentæ Christi mortis in cruce, per consecrationem videlicet panis et vini, quæ seorsim fit ad significandam separationem Sanguinis Christi ab ejus Corpore, ut ipsi adversarii concedunt.—Adde in Psalmis prædicitur Christus futurus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech : *tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* (4). At tantum Christus ita se gessit Sacerdotem in Eucharistiæ institutione : in ea siquidem obtulit illud ipsum quod Melchisedech obtulerat, panem nempe et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem sub panis et vini speciebus.—Præterea Malachias aperte prædixit (ipsis etiam Rabbinis fatentibus) abrogationem veterum sacrificiorum, et subrogationem novi sacrificii tempore Messiæ toto orbe celebrandi : *et in omni loco*

(1) Cap. 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 304.

(2) Sess. 22, can. 1. — Ante sæculum IV obtinuit usus, ut sacrificium Eucharistiæ *Missæ* nomine donaretur ; hoc enim tamquam jam noto utitur D. Ambrosius : putamus autem ex eo derivatum esse hoc nomen, quod sacrificio peracto, populus in pace dimittitur iis verbis : *ite Missa est*, nempe *dimissio est*. Vocem enim *missa* pro *missione* vel *dimissione* sæpe cernimus adhibitam in monumentis ecclesiasticis. — *V.* card. Bona, *Rerum Liturg.* lib. I.

(3) Luc. 22. (4) Ps. 109.

sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda (1). Jam vero hæc verba intelligi non possunt de sacrificio crucis, quod semel et uno tantum loco oblatum est; neque de sacrificio bonorum operum, quod aderat quoque in Lege veteri et in Lege naturæ: neque de alio præterquam de Eucharistiæ confectione, cui solum verba Malachiæ conveniunt; ergo Eucharistia est veri nominis sacrificium.

2. *Ex traditione* (2): uti patet ex utriusque Ecclesiæ liturgiis, Conciliis, et unanimi Patrum consensu: res hæc est adeo evidens, ut eam fateri coacti sint plures ex protestantibus, inter quos celebris Oxoniensis universitatis puseistæ professores (3). Ephesinum Concilium (431) Eucharistiam *vocat sanctum, vivificum incruentumque sacrificium;* Chalcedonense (451) *terribile et incruentum sacrificium.* S. Hieronymus *legitimum Dei sacrificium, juge atque perpetuum* (4): S. Augustinus *sacrificium pretii nostri* (5); aliique Patres quotquot scripserunt de Eucharistia, eam passim vocant *sacrificium, oblationem, hostiam, victimam,* etc., ut videre est penes Bellarminum (6).

Dices 1: *Si Christus in ultima cœna verum obtulit sacrificium, jam tunc opus redemptionis nostræ erat consummatum; erat ergo inutile sacrificium crucis.*—R. Sacrificium ultimæ cœnæ, licet verum et infiniti valoris, sacrificium crucis non evacuavit; quia ex decretis Dei Christus moriturus et superabundanter satisfacturus erat. Præterea sacrificium ultimæ cœnæ suum habebat valorem ex futuro crucis sacrificio; cujus quidem realis erat repræsentatio, cum in eo Christus realiter suum sanguinem et corpus exibuisset.

Dices 2: *In Missa nulla fit occisio seu victimæ mactatio, quod tamen requiritur ad verum sacrificium; ergo, etc.*—R. Ad essentiam sacrificii non requiritur victimæ occisio: sic hircus in veteri Lege non occidebatur, sed emittebatur in desertum. Adde: sacrificium, quod offertur in Missa, est commemorativum sacrificii crucis: at in sacrificio commemorativo non requiritur victimæ occisio, cum ea jam præcesserit in sacrificio absoluto; unde satis est, ut sit illius realis repræsentatio. Præterea in Missa mystica occisio habetur, seu mystice moritur Christus; nam vi verborum consecrationis corpus a sanguine sejunctum ponitur in altari, in quo Christus exhibetur tamquam occisus. Ergo Missa est verum sacrificium, imo unum et idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, cum idem sit Sacerdos et hostia, nempe Christus, idem valor, nempe infinitus; sola autem offerendi ratio diversa sit. Hinc versus:

Mortuus ille semel licet ultra non moriatur,
Idem quotidie super aras sacrificatur.

(1) Malach. I, v. x et xi.

(2) *V.* Innocentii papæ III, *De sacro altaris mysterio*, libri tres, nuperrime Parisiis editi. — Mone, *Le Messe latine e greche del II e VI secolo con un facsimile.* Francoforte sul Meno 1850 (vide *Annali Relig.* ser. 2ª, vol. VIII, pag. 458).

(3) *V.* Wiseman, *Dissertaz. sullo stato attuale del protestantesimo in Inghilterra.*

(4) Cap. 46 in Ezech. (5) *Confess.* l. IX, c. 11.

(6) Patrum consensum ultro fatetur doctor Grabe de protestantium secta: *certum est,* ait, *Iræneum aliosque Patres quorum scripta habemus, tam eos qui viderunt Apostolos, quam eos qui immediate successerunt, spectasse Eucharistiam veluti novæ Legis sacrificium.... Cæterum hæc doctrina, non est doctrina unius Ecclesiæ vel peculiaris Doctoris, sed erat doctrina et praxis Ecclesiæ universalis: Ecclesia eam acceperat ab Apostolis, Apostoli a Christo.*

Q. 3. *In quanam Missæ actione consistit ratio seu essentia sacrificii?*

R. Alii cum Pignatelli essentiam Sacrificii Eucharistici collocant in ejus tantum sumptione; quia in ea tantum destructio illius habetur, in quo quidem propria sacrificii essentia sita est. Alii cum Azorio collocant in oblatione; quia sacrificium non est, nisi oblatio. Alii communius et valde probabiliter cum Perrone, Gonet, Sanchez, etc., eam consistere volunt in consecratione; cum revera in ipsa et victimæ immutatio et illius oblatio concurrat: volunt tamen sumptionem pertinere ad sacrificii integritatem, et ideo illam præceptam esse de jure divino. Verum nobis magis arridet, et probabilior videtur sententia Bellarmini, qui eam collocat partim in consecratione, partim in sumptione; nam in prima ponitur victima, in secunda ipsa consumitur; neque sane sine vera et reali destructione aut immutatione habetur sacrificium: saltem in hac sententia victimæ consumptio est magis expressa. Hinc Rubrica jubet, ut si Sacerdos celebrans moritur post consecrationem corporis vel etiam sanguinis, videlicet antequam communicet et sumat, Missa per alium expleatur, licet non jejunum, si jejunus non adsit.—Utrum vero ad ipsam essentiam sufficiat *consecratio unius speciei*, sunt qui affirmant; quia etiam per unam speciem Christus totus ponitur et offertur. Communius tamen ac probabilius negant; quia secus sacrificium crucis non realiter repræsentaretur, Christus in statu mortis Deo non offereretur, sacrificium in ultima cœna institutum non renovaretur, nec proinde implerentur verba: *hoc facite in meam commemorationem*. Hac ipsa ratione utraque species simul coëxistere debet ad talem commemorationem: quare si utraque haberi non potest, Missa est interrumpenda, nisi sit jam una species consecrata (1).

Quid agendum (quæres) *si appareat miraculose Corpus Christi sub specie carnis seu infantis, aut Sanguis sub specie sanguinis?*—R. Tunc non est sumendum, quia tantum sub specie cibi ac potus Christus sumi voluit: et talis est usus Ecclesiæ; si autem ad priorem statum rediret, sumi posset, quia cessat ratio contraria, et est probabile non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis. Si tamen duraret, consulendum Sacerdoti, quod iterato Corpus et Sanguinem Domini consecraret et sumeret.—Quando autem circa species sacramentales apparet tantum splendor, tunc nihil impedit, ut continuetur Sacrificium; nam tunc nulla vera mutatio et alteratio contingit. Quod si splendor vel miraculosa Hostiæ consecratæ sublevatio eveniat extra sacrificium, esto quod temporis successione possit tanta illius corruptio fieri, ut ibi jam non maneat Corpus Christi; attamen per se conservare semper potest cum reverentia id quod exterius permanet, quasi in monumentum et testimonium miraculi et ob reverentiam Sacramenti, quod ibi præcessit. Dixi *per se;* nam Ecclesia talem consecratam Hostiam sumere præcipit (2). S. Thomas et Suarez.

Q. 4. *Quisnam minister sacrificii Eucharistici?*

(1) Tit. 4 *Rubr. Miss.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 304.

(2) *V. Ricerche sul miracolo del Santiss. Sacramento, avvenuto in Torino il 6 giugno* 1453.—Christianus Lupus, t. XI: *oratio de miraculoso Sacramento.* — Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 4, lez. 4. — Collius. *De sanguine Christi* lib. V, *in quibus de illius natura, effusionibus et miraculis copiose disseritur*, Mediol. 1617.

R. Duo occurrunt in Missa ministri, Christus et Sacerdotes.

1. *Christus*, qui est primus ac principalis minister, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio qui se ipsum tunc in cruce obtulit* (1). Et vero Christus est *Sacerdos in æternum, qui sempiternum habet Sacerdotium* (2); oportet igitur, ut jugiter sacrificium offerat; et hoc agit Sacerdotum ministerio; unde Concilium Lateranense declarat: *Christum in hoc mysterio simul esse Sacerdotem et sacrificium* (3). Sane hic Sacerdotes loquuntur in persona Christi; verba enim consecrationis sunt verba Christi;—2 post Christum ministri hujus Sacrificii sunt alii Sacerdotes, secundarii quidem (cum non per se, sed in Christi Domini persona sacrificium offerant), sed veri Sacerdotes; nam Christus Jesus tales illos instituit ordinavitque in persona Apostolorum, ut vere et realiter offerrent et sacrificarent, per ea verba: *hoc facite in meam commemorationem.* Hinc Tridentinum eum anathemate damnat qui dixerit *illis verbis:* hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum* (4).

Etiam Ecclesia dicitur *offerre*, sed quatenus *Sacerdos non tantum in sua, sed in totius Ecclesiæ persona sacrificat* (5). Etiam fideles sunt aliqua ratione offerentes, sed non proprie: et hoc contingere potest tripliciter: vel *habitualiter,* quatenus sunt membra Ecclesiæ, qui de ejus bonis participant, etsi de iis non cogitent; vel *actualiter*, quatenus sacrificio assistunt; vel tandem *causaliter*, quando nempe curant, ut Sacerdos pro ipsis celebret (6).

Quod si necessario fatemur nullum opus adeo sanctum ac divinum... tractari posse, quam hoc tremendum mysterium...; satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interioris cordis munditie et puritate, atque exterioris devotionis ac pietatis specie peragatur (7). Ad quæ quidem consequenda plura ab Ecclesia sapienter præcepta sunt.

ARTICULUS I—De tempore et loco celebrationis ac missæ stipendio.

Q. 1. *An liceat celebrare in quolibet anni die?*

R. In Ecclesia latina licet quolibet die celebrare, excepto pro omnibus Missis sub gravi die Veneris sancti: et pro Missis privatis etiam sub gravi Sabbato sancto, et Feria v in Cœna Domini (8). Missa autem ex Rubrica ab aurora ad meridiem dici potest; commune tamen est licere Missam terminare circa auroram, et illam incipere parum ante meridiem: imo Benedictus XIII et Clemens XII declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ tum ante auroram, tum post meridiem. Præterea communius et probabilius tradunt Roncaglia, Salmanticenses, Slyvius, Viva, etc., quod cele-

(1) Sess. 22, c. 2. (2) Hebr. 7. (3) Cap. *Firmiter.*
(4) Sess. 22, can. 2. (5) Innocentius III, *De myst. Missæ.*
(6) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 307. — Croix *De Sacr. Missæ*, n. 16.
(7) Tridentinum, sess. 22, c. 2.
(8) Cap. *Sabbato*, de const. dist. 3 quoad diem Veneris sancti. Quoad cæteros dies extat Decretum Clementis XI renovatum ab Innocentio XIII.

brans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram, vel hora post meridiem. Si tamen adsit gravis causa, v. g. dandi Viaticum, aut solemnitatis, aut itineris vel funeris, ab omni peccato excusat, etsi dilatio vel anticipatio sit per integram horam. Quibus autem datur privilegium una hora ante auroram vel post meridiem celebrandi, eo caute utantur ex Paulo III (1): quod tamen privilegium intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis neque lege neque consuetudine assignatum; alioquin privilegium parum prodesset.

Q. 2. *Ubinam liceat Missam celebrare?*

R. Secluso Pontificis privilegio, commune est non licere et quidem sub gravi, celebrare, nisi in Ecclesia publica, eaque consecrata vel saltem benedicta; ideo sine speciali facultate non licet celebrare in Oratoriis (2); licet tamen in Oratoriis, quæ habent ingressum per viam publicam; item in Oratoriis erectis domibus religiosorum vel communitatis; item in Oratoriis quæ habentur in palatiis Episcoporum; hæc enim habentur uti Oratoria seu Ecclesiæ publicæ.—Si autem locus sacer polluatur, execretur, aut interdicatur, sub gravi tunc ibi prohibetur sacra peragere (3): imo si sit interdicta interdicto generali, qui in ea celebrat, ex jure incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ (4).

1. Polluitur seu violatur Ecclesia (sicut et cæmeterium), quando in ea exercentur actiones quædam turpes, vel loco sacro injuriosæ, sed nonnisi postquam res evulgata fuerit. Id evenit ex jure Canonico: 1.° per homicidium voluntarium et injustum; 2.° per effusionem sanguinis hominis ex percussione aut vulnere graviter injurioso (5); 3.° per voluntariam humani seminis effusionem sive in copula carnali sive non: etiam per actum conjugalem, nisi excusetur a sacrilegio ratione necessitatis; 4.° per sepulturam non

(1) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XIII. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 341 et 346.

(2) Ita Tridentinum, sess. 22 *in Decr. de celeb. Missæ.* Est tamen commune et usu receptum, posse Episcopum in aliquo casu particulari ob causam dispensare, ut extra Ecclesiam celebretur. Facultas quidem hoc permittendi sublata fuit Episcopis a Tridentino; id tamen intelligendum est de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus juxta facultatem, quam prius habebant, non vero de licentia per modum actus pro aliquo casu ac necessitate. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 359. — Observat card. Gousset: « Los Príncipes y Princesas de sangre real tienen el privilegio de hacerse celebrar misa en sus habitaciones, cuando están enfermos. Hay tambien la costumbre de ofrecer por ellos, cuando son muertos, el santo sacrificio en la sala funeraria, en la cual están espuestos sus restos mortales. »

(3) Oratoria privata licet benedicta et ad cultum deputata non censentur pollui, et ideo reconciliatione non indigent. Collet, Gousset, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 362. De Oratoriis privatis *vid.* Benedictus XIV, Constit. *Cum duo.* — Gattico novariensis. *De Oratoriis domesticis.* — Ferraris, *Biblioth.* V. Oratorium.

(4) *C. Episcoporum de priv.* in 6°.

(5) Sufficit ad violationem Ecclesiæ, si vulnus grave fiat intra Ecclesiam, et sanguis fundatur extra: item est si quis existens extra Ecclesiam scoplo alterum occidat in Ecclesia existentem. Secus autem dicendum, si vulnus infligatur extra, et intra sanguis effundatur vel eveniat mors; quia tunc abest injuria in Ecclesiam. Non sufficiunt ad polluendam Ecclesiam pauculæ guttæ sanguinis, sed ex jure requiritur vera, ideo copiosa effusio: imo adhuc non polluitur, si ex percussione vel vulnere levi (v. g. si in rixa puerorum sanguis copiosus effluat a naribus), quia in hoc non admittitur communiter peccatum mortale. Aliter tamen esset si talis effusio contingeret inter adultos, ut probabilius dicunt. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 364.

baptizati, seu infidelis: excipe probabilius, si sit catechumenus, quia non censetur infidelis. «La mayor parte de Canonistas, *ait Gousset*, son de parecer que es tambien profanada, enterrándose en ella un niño no bautizado, aun, que sea de padres cristianos. Sin embargo nos parece muy difícil poderse aplicar las palabras: *infidelis paganus*, de que se sirve el legislador, á un niño recien nacido. Por otra parte, toda vez que los padres desean el bautismo para este niño, no puede hasta cierto punto considerarse como catecúmeno? Así piensa Pichler, cuya opinion adoptamos.» 5.° per sepulturam baptizati nominatim excommunicati (non vero si sit quidem excommunicatus, sed non nominatim), vel hæretici declarati. Sed ut Ecclesia censeatur polluta, hæc crimina debent patrari in ipsa Ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, in sacristia, aliisve cameris Ecclesiæ adhærentibus, neque in subterraneis, nisi ea sint singulariter benedicta, ut si adsit in iisdem sepultura aut Oratorium (1).—Si Ecclesia fuit tantum *benedicta*, reconciliari potest a Sacerdote delegato ab Episcopo cum orationibus consuetis ad benedictiones, et aqua ab Ordinario benedicta (2): si tamen talis aqua facile haberi non posset, adhuc a Sacerdote delegato ad Ecclesiam reconciliandam benedici posset. Si vero Ecclesia illa fuerit *consecrata*, reconciliari debet ab ipso Episcopo, vel a Sacerdote delegato a Papa juxta ritum Pontificalis romani. Attamen si non possint omitti divina officia sine gravi incommodo, Episcopus aliquo impedimento detentus delegare posset Sacerdotem ad Ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare possit (3).

2. Ecclesia execratur, quum amittit suam benedictionem, vel consecrationem: unde iterum benedicenda vel consecranda est, juxta ritum et formam præscriptam pro benedictione vel consecratione Ecclesiarum. Tunc autem execratur, si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur: secus si una pars post aliam, et hoc etiamsi per intervalla dierum tota demum Ecclesia nova fiat; quia quæcumque pars accedens manet consecrata, cum magis dignum trahat ad se minus dignum. Neque etiam execratur, si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus: neque per se polluitur Ecclesia per exercitium hæreticum, spurcitias hominum vel animalium ibi stabulatorum, etc.; etsi deceat et praxis habeat, ut per Episcopum vel Sacerdotem aliqua cæremonia tunc reconcilietur et abluatur (4).

Q. 3. *An Missarum stipendium sit legitimum?*

(1) Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 362. — *V. De virt. Religionis*, ubi *de sacrilegio.*

(2) Ad preces Caroli Bescapè a Clemente VIII, Litter. 19 sept. 1605 facta est facultas Novariensibus pro tempore Episcopis simplicem Sacerdotem delegandi ad reconciliationem Ecclesiæ vel cœmeterii aqua prius ab Episcopo benedicta. (*V. Syn. Ep. Bertone* p. 283).

(3) Necessitate urgente, ut si populus non habeat aliam Ecclesiam, ubi Missam audiat, remoto scandalo, potest celebrari in Ecclesia violata. Non ideo autem censetur reconciliata, quia in ea sacrificium celebratum fuit. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 390.

(4) Ex dictis patet discrimen inter pollutionem Ecclesiæ, et ejus execrationem: nempe violatio seu pollutio Ecclesiæ respicit Ecclesiam formalem; execratio Ecclesiam materialem. Polluta Ecclesiæ parte, integra Ecclesia pollui censetur, etiam cum cœmeterio adjacente; e contra execrata Ecclesia, non ideo execratur cœmeterium: nec altaria adhuc integra consecrationem amittunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 368.

R. Olim fideles Sacerdotibus celebrantibus offerebant panem et vinum, et quod supererat, in victum eorumdem Sacerdotum ac Clericorum cedebat. Dein permissum fuit offerre oleum, spicas, uvas, etc. Demum hæc permissio complexa est ipsam pecuniam, quæ mittebatur in arcam suo tempore distribuenda in sustentationem ministrorum et pauperum. Successive invaluit usus, ut pecunia ipsis celebrantibus traderetur, qui pro offerentibus Missam applicarent (1). Hoc Wiclephitæ uti simoniacum improbant, sed immerito: *Sacerdos enim,* ait Angelicus, *non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis ; sed quasi stipendium suæ sustentationis* (2). Et possunt etiam divites legitime stipendium accipere. Patet ex usu, ex auctoritate et ratione ; sive enim Sacerdos sit dives sive pauper, stat semper illud Apostoli : *qui altari deserviunt cum altari participant* (3).

Quoad stipendii taxationem S. Concilii Congregatio declaravit, *attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem quatenus adsit: sin minus, statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.* Cui quidem etiam Regulares stare tenentur sub gravi, ut ait Benedictus XIV (4). Episcopus autem probabilius potest prohibere, ne accipiatur stipendium taxa minus ; ratio quia alias videretur quasi vilescere sacrificium, ac naturam contractus induere : si tamen non sit expresse lata hæc prohibitio, commune est quod Sacerdos potest etiam recipere minus : caveat tamen ne id vergat in aliorum damnum, et abusus inde enascatur. Item potest etiam majus taxa, si sponte tribuatur, accipere : nec id potest per se vetare Episcopus ; cum liberalitas non sit prohibenda. Alexander VII damnavit has propositiones: 1 *non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre ;* 2 *duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem* (5).

An (quæres) *Sacerdos possit alteri tradere Missam celebrandam, retenta pro se ipso parte stipendii?*—R. Capellanus licet amovibilis et beneficiatus, et alii quibus commissa est perpetuarum Missarum celebratio et redditus certi annuatim sunt constituti, utique possunt celebrationem Missæ ex propria capellania, beneficio vel legato debitæ alteri sic tradere, modo alteri tribuant taxam communem, quæ scilicet pro Missis manualibus a consuetudine vel Episcopi lege habetur taxata : constat ex Bulla *Nuper* Innocentii XIII, 23 nov. 1697, quam in extensum refert Croix (6).

(1) *V.* Benedictus XIV, *De Sacr. Missæ,* l. III, c. 21. — Berlendi, Dissert. hac de re ubi ostendit usum stipendii sæc. VII esse antiquiorem. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 315.

(2) 2, 2, q. 10, a. 2. (3) I Cor. 9. (4) *Notificatione* LVI.

(5) *V.* Liguori, *Degli abusi nel prender le Messe, risposta ad un autore anonimo.* An vero possit Presbyter accipere stipendium pro ea Missa, quam simul celebrat cum Episcopo in sua ordinatione, affirmat Benedictus XIV (*de Sacrif.* l. III, c. 10) exemplum urgens Græcorum, qui plerumque cum Episcopo concelebrant : et sane illa est vera Missa. *Quid* (quæres), *de illo, qui omittit unam tantummodo Missam, pro qua stipendium accepit?* — Probabilius peccat mortaliter, licet materia sit levis ; quia hic gravitas non est a stipendio mensuranda, sed a fructu fraudato.

(6) Hoc valet etiam de ipsis locis piis, qui onere Missarum perpetuarum gravati sunt : « Un testador dejó á la Iglesia 500 escudos, á fin de que del rédito se hiciesen celebrar perpetuamente misas á razon de tres *giuli* cada una. Se preguntó si la Iglesia podia dar al celebrante una sola

Si vero agatur de alio quocumque, qui pro qualibet Missa accipit determinatam eleemosynam, id est de Missis manualibus, nihil pro se retinere potest (nisi illa major eleemosyna non sit jam intuitu Missæ; sed potius et certo intuitu amicitiæ specialis, paupertatis, propinquitatis, gratitudinis, etc.). Ratio est, quia ab Alexandro VII, ad eliminandum quemcumque quæstum, sub n. 9 diris devota est hæc propositio: *potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta:* quod quidem *mercimonium,* seu turpis Missarum mercatura omnino prohibetur, etsi alius Sacerdos in minus stipendium aperte consentiat, prout expresse declaravit Benedictus XIV, Encyclica *Quanta cura* 30 junii 1741, ubi etiam in collectores Missarum, qui accipiunt pecuniam in loco, ubi largior eleemosyna solet tribui, et Missas celebrare faciunt ubi minor taxa tribuitur, infligit excommunicationem, si laici sint; si vero Clerici, suspensionem ipso facta ac reservatam. Imo eo in casu, ut probabilius ac communiter docent, restituendum est, quod retentum fuit, Sacerdoti qui celebravit; nam Missa data fuit celebranda tali stipendio: qui porro eam celebravit, jus habet ad illud totum.

Q. 4. *An Ecclesiarum administratores possint sibi aliquid retinere pro expensis occurrentibus* (*vulgo* manutencion)?

R. Cum Benedicto XIV, qui hac de re, variis adductis Decretis, ita concludit: «ex his satis aperte conjicitur:

«1. Si Ecclesiæ paupertas interveniat, aliquid retineri potest pro necessariis Missarum expensis, cum perpetuæ sunt. Etenim consuetum stipendium non minuitur, cum testatores perpetuas Missas instituentes, integro Sacerdotis stipendio omnibusque expensis pro Sacrificio peragendo necessariis consulere debuerint. Quod si aliquid deesse videatur, vel quia per testatorem præscriptum non fuerit, aut quia cursu temporis constituti proventus ad Missas agendas immutati habeantur, aliquis inter hæredes fortasse aderit qui ære pro expensis omnibus satisfacere debeat. Postremo si nulla ex parte subsidium desumi potest, semper aditus patet ad petendum, ut Missæ ejusmodi ad minorem numerum redigantur.

«2. Si, uti superius dictum est, Ecclesiæ paupertas intersit, aliquid retineri potest pro Missarum expensis, quæ in ipsa Ecclesia per aliquem pium testatorem institutæ fuerunt; vel cum Sacrarii custodes plurimis congestis eleemosynis Missas celebrandas indicant. Tunc enim ex consueto stipendio aliquid plerumque detrahitur: quod tamen permitti nequit, cum Ecclesia privilegium a Sede apostolica obtinuerit, ut pro expensis in Sacrificio necessariis Missarum numerus minuatur.

«3. Etsi Sacrarium Ecclesiæ prematur inopia, nihil pro expensis Missarum necessariis exigi potest a Sacerdotibus, qui ad eamdem Ecclesiam accedunt rem divinam facturi aut pietatis causa, aut certe nullo ducti stipendio per Ecclesiæ ministros; quamvis ipsi nullo jure adstringantur illis Sacerdotibus permittere ut Sacrum ibidem perficiant.

de estas monedas, que es la tasa comun, y retenerse las otras dos; se respondió por la Sagrada Congregacion del Concilio en 3 de agosto de 1658: *Affirmative, et reliquum cedere ad commodum Ecclesiæ.* » Ita Pavone, *Spicilegio canonico-morale-giuridico-liturgico*, § 192; ubi plures alios casus ponit.

«4. Si Sacerdos ipse celebrare in eo templo omnino postulat, de cujus paupertate constat, tunc aliquid pro expensis deposcere licet vel a Presbytero, qui ob pietatem Sacrum facit, vel ab eo qui collato stipendio Sacrificium indixit, si forte Sacerdoti aliquid superaddere velit pro consuetæ eleemosynæ detrimento, quod ratione expensarum subeundum est; vel tandem si aditus ejusmodi præcludatur, ex ipso consueto stipendio aliquid expetere conceditur (1).»

ARTICULUS II—De missæ duratione, de altari et hora præfixa, deque missarum numero et reductione.

Q. 1. *Quale temporis spatium Missa lecta durare debet?*

R. Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes tœdio afficiantur; hinc si quis ob devotionem specialem vellet eam protrahere, celebrabit in privato, exemplo S. Philippi. Nec breviorem quarta horæ parte; secus celebrans difficulter poterit a mortali excusari, licet Missa sit ex brevioribus. Hinc illud:

Uno si fuerit brevior tua Missa quadrante,
Mortalis culpæ crederis esse reus.

Rationem affert S. Alphonsus: nempe *quia in tam brevi spatio necessario Sacerdos committere debet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum; alterum gravis scandali erga populum* (2). Vult porro Tridentinum, ut Ordinarii locorum sollicite hac de re invigilent (3); nam, ut ait Benedictus XIV ex Bellarmino: *hæc Sacerdotum incuria est lacrymis uberrimis digna, cum videantur non credere majestatem Domini esse præsentem* (4). Impossibile enim moraliter est, in tanta temporis augustia reverenter agere cuncta præscripta, devitare periculum mutilandi verba, benedictiones, genuflexiones, etc.; et concesso etiam, quod ita lingua sit expedita, et persona prompta, ut omnia quamcelerrime adimpleantur, Sacrificium semper erit devotionis vacuum, reverentiæ expers, ædificatione carens, ac tandem scandali causa.

Q. 2. *An peccet qui differt celebrare, stipendio accepto?*

R. Certum est, quod si quis tibi det eleemosynam, ut celebres pro ipso in

(1) *Notificatione* LVI, n. 13. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 322. Hic audiendus Malaguzzi in Opere, *Manuale Parochorum:* «Sodalitates ubicumque sint erectæ, tenentur manutenere ac providere eorum altaria, in quacumque Ecclesia institutæ sint, de luminariis, fabrica et quibuscumque necessariis tum ad honestum religiosumque ornatum eorum, tum ad celebrationem sacrificii Missæ, quia ex Panimoll. *decis.* 15, *n.* 9; Barbosa *de off. et pot. Epis. allig.* 64, *n.* 16; et Cennens. *in praxi* per earum erectiones in dictis altaribus factas, sodales censentur ac reputantur se obligasse ad ea manutenenda instructa de præfatis, perinde ac si extarent Patroni Altarium.» —It. Ferraris, *Bibl.* V. Utensilia.—Vid. unum casum manutentionis in Syn. Novar. pag. 385, n. 10.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 400.

(3) Sess. 22, c. 5, de R. — In Novariensi Diœcesi nuperrime lata est suspensio ipso facto in illos, qui *audent* Missam persolvere breviorem quarta horæ parte. Ita etiam egerat in sua Diœcesi S. Alphonsus ac plures alii Episcopi.

(4) Bulla *Annus qui.* — It. vid. ejusdem *Notificationes* XIV et XXXIV. — Synodus Novariensis vult hac in re incorrigibiles Episcopo denuntiandos.

hodierna festivitate, peccas, et teneris restituere quod accepisti, si postea Sacrum facias, nisi dantem advertas de impedimento: item est, si petitam Missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, pro lite vincenda, etc.; Sacerdos omittat celebrare intra tempus aptum; nam circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitæ: unde tempore transacto, Sacerdos tenetur stipendium restituere, etsi postea celebraverit. Quoad alias autem Missas manuales, de quibus nullum est tempus determinatum, quænam sit modica vel gravis dilatio, non una sententia est: «Recordamos la grave obligacion que tiene todo Sacerdote (*Alphonsus noster in sua notificatione ad Clerum anno* 1764) de no diferir la celebracion de la misa prometida mas allá de dos meses, cuando son misas para vivos, y mas allá de un mes, cuando son misas para difuntos; puesto que para ser escusado de culpa mortal debe celebrarla á lo menos dentro del tiempo mencionado.»— Recte etiam advertunt, quod si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non præsumitur contentus esse quod Missæ celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni Sacerdoti. Id vero non intelligendum quod omnes illius communitatis Sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutive dicendas; semper enim supponi debet communitas alias etiam habere obligationes; sed quod Misæ distribuendæ sunt majori Sacerdotum parti (aut saltem alicui eorum convenienti numero, si communitas est valde numerosa), et juxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere intra tempus illud, quod unicuique illius permittitur ad suam ratam satisfaciendam (1).

Non satisfacit suæ obligationi et lethaliter peccat qui, cum teneatur, non celebrat in Ecclesia, in altari, die aut hora destinata, si in hoc sæpius, sine causa, aut sine dispensatione delinquit (2), et modo fundator altare illud, horam vel diem destinaverit, ob motivum grave. Dictum est *sæpius,* quia non erit nisi veniale, si fiat raro, puta semel vel bis in mense, et facilius si mutabit tantum altare vel horam, non Ecclesiam. *Sine causa;* nam non peccabit, si celebret alibi ex justa causa ut si altare sit execratum, si Ecclesia restauretur, si egressus e sacristia celebraturus altare jam viderit occupatum. *Sine dispensatione,* quam quidem elargiri potest Papa, cum sit omnium sacrorum universalis moderator; utrum vero etiam Episcopus possit dispensare quoad diem, tempus et locum, dicunt Concina, Croix, Roncaglia, etc.; quod si fundator hæc determinaverit ob causam gravem, quæ adhuc subsistit, v. g. ob populi commoditatem (nisi ei in fundatione sit data facultas), non potest Episcopus dispensare: aliter potest; nam ejus est bono suæ Diœcesis consulere; aliunde voluntas testatoris tantum in accidentibus omittitur. Sed contraria decreta refert Lucius Ferraris, quorum vi semper est recurrendum ad S. Sedem (3): et talis est praxis apud nos. Dictum est tandem

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 317. Quoad officia vero ac Missas, quæ celebrantur ex oblationibus, quæ in capsula mortuorum (vulgo *cepillo de almas*) reperiuntur, non est necesse ut omnes mensiles eleemosynæ singulo quoque mense consummantur; sed satis erit, si identidem, cum suppetit tempus, juxta morem regionis hæ Missæ et officia celebrentur: hoc enim utique sciunt fideles, et sciunt etiam Parochum pluribus aliis ligari obligationibus, atque ideo merito consentientes habentur. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 329; et *Homo Ap.* tr. XV, n. 75.

(3) *Bibliotheca Canon.* etc. V. Cappellani.—Hic notandum, quod obtenta ab Episcopo facultate

modo fundator allare illud, horam vel diem destinaverit ob motivum grave, v. g. ob populi commoditatem, vel familiæ, aut ob speciale cultum Sancti, aut in memoriam alicujus gratiæ, etc. Si enim certo constet, vel nullam adesse specialem causam, vel illam jam omnino cessasse, tunc Sacerdos mutando altare, horam vel diem non peccabit nisi venialiter; imo ne venialiter quidem, si celebret in altari privilegiato, quia tunc melius bono fundatoris consulit.

Ceterum dispensata localitate, adhuc subsistit manutentio Ecclesiæ reddenda; cum sit quædam dos illius.

Q. 3. *Quot Missas tenetur celebrare beneficiatus?*

R. Beneficiatus tenetur sub mortali ex justitia vel per se, vel per alium ad illum numerum Missarum, quæ in fundatione sunt impositæ; intercedit enim ea de re contractus inter patronum et beneficiatum (in die tamen Nativitatis Domini, qui ad quotidianam Missæ applicationem tenetur, sufficit si unam tantum applicet). Qui tamen tenetur celebrare quotidie per se ipsum, communissime docent ipsum quater vel sexies posse in anno pro se celebrare, vel pro amico aut conjunctis, modo stipendium non accipiat; quia in hoc rationabiliter præsumitur consensus fundatoris. Imo dicunt ipsum posse reverentiæ causa abstinere a celebrando semel in hebdomada: ita ex jure Canonico, ubi dicitur Capellanum teneri quotidie celebrare, *salva honestate sua et debita devotione* (1): hoc tamen non valet, vel si de contraria fundatoris voluntate constet; vel si intersit Ecclesiæ, ut quotidie celebretur; vel si in fundatione cautum sit, ut Missa quotidie celebretur aut per se aut per alium: tunc nulla dies potest esse sine Missa.

Quid si beneficiatus infirmetur? — Si infirmitas est brevis, beneficiatus non tenetur celebrare per alium, nisi velit expresse fundator, ut numquam desit Missa; sed quænam brevis infirmitas? Layman et Salmanticenses extendunt ad mensem cum Concilio Mediolanensi VII; ibi tamen dicitur *judicio Episcopi.* Concina, Lugo, Navarrus et Filliucius ad duos menses; alii cum Anacleto, Bonacina, Elbel, Diana, etc. ad 15 dies. Omnes opiniones videntur æque probabiles; sed ultima est communior, et pro ea Pitonius affert declarationem S. C. Congregationis 27 nov. 1695 (et in hanc consentit Synodus Novariensis, pag. 110) (2). Quod si infirmitas diutius perseveret, tunc beneficiatus tenetur omnino per alium celebrare (3).

quovis loco celebrandi, semper intelligitur in ejus Diœcesi, atque ita se habent Rescripta, quæ ab Episcopis obtinentur. Diximus *ab Episcopo;* si enim Papa hanc facultatem faceret per suas Congregationes, licet celebrare ubique, etiam extra Diœcesim, si nulla sit facta restrictio; cum Papæ facultas sit in totum catholicum orbem, neque ea sit restringenda, si de restrictione non constat.

(1) Ex c. *Significatum de præb.*

(2) Alasia docet (in quo consentit etiam Synodus Novariensis), quod Cappellanus ordinatus titulo Cappellaniæ si sit pauper ita ut aliter vivere non possit, non tenetur per alium celebrare, etiamsi infirmitas excederet 15 dies, idque probat Decreto S. C. C. 18 sept. 1683. Verum in hoc decreto quod refert Benedictus XIV (*De Sacrif.* l. III, c. 3, n. 6) de hac re nullum verbum. Hæc infirmitas ex eodem clarissimo Alasia non deberet esse ob ebrietatem vel crapulam contracta, seu graviter culpabilis.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. xv, n. 73; et *Opus Mor.* l. VI, n. 333. — It. Appendix secunda in fine. V. Cappellanus. — Ferraris, *Biblioth. Canon.* V. Cappellanus.

Si deficiant reditus potestne beneficiatus Missas minuere? — Si deficiant ex toto et sine sua culpa, beneficiatus non tenetur Missas beneficii celebrare, ut definivit S. C. C. — Si vero deficiant tantum ex parte, distinguendum est: vel fundator ipse congruam eleemosynam designavit pro qualibet Missa, v. g. *libellas duas ad ratam reditus annui:* vel in genere tantummodo. Si 1, adhuc certum videtur posse ex se beneficiatum Missas imminuere; sicuti ex se tenetur augere Missas, si augeantur annui reditus. Si 2, tunc recurrendum est ad sanctam Sedem apostolicam pro Missarum reductione, etenim talis est praxis, et tale est præceptum (1).

Porro Missarum reductio proprie accepta *est imminutio quædam numeri Missarum celebrandarum per legitimam auctoritatem.* Dicitur 1 *celebrandarum;* nam reductio respicit tempus futurum: unde si agatur de anteactis Missis minuendis, dicitur *remissio* vel etiam *condonatio;* 2 *per legitimam auctoritatem*, quæ quidem est suprema Sedes, ut sacra ipsa C. Congregatio declaravit, approbantibus Urbano VIII et Innocentio XII (2). Sedes autem apostolica solet rem cognoscere atque definire per organum Congregationis sic dictæ *Fabricæ sancti Petri:* ejusque definitio *compositionis* nomine nuncupatur. Item postulantibus Episcopis, hanc facultatem elargiri solet, etiam quoad dispensandos Regulares (quatenus se subjiciant Episcopo Diœcesis): ita docet Pasqualigus, prout refert Benedictus XIV (3) *(Q).*

ARTICULUS III — De idiomate, voce, cæremoniis et requisitis ad missam, de defectibus et interruptione.

Q. 1. *Qua lingua et voce Missa celebranda est?*

R. Ad 1: Contendunt jansenistæ Missam lingua vulgari esse celebrandam; quod tamen nec licet nec convenit. *Non licet*, cum id prohibeat Tridentinum (4), Clemens XI Constit. *Unigenitus* (5), et Pius VI Constit. *Auctorem fidei* (6). *Non convenit;* tum quia detrimentum pateretur unitas illa, quæ exurgit ex nexu communicationis, quo Ecclesiæ pastores in divinis rebus sociari debent; tum quia de facili in contemptum venirent sacra; tum quia infinitæ esse deberent versiones liturgicæ, cum vulgaris lingua admodum varia sit, et hoc nec dignitati, nec gravitati Missæ congrueret (7). Est ergo commendandus usus perpetuus qui in Ecclesia occidentali viget, ut

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 331.

(2) Adeo ut possint quidem Episcopi sententiam dicere de validitate vel subsistentia legati; cum hoc adhuc sit de eorum jurisdictione: non tamen valide ipsius legati Missas moderari. Facultas autem Episcopis in Tridentino (*sess.* 25, c. 4 *de R.*) facta hac de re *intelligitur tantum de prima Synodo post idem Concilium celebrata, ac de oneribus Missarum celebrandarum ante idem Concilium impositis*, ut declaravit S. C. C.

(3) De *Syn. Diœc.* l. XIII, c. ult. Hæc delegata facultas extenditur etiam ad Anniversaria atque ad Missas solemnes. Sed nisi sit specialis mentio, non ea complectitur legata, quibus præcipitur eleemosyna aut dos aliqua pauperibus distribuenda. Item est si Missa debeatur ex quasi contractu, nisi consentiat cujus interest.

(4) Sess. 22, can. 9.

(5) In proscriptione propositionis 86 Quesnelli.

(6) In proposit. 33 proscripta.

(7) *V.* Perrone. *De Sacrif.* in fine. — Isotta, *Della Messa in lingua volgare.* — It. *de Cæremoniis* in genere, in *Adnotatione.*

nonnisi latina lingua Missa celebretur; in Ecclesiis vero orientalibus, ut celebretur lingua græca antiqua, vel antiqua syriaca, cophtica, armena, etc., quæ quidem pluribus ab hinc sæculis vulgares esse desierunt, probante Renaudotio.

R. Ad 2: Cum Tridentino: *cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem attolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiori, in Missa pronuntiarentur, instituit.* Deiu Concilium anathemate percutit qui hoc damnat (1): quæ proscriptio habetur etiam in Bulla *Auctorem fidei.* Est contra jansenistas, qui optabant, ut liturgia alta voce proferreretur. Contrarium sane et antiquitate commendatur, ut ostendit Le-Brun (2); et utilitate, cum silentium et Sacerdoti et adstantibus majorem venerationem conciliet.

Q. 2. *Quid de cæremoniis in Missæ celebratione* (3)?

R. Nihil est in Missæ cæremoniis, quibus utitur Ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium: de fide est a Tridentino definitum: *siquis dixerit cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit* (4). Præcipuos ritus ab Apostolica traditione ac disciplina manare evincunt antiquæ Liturgiæ omnes, quæ supersunt: et Patres antiquissimi confirmant, ut Justinus, Tertullianus, Cyprianus, etc. qui modo unum, modo alterum ritum memorant (5). Idque sane exigit tum tanti Sacrificii sublimitas, tum hominis infirmitas, qui nonnisi adminiculis exterioribus ad rerum divinarum contemplationem facile attollitur. Hinc patet eos impune omitti non posse (6). An tamen omnes omnino Rubricæ sint in præcepto, inter diversas sententias nos dicimus cum Merati, Quarti, Continuatore Tournely, Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas et obligare juxta materiæ gravitatem: idque probatur ex Bulla S. Pii V, quæ apponitur in fronte Missalis, ubi sic dicitur: *mandantes et districte præcipientes omnibus, et singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ut cæteris omnibus orationibus et ritibus ex aliis Missalibus imposterum penitus omissis, Missam juxta ritum, modum et normam, quæ per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent et legant.* Hinc non excusatur a veniali qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflectiones, vel qui advertenter non genuflectit usque ad terram, vel signat tantummodo altare omittendo ejus deosculationem vel perturbat benedictiones eas agens nimis celeriter aut nimis prolixe. Rubricas autem de agendis extra Missam, ut orationes quæ dicuntur ante vel

(1) Sess. 22, cap. 5; et can. 6.

(2) Le-Brun, *Dissert.* 15 *Liturg.* — Mabillon, *Disquisition. de cantu Gallicano.* — Collet, *Trattato della Messa*, cap. 15.

(3) *V.* Gaume, *Catechismo di perseveranza*, p. 4, lez. XI. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 400 et seqq.

(4) Sess. 22. can. 7. — Est directe contra novatores, et indirecte etiam contra Synodum Pistoriensem, quæ hac in re plures novitates sicut in cæteris induxit.

(5) *V.* Renaudotius, Martenius, Le-Brunius, etc.

(6) Tridentinum, *sess.* 7, can. 13.

post, dicimus tantum directivas, ideoque eas omittere per se peccatum non esse, attamen præcluso scandalo (1).

Hic notandum, quod præter Rubricas Missalis habentur etiam decreta S. Rituum Congregationis: hæc enim Congregatio facultatem habet a Sixto V dubia circa ritus declarandi; ideo ejus resolutiones habentur tamquam Pontificis oracula. Nota vero, non omnes ejus declarationes dici decreta rigorose sumpta, sed tantum ea quæ emanant in forma rigorosi præcepti generalis, vel saltem in fine habent aliquam decreti clausulam, puta: *ab omnibus servetur; servari ab omnibus mandavit;* etc. Si vero sunt declarationes tantum dubiorum, tunc juxta nonnullorum opinionem censentur dumtaxat directivæ; reputantur enim sapientissimorum virorum responsa. Verum ait Ursaja hujusmodi resolutiones præferendas esse aliorum Doctorum opinionibus: hucusque Merati. Idem sentit Eusebius Amort: quærit quid agendum si in aliqua Diœcesi vel ordine religioso vigeat consuetudo contraria Rubricis, et respondet: *S. R. Congregatio constanter tolerat consuetudinem, saltem immemorabilem, contrariam Rubricis. Itaque tuta conscientia licet se conformare consuetudini diœcesanæ, præsertim in rebus levioris momenti, quæ non cedunt in deformitatem cultus publici* (2). *(R).*

Q. 3. *Quænam requiruntur ad Missam rite celebrandam?*

R. Hæc sub gravi generatim requiruntur ad Missam ex Rubrica, ex pluribus Decretis S. R. Congregationis, et ex communi Doctorum:

1. *Altare lapideum* ab Episcopo consecratum; vel saltem *ara lapidea* similiter consecrata et in altari inserta, quæ tam ampla sit, ut hostiam et particulas consecratas, et majorem partem calicis capiat. Non potest amplius celebrari, si ara notabiliter frangatur, vel ab ea auferantur reliquiæ vel sigillum. — In altari autem requiruntur tres mappæ; sufficiunt tamen una separata, et altera duplicata (3). Superior mappa ex Rubrica deberet a lateribus usque ad terram pertingere; sed hodie amplius non est in usu.

2. *Calix* et *patena ab Episcopo consecrata.* Calix debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus auratam, et simul cum patena itidem aurata. Ita Rubrica: sed ex paupertate Ecclesiæ permittunt etiam calicem stamneum, modo cuppa sit aurata: imo permittunt etiam calicem ex ære vel auricalco auratum, non tamen ligneum vel vitreum (4). — Execratur calix, si notabiliter frangatur in cuppa, vel si in fundo perfo-

(1) Preces in induendis vestibus pro Missa præscriptæ, etsi de se non cadant sub præcepto; vix tamen sine aliquo peccato negligentiæ aut tædii spiritualium omitti possunt: ita Continuator Tournely; cui pro praxi consentit Liguori in libro: *Delle ceremonie della Messa.* Idem dicendum de manuum lotione ante Missam, ob magnam munditiem, quam hoc Sacramentum requirit — Est certe fortiter redarguendus abusus qui crescit in dies, confabulandi, ridendi, etc.. dum Sacerdos ad Missam se parat, vel vix ab altari recedens. De isto quæri nonnumquam potest cum Tertulliano: *sacrificat, an insultat?*

(2) *V.* dicta *de Legibus*, t. I *De sacris romanis Congregationibus.*

(3) Nos magis adhæremus sententiæ affirmanti mappas esse benedicendas, idque sub veniali; ratio quia in Rubrica ita præscribitur. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 370.

(4) Olim tamen nimis pauperes Ecclesiæ habebant calicem *de metallo stannato vel vitro grosso*, ut ait Benedictus XIII: ut est vitreus, qui asservatur calix S. Julii presbyteri. — *V.* Avogadro, *Storia dei santi fratelli Giulio e Giuliano*, l. I, c. 5.

retur : « Alguna pequeña hendidura ú otro accidente que puede repararse con algunos golpes de martillo, no exigen nueva consagracion : y lo mismo debe decirse de cualquier otro cambio accidental, sea necesario ó no poner el cáliz en el fuego para efectuarlo : » ita Gousset (1). Calix autem et patena suam ammittunt consecrationem per novam deaurationem, et sic indigent nova consecratione, ut respondit S. R. C. Episcopo leodicensi 14 junii 1845 (2). Item si calix separetur a pede, amittit consecrationem, si cuppa est pedi affixa ; secus si pes est tornatilis. Ciborium seu pyxis non est probabilius consecranda, sed tantum sub veniali est benedicenda, ut ait Benedictus XIV (3) : idem etiam dicendum de lunula ostensorii.

3. *Vestes sacræ* benedictæ ab Episcopo vel ab alio habente facultatem (4). Graviter peccat qui celebrat sine alba, aut stola, aut manipulo ; aut cum ipsis non benedictis, nisi excuset gravis necessitas : dicunt autem non esse mortale celebrare sine cingulo aut amicto, aut iis non benedictis. Vestes autem execrantur, quando usum suum deperdunt, ut si v. g. ab alba manica abscindatur omnino, vel cingulum ita rumpatur ut neutra pars cingere possit, vel stola non possit humeros operire. Color autem vestium probabilius est de præcepto ; non tamen gravi, scandalo præcluso. Conficere autem vestes sacras ex profanis, v. g. planetam ex veste serica mulieris, non est prohibitum.

4. *Corporale*, et quidem sub gravi ab episcopo benedictum : debet autem esse ex lino vel cannabe. — Item *palla benedicta*, de qua decretum S. R. C. habet : *non adhibenda est palla a parte superiore drappo serico cooperta.* Ait non improbabiliter Sotus cum aliis, non esse mortale celebrare sine palla, quia non tangit immediate sacras species : lucidior pars debet esse quæ calicem tangit. — Item *purificatorium ;* quod tamen probabilius non oportet, ut sit benedictum ; quia in romano Rituali nulla est designata benedictio propria (sicut nec *veli* nec *bursæ*) ; imo ita respondit S. R. C. 7 sept. 1716 (5).

5. *Missale* continens saltem integrum canonem ; dicunt tamen communissime non esse mortale celebrare sine Missali, si non habeatur, et cele-

(1) Si calice impie usi sunt hæretici vel alii, non ideo amittit consecrationem ; neque vestis sacra, si ad usos profanos adhibeatur, suam benedictionem. Liguori, l. VI, n. 376.

(2) Casu autem quo per longum usum inauratio deperdatur, puto probabilius dicendum cum Sylvio et Ferraris, non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum hujusmodi calice ; quia tunc viget ratio, quod calix semel consecratus, totus deinde per modum unius consecratus remanet. Cum vero nova fit inauratio, intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, immediate sanguinem tangens.

An calices et alia remaneant benedicta, aut consecrata, siquis in illis sacrificet non benedictis, nec consecratis, quæstio est. Nos putamus non recedendum a sententia negativa ; nam non est certum, quod per contactum specierum Sacrarum res consecrentur : sic pavimentum, si ibi decidat Sacramentum, non remanet consecratum. Saltem etsi res sic consecrarentur ; non tamen sic deputarentur ad Sacrificium, quod solum fit per benedictionem, aut consecrationem.

(3) *Notificatione* XXI. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 379.

(4) Pluviale tamen, superpelliceum seu cotta non sunt de necessitate benedicenda.

(5) Celebrare sine *birreto*, *bursa*, *velo*, *legile*, *manutergio*, *tabulis* secretarum, tintinnabulo nullum est peccatum. Est autem veniale celebrare sine *pallio*, nisi altaria sint ex marmore, vel nisi alio modo indecentia omnis sublata sit. — Tintinnabulum non pulsatur in Missis privatis per Ecclesiam, quando fit expositio Ss. Sacramenti, vel quando instituitur per Ecclesiam ipsam Ss. Sacramenti processio.

brans memoriter bene sciat dicenda. Est autem mortale uti Missali Regularium, scilicet celebrare juxta eorum ritum, etiam in eorum Ecclesiis, si proprius ritus servari potest (1).

6. *Minister* sub gravi, saltem usque ad oblationem, nisi urgeret v. g. necessitas dandi Viaticum. Minister debet esse masculus; fœminæ in jure sub gravi prohibentur (2); dicunt tamen bene permitti in necessitate ministri, quod fœminæ quandoque respondeant, maxime si sint moniales, sed a longe, et modo non immediate in altari ministrent.

7. *Crux cum Crucifixo* (saltem sub veniali), etiamsi in altari expositum sit SS. Sacramentum. Si tamen adest statua, aut imago Crucifixi in majori tabula altaris depicta etsi velata, non oportet ut alia Crux ponatur. Docet etiam Pignatellus non esse opus, ut Crux aut aliæ sacræ imagines sint benedictæ.

8. *Duplex candela accensa ex cera:* sub gravi prohibetur adhibere candelam ex sebo vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate: unde sic non liceret, si celebrandum sit ex sola devotione. Dicunt autem probabilius et communius celebrare cum uno lumine cereo esse tantum veniale (3). Non est autem obligatio accendendi tertiam candelam post *Sanctus*, ut ait Rubrica; hodie obsolevit usus.

An (quæres) *liceat sacras Reliquias ac flores super altare collocare?* — Affirmative et propositio 32 Synodi Pistoriensis *vetans ne super altaria sacrarum Reliquiarum thecæ floresque apponantur* damnata fuit a Pio VI ut *temeraria, pio et probato Ecclesiæ mori injuriosa.* Et vero quid magis consonum, quam ut juxta crucifixum membra dilaniata eorum resideant, qui e crucifixo virtutem patiendi hauserunt? adde eos intuendo et ipsi nos ad fortiter pugnandum accendimur. Flores autem sunt lætitiæ signa, et bonis operibus significandis idonea, juxta illud: *florete flores, quasi lilium;... date odorem et frondete in gratiam;... fulcite me floribus;... flores mei fructus honoris et honestatis* (4). Et hæc antiquitate commendantur: quoad Sanctorum Reliquias testes sunt S. Gregorius Turonensis, Leo IV, etc.; quoad flores S. Augustinus, Venantius, Fortunatus aliique bene multi (5).

(1) Olim Missalia habentia in Canone *pro Rege nostro,* erant suspensa; sed hodie recte dicit Croix (n. 369) cum aliis recentioribus, in hoc non esse faciendum scrupulum ex consuetudine inducta. In Regno tamen Austriaco ex pontificio privilegio nomen Imperatoris in ipso canone per Episcopum diœcesanum profertur, ut refert Nardi, § 350.

«Los misales impresos en España traen tambien el nombre del Rey en el mismo cánon despues del del Obispo diocesano. Hemos practicado diligencias para encontrar el privilegio en que se funda este hecho y la práctica general de recitarlo así, y no nos ha sido posible encontrar el documento que buscabamos.» N. E.

(2) C. 1 *Inhibendum.* Celebrans non faciat scrupulum si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet se vel circumstantes; sed monet Croix, ut suppleat omissa a ministro, si ea minima non sint.

(3) Ex Decreto S. C. 7 aug. 1627 non licet in Missis privatis celebrare cum quatuor candelis, nisi Cardinalibus, Episcopis; et Abbatibus usum Pontificalium habentibus. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 372 et seqq.; et *Homo Apost.* app. III, nn. 116 et seqq. — It Bouvier, *Instit. Theol.* p. 2, c. 7.

(4) Eccl. 24 et 39; et Cant. 2. — *V.* Perrone, *De Sacrificio, prælect.*

(5) Ex decreto tamen Innocentii XI die 1 sept. 1680 prohibentur apponi statuæ, Reliquiæ Sanctorum ac imagines animarum purgatorii in altari, ubi fit solemnis expositio 40 horarum. Hoc

Q. 4. *Quid circa defectus ac casus in Missa occurrentes?*

R. Circa defectus ac casus in Missa præcipue notamus ex Rubrica Missalis: — 1 si timeatur incursus hostium vel alluvionis, aut ruina loci, ante consecrationem dimittatur Missa; post, Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, aliis omissis; — 2 si Sacerdos non recordetur, se dixisse quæ in consecratione dicuntur, non turbetur, sed prosequatur; et si certo sciat se omisisse aliquid necessarii, resumat ipsam formam, et cætera prosequatur per ordinem. Si autem valde probabiliter dubitet, iteret formam saltem sub tacita conditione, si vero omissa non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius; — 3 si musca vel quid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat cum solita aqua, offerat, etc. Si post, et fiat nausea sumendo, extrahat muscam et lavet cum vino: et finita Missa, comburat; et combustio, ac illa lotio in Sacrarium projiciatur; — 4 si aliquid de sanguine ceciderit super terram, lingua lambatur, et locus ipse radatur; abrasio comburatur, et cinis in Sacrarium mittatur. Si super linteum altaris, ter illud abluatur ubi stilla ceciderit, calice supposito: et aqua ablutionis in Sacrarium projiciatur. Idem est si stilla in Corporale, vel vestem Sacerdotalem ceciderit; — 5 si contigerit totum sanguinem effundi, ut nihil remaneat, Sacerdos ponat iterum vinum cum aqua et consecret ab eo loco: *Simili modo* etc.; — 6 si Sacerdos advertat unam speciem v. g. vinum deficere, quod amplius haberi non possit, si id sit ante consecrationem, ulterius ne procedat; si post, Missam absolvat, prætermittendo verba et signa ad materiam deficientem pertinentia. At si expectando aliquandiu, species deficiens haberi potest, expectet, ne Sacrificium maneat imperfectum (per illud *aliquandiu* plerique intelligunt quadrantem, aut mediam horam); — 7 si Sacerdos defectum cognovit post ultimam benedictionem, nihil supplendum: secus magis videretur iteratio Missæ, quam reparatio defectus. Ita *antiquum Missale romanum* Venetiis impressum 1557; — 8 S. Thomas (1) docet, quod si Sacerdos post sumptionem corporis advertat in calice aquam esse pro vino, nova hostia novumque vinum est consecrandum: quia revera sine simultanea utriusque speciei præsentia non perficitur Sacrificium: ita *Rubrica*. Verum plures hoc intelligunt de casu, quo non timeatur scandalum: quæ advertentia tempore Clementis VIII ipsi Rubricæ addita fuit: unde tunc ait satis esse vinum de novo apponere, et facta oblatione, consecrare; quia jus naturale vitandi scandalum prævalet juri divino positivo integrandi sacrificium. In hoc tamen secundo casu, advertit Alasia, Sacerdos debet restituere eleemosynam, vel aliam Missam altero die celebrare: quia Sacrificium non peregit.

Q. 5. *An aliquando liceat Missam interrumpere?*

R. Affirmative; licet ob rationabilem causam per aliquod temporis Missam interrumpere, aliquid interponendo. Commune est id licere:—1 ob concionem post Evangelium, vel ob processionem :—2 in gratiam Principis su-

tamen non præcipitur in ordinaria expositione pro benedictione: neque quoad flores; quia flores non ponuntur ad venerationem, sed ad ornatum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 424; et *Opera Dogmatica*, sess. 25, nn. 29 et seqq.

(1) 3 p q. 83, a. 6, ad 4.

pervenientis, aut turbæ peregrinorum in die festo, qui alias Missam non audirent. Idem dicunt de adventu Episcopi, aut Cardinalis, aut processionis populi;—3 si gravis esset necessitas, ut moribundus absolvendus: tunc Eucharistia in tabernaculo claudatur, et cum redit Sacerdos, incipiat ubi desierat. Si vero ante consecrationem interrumpisset, et mora plusquam unius horæ fuisset, ab initio ordiri deberet; quia post tantam interruptionem idem non censeretur Sacrificium. Excipe tamen si interruptio provenerit ex concione vel alia cæremonia juncta cum ipsa Missa; nam tunc etiam per longam interpositionem unitas moralis semper haberetur (1).

Q. 6. *Quid ex Synodo Novariensi circa Missæ celebrationem?*

R. Hæc notanda speciatim:—1 Dominicis et festis diebus una tantum Missa in Oratoriis campestribus a Parochia valde dissitis est celebranda circa ortum solis. In reliquis Ecclesiis Diœcesis, præsertim Confraternitatum, Sacra fiant, ita ut commodo populi inserviant, quin distrahatur a Parochia. Oratoriorum Titulares non transferendi; qui si in Dominica contigerint, non omittendæ functiones parochiales. In Oratoriis non celebrentur Missæ in festis, nisi beneficium vel legatum aliud expostulet;—2 exteri Sacerdotes et ignoti non permittantur celebrare, nisi litteras commendatitias ostenderint; et si ultra hebdomadam morentur in loco, litteræ ab Episcopo sunt cognoscendæ;—3 noviter ordinati primam Missam in civitate celebrent, et præstat ut non celebrent solemniter, utpote ritus minus periti, nullique tunc usurpentur ritus profani; item prohibetur patrinos matrinasque adhibere; non tamen ab honestis viris aliquod Sacerdoti primo celebranti officium præstari, quod ab Ecclesiæ ritibus non sit alienum. Sed sub pœna suspensionis ad tres menses vetatur in prima Missa munera a novo Sacerdote in Ecclesia colligi, necnon sumptuosa convivia instrui. Item Rectores Ecclesiarum vetantur exhibere Reliquiæ vel pacis osculum circumeundo Templum, vel varias stationes figendo; sed id graviter faciant inter altaris sepimenta;—4 omnia ad Sacrificium spectantia munda sint, non dilacerata nec detrita. Rubricæ omnes studiose serventur; ac quilibet Sacerdos saltem semel in anno, ea attente perlegat, imperitus vero quoties opus fuerit. Qui negligenter celebrant, qui irreligiose, qui festinanter, admoneantur primo ab Ecclesiæ Rectoribus et Præfectis sacrariis, dein inemendati Episcopo indicentur;—5 Sacerdotes cum clericali tonsura, capillis haud luridis vel justo prolixioribus, et talari veste induti Templum adeant celebraturi; nec liceat illam sub gravi noxæ reatu in sacrario retinere: si quis autem civis vel oppidanus, in loco scilicet proprii domicilii commorans absque eadem veste celebraverit, suspensionis pœnam ad quindecim dies reservatam ipso facto incurrit. Exteri autem, sive nec cives nec oppidani, si secus fecerint, sciant culpæ reatum non effugere, nec justam animadversionem. Pertranseuntibus tamen permittitur, sed non ultra triduum, ut in Sacrario talarem vestem induant, quæ debet esse manicata, et in omnibus Ecclesiis asservari. Adsit autem semper minister qui inserviat, qui nec moribus nec habitu officium suum inhonoret: hinc præstat ut Parochi ac magistri pueros instituant in hoc angelico munere;—6 in sacrario tabella affixa sit, in qua Missarum et anniversa-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 396, et 353.

riorum onera descripta sint, cum suis omnibus indicationibus : item liber sit, in quo satisfactiones Missarum ab unoquoque Sacerdote manu propria describantur de vice in vicem : qui liber est inspiciendus simul cum cæteris a Vicario foraneo in Congregatione, quæ suis temporibus habebitur. Quo in libro qui malitiose, nempe per fraudem, adnotaverit Missas non celebratas, suspensionem reservatam illico incurrit *(pag.* 100 *et seqq.)*.

CAPUT SECUNDUM

DE SUBJECTO SACRIFICII EUCHARISTICI, DE APPLICATIONE VALORE ET EFFECTIBUS.

Q. 1. *Quodnam est subjectum Sacrificii Eucharistici?*

R. Nomine *subjecti* Sacrificii Eucharistici ii intelliguntur, quibus hoc Sacrificium applicari potest : jam vero certum est regulariter illud offerri posse pro omnibus omnino fidelibus baptizatis viventibus, licet peccatoribus ; cum sint Ecclesiæ membra.—Verum non tantum pro omnibus in genere, sed pro aliquibus in particulari specialis Missæ fructus applicari potest. Est contra Synodum Pistoriensem, quæ admittit quidem fieri posse aliquorum commemorationem, at *falsam traducit opinionem in populum invectam, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant.* Hæc vero propositio sub n. 30 a Pio VI damnata fuit ut *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.* Error autem Wicleffi in Concilio Constantiensi damnatus erat : *speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos non plus prosunt eisdem, quam generales.* Wicleffus loquitur de oratione : sed idem dici debet de Missa, cujus applicatio, ut ostendit Drouvenius, ad genus orationis pertinet. Id constat ex Scriptura : sic in veteri Lege pro particularibus sacrificia levitica applicabantur. Constat ex perpetua traditione Ecclesiæ : sic Augustinus sacrificium obtulit pro matre sua (1), et ita alii passim.

Certum est autem posse offerri hoc Sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus, ut Deus eos in timore suo ad adultam ætatem perducat : etiam energumenis, ut eos Deus a malo liberet ; etiam hæreticis, schismaticis, excommunicatis, ut eos Deus ad fidei unitatem atque resipiscentiam reducat ; sed excipe nisi prohiberet Ecclesia directe offerre pro istis, tamquam vitandis (2). Imo et pro catechumenis, ut in fide confirmentur : imo probabilius etiam pro infidelibus, ut ad fidem veniant, Missa applicari potest ; sic judæi sacrificabant pro spartanis ; ad eos enim scribebant: *memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus* (3). Quod etiam Christiani in more habebant a primis temporibus ; hinc Tertullianus : *sacrificamus pro salute Imperatoris*, qui erat infidelis (4). Et ita agere est conformare se Christo, qui pro omnibus se obtulit.

Diximus *pro vivis ;* utrum enim etiam pro defunctis Missa offerri possit,

(1) L. VIII *Confess.* — *V.* Thomassinus, *De Beneficiis*, p. 1ª, l. II.
(2) Quoad vitandos *v. De censuris* ubi de suffragiorum privatione.
(3) I Mach. 12. (4) Ad Scapulam. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 308.

dicimus: 1 quoad *Sanctos*, hoc tantum sensu iis Sacrificium Missæ offerimus, tum ut demus gratias Deo pro beneficiis in ipsos collatis, tum ut obtineamus penes Deum eorum intercessionem. *Siquis dixerit*, ait Tridentinum, *imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit anathema sit* (1); 2 quod spectat *ad damnatos*, dicimus quod inutiliter omnino pro ipsis Missa celebratur; quia *in inferno nulla est redemptio;* 3 quod pertinet *ad animas purgantes,* certum de fide est ex Tridentino definitum, licite et utiliter pro illis Missæ Sacrificium offerri (2). An vero iis magis prosit Missa *de requiem,* audiatur Angelicus: *ex parte... sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur: et hoc est præcipuum, quod fit in Missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam; vel ejus qui jubet dici; vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur* (3). Ex eadem ratione plus prodest Missa, præsente cadavere, ob speciales nempe preces tunc institutas. Idem est de Missa in cantu, tum ob majorem numerum ministrorum ac fidelium: tum ob majorem inde provenientem cultum in Deum et in fidelibus devotionem (4).

Q. 2. *An, et qualis applicatio requiritur, ut Missa specialiter pro aliquo offeratur?*

R. Determinatio personæ, in cujus utilitatem Sacerdos vult, ut Sacrificium specialiter cedat, necessaria est; Sacerdos enim et quidem solus gerit Christi personam; ergo sicut ipse solus in persona Christi Sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum ejusdem applicat (5). Si nulla fiat applicatio vel fiat incapaci, fructus ille manebit in thesauro Ecclesiæ, vel cedet Celebranti, vel illis pro quibus forsan tenebatur applicare: unde præstat ut hæc intentio secundaria habeatur pro omni casu.—Hæc autem specialis applicatio præstat, ut fiat ante celebrationem, ut ab omnibus difficultatibus se expediat Sacerdos: ubi notamus Sacrificium, quod vel ante vel in ipsa consecratione, saltem secundæ speciei, non fuit applicatum, non amplius potest valide applicari, saltem adæquate, quia Sacrificium producit effectum quando existit; a consecratione vero incipit: ideo neque potest pro tali Missa eleemosyna acceptari (6). Hæc etiam notanda quoad applicationem:

(1) Sess. 22, c. 5, de Sacr.

(2) Sess. 22, can. 3: et hujus usus mentionem facit Tertullianus sæc. II (*de monog.* c. x); et Cyprianus sæc. III (*Ep.* 66).

(3) Supp. 3 p. q. 71, a. 9, ad 5. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 310. Defunctis autem remittitur per hoc Sacrificium ex opere operato pœna temporalis tantum; et quidem per modum suffragii iis prodest, prout nempe Deo illud acceptare pro eis placuerit.

(4) *V.* Canestri, *La Rubrica de' Parrochi*, par. 4. Si defunctus ad ipsum tumulandum deferatur de una in aliam Parœciam (licet in eadem civitate), tam in prima quam in secunda potest celebrari Missa *de requiem*, etsi sit duplex.

(5) Non requiritur Sacerdotis applicatio, ut pars fructus generalis percipiatur; semper enim implicite talis applicatio in intentione generali celebrandi includitur. Idem est de fructu specialissimo. *V.* infra ubi de fructu.

(6) Quod valet, etsi pro defunctis celebretur; unde eorum specialis commemoratio quæ fit in secundo *memento*, iis prodest tantum ex opere operantis; non ex opere operato, quum fructus ex

1. Missæ applicatio non necessario debet esse actualis vel virtualis; sed sufficit habitualis, seu quæ semel habita non fuerit retracta : hinc v. g. qui in principio mensis, hebdomadæ, etc. determinat Missas celebrandas, vel legatum suscipit adimplendum, satisfacit, etsi ad intentionem non amplius attendat. *Applicatio enim*, ait Benedictus XIV, *est quasi quædam donatio seu translatio fructus, qui ex Missa capiendus est; quæ donatio, seu fructus translatio valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, et multis actibus interrupta, dummodo retractata non fuerit* (1). Cæterum ad arcendos scrupulos (uti cum Bona subjungit idem Pontifex) primo fructus applicetur pro quo est celebrandum; dein *sine illius præjudicio* (quod mentaliter dici potest) pro sibi conjunctis, vel quovis nomine sibi commendatis. Expedit autem, ut applicatio fiat in ipsa præparatione ad Missam (2).—Quod si Sacerdos immemor prioris intentionis novam celebrando elicit, quænam valida intentio censenda sit, ipse videat, qualis intentio in ejus mente prædominans fuerit. Cæterum in praxi id parvi refert; nam cum una certe valida sit, satis erit, si Sacerdos alia vice intendat Sacrum applicare ei cui defectu prioris intentionis applicatum non fuit.

2. Applicatio fructus specialis in Missa debet quidem ad aliquam personam determinari, cum fructus Missæ nequeat remanere suspensus, sed statim suum operetur effectum ; attamen sufficit, si mediate tantum et implicite illa persona nota sit Sacerdoti, ut esset v. g. si Sacerdos suam intentionem conformet intentioni alterius Sacerdotis vel sacristæ, ex cujus mandato celebrat. Sic etiam valet applicatio, si dicat: *offero Sacrificium hoc pro eo, qui dedit stipendium ; pro quo superior vult Sacrum fieri ; pro quo exigit fundatio ; pro maximo peccatore ; pro anima maxima tentatione afflicta ; pro anima purgante majori auxilio indigente, aut magis Deo grata ; pro omnibus animabus purgatorii ; pro eo, cui applicare teneor* (si tamen de facto teneatur); *juxta intentionem Titii*, etc.

An (quæres) *valeat applicatio pro primo offerente?*—Applicatio pro primo offerente est graviter illicita, et eam prohibuit Paulus V uti *periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, et a vetusto Ecclesiæ more aberrantem.* Imo probabilius est etiam invalida, si causa applicationis hic et nunc non existat ; nam Missæ effectus non potest suspendi (idem autem est de conditione futura). Quod si causa de facto vere existat, applicatio esset valida : sic v. g. qui

opere operato proveniat ex sacrificio ; at sacrificium, consecratione peracta, jam incipit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 335.

(1) *De Sacr.* l. III, c. 16. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 331 et seqq.

(2) In Capellaniis ac Beneficiis cum onere Missarum regulariter Sacrificium est applicandum pro fundatore, etsi dicatur simpliciter celebrandum esse. Unde sola præsentia non sufficit ; sic enim communiter accipitur nomen *celebrare :* idque valet, non obstante quacumque observantia in contrarium. Excipe nisi aliud præseferat voluntas fundatoris vel expressa, vel ex urgentibus conjecturis elicita : ut esset 1 si celebratio demandata sit pro commodo populi, vel monialium, vel confraternitatis ; 2 si fundator præscribat certum numerum Missarum, et aliquas expresse pro anima sua applicari mandaverit, et quoad alias nil dixerit. Quid si in hisce aliis dixerit *orandum esse pro anima suâ?* tunc adhuc censeretur injuncta applicatio ; 3 si tenues sint reditus judicio prudentum, ita ut non sufficiant ad honestam beneficiati sustentationem, si deberet etiam applicare. Ita pluries declaravit S. C. Congregatio, ut videre est in *Thesauro Resolutionum*, t. IV. —It. *v.* A. Mostazo, *De Causis piis*, l. II, c. 3.

prævideret Missas pro tali defuncto postulandas fore, ante postulationem valide applicaret; quia subsistit causa, et persona determinata est (1).

An (addes) *Beneficiatus possit Missam pro alio applicare et stipendium accipere; et simul pro beneficio satisfacere illa Missa?*—Si Beneficiatus solam tenetur pro beneficio præstare personæ præsentiam, utique potest et pro beneficio satisfacere et simul pro alio Missam illam applicare cum stipendio, uti patet: secus eam tenetur applicare pro anima fundatoris. Alioquin duplex acciperet stipendium pro una eademque Missa: ita Benedictus XIV (2). Hic etiam quoad beneficiatum notandum est ex S. C. C. ipsum non teneri per se ipsum sive personaliter, applicare et celebrare pro beneficio, nisi clare exprimatur in fundatione (3).

Q. 3. *Quid est Missæ valor et fructus?*

R. Missæ valor est illa efficacia, quam habet Sacrificium ad conferenda bona et offerenti et iis pro quibus offertur, tum ex dignitate principalis offerentis, qui Christus est; tum ex dignitate rei oblatæ, quæ iterum Christus est. Unde patet Missam in se spectatam esse infiniti valoris, ac fructus infinitos posse producere. Item esse infiniti pretii, ac per illam Deum infinite honorari. Fructus vero sunt bona ipsa, quæ intuitu sacrificii de facto Deus confert: unde valor a fructu differt, veluti causa ab effectu: et patet, quod Missæ fructus uti communicatus non potest esse infinitus; quia illius creatura capax non est.

Hic fructus tripliciter distinguitur: 1 ex parte causæ in illum, qui est *ex opere operato* et *ex opere operantis:* ille confertur intuitu meritorum Christi; hic intuitu meritorum ac devotionis celebrantis; 2 ex parte rei in *meritorium, satisfactorium* ac *impetratorium;* 3 ex parte suæ extensionis in *generalem,* in *specialissimum* et *specialem. Generalis* est qui in totius Ecclesiæ utilitatem cedit: hic alicui nominatim non potest applicari; cum sit fructus communis omnibus Ecclesiæ membris, ideoque fidelibus vivis atque defunctis. *Specialissimus* proprius est solius offerentis: neque offerens aliis videtur ipsum applicare posse; quia cum sit actio ipsius, impedire non potest, quominus sibi ea prosit. Tandem *specialis* (qui *medius* et *ministerialis* etiam dicitur) est qui aliis particulariter applicatur, tam vivis quam defunctis. Ajunt autem id fieri ad modum solis coram multitudine lucentis, qui illuminat singulos; tamen sine aliorum præjudicio intensitas luminis ope artificiali respectu privatorum augeri potest (4).

An (quæres) *Missa pro multis specialiter oblata tantum unicuique proficiat ex opere operato, quantum proficeret, si pro uno tantum offerretur?* Plures cum S. Bonaventura, Roncaglia, Soto et aliis negant; quia ex Christi institutione valor Missæ licet in se infinitus, finito modo tantummodo applicatur.

(1) Ob defectum autem hujus determinationis non videtur satisfacere, qui stipendio accepto a decem personis pro decem Missis, applicat primas decem pro ipsis in confuso. Sed excipe nisi vel intendat, ut prima sit pro primo qui dedit stipendium, et sic de cæteris; vel si singulis applicaret decimam partem uniuscujusque Missæ. Nam in primo casu jam adest determinatio; in secundo unusquisque in fine accipit quod sibi debetur; fructus autem bene dividi potest. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XCII.

(2) *Notificatione* LVI, n. 8. (3) *V.* Pitonius, *De Parochis*, n. 117I.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 312. — Propositio 30 damnata Bulla *Auctorem fidei.*

Recenti ores tamen communissime affirmant, contendentes, effectum non ex institutione Christi; sed ex finita capacitate, ac dispositione hominum limitari. Siquidem Sacrificium hoc idem est quoad valorem ac Sacrificium crucis, quod fuit valoris infiniti juvans omnes (1): hinc si sacrificium offeratur pro centum, singuli tantum perciperent fructum, quantum perciperet unicus ille, pro quo solo offerretur. Neque obstat, quod si hoc valeret, frustra Ecclesia Missas multiplicaret; nam respondetur, quod fructus Sacrificii non percipitur juxta suum valorem, sed juxta dispositionem illius, cui applicatur: hinc quo pluries pro uno repetuntur Sacrificia, eo pluries fructus participatur. — Hæc secunda sententia speculative loquendo videtur probabilior; at quia contraria adhuc est probabilis, non licet quidem Sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno, applicare Missam pro illo in generali cum aliis; nisi saltem sub conditione, nempe modo ille non defraudetur.

Notandum hic quoad Sacrificium Missæ, in quantum pertinet ad fructum principalem, tam prodest si offeratur a malo Sacerdote, quam a bono, cum valor Missæ sit ex opere operato pendens a meritis Christi: in quantum autem pertinet ad fructum precum, quæ in Missa dicuntur, ipsæ etiam valent factæ a Sacerdote peccatore, quatenus hic orat nomine Ecclesiæ, quia Ecclesia semper est Deo grata: secus quatenus orat nomine proprio. Ita S. Thomas (2). Hinc dixit Alexander papa (3): *Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus clamant, exaudiuntur.*

Q. 4. *Quot sunt effectus Sacrificii Eucharistici?*

R. Quatuor sunt effectus Sacrificii Eucharistici, prout quatuor sunt ejus dotes ac qualitates, nempe Sacrificium hoc *latreuticum* est, *eucharisticum*, *propitiatorium* et *impetratorium* (4).

1. Uti *latreuticum* cultum divinæ Majestati debitum reddit; cum enim infinita sit Victima quæ offertur, ideo infinitus cultus tribuitur Deo, cui ipsa offertur; — 2 ut *eucharisticum* dignas gratias de perceptis muneribus, ac præsertim de redemptionis beneficio Deo agit per ejus Filium, qui Victima simul est ac Sacerdos; — 3 ut *propitiatorium* remittit peccata et pœnas: primo peccata, prout Tridentinum docet: *hujus* (Sacrificii) *oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit* (5). Et in liturgia S. Jacobi omnium orientalium antiquissima legitur: *offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi;* et Cyrillus hierosolymitanus vocat Eucharistiam *hostiam*

(1) Non ideo tamen sequitur plura stipendia pro una Missa accipi posse; *tum* quia hoc datur ad sustentationem, non ratione fructus pretii: *tum* quia cum adhuc sit *probabilis* prima sententia, periculum est primum offerentem fraudandi; *tum* quia id prohibitum est. Unde optime se geret Sacerdos, si absolute Missam offerat pro eo, qui dedit stipendium; pro aliis vero sub conditione, nempe sine illius præjudicio. — *V.* Liguori, *Opera Dogmat.* sess. 22; it. *Sull' onorario delle Messe*, n. 25. (2) 3 p. q. 82, a. 6. (3) Can. 91, caus. 1, q. 1.

(4) Duo priora ipsi Protestantes libenter concedunt; at duo posteriora negant, sub prætextu quod tunc Missa Sacrificium Crucis illuderet: quod tamen falsum est et fidei contrarium, ut definivit Tridentinum (sess. 22, can. 4); nam utique Christus sacrificio mortis suæ nos redemit ab omnibus peccatis, ea tamen lege, ut nobis non prodesset hujusmodi universalis redemptio, nisi per applicationem meritorum suorum fide, sacramentis, Missæ sacrificio etc. unicuique in particulari: unde hæc sunt totidem media, quibus merita in cruce parta nobis applicantur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 311. (5) Sess. 22, c. 2.

propitiationis (1). Notandum tamen cum D. Thoma et aliis communiter, Sacrificium Missæ non esse nobis propitiatorium immediate ut Pœnitentia et Baptisma; sed mediate tantum, quatenus vim habet impetrandi donum pœnitentiæ, seu gratiæ auxilium, quo et a mortalibus et a venialibus peccatis justificari, et in justificatione sua homo crescere possit. Item pœnas peccatorum hominibus justis remittit et quidem immediate et per se, ut communiter docent cum Angelico (2); et patet ex Tridentino ubi habetur: *animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari* (3): alia autem via defuncti juvari non possunt, quam immediata pœnarum remissione; — 4 ut *impetratorium* nobis impetrat bona tum spiritualia, tum etiam temporalia, quatenus ista animæ prosunt. Hinc Tridentinum: *siquis dixerit Missæ Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit* (4).

Scholium. — *De Missis privatis, votivis et Altari privilegiato.*

Q. 1. *Quid de Missis privatis?*

R. Missæ privatæ ab adversariis nostris illæ appellantur, in quibus vel nullus Sacramentaliter communicat, vel nullus communicat saltem spiritualiter, vel nullus adest præter ministrum inservientem. In has autem graviter insurgunt, volentes participationem victimæ esse partem essentialem Sacrificii. Sed perperam omnino: ac 1 dicimus contra Lutheranos non esse illicitas Missas, in quibus adstantes non communicant sacramentaliter; Sacerdos enim pro omnibus qui ad Corpus Christi pertinent, celebrat; ideo jam omnes de bono Sacrificio participant. Et Chrysostomus, Ambrosius et Augustinus celebrabant, etsi non esset qui communicaret (5). Hinc Tridentinum: *siquis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit* (6); — 2 dicimus contra Jansenistas nihil importare, etsi nullus neque spiritualiter communicet; cum hæc spiritualis Victimæ participatio tanto minus pertineat ad Sacrificii essentiam et omnino interior sit, ac nullibi præcepta, neque ullo modo ad Sacrificii finem conducat; finis enim præcipuus Sacrificii est Deo supremam exhibere adorationem, eumque nobis propitiari, bona obtinere, ac pro jam collatis gratias agere (7). Hinc propositio 38 Synodi Pistoriensis, quatenus contrarium insinuabat, damnata fuit a Pio VI ut *falsa, erronea, de*

(1) *Catech. mystagog.* 5. (2) 3 p. q. 79, a. 5. (3) Sess. 25, c. 1.

(4) Sess. 22, can. 3. — *V.* Conradus Boppert, *Scutum fidei ad usus quotidianos Sacerdotum*, v. XII. Friburgi 1854.

(5) Chrysost. *Hom.* 3 *in epist. ad Eph.*; quoad alios vid. Bellarminus, *De Sacrif. Missæ*, l. VI, c. 9, n. 24. Esto, quod Christus in confectione Eucharistiæ, eam distribuit; et nos distribuimus, si qui velint communicare. Unde Domini exemplum est quidem præceptivum, sed *affirmative* et *conditionate*, si nimirum sunt qui legitime petant; non autem *negative* ita ut vetitum sit celebrare, nisi sint qui communicent; neque enim ideo aliquid deest vero sacrificio. *Perrone.*

(6) Sess. XXII, cap. 6, can. 8.

(7) *V.* Bona, *Rer. liturg.* l. I, c. 13. — Liguori, *Opera Dogmat.* sess. 23, n. 26.

hæresi suspecta, eamque sapiens (1); — 3 dicimus contra Melanctonem nihil esse redarguendum, etsi Missæ nullus adsit præter ministrantem; minister enim respondet nomine totius Ecclesiæ, et Sacerdos publicam personam gerit celebrando, qui proinde tribuit Trinitati laudem et gloriam, Angelis lætitiam, peccatoribus veniam, justis subsidium et gratiam, in purgatorio existentibus refrigerium, Ecclesiæ Christi speciale beneficium, et sibi ipsi medicinam et remedium contra quotidiana peccata et infirmitates (2). Quo sensu Missæ Sacrificium privatum dici nequit, etsi nullus eo tempore sit in Ecclesia præter ipsum celebrantem, atque ministrum; neque enim ideo aliquid deest ejus essentiæ aut integritati.

Q. 2. *An Missas votivas celebrare diebus vetitis sit mortale* (3)?

R. Negant communiter, secluso scandalo atque contemptu; quia in hoc non videtur adesse notabilis perversio ritus. Excipiunt tamen festa solemnia; saltem si tunc diceretur Missa publica, difficulter posset excusari a gravi. Cæterum nullum est peccatum Missas votivas dicere etiam in diebus vetitis, si urgeat publica necessitas, v. g. necessitas pluviæ, ingruentis belli, vel pestis vel similis mali universalis; item solemnis gratiarum actio ob publicam causam. Sed professio Religiosorum vel monialium non habetur ut causa gravis ex S. Rituum Congregatione 24 julii 1683, ut votiva celebrari possit.

Q. 3. *Quid de Altari privilegiato?*

R. Altaris privilegium in eo consistit, quod ex Indulgentiis, seu fructibus in thesauro Ecclesiæ existentibus liberetur e Purgatorio anima illa, pro qua Missa in tali Altari applicatur; idque vi potestatis clavium, qua Papa fulcitur applicandi Indulgentias, vivis quidem *per modum absolutionis;* defunctis vero *per modum suffragii*, seu deprecationis. Ratio est, quia animæ purgantes non amplius subduntur Ecclesiæ potestati; et ideo absolvi non possunt judiciaria ejusdem potestate a pœnis peccatorum, sicuti vivi: sed solum per deprecationem offerendo Deo ex Ecclesiæ thesauro pretium sufficiens, imo superabundans. Quia autem Deus pretium illud acceptare non tenetur et non acceptat aliquando ob inscrutabilia sapientiæ suæ judicia; ideo suffragia non semper effectum suum sortiuntur: unde merito anniversaria perpetua admittuntur, ac sustinentur ab Ecclesia (4).

(1) Ex hisce omnibus pronum est inferre: 1 communionem liturgicam aut aliturgicam (seu intra aut extra Missam) rem esse plane disciplinarem, cujus moderatio ad Ecclesiam spectat; adeoque 2 jure merito Benedictum XIV in Encyclica *Certiores effecti* data anno 1742, ad sopiendas controversias Cremæ exortas, constituisse, laudabilem quidem esse atque exemplo Christi consentaneam Communionem, quæ ab adstantibus Missæ fiat, attamen non propterea turbas esse excitandas, si ob peculiaria motiva aliter fuerit ab Episcopo ordinatum. Ita *Perrone*.

(2) Hinc concludunt convenientius esse et inculcandum, ut Sacerdotes omnes singulis diebus Sacrificium rite faciant. — *V.* D. Bonaventura, *De præparat. ad Missam*, c. 5. — Kempis, *De Imitatione Christi*, l. IV, c. 5. — Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, l. III, c. 2. *V.* De Obligationibus, *de Presbyteris simplicibus*. Attamen Missa laudabiliter omittitur primis Exercitiorum diebus, ut ita Sacerdotes longiori confessione et perattenta Rubricarum lectione ad eam ferventius et exactius celebrandam disponantur.

(3) Quoad modum celebrationis *v.* Rubrica Missalis; et Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 423. — Card. Morozzo, *Sacre Cerimonie*, Trattato.

(4) Qui, stipendio accepto, deberet Missam celebrare in Altari privilegiato, si in alio celebret,

Clemens XIII pro singulis Parœciis Orbis catholici concessit Altare privilegiatum quotidianum, ubi asservatur SS. Sacramentum, ad septennium: quo expirato, recurrendum erit pro confirmatione. Idem indulsit, ut quælibet Missa in die Commemorationis omnium defunctorum gaudeat tali privilegio, ubicumque celebretur (1) *(T)*.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 147.

«Los Sacramentos (audiatur Gaume, Catechismo ecc). á mas de dar al hombre un entero conocimiento de sí mismo, le enseñan lo que debe hacer para conservar su dignidad en todas las circunstancias de su vida, como lo manifestarémos en la esplicacion de cada Sacramento. Aun mas: los Sacramentos no son una enseñanza estéril, pues dan al hombre la fuerza y la aptitud necesaria para practicar lo mismo que le enseñan: el fiel que se aprovecha de ellos es un héroe.

«Es un héroe en su juventud, pues ata á su carro las pasiones vencidas, esas pasiones que avasallan á los héroes del mundo, y les hacen inclinar la frente hasta el suelo en presencia de torpes ídolos. Alejandro, César, Platon, si me oyéseis os avergonzariais en vuestros mismos sepulcros: semejante á vosotros, hay entre nosotros mas de uno que lee aquí su humillante historia.

«Es un héroe en la edad madura. Conoce la nobleza y la capacidad de su corazon; mide la tierra y la encuentra demasiado pequeña; vé las riquezas, los honores y los ídolos de los hombres, y dice: Yo soy mas grande que todo esto: he nacido para mas grandes cosas. Nadie le ha visto disputar por medio de bajas intrigas los sangrientos girones del manto de los reyes, ni, faltando á su conciencia y al honor, trastornar la sociedad con sus discursos y escritos. Nadie le ha oido para saciar su ambicion, y ocultando el egoismo bajo el disfraz del bien público, repetir con la amenaza en los labios y el odio en el corazon, á cuantos ocupan un puesto mas elevado que el suyo, estas innobles palabras, resúmen harto fiel de la historia política de nuestros dias: Quítate de ahí, que yo quiero ponerme en tu lugar.

«Es un héroe en su ancianidad. Su noble alma se ostenta en su mayor grandeza al acercarse á la eternidad. Vé tranquilamente aproximarse su última hora, y consuela á los mismos que le rodean. Los siglos cristianos han visto á este héroe con todos los trajes y en todas las clases sociales; y aun hoy dia lo hallamos algunas veces en las ciudades, mas á menudo en los campos,

non teneretur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandas Indulgentias applicabiles pro defunctis. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 329 et 339.

(1) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXVI.

cubierto con el humilde vestido del aldeano. Este es el hombre instruido, fortificado y ennoblecido por los Sacramentos en las diversas circunstancias de su vida.

«Ahora decidme, ¿seria inferior á la nuestra una sociedad compuesta de tales ciudadanos? ¿Ha ganado mucho la sociedad en sosiego, en desinterés, en moralidad, en buena fe, y por decirlo de una vez, en santidad, desde que los Sacramentos son considerados como cosas indiferentes ó despreciables? ¿Comprendeis ahora como la Religion, que al parecer tiene por único objeto la felicidad de la otra vida, es tambien el mejor medio de hacernos dichosos en la presente? Si lo conoceis, si sois, como decís, amigos de la sociedad, practicad la Religion, recibid los Sacramentos.»

(B) Pag. 176.

Q. 1. *Quanta sit diversitas inter opus operantis, et opus operatum?*

R. Diversitatem sic perbelle exponit Stapf, § 136: «Paradigma non ineptum discriminis, quod inter *opus operatum* et *opus operantis* intercedit, duo homines exhibent, quorum alter aquam in profundo puteo latentem multo cum conatu haurire debet; alteri vero aliud non incumbit, nisi ut vas vacuum et adaptatum salienti fonti apponat. Id quod non obscure per Isaiam indicatur: qui ait: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo; quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die: Confitemini Domino et invocate nomen ejus:* Is. 12, 2 et seqq. — Vid. *Amico Cattolico*, vol. IV: art. ricerche sul concetto dell' *opus operatum*.

Q. 2. *An valide possit Sacramentum suscipi sine gratia?*

R. Affirmative; nam contingere potest, ut omnia ponantur, quæ ad validam, sed desint in suscipiente quæ ad ejus utilem receptionem ponenda sunt. Uti si adultus susciperet Baptisma, quin doleat de actualibus peccatis, Sacramentum valet et character imprimitur; quia nihil de illius substantia deest: esset tamen *informe,* id est sine gratia, quæ indisposito non datur. Si validum, ideo, accedente dispositione (seu fictione ut ajunt recedente), Sacramentum reviviscit, et gratiam confert: ad modum, quo remoto obice a flumine, aquæ statim revertuntur in alveum suum marte proprio, ac fluunt sicut ante. Hoc autem in omnibus Sacramentis evenire posse, una excepta Eucharistia, docent Lugo, Salmanticenses, Suarez, Tournely aliique multi cum D. Thoma, atque divo Bonaventura.

De *Baptismo* patet, qui cum sit initerabilis, remoto obice, reviviscere debet, ad delendum originale: cum hoc per Baptismum tantum deleri possit. *V.* divus Thomas (3 p. q. 69, a 10); — 2 idem dicendum cum Sylvio et Suarez de *Ordine* et *Confirmatione;* nam cum ista nequeant iterari, videtur consentaneum divinæ Bonitati, ne tales suscipientes relinquantur destituti gratia sacramentali tam necessaria confirmatis ad fidem profitendam, et ordinatis ad clericalia munia obeunda; — 3 id valet pari ratione de *Matrimonio* et *Extrema-Unctione*, ut docet S. Bonaventura; quia etiam congruum videtur, quod, cum Unctio non possit iterari eodem mortis articulo, nec matrimo-

nium vivente eodem conjuge interim fideles non careant gratia Sacramenti; —4 hoc probabilius dicendum est etiam de *Pœnitentia*, ut contra Scotistas communissime docent Thomistæ ex Angelico *(Suppl. q. q. a.* 1; et *in* 4, d. 17, *q.* 3, *a.* 4, *q.* 1). Casus esset, si quis duo mortalia habeat, unum furti, aliud perjurii; dein memor tantum furti, de eo solum doleat ex motivo speciali supernaturali illius turpitudinis. Tale Sacramentum est validum, quia nulla pars essentialis deest ad valorem: *non confessio*, cum fiat integra eorum quæ memoriæ occurrunt; *non dolor*, cum adsit circa peccatum confessum; *non absolutio*, ut supponitur. Tamen est informe; quia non habetur dolor de perjurio, neque in alio dolore est inclusus; et si inclusus, non est sensibilis ut sufficiat ad pœnitentiam. Restat ergo, ut detestato peccato oblito, gratia reviviscat; ita ut nulla amplius sit obligatio, nisi postea clavibus subjiciendi peccatum omissum.

Diximus *si Eucharistiam excipias;* cum hæc ex sui institutione frequenter possit iterari, non fuit opus hanc ei tribuere efficaciam. Censet tamen Croix cum Palao ac Scoto, quod si quis se communicet et removeat obicem, antequam species Eucharisticæ consummentur, is non carebit gratia Sacramenti; nam idem est ac si tunc reciperet, cum adhuc entitative subsistat. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, nn. 6 et 444.

Q. 3. *An ad obtinendos Sacramentorum effectus necesse sit, ut signa collationis eorum, et verba a suscipientibus intelligantur?*

R. Lutherani et Calvinistæ cum teneant Sacramenta non operari per se et *ex opere operato,* sed tantummodo *ex opere operantis*, contendunt ad obtinendos Sacramentorum effectus requiri in suscipientibus plenam intelligentiam signorum atque verborum collationis Sacramentalis, ita ut si talis intelligentia desit, nulla et irrita prorsus habenda sit ipsa Sacramentorum susceptio; et ideo addunt Sacramenta omnia esse administranda in *lingua vernacula, cum propter hominem* (inquit lutheranus Gherandus, (l. c. § LI) *Sacramenta sint instituta; ideo in vernacula lingua... nos Sacramenta administramus.* Quem errorem in Quesnello jampridem condemnatum sequi non erubuerant Janseniani-Scipionistæ in Pseudo-Synodo Pistoriensi. Quid vero in dicta hæreticorum sententia pronuntiandum esset de Baptismate infantium, amentium et aliorum qui intelligentiæ capaces non sunt, ipsi videant. Nos porro dicimus utile quidem esse, ut fideles adulti et rationis exercitio præditi, meliori quo possunt modo, sensum et significationem verborum et signorum Sacramentalium intelligant eaque percipiant (et idcirco Ecclesia Parochos et ministros suos enixe hortatur, ut eam in rem studiose nitantur); sed simul dicimus et tuemur ad Sacramentorum effectum illam mentis intelligentiam in suscipientibus haudquaquam de necessitate requiri; ratio autem aperte deducitur ex eo quod dogma catholicum sit Sacramentorum essentiam non consistere in *opere operantis*, bene vero in ipso *opere operato.*

Q. 4. *An Sacramenta physice vel moraliter gratiam producant?*

R. Certum est Sacramenta non esse causam principalem, quasi agant virtute sibi propria; sed instrumentalem, eo quod agunt virtute sibi communicata. At causa instrumentalis dupliciter effectum potest producere: *physice* si effectum virtute accepta immediate producat, ut securis necessario lig-

num secat; *moraliter* si alium liberum agentem moveat ad causam physicam producendam: hoc sensu dominus movet servum ad sua jussa exequenda. Hoc posito, magna quæstio est, an Sacramenta primo vel secundo modo causent gratiam. Alii tenent cum Tournely eam in Sacramentis causari moraliter: quia gratia petit de se a solo Deo produci, quin opus sit miraculum addere, quod scilicet, Sacramenta conferant eam de se. Alii volunt cum Suarez eam physice causari; hoc enim magis decet Sacramenta; et est communius illis verbis: *nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. Utraque sententia est probabilis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 7.

(C) Pag. 180.

Quoad sacras cæremonias, plura speciatim observanda quoad musica instrumenta, cantores, lumina, modum cæremonias exequendi, tum demum quoad populum de iis instruendum.

1. Quoad *musica instrumenta*, quæ in sacris functionibus adhibentur, vid. 1 Benedictus XIV Constit. *Annus*. Musica sacra ac moderata animos quodammodo abstrahit a terrenis et rapit ad cœlestia; 2 Veith, *Scriptura Sacra vindicata;* In Prophetis generatim; 3 Ferraris, *Bibliotheca Canon.* V. Musica; 4 *Ristabilimento del canto e della musica ecclesiastica;* Considerazioni scritte in occasione dei molteplici riclami contro gli abusi insorti in varie Chiese d'Italia e di Francia ecc. *(Annali Relig.* Roma, vol. XVI); 5 *Civiltà Cattolica*, ser. 3ª, vol. IV: il canto. — Sed *fastidit ætas nostra*, ait Bona, *concentum gravem et stabilem, amatque modulos quosdam*, quibus enervantur animi. Hoc non curant; at certum est, ipso fatente Tullio (l. II *de leg.* n. 15), *nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos:* et narrat, quod Græci *ad mollitiem sunt immutati cum cantibus.* — Musicam hujus generis e templo prorsus eliminandam nemo non videt; curet ergo Parochus diligentissime, ne Ecclesiæ suæ illud umquam possit accommodari, quod canebat christianus poeta:

Il teatral rondò, l'allegra danza
Nella Chiesa risuona, e quella impura
Musica inetta, onde arrossa natura,
E ne freme di Dio la sacra stanza!

«El cardenal Patrizi, Vicario General de Roma, á últimos del mes de Noviembre de 1856 por espresa órden del Papa dirigia á todos los Superiores de las Iglesias una *notificacion* concerniente á la música eclesiástica. En ella manifestaba el mas vivo dolor, en atencion á que la música de la Iglesia por el estilo de la composicion, frecuentemente mas teatral que religiosa, por la manera enteramente profana del canto, y por los instrumentos adoptados para la ejecucion, haya llegado á ser mas bien objeto de escándalo que de edificacion para los fieles. A causa de esto se manda que sean desterrados de las iglesias los tambores, tímpanos y otros instrumentos ruidosos por el estilo, y que durante el tiempo de las funciones de iglesia no se toquen ni canten melodías ó sinfonías teatrales..... Esta prescripcion que el Sto. Padre

hizo notificar á las iglesias de Roma, es digna de ser tenida en consideracion y practicada en todas las iglesias del orbe católico.» (Ita *La Buona Settimana*. Torino, anno 2, 1857, n. 1).

2. Quod pertinet ad *cantores*, illi moribus sint graves, modesti ac religiosi; et quoad fieri potest, Clerici. Attamen usu inductum est, ut sint etiam sæculares homines. Utrum vero id possint ipsæ fœminæ, nullum decretum prohibens citatur; quod autem ex Apostolo (I Cor. 14) mulieres taceant in Ecclesiis, id est in ordine ad docendum; et sane in Gallia ac Germania fœminæ cantant in orchestra divina Officia; non tamen apud nos. Quidquid sit, si fœminæ sint quæ canunt, per cancellos seu crates omnino subducantur a fidelium conspectu. Quod vero speciatim pertinet ad Moniales, ait Barbosa (*In jus Eccl. univ.* l. I, c. 44): «nec permittatur in Ecclesiis Monialium a personis sæcularibus cantus simplex vel figuratus; S. C. in Bononiensi 1585, et in Mediolan. 1593; bene tamen inter ipsasmet; eadem S. C. 8 febr. et 30 martii 1594.» (*V.* L. Ferraris, *Biblioth. Canonica* etc. V. Moniales, *art.* 6). Ordinum tamen fundatores post Tridentinum suis Monialibus prohibuere cantum seu modum musicum (vulgo *il contrappunto*). — *V.* Tannoja, *Della vita ed istituto di S. Alfonso M. Liguori*, l. III, c. 34. Marietti, Torino 1857.

3. Quoad *lumina* in ecclesiasticis ritibus adhibenda notamus: — 1 non licere oleo substituere *hodiernum gaz* ex immundis materiis (nempe carbone fossile) extractum; intellige in ipsis ritibus; nam liceret ad aditus illuminandos, etc. Ita sentit Pius Martinucci pontificius cæremoniarius (De-Luca, *Annali* an. 1845, vol. xx). Oleum autem debet esse olivarum: attamen usu tolleratur etiam oleum quod non sit ex ulivis expressum in montanis maxime regionibus, ubi nullum hujus generis tam facile haberi potest: *v.* S. Carolus in suis *de Sacram. Euchar. Instructionibus*; — 2 neque etiam permitti loco ceræ candelas modernas (vulgo *estearicus*), ex sebo nempe magis expurgato ac meliori norma per calcem præparato confectas (a græco *stear* latine *sebum*). Et S. R. C. ea de re interroganti respondit: *consulat Rubricas* (*Annali*, vol. xvii, an. 1843). Quod idem valet paritate rationis de aliis dictis *philippinis*, cum semper sint ex sebo. Sane ea semper fuit Ecclesiæ mens, ut antiqui ritus adamussim serventur, *tum* ob mysticam significationem quam innuunt, *tum* ob instituta majorum quæ præstat venerari, et ne sensim sine sensu exitiosæ inducantur novitates. Hinc Sixtus V celebri constit. *Immensa* 22 jan. 1587, qua S. Rituum Congregationem erigebat, præcipit: *ut veteres ritus sacri ubivis locorum in omnibus urbis orbisque Ecclesiis... diligenter observentur... ut omnia rite et sancte... et ex Patrum traditione fiant.* (In ea tamen decisione ob motivatas causas declaratum fuit, permitti Episcopo massiliensi, ut tolleret in sua Diœcesi candelas stearinas, modo absit fidelium admiratio et scandalum, et modo non agatur de functionibus quæ proprius respiciunt Sacramentum, aut in quibus Ecclesia iis utitur precibus quæ ceræ usum designant.)

4. Præstat si Parochus cæremoniarum dignitatem, utilitatem, et excellentiam tueatur contra protestantes, qui superbe eas contemnunt, quasi ethnicorum reliquias. Etiamsi enim hoc daretur (ad rem Perrone), quod tamen aliqui eruditi cum Lazzari negant; nihil exinde sequeretur; ritus enim

materiales per se indifferentes sunt, ideoque totam bonitatem aut malitiam ab objecto et fine quo adhibentur, habent. Cum igitur Ecclesia hos ritus adscivit ad Deum colendum, nihil amplius in illis reprehendendum: alioquin templa ipsa et altaria forent abroganda. Item debet Parochus mysticam cæremoniarum significationem fidelibus aperire, ut sic ad devotionem excitentur magis, ut habet Tridentinum loquendo de Sacrificio Missæ (*sess.* 22, c. 8). — Hac de re *v.* inter cæteros P. Vincentius a Massa, *Institutiones Liturgiæ sacræ.* Taurini, Paravia, 1835: ubi erudite res tota discutitur; — Bouix, *Tractatus de jure liturgico.* Parisiis 1853. —Raffray, *Beautés de culte catholique.* Paris 1843.—*Spirito delle ceremonie della Chiesa.* Bergamo 1845. —*Ragionamento sulle origini e significazioni dei riti della Chiesa.* Lucca 1840. —Gaume *Catechismo* ecc. vol. IV. — Durandus, *Rationale divinorum Officiorum.* — Durantus, *De ritibus Eccl. catholicæ.* Absit tamen, ut ideo cæremoniæ sint vulgari lingua adhibendæ in ipsis sacris ritibus: *sicut una fides*, ait card. Osius unus ex tridentinis Patribus, *ita visum est Patribus, ut una esset quasi catholica lingua communis omnium gentium et nationum, qua res divina fieret, per quam unitas etiam in fide retineretur.* De fid. et symb. c. 35 (*V.* De-Maistre, *Del Papa* lib. I, c. 20: digressione sulla lingua latina. — Bergier, *Dizionario*, ecc. V. Lingua volgare, Liturgia. — Gausco, *Dizionario Ricciano-antiricciano*, V. Lingua. — Liguori, *Opera dogmat.* sess. 23, c. 8, n. 48.— Nardi, *Elementi di diritto* ecc. § 508). Rem ergo malam tentant qui e scholis nostris linguam latinam amandare vellent. *V. Avvedimenti politici*, c. 11. Item *Memorie Moden* Continuazione, vol. I. It. Il *Cattolico*, vol. XVIII, pag. 275.

5. Audiatur Stapf, (§ 574) quoad *modum cæremonias exequendi:* «Dum Sacerdos inter ipsa sanctissima Mysteria nil nisi frontis audaciam, levitatem oculorum, cæremoniarum incuriam, et animum quaquaversus dissipatum præsefert, quid mirum, si etiam adstantes omnis devotionis expertes maneant, vel omnino ad conspectum talium ministrorum de veritate Religionis vacillent, dicentes: *Ubi est Deus eorum?* Quare ut scintilla pietatis in nobis æque ac aliis excitetur, atque in cœlestem denique flammam animus surgat, præcipua nostra cura sit, *sancta* semper ut *sancte* administremus. Nihil in nobis appareat, quod non modestia, gravitate, decentia et Religione plenum sit. Tunc sane dicteria et irrisiones, quibus hæretici ac infideles cultum nostrum onerant, facile cessabunt, quippe quibus aliud respondendum non erit, nisi: *Venite et videte.*» — Sed aliud est grave monitum, quod tamen nonnulli parvi faciunt; at maximi momenti est tum ad devotionem in Clero tum ad reverentiam in populo erga sacra Mysteria excitandam: hoc legere est in libro, *Memorie di Religione* ecc. Moden. tom. II, pag. 371: «Las sacristías, que son como el vestíbulo de los templos, deben ser el asilo del recogimiento y del silencio. La risa y las conversaciones, sea cual fuere la costumbre introducida, es preciso que se destierren enteramente de estos lugares; porque ¿cómo atreverse á celebrar los divinos Misterios y á ofrecer el sacrificio tremendo, sin otra preparacion que entretenimientos ociosos, para no decir cosas peores, y con un corazon lleno de pensamientos vanos y de la profana alegría del mundo? Qui habet aures audiendi, audiat.»

Novi Sacerdotes ac Parochi attente perlegant Rituale atque illud serio revolvant per aliquod temporis, antequam Sacramentum administrent, vel functionem agant; ipsa enim rei novitas vel doctissimos errare facit: unde præstat, ut privatis experimentis sese exerceant primum, vel expertis administrantibus aliquoties assistant. Cæterum Rituale adamussim servent, neque addendo, neque mutando, ubi Rituale neque addit, neque mutat: sic v. g. non licet addere *alleluja* ad antiphonas in funere parvulorum, etsi currat tempus paschale; cum Rituale non dicat. Ita neque in baptizanda fœmina licet immutare orationes, ut illius sexui aptentur, nisi id expresse indicet Rituale. Attamen etiam experti interdum perlegant in Rituali tum ordinem administrationis, tum ea quæ illam præcedunt, ut omnia semper rite agant: et hoc maxime convenit, ut fiat exercitiorum tempore. — Synodus Novariensis commendat, *ut semel saltem in anno Missalis rubricas Sacrificii ritum spectantes Sacerdotes omnes, imperiti vero quoties opus fuerit, attente relegant* (pag. 109).

6. De hoc etiam nos incusant protestantes et libertini, quod eadem sine fine repetimus in liturgiis et orationibus nostris, quæ quidem, ut ajunt, et fastidium generant et risum excitant et animi infirmitatem ostendunt. Verum ad rem Lacordaire, *Vita di S. Domenico*, cap. v: *no les deis oidos, dice, hermanos, pues son unos miserables que no sienten la vida del corazon; el amor no tiene mas que una voz, y el entusiasmo tiene un solo aplauso.* Pulchre etiam cl. Bellasio in opuscolo, *Maniera di recitare con frutto il Ss. Rosario:* «¿á qué viene repetir tantas veces la misma súplica? Para contestar á esta pregunta seria preciso saber esplicar en qué consiste que los corazones vivamente enamorados gusten siempre repetir sus mas ardientes y tiernos coloquios; seria necesario tambien saber decir como es que el corazon no solo no se sacia de palpitar siempre igualmente en la vivacidad del afecto, sino que las palpitaciones mismas son el pasto y la vida del mismo amor. Pero podemos hacer observar, que hasta la poesía, este hermoso lenguaje del amor, tiene tambien sus cadencias, sus pausas con medida y sus intercalares, en las cuales el alma se para, como para descansar y nutrirse cómodamente de cada flor de belleza que brilla á su alrededor. Del mismo modo en los Salmos casi en cada verso la primera parte expresa un pensamiento y la segunda repite su concepto con simetría; y siendo muy vivo el afecto, las mismas palabras aunque muchas veces repetidas hacen mas fuerte la espresion. Lo mismo podemos decir de la música, esta bellísima expansion del sentimiento que eleva el alma sobre todo lo terreno, y á manera de alas de ángel le da vida, movimiento y afecto; al paso que ora pisa las huellas de nuestros vivos pensamientos, ora nos da los varios tintes de nuestras afecciones, ora nos transporta hasta llegar á los inmensos campos de la armonía. Como para aliviarnos de la fatiga causada por un vagar incierto, nos conduce poco á poco á la quietud, viniendo á parar siempre á lo mismo; de donde se toma un nuevo arranque de inspiracion, y nosotros nos encontramos, nos atreveríamos á decir, contentos y satisfechos de ver que el tiempo mide los pasos, modera los impulsos y nos conserva en la unidad armónica.»

(D) Pap. 183.

Inter Sacramentalia enumerantur tum *Agni Cerei* a Papa benedicti, vulgo *Agnus Dei*, qui proinde veneratione digni sunt, et quos pingi vel inaurari sub pœna excommunicationis prohibuit Gregorius XIII, uti refert Azorius: tum *Rosa aurea,* quæ in Dominica quarta Quadragesimæ item a Papa benedicitur ac postea dono mittitur ad aliquem Principem vel Reginam. — *V.* Raynaudus, *Tract* IV, t. x ejus Operum. — Beyerlinck, *Teatrum vitæ humanæ,* V. Benedictio. — Quarti, *De benedictionibus.* — *Civ. Catt.* vol. I, ser. 2ª.

Aquæ lustralis usus utique commendatur antiquitate, ut dictum est in textu; nam antiquitus in medio templorum atrio erant aquæ salientes seu putei vel conchæ, ubi fideles templum ingressuri manus et os sibi lavare consueverunt. (*V.* Bona, *De rebus liturgicis.*) Ex quo illud certe repetendum apparet, quod adhuc penes nos, catholici templa petentes manus dexteræ digito aqua lustrali perfuso sese crucis signo munire solent, ut sic purificati loco sancto, divinisque rebus digniores sint. Etsi autem olim non solerent fideles aqua benedicta se munire e templo egrediendo; id tamen hodie passim est in usu, quod quidem contra externas tentationes utiliter fieri, merito docet Bouvier, *De Eucharistia*, c. VI, a. 4, § 11.—Aquæ benedictæ, adveniente causa, non benedicta adjungi potest, dummodo hæc semper sit in minori quantitate.

Projicere (ait ex Croix S. Alphonsus, *Opus Mor.* l. VI, n. 94) canibus ossa agni vel ova quæ in Paschate benedicuntur, Gretserus putat illicitum; sed ea vult comburi, et cineres decenter tractari. Sed negandum, quia res ejusmodi non benedicuntur benedictione constitutiva sive consecrativa, idest per quam reddantur res in rigore consecratæ; sed tantum benedictione invocativa, per quam solum invocatur specialis assistentia Dei circa rerum illarum usum. Quæ porro sic benedicuntur, adhiberi semper possunt ad illum usum, ad quem poterant ante benedictionem. Sic sæpissime a Sacerdotibus benedicuntur omnes cibi ante mensam: et tamen postea ex illis cibis datur canibus. Similiter est licitum candelis vel aqua benedicta uti ad alios profanos usus, decenter tamen: v. g. ad adhibendum lumen pro studio, ad miscendum vinum pro potu; quoad ultimum alii contrarium suadent.

Hic de nonnullis benedictionibus.

Q. 1. *Quid sentiendum de benedictionibus a laicis tributis?*

R. Benedictio significat tum consecrare, dedicare, quomodo dicuntur benedictæ Ecclesiæ, consecrata vasa, etc.; tum prospera alicui adprecari, ut cum benedicitur persona; tum Deum orare sub aliqua re, ut illam nobis salutarem efficiat, uti cum benedicuntur poculenta et esculenta in mensa. Primum sæcularibus non convenit, cum illa benedictio sit adnexa Ordini: cætera etiam fieri possunt a laicis, privatim tamen: neque tunc habentur ut sacramentalia, cum non adsit Ecclesiæ deputatio. — Ac l benedicere personis privato modo etiam laicis fuit proprium. Sic S. Birgitta Dariam virginem benedixit, et a cæcitate liberavit. Maxime autem commendatur Bene-

dictio parentum in filios: sane parentes sunt quasi Sacerdotes familiæ ex Chrysostomo; et plura exempla sunt in Scripturis et Ecclesiastica historia; idque maxime in usu est cum filiis parentes tribuunt extremum vale, exemplo Christi, qui elevatis manibus benedixit Discipulis suis et in cœlum ascendit. (*V.* Quarti, *Biga ætherea, de benediction.* Catalani, *Rit. Rom. commentariis exornatum*, t. VIII, c. 5).— 2 Benedicere mensæ est ritus sane antiquissimus, qui fuit in usu apud clericos, monachos et laicos: idque exemplo Domini, qui cibos benedicere solitus fuit. Dedecet tamen, ut benedicant laici, præsente Ecclesiastico. (*V.* Catalani, *Sacr. Cæremoniorum*, lib. III, h. l.) In benedictionibus a Christianis communiter adhibetur signum crucis: et merito, quia per crucem omnia nobis Christus procuravit, et ideo crux est omnium benedictionum instrumentum. Nulla autem est determinata verborum formula. Audiatur Augustinus, qui in illud Ps. 128: *et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos,* ait; *nostis, fratres, quando transitur per operantes, est consuetudo, ut dicatur illis: benedictio Dei super vos. Et magis ista consuetudo erat in gente judæorum; nemo transibat et videbat aliquos facere aliquod opus in agro vel in vinea vel in messe vel aliquid hujusmodi: non licebat transire sine benedictione.* Vel ipsis gentilibus benedictio communis erat; si enim Christiani pro accepta eleemosyna ajebant danti: *benedicat tibi Deus,* ajebant gentiles: *benedicat tibi Jupiter.*— *V.* Christianus Lupus t. VII Operum.

Q. 2. *An omnes Sacerdotes possint indiscriminatim devotis benedicere?*

R. Quamvis omnes Sacerdotes ex vi sui Ordinis facultatem habeant benedicendi res et personas; hoc tamen accipiendum est intra limites ab Ecclesia præscriptos, a qua juxta diversos ordines sacrarum functionum diversorum Ordinum ministri deputati sunt. Sic benedictiones aliæ pertinent ad solum romanum Pontificem, ut benedictio Agnorum Dei. Aliæ ad solos Episcopos, ut consecratio calicis, Ecclesiæ, altaris, aliæque in quibus intervenit unctio Chrismatis vel sacri Olei. Aliæ demum benedictiones spectant ad Sacerdotes: et quidem cum hoc discrimine, ut quasdam omnis Sacerdos, quasdam vero nonnisi Parochus vel ab ipso delegatus dare possit. Ex Diclich cum Baruffaldi particulares quæ habentur in Missali, nempe benedictio aquæ, agni in paschate, panis, novorum fructuum, vel comestibilis, candelarum, loci, domus novæ, thalami, novæ navis, fieri possunt etiam a simplici Sacerdote absque præjudicio jurium parochialium; cæteræ vero quæ sunt in Rituali nonnisi a Parocho possunt fieri. Verum doctiss. Catalani cum Quarti dicit, quod per se loquendo a simplicibus Sacerdotibus peragendæ sunt illæ benedictiones quæ tam in Missali quam in Rituali fieri præscribuntur a Sacerdotibus absque alio additamento, ut benedictio aquæ lustralis, candelarum, navium, esculentorum, bombycis, pueri infirmi, fornacis, etc. Abstinere autem omnino simplices Sacerdotes ab iis benedictionibus debent, quæ in libris Missalis ac Rituals dicuntur fieri a Parocho vel ab alio Sacerdote, sed illorum permisso, vel de licentia Ordinarii, ut est benedictio nuptiarum, fontis, domorum in Sabbato sancto, et aliæ complures in Rituali descriptæ, ut a Parocho fiant, *vel ab alio Sacerdote;* tunc enim intelligitur ab alio Sacerdote de licentia Parochi.

Diximus *per se loquendo;* observat Lorenzini: ad confusionem evitandam, ad ordinem conservandum, benedictiones a sacerdotibus simplicibus aut capellanis datæ oportet ut sint singulares, privatæ, quietæ ac moderatæ; item caveant Sacerdotes et capellani, ne parochianos a proprio Parocho avertant, ne turpe lucrum quærant, ne superstitionem aliquam foveant. Ex quo etiam patet, quare plura quæ etsi non de jure parochiali, attamen nonnisi a Parocho præstant fieri; id est vel quia id exigit consuetudo immemorabilis, vel lex Synodalis, vel conventio, vel bonum pacis.—*V.* Benedictus XIV, *Notificatione* cv.—Ferraris, *Bibl. Canon.* V. Benedictio.—Gardellini, *Collectio Decret.* n. 4855.—Bouix, *De Parocho*, par. IV, c. 11.

Q. 3. *Quid de benedictione cum Sanctorum Reliquiis impertita?*

R. Rituale nullam mentionem facit harum benedictionum, quæ fiunt super infirmum; attamen pium et laudabilem usum nemo reprobat; et nonnullæ Religiones formam habent, quæ si haberi non possit, ita fit: absolutis precibus a Sacerdote stola induto super infirmum juxta R. Rituale, benedicatur ei cum Reliquia in signum crucis dicendo: *per intercessionem S. N. liberet te Deus ab omni malo, amen*: et dein Reliquia osculanda detur. Hic nonnulla advertenda:—1 benedictionem quæ privatim tribuitur infirmo vel ejus indusio a Capellano stola induto vel domi vel in ejus Oratorio, hodie non interdici sive ex tacito Parochorum consensu, sive ex usu inducto: at caveatur semper omnis abusus, omnisque modus indecens;—2 quoad istas benedictiones reprobanda est illorum nimia facilitas, qui omnibus sine discretione ultro benedicunt, non jam bonum animarum curantes, sed turpem quæstum: sunt enim qui benedictionibus abutuntur. Sed etiam eorum reprehendenda falsa prudentia atque mundanitas, qui omnes et viva fide benedictionem petentes repellunt uti superstitiosos;—3 etsi Sanctorum Reliquiæ sint deponendæ in Ecclesia, non autem in dominibus privatorum detinendæ ex Nicæno Concilio; neque sunt per laicos ullo modo tractandæ aut tangendæ ex Conc. Prov. Mediol.; attamen si agatur de Reliquiis parvis ac thecis inclusis, etiam privatis hodie usu concedi solent, et collo decenter gestari;—4 recognitio Reliquiarum ad Episcopum pertinet etiam pro Ecclesiis Regularium: unde antequam publico exponantur, ab Episcopo Diœcesis sunt cognoscendæ. Decenter autem vel in Ecclesiis vel in Sacrariis custodiantur; item et diplomata, sigilla, fila quibus earumdem veritas authentice probatur.—*V.* Lorenzini, *Il rito, onde venerare le Reliquie dei Sancti.* Piacenza 1760.—Boudon, *L'obbligazione che hanno i Pastore d'anime d'insegnare* etc. v. pag. 126. —It. Synodus Novariensis, pagg. 57 et seqq.—Et *Append.* in fine V. Benedictio.

In publicis benedictionibus ac semper ubi fieri possit, adhibeatur stola et cotta.

Q. 4. *Quid de campanarum benedictione et usu?*

R. Campanæ benedici, sed baptizari solent, quod quidem antiquum est et laudabile; non enim baptizantur quasi fidei ac gratiæ capaces, sed ut habeantur consecrata ad officia religiosa: quæ quidem sic exprimi solent:

Laudo Deum verum, plebem convoco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Non ergo irridendus usus campanas pulsandi, vel ipsa ingruente tempestate; instrumentum est ad hoc etiam ab Ecclesia benedictum. Quia tamen plerumque in iis pulsandis modus non observatur, imo tunc pulsantur magis, cum tonitru terræ vicinum est, ex quo facile (ut dicunt) evenire possit, ut vibrationes aëris fulmen attrahant, ideo hac de re civiles leges emanatæ sunt ad modum ponendum. In Gallia habetur lex civilis 8 apr. 1832; in Lombardia Decret. 13 julii 1817; in Sabaudia Edict. 3 apr. 1822 (vid. Synodus Novariens. pag. 364), ubi de campanarum sonitu et custodia turris.—Quoad campanas vid. Benedictus XIV, Notificatione XX.—Catolani, *Pontif. Romanum commentariis illustratum.*—Gaume, *Catechismo di perseveranza.*—*Cattolico,* Giornale Relig. Lugano, vol. XVIII, XIX, XXV, etc.—Bellasio, *Il libro della S. Messa:* art. Campane.

(E) Pag. 184.

«Recordare lector (ad rem *Contensonius)*, quod Baptismus sepultura est, qua mundo mortui cum Christo veluti sepeliuntur, dicente Apostolo, (*Rom.* 6): *consepulti sumus ei per Baptismum in mortem.* Ergo vita mortui, vita nobis sepulti ducenda est.—Sepultus separatur a societate, nullum habet cum viventibus commercium; ergo baptizatus a damnandis operibus debet omnino non vivere, nec cum peccatoribus fœdera iniquitatis inire.—Sepultis nulla spes est redeundi ad sæculi vitam; ergo baptizatus cum mundo et maximis mundi inimicitiam gerere capitalem, immortalem, implacabilem, et citra omnem restituendæ amicitiæ expectationem obligatur.—Sepultus est in loco oblivionis...; ergo baptizatus tametsi recogitare debeat annos suos in amaritudine animæ suæ, omnium tamen peccati incentivorum delere memoriam debet, ne iterum labatur in scelera, etc.»

Ex hoc patet quanta sollicitudine sit conservanda gratia et innocentia baptismalis, maxime in adolescentibus, ut per totam vitam illibata maneat. Ad rem ait Oberrauch: *Unde satis mirari, imo satis dolere nemo facile queat, quod ii, qui adolescentiam aut ex munere publico, aut ex privato officio curant, in explicando tanti momenti negotio tam segnes, et plerumque etiam nulli sint. Quasi vero præ omni scientia, eruditione ac civilitate morum prima integritas non esset decus sine comparatione primum. Reliqua cuncta sine hoc adolescentem parum reipsa exornant; et ingentium insuper malorum occasiones sunt. Sed umbratica pro veris maxima curantur, et summis male neglectis, ingentes non raro conatus soli adolescentum ruinæ proludunt.* (Stapf. § 269.

(F) Pag. 192.

«Croix hoc advertit circa praxim, ut nempe statim post mortem matris aperiatur os ejus, ut si proles vivit, non suffocetur. Ait Cangiamila cum Possevino, Gobat, etc. peccare graviter parentes, qui negligunt efficere, ut fiat incisio; et etiam chirurgos qui illam negligunt vel differunt... Præterea dicit, quod si alter reperiatur, etsi non chirurgus, qui vires habeat faciendi incisionem,

tenetur illam operari.» Ita Liguori, *Homo Apost.* tr. XIV, n. 9. Cæterum ad prospiciendum infantibus valde præstat, ut consulatur laudatus Cangiamila in sua *Embryologia sacra,* quæ adeo commendatur a Benedicto XIV, *De Synodo Diœc.*—It. vid. ejus *Compendium*, auctore Dinonart: hoc Compendium habetur etiam in *Bibliot. sacra ;* ovvero, *Dizionario universale delle scienze ecclesiastiche* dei PP. Ricard e Giraud. Mil. vol. XXI.—It. *Essai sur la Theologie,* etc.—Bouvier, *In supplemento.*

«En el caso (ad rem *Gousset),* que no se encontrara cirujano, ni médico, ni otra persona capaz de hacer la operacion cesárea, ¿estarian obligados á hacerla el Párroco ú utro cualquiera sacerdote?—Nosotros somos de parecer que no tienen ninguna obligacion, por ser esta operacion muy poco conforme al carácter eclesiástico, y sobre todo pudiendo esponerse á ser reconvenidos por los magistrados.»

(G) Pag. 194.

Valet Baptismus, si quis dicat: *ego te baptizo in nomine Filii et Patris* etc., licet etiam præponendo Filium velit significare hunc esse principium Patris; nam aliter ex se sonat nomen Patris. Neque error internus ministri præjudicat valori Sacramenti.—Excipe si cum mente hæretica ita varietur forma, ut etiam exterius alium sensum verba habere possint, quam Christus intendit: tunc vera Ecclesiæ intentio perversa esset, ut si quis diceret *Spiritu Sancta*, intendens tertiam Personam esse muliebrem.

Item esset invalidus, si quis adderet in fine ad nomina trium Personarum *nomen Beatæ Virginis* intendens Baptismum conferre in nomine B. Virginis, sicut in nomine Trinitatis ; quia perverteretur vera Divinitatis confessio (secus si hoc adderet ex importuna devotione). Vel si omittat particulam *te ;* quia non determinaretur Baptismum. Vel si omitteretur *ego te baptizo*, idque ex propositione ab Alexandro VIII damnata sub n. 27, nil enim significaretur.

Utrum vero possit illud *et*, quod præponitur tertiæ Personæ, omitti, alii affirmant; quia sic etiam est usus. Verum videtur id in nostro casu non posse, secus non haberetur Personarum realis distinctio. Nam Spiritus Sanctus generice loquendo tam competit Patri, quam Filio; ut ergo fiat distinctio illa particula videtur necessaria.

Quædam hic de modo, quo Baptismum conferunt hæretici: ex quo manifestum erit quam recte catholica Ecclesia illum reiteret saltem sub conditione, et in quot errores impingat qui Ecclesiam nostram veritatis columnam deserit, ut suo ducatur spiritu.

1. *Quoad Germanos:* «En el año 1845 hallábanse reunidos muchos ministros protestantes en una posada de Zurig, donde conversando alegremente, se reian de la supersticiosa práctica del Bautismo, confesando todos á su vez que ellos no hacian mas que *conferirlo aparentemente para condescender con la bestialidad de aquellos que creian todavía en su eficacia.* Una señora protestante que escuchó esta conversacion, quedó de ella tan escandalizada y aturdida que marchó precipitadamente á Friburg, donde des-

pues de haberse hecho instruir en la Religion católica, fué rebautizada bajo condicion.

En 1848, en Alemania, los partidarios de la Iglesia libre del ministro Rupp en una asamblea general propusieron por mayoria de votos la abolicion del Bautismo. La comunidad libre de Hall lo ha quitado enteramente. Algunos de entre ellos que todavía lo conservan lo administran así: *yo te baño en nombre de Jesus de Nazareth;* ó tambien: *yo te bautizo en nombre de Dios, y del Comun.* Un pastor protestante en 1847, declaró delante la segunda Cámara de Baviera, que siendo el hombre salvo por la fe, el Bautismo no es mas que una cosa accesoria.»—*V. Ami de la Religion*, an. 1845, 26 julii; 1847 26 *julii:* 1848, 6 *jan.*—*Amico Cattolico.* Mil. 1846, vol. XII.—*Annali Religiosi.* Roma 1846, ser. 2ª. vol. III.

2. *Quoad Anglicanos:* non raro est ut pueri apud ipsos etiam sine aqua baptizentur. Cæterum en quomodo hisce nostris temporibus vel ab ipsis Episcopis confertur Baptisma, prout refert *Civ. Catt.* ser. 2.ª, vol. I: «El ministro coloca en órden á su alrededor á los infantes que deben ser bautizados, y en seguida para acabar mas pronto moja sus dedos con una poca de agua, echa una aspersion en el aire que llega donde puede, y dice: *Yo te bautizo* ecc. por una sola vez y en número singular, por mas que los niños sean ocho ó diez. Esto es bueno saberse; yo lo sé de boca de un ministro presbiteriano escocés. Y ya sabréis que la Escocia es, con todo, el pais donde se dice que el Bautismo se confiere mejor entre los Protestantes.» V. *Annali Religiosi*, ser. 2.ª, vol. I, pag. 446.

(H) Pag. 204.

Catechumeni sic dicti a verbo græco κατηχίζω idem significante ac viva voce prima elementa docere, unde *catechismus*, *catechesis*, et *catechistæ*, ii intelligebantur homines qui a Catechistis erudiebantur, et ad Baptismum præparabantur. Triplicis gradus distinguebantur, ut communius docent præsertim P. Martène, *de Antiquis Ecclesiæ ritibus:* audientes, electi et competentes.

Audientes: ii dicebantur qui Baptismum suscipere desiderantes, admittebantur ad catechismum ut elementa fidei discerent; ipsis permittebatur audire verbum Dei in Ecclesia et cæremoniis Missæ usque ad Offertorium assistere; tunc dicente Diacono: *Catechumeni, discedite,* egrediebantur: et ideo pars ista Missæ vocata est Missa cathecumenorum.—*Electi:* vocabantur illi qui absoluto catechumenatus tempore, per scrutinia reperti erant digni, ut ad gratiam Baptismi admitterentur; hæc scrutinia incipere solebant secunda Quadragesimæ hebdomada, et præcipue habebantur Romæ feria IV majoris hebdomadæ.—*Competentes:* ii erant qui sufficienter docti, probati et capaces reperti, petebant et rogabant ut Sacramentum regenerationis sibi conferretur. Solemniter baptizari solebant in vigilia Paschæ aut Pentecostes.

Tempus catechumenatus varium fuit et a prudentia Episcoporum pendebat: primum statim conferebatur Baptismus iis, qui sufficienter instructi erant et credebant, ut constat exemplo Cornelii, eunuchi reginæ Candacis, trium et quinque millium una et altera die ab Apostolis baptizatorum: pos-

tea diversa statuta sunt tempora, v. g. octo vel etiam sex menses; attamen communius quadraginta dies.

Ritus autem instituendi catechumenos apud veteres situs erat præsertim in signo crucis, impositione manuum cum oratione, exorcismis, insufflatione in faciem, tactibus sputi in nares et aures, Olei sancti unctione in pectore et scapulis, etc. Nunc cæremonia catechumenatus fit immediate ante Baptismum.

(I). Pag. 206.

Per Baptismum omnia omnino remitti peccata et originale et actualia negant hæretici eorumque sectatores, sic nempe ratiocinantes: *per Baptismum non tollitur concupiscentia; atqui concupiscentia est peccatum.*—At nonnisi esse potest hæreticorum doctrina, concupiscentiam vere esse peccatum; et sane ea a Melanctone, suorum omnium nomine, sic tradita est: *scholastici* (nempe Catholici) *dixerunt concupiscentiam non esse peccatum, sed tantum pœnam, et vocarunt fomitem; nos dicimus et pœnam in rea natura et peccatum esse.* Sed contra eos Tridentinum declaravit: *manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet* (sess. 5, can. 5).

Quidquid est contra legem (instabis) *peccatum est; atqui concupiscentia est contra legem: lex enim arguit non tantum consentire, vel ire post concupiscentiam, sed ipsum concupiscere; ergo etc.*—R. Hæc Calviniana argumentatio facile refellitur sic distinguendo: quidquid est contra legem *voluntarie et libere,* peccatum est, concedimus; quidquid est contra legem *nec libere, nec voluntarie,* peccatum est, negamus. Concupiscentia porro quia non est in nobis libere et voluntarie, per se peccatum esse non potest, nisi velimus admittere peccata necessaria, quod est absurdum. *Tribus modis* (ait Bellarminus) *concupiscentiæ reatus intelligi potest:* 1 *dici potest reatus concupiscentiæ reatus ille, qui ab ipsa oritur et in ipsa fundatur, ita ut reus sit qui ipsam habet, quia ipsam habet...;* 2 *dici potest reatus concupiscentiæ is, quo ipsa facta est, non quem ipsa facit...* 3 *dici potest etiam reatus concupiscentiæ is, quem ipsa facit, si pertrahit ad consensum, ut non sit proprie homo reus, quia concupiscentiam habet, sed quia concupiscentiæ cedit* (De amiss. grat. l. V, c. 13).

Si ita est, quomodo (addes) *Paulus concupiscentiam appellat peccatum?* — Concupiscentiam appellat peccatum, non quasi vere, et proprie peccatum sit; sed metaphorice, idest per figuram, quam rhetores vocant methonymiam, cum nempe effectus ponitur pro causa: sic dicitur *pallida mors, morbi pallentes, tristis senectus, ira præceps. Vocavit Paulus concupiscentiam carnis peccatum* (ait theologus Vega qui Tridentino interfuit), *quia effectus est et pœna peccati, vel certe quia trahit et invitat ad peccatum; non vero quod eam crediderit proprie esse peccatum, idest divini transgressionem mandati: hæc est expositio a Patribus in hoc Concilio Tridentino* (de justif. l. XI, c. 15). Idque Concilium expresse declaravit inquiens, *Ecclesiam catholicam numquam intellexisse concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat;* et

si quis contrarium senserit, sub pœna anathematis damnat (*sess.* 5, can. 5).

Hæc (dices) *vera erunt, si sermo sit de peccato quod conjunctum habet reatum, sive imputationem et damnationem. Quid si loquamur de peccato, quod sit sine ullo amplius reatu, sine ulla imputatione et damnatione, quia hæc per Baptismum sublata sunt? Revera Tridentinum verba protulit de peccato quod est mors animæ, uti legere est in canone secundo sessionis quintæ.*—R. Hæc fuit quidem contentio ab hæreticis in dicto Concilio proposita; concedebant nimirum Lutherani et Calvinistæ per Baptisma deleri penitus reatum et imputationem peccati originalis; sed simul contendebant ipsum peccatum adhuc in renatis manere, licet sine imputatione et damnatione: *peccatum remittitur in Baptismo* (inquiebat Lutherus) *non ut non sit, sed ut non imputetur.* Et Calvinus: *tametsi* (renati) *adhuc a peccato teneantur obsessi, mortis tamen potestati jam exempti sunt, et omni maledictioni.* Sed contra illos Tridentinum definivit: *siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum non imputari, anathema sit.* Futilis autem, ne dicam ridicula est exceptio, qua dicitur Concilium eo in loco loqui de peccato, quod est mors animæ; duplex enim Concilii definitio distinguenda est pro duplici hæreticorum errore profligando in sessione quinta. Quidam nempe tradebant Adæ prævaricationem ipsi soli nocuisse, et non ejus propagini; vel saltem ejusdem inobedientiæ peccatum mortem quidem et pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, sed non peccatum, *quod est mors animæ.* Contra hos Tridentinum sic definivit canone secundo: *siquis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse... aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animæ, anathema sit.* Lutherani vero et Calvinistæ distinguentes in peccato reatum inter et actum concedebant per Baptismum tolli utique peccati reatum sive imputationem et damnationem, sed contendebant peccatum ipsum remanere actu: istos quoque damnavit Concilium canone quinto, his verbis: *siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur... asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantummodo radi aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus.* Ergo cujuscumque peccati nomine concupiscentiam appellent adversarii, in damnationem Concilii semper incidunt.

Verum (instabis) *nonne Augustinus expresse docuit:* peccatum originale post Baptismum transit reatu, sed remanet actu?—Fuit hæc petulantissima Lutheri assertio, quam sic refellit Bellarminus: *Lutherus crimen falsi commisit; numquam enim sanctus Augustinus dixit peccatum in aliquo esse, sed non imputari, vel actu manere, reatu transire. Neque enim tam stupidus erat ut non intelligeret, reatum a peccato separari non posse, cum in eodem libro scripserit:* hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati (de nupt. et conc. c. 26). *Loquitur igitur sanctus Augustinus de concupiscentia, eamque dicit in renatis non esse peccatum, non imputari, nec reos facere, licet maneat quoad actum; quia non cessat prava desideria excitare* (De amiss. gr. l. V, c. 13).—*V. Annali Religiosi,* ser. 2.ª, vol. VII, pag. 454: il caso di Gorham.

(J) Pag. 219.

Quæres: *in quonam sita est essentia Sacramenti Eucharistiæ?*—R. Duæ sunt sententiæ probabiles ac præcipuæ: prima cum Gonet, Salmanticensibus, Soto et aliis docet, quod essentia sive ratio hujus Sacramenti consistit in recto (sive essentialiter) in solis speciebus; Corpus autem Christi pertinet ad Sacramentum tantum in obliquo, id est tamquam quid extrinsece connotatum. Probant ex Tridentino, ubi: *siquis negaverit in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem D. N. J. C. anathema sit* (sess. 13, can. 1); ergo si corpus continetur in Sacramento, sequitur quod species sint Sacramentum tantum continentes Corpus Christi, ne dicatur Corpus Christi contineri in seipso.—Secunda sententia cum D. Thoma, Continuatore Tournely, Suarez, etc., tenet Sacramentum Eucharistiæ consistere essentialiter æque in speciebus ac Corpore Christi; quia ex Corpore Christi atque ex speciebus unum fit Sacramentum. Christus autem continetur in Sacramento tamquam pars in toto, uti anima in homine; non vero tamquam aliquid extrinsecum a ratione Sacramenti: sicque intelligendus textus Tridentini. Confirmatur ex D. Augustino, qui docet hoc Sacramentum *duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili D. N. J. C. Carne et Sanguine..., sicut Christi persona constat ex Deo et homine* (Relatus in Can. *Hoc est* 48, dist. 2 *de consecr.*; Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 190).

Contendit autem Bellarminus cum aliis totam rationem hujus Sacramenti salvari in sola specie panis aut vini seorsim sumpta; nam quælibet species habet rationem integri convivii, cum per concomitantiam sanguis veniat sub specie panis et contra. Sed probabilius Lugo, Tournely et alii negant; quia licet per concomitantiam Corpus Christi veniat sub specie vini et contra (quod sufficit ad totum assequendum fructum Sacramenti); hoc tamen per accidens evenit, quia nunc sanguis non potest a corpore separari: sed non per se, nam si triduo a morte Christi Apostoli celebrassent, sanguis non venisset sub specie panis. Unde, cum sub altera tantum specie vi verborum et per se ponatur tantum corpus vel sanguis; non potest per se significari per alterutram speciem tota refectio cibi et potus. Et pro hac sententia videtur expresse stare D. Thomas (3 p. q. 73, a. 2).

(K) Pag. 227.

1. Contra ipsum *transubstantiationis* nomen insurgunt hæretici, contendentes nempe, illud prorsus esse novum et veteribus inauditum. At frustra, et 1 etiamsi ita esset, nemo tamen vetat, quominus Ecclesia ad novas hæreses præfocandas novis interdum utatur nominibus, ut ita dogmata antiquissima firmiter conserventur;—2 falsum est nomen ipsum fuisse veteribus inauditum; refert enim Baronius illud inveniri in confessione Albigensium anno 1278;—3 veteres dogma *transubstantiationis* indicare consueverunt vocibus idem omnino significantibus: alii docent panem et vinum in Christi Cor-

pus ac Sanguinem *converti,* ut Cyrillus alexandrinus, alii *mutari, transmutari, immutari,* ut Cyprianus, Cyrillus hierosolymitanus, Ambrosius, Chrysostomus, Damascenus; alii *transire, transformari, fieri, transelementari,* ut Remigius remensis, Theophylactus, Augustinus, etc.

Post editam Bullam dogmaticam *Auctorem fidei* videntur nobis emendandi, si qui adhuc sint, Cathechismi Diœcesani, in quibus *transubstantiationis* nomen omittitur; cum talis omissio facile possit ætate nostra haberi tamquam *suspiciosa,* eo tendens, ut notitia subtrahatur *tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses; tenditque ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica* (*v.* laud. *Bulla,* prop. 29). Neque etiam posset a nobis probari Theologus qui de more sacram Synaxim appellat *convivium panis et vini consecrati;* Ecclesia enim eam vocat *sacrum convivium in quo Christus sumitur* (non panis et vinum), *recolitur memoria passionis ejus, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

2. Catholica Ecclesia dogma transubstantiationis docuit; at circa naturam hujus divinæ operationis nihil statuit. Schotistæ volunt panem et vinum in instanti consecrationis annihilari, et Corpus ac Sanguinem Christi e nihilo educi seu produci, ideo hanc conversionem vocant productivam: hoc tamen parum congruit, tunc non jam adesset conversio, sed productio. Thomistæ docent Corpus et Sanguinem Christi loco panis et vini substitui seu adduci. Vasquez ait transubstantiationem esse relationem ordinis inter substantiam quæ cessat, et substantiam quæ vi verborum Christi incipit.—Item Ecclesia definiendo totam substantiam panis in Corpus, et totam substantiam vini in Sanguinem Christi converti, remanentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quid sint illæ species, non dixit. Anastasius sinaita, Gaitmundus et alii docent accidentia panis et vini in Corpus Christi transire et in eo subsistere: sic Corpus Christi qualitates suas naturales et gloriosas juxta quas nec frangi, nec pati potest, retinens, qualitates panis et vini induit, et sub eo respectu est album, rotundum, frangibile, etc.: quando autem hostia consecrata dividitur, Christus juxta ens suum naturale non frangitur, sed totus a seipso separatur, et totus est sub singulis specierum partibus. Cartesius censet accidentia panis et vini in alia materia perseverare; supponit enim inter vini et panis particulas reperiri spatiola aëre vel alia materia plena. Maignan vult Deum nullo mediante corpore easdem producere sensationes quæ per panem et vinum immittebantur: unde juxta illum species sacramentales nihil sunt ex parte rei. Quæ omnes hypotheses cum plurimas habeant difficultates, communior evasit sententia Angelici, qui expresse (3 p. q. 77, a. 2) docet *accidentia eucharistica esse sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis et vini remanente,* et quantitatem sine subjecto existere; idque Deum sua omnipotentia facere posse. Hinc canit Ecclesia: *sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latent res eximiæ.*

Concludimus cum libro, *Quattro anni di esperienza della relig. catt.* ecc., c. 1: «Se nos tacha de que en la doctrina de la transubstanciacion vamos contra lo que evidentemente nos atestiguan nuestros sentidos, y que tenemos por una cosa real lo que la vista, el tacto y el gusto nos dicen que no lo es.

Pero la historia de la humanidad no encierra falsa acusacion mas gratuita, y por consiguiente mas culpable, una alegacion que prueba mas auténticamente la inepta ignorancia de sus autores. ¿Cuál es en último análisis la doctrina de la Iglesia católica tocante al cambio que se obra en los elementos eucarísticos? Es que nada se ha mudado en el pan ni en el vino de lo que puede afectar á nuestros sentidos, y que lo que realmente sufre alguna mudanza tiene tanto que ver con los sentidos, como estos tienen que ver con los habitantes de los antípodas. Todo el mundo conviene en que (á no ser que se oponga á ello algun estudiante de ningun valor) en todo objeto material, á mas del color hay en él la forma, el gusto, el olor, hay, repito, un cierto no sé qué, de lo cual el color, el gusto y la forma son llamados generalmente cualidades ó atributos, y en el lenguaje metafísico toman el nombre de *accidentes*. Ahora, es cosa evidente, á quien comprende el sentido de las palabras, que el sabor, olor, el tacto, etc. nos enseñan únicamente la naturaleza de estas cualidades, atributos ó accidentes: nosotros *vemos* que una cosa es negra, blanca ó turquina; *sentimos* que es grosera, tosca ó pulida, fria ó caliente, y así de lo demás; pero relativamente á este misterioso *quid*, que, respecto de esta *substancia*, como se dice en metafísica, existe bajo las cualidades, y á quien las cualidades están todas estrechamente unidas; tratándose de esto, digo, enmudecen los sentidos y no nos dan de ello el mas mínimo conocimiento. Para nuestros sentidos la substancia de pan es igual á la de la carne, y la substancia de la ballena en nada se diferencia de la substancia de un pedazo de madera.» Quo modo autem contra incredulos facillime solvantur omnia quæ contra opponuntur vid. Ventura, *Scuola dei miracoli*, omel. 31; it. Opus ejusdem, *La ragione filosofica e la ragione cattolica*, vol. III, p. 2: *le armonie dell'Eucaristia*.—Lacordaire, *Conferenza* LXXVI.—Wiseman, *Conferenze*, ecc.

Nos autem miremur potius tantam Domini dignationem, qua voluit ut sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, laterent res adeo eximiæ. Concludere possumus cum pio Contensonio: «Sed ut verum fatear, unum est quod ei suavius allicit et arctius stringit et attentum rapit, modus nimirum amoris qui sine modo est et ultra omnem modum... *Magnum quidem fuit*, inquit S. Thomas (Opusc. de Sacr. altaris), *Christum Dominum seipsum in peregrinationis nostræ socium dedisse; majus vero in pretium redemptionis: hoc tamen donum adhuc est in aliqua separatione ab eo, cui datur. Cum tamen datur in cibum, datur non ad aliquam separationem, ad sed omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis et cibus et qui cibum sumit.* Videlicet Christus adest vere in Sacramento; absens tamen videri vult, ut amorem probando acuat, acuando inflammet. Adest, ut auxilium præbeat et solatium; abesse videtur, ut ipsum animus christianus quærat, ipsum appetat, ipsi inhiet, in quem desiderant Angeli prospicere. Denique adest et non apparet; nisi enim adesset, non præberet remedium, nisi lateret, non inescaret appetitum.»

(L) Pag. 230.

1. *Quoad Eucharistiæ asservationem,* notamus, quod ipsa asservatur etiam in Cathedralibus, quia illæ primæ dicuntur Parœciæ: verum ibi non est asservanda in Altari majori, sed in capella, propter functiones pontificales necessario peragendas ab Episcopo retrorsum ad Altare majus. Permittitur etiam asservari in Ecclesiis regularium, propter necessitatem ibidem præbendi Communionem infirmis. Item in Ecclesiis Monialium viventium in clausura ex Decreto S. Concilii C. 15 maji 1700. Insuper sciendum quod Sedes apostolica licentiam asservandæ Eucharistiæ non solet concedere pro Oratoriis privatis; nec capellis ruralibus, nisi esset ibi populi concursus et distantia a Parœcia. Tandem advertendum jus retinendi claves tabernaculi privative spectare ad Parochum.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 424.—Card. Petra, qui fuse agit in Constit. *Transiturus* Urbani IV.

2. *Usum exponendi Eucharistiam* publicæ fidelium adorationi, eaque populo benedicendi, non solum probat antiquitas, sed ratio firmat ac pietas suadet, etsi id fiat non solum dominicis et festis, sed aliis quoque diebus. Hæc enim frequens expositio abstrahit a vanis, numerose deducit fideles ad Ecclesiam, impedit profanas in templo profanationes, movetque ad virtutum actus, ad orationis frequentiam, ad Sacramentorum susceptionem. Ubi viget devotio, ait S. Alphonsus noster, et cultus augetur, debita semper obtenta facultate, nescio, præsertim juxta præsentem nostrarum regionum frequentem usum, cur potius non sit laudanda quam improbanda hujusmodi SS. Sacramenti expositio; modo (exciperem) non sit nimis frequens; nimia enim frequentia esset quidem causa, ut reverentia erga tantum Sacramentum minueretur.—*V.* Christianus Lupus, *Opusc.*, p. 1 de processionibus.—Thiers, *Histoire de l'exposition du SS. Sacrament.*—L. Ferraris, *Bibl. Canon.* V. Eucharistia.—It. Synodus Novariensis *De custodienda Euch.*, pag. 88; *De expositione*, p. 97 et 99; *De oratione* 40 *horarum,* pag. 288; *De process. Corporis Domini*, pag. 374. Hic etiam notandum ex Pontifice Benedicto XIV Constit. *Cum ut*, hac in re nemini fas esse novum ritum inducere, privata auctoritate. Hinc v. g. non liceret Eucharistiam deferre contra incendia vel tempestates, hoc enim et novum esset et periculosum et Dei tentatio: et in Novariensi Diœcesi sub pœna suspensionis ferendæ id prohibetur.

Quando fit publica expositio requiritur decens altaris ornatus, conveniens cereorum numerus, nempe saltem duodecim ardeant, et omnia religiosa fiant, ut tantam Hostiam decet. Solemnius autem fieri debet expositio 40 Horarum, quam primus invexit P. Joseph mediolanensis Capuccinus anno 1556. Solemnissime vero processio et expositio in die Corporis Domini, ut patet.—*V.* Benedictus XIV, *De Festis;* it. *Notificatione* XXX, ubi de expositione et benedictione; *Notificatione* XIV, ubi de processionibus et expositione 40 Horarum.—Billuart, *Digress. historica:* de festo Corporis Christi.—Morozzo, *Trattato delle sacre cerimonie*, ecc.

(M) Pag. 234.

Quoad Communionem paschalem quædam notanda tum quoad adultos, tum quoad pueros, pro Parochorum regimine.

Primo quoad adultos: Parochi est invigilare, et quoad potest curare, ut subditi omnes præcepto Paschali satisfaciant; proptereaque cavere debet, ne schedulas Communionis committat alicui Clerico. Elapso jam tempore paschali, diligenter debet inquirere de iis, qui forte non adimpleverint præceptum, ut eos moneat, urgeat, opportune et importune impellat, nulli parcens, si forsan ad resipiscentiam adduci possint, in tanta temporum iniquitate. Quot istorum in Missionibus reperiuntur, qui per multos annos omisserunt præcepto satisfacere, quin de hoc Parochus verbum admonitionis cum eis impenderit, qui forte moniti satisfecissent?

«Un fiel (casum ponimus cum *Gousset*) deseando celebrar la Pascua en una parroquia vecina, no se atreve á pedir de ello el consentimiento al propio Párroco, de quien teme un chasco, ó respuestas ásperas y descorteses. Este fiel tiene por causa, ó la necesidad de comulgar inmediatamente despues de la Confesion que acostumbra oirle un sacerdote de la vecindad, ó el temor mas ó menos fundado de ser ocasion de sacrilegio al propio Párroco, *quem credit versari in consuetudine graviter culpabili,* ó una cierta antipatía natural que este Párroco le inspira, ó una aversion involuntaria que cree imposible superar. El Párroco, el sacerdote que conoce el estado de este fiel ¿podrá darle la comunion sin imponerle la obligacion de recibirla una segunda vez en la propia Parroquia? Se le puede dar la comunion y con ella cumplirá con el precepto pascual; pues si en el caso de que se trata no se puede presumir el consentimiento del Párroco, se puede y debe presumir el consentimiento del Obispo; *non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.* El espíritu de la Iglesia es de facilitar á sus hijos el cumplimiento de sus deberes en materia de disciplina; el Sacerdote instruido lo entiende así, y no confunde los intereses de la Religion con el amor propio.»

Secundo quoad pueros: tria maxime curare debent Parochi in tanta re, a qua bonum vitæ futuræ pendet, nempe admissionem, instructionem et praxim.

1. *Admissionem:* hac de re audiendus Abrate, *Lo spiritu del Parroco* vol. II: qui Parochum sic monet: «Aunque debeis ir con mucho cuidado en no admitir á nadie en esta mesa Angélica, que no haya sido antes examinado y hallado medianamente instruido en las cosas necesarias para la salvacion, guardaos sin embargo de seguir la escesiva rigidez de aquellos, que queriendo exigir demasiado de los niños, sujetándoles de antemano á un sin número de pruebas, terminan con no admitirles á ella hasta que lleguan á la edad en que el demonio ha ya sembrado el vicio en sus corazones: si se recibiese la primera comunion aun siendo muy jóven y antes de perder la inocencia, ¡oh, y qué suavísimos frutos produciria esto para el Catolicismo, qué impulso mas fuerte para hacer el bien y que delicia mas grande para los fieles!

En nuestros dias en que el vicio se presenta mas temprano, anticipad vosotros tambien el antídoto de sus infaustas consecuencias, y tan pronto como veais que el jóven ha llegado ya al conocimiento de lo que ha de recibir, permitidle luego que se acerque á fortalecerse con el verdadero confortador del espíritu y que se asegure del aumento de gracia, la que si se retarda, deja crecer invenciblemente la corrupcion de las almas.—¡Cruel aquel Párroco, si es que exista, que negase un beneficio tan señalado á la tierna edad de sus parroquianos! Este se opondria á la voluntad y al precepto espreso de la santa madre la Iglesia, la cual manda que á penas el cristiano tenga bastante discernimiento, se acerque pronto á comer el Pan substancial de la vida eterna.

«Pero si llegase el caso en que algun individuo fuese de muy tardo ingenio, y cual peña no quisiera ceder á vuestras insinuaciones, compadeceos de él de un modo particular: *quod si nimis tardus est, misericorditer sufferendus est, breviterque, decursis cæteris, ea quæ maxime necessaria sunt, inculcanda sunt;* animaos, dirigiendo á Dios fervorosas y ardientes súplicas, á hacerle entender las cosas substanciales, *magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dicenda sunt*, os enseña justamente S. Agustin: si diereis con semifátuos ó casi estúpidos, mirad si con signos y otros indicios podréis sacar algo de ellos, incitando al mismo tiempo á sus padres y parientes mas familiares, á que le hablen con frecuencia de las verdades de nuestra santa fe; ni tampoco seria cosa difícil, sobre todo en nuestros dias, el instruir á los sordo-mudos; vuestra caridad sabrá ciertamente presentaros los medios espeditos para poderles hacer aprender cuanto pidiere el negocio de su eterna salud. Finalmente, procurad acabar siempre vuestras instrucciones con cortos avisos relativos á las costumbres y hábitos de la misma juventud, pronunciad clara y distintamente los actos del cristiano antes de permitir que los jóvenes salgan de la iglesia, y al tiempo de marcharse, haced que tomen agua bendita, que hagan al Señor genuflexion con mucha reverencia, que separados los niños de las niñas salgan de dos en dos con grande modestia y comedimiento, y que lejos de las boberías é insolencias se vuelvan á sus casas llevando en ellas el santo temor de Dios.» — *V.* etiam Raineri, *Corso d' Istruz. 3 prec. della Chiesa.* — *Specchio del Clero.* — *Metodo per le direzione delle anime.*

«Es regla general (ait Gousset), que se siguen grandes inconvenientes de hacer diferir la primera Comunion á un niño mas allá de la edad de catorce ó quince años. Cuanto mas se difiere, como ha notado el cardenal de la Luzerne, tanto menos los niños se hallan dispuestos para aprender: las pasiones toman siempre nuevos brios, y los hábitos viciosos echan muy profundas raices, pudiéndose á mas de esto considerar que tan pronto como los hijos de la plebe llegan á ser grandes y robustos, están mas ocupados al trabajo y les es menos fácil asistir á aprender el catecismo.» Ait autem Catechismus R.: *qua vero ætate pueris sacra Mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater, et Sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant.*

2. *Instructionem:* patet ex dictis. Ex instructionis defectu evenit, ut res adeo excellens fiat nullo fere devotionis sensu, nulloque vitæ profectu. Cum puerorum ætas sit nimium levis, oportet ut industrie patienterque edoceantur, doctrinas eorum tenellæ ætati exemplis, similitudinibus, quoad potest, aptando, æmulationem etiam inter illos excitando, etc. Croix (*l.* V, *n.* 650) has ponit quæstiones pro puerorum instructione, qui prima vice debent communicare: *quid est communicare?... quid accipitur in Communione?... quid intelligis per Christum Dominum?.. estne Christus ubique?.. quandonam est præsens in Eucharistia?... quid est sub hostia, quid in calice ante et post prolata verba consecrationis?.. non videmus Christum ibi, sed omnia apparent uti antea ; quomodo id possibile est?... unde sumus certi quod ita sit, adeo ut possimus hoc firmiter credere?... unde scimus quod Deus hoc dixit?... Quid est in vase quod custos porrigit post Communionem? (Resp. est tantum vinum (vel aqua) quod ideo sumitur, ut si quæ particulæ sacræ ostiæ adhæsissent linguæ vel palato, sic deglutiantur : hinc oportet facere, quod pote st, ut particula prius deglutiatur, et illam vinum (vel aqua) sequatur. Si tamen aliquis non vult, potest vinum illud (vel aquam) non sumere). Quomodo debet esse dispositus ut quis digne communicet? Quid siquis habeat sola venialia? quænam optima præparatio ad Communionem? quid agendum postea? quamdiu oportet abstinere ab expuendo post sumptam Eucharistiam?... quandonam tenemus communicare* etc. *V.* Opera citata ubi *De Obligat.* Parochorum quoad instructionem.

3. *Praxim:* hac in re hæc præcipua sat erit adnotare: 1 Parochorum quidem est ex usu ac pluribus Synodis pueros ad primam Communionem admittere; hoc tamen non impedit, ut simplex Confessarius unum vel alterum puerum in particulari ac privatim admittat, si satis idoneum inveniat, et si id per Parochum obtineri non possit; saltem per Episcopum provideatur, ne fiat confusio vel scandalum; 2 puer non tantum prima vice, sed iterum atque iterum ad Communionem adjuvandus, donec sibi sufficere possit. Item præstat, ut puer identidem in anno, puta in solemnioribus saltem festis post primam Communionem ad novam accedat: ideo non bene se gerunt qui pueros de uno ad aliud Pascha expectare faciunt: «Recomendamos á todos los Párrocos (ait S. Alphonsus in sua notificatione ad Clerum, anno 1764) que cada año hagan hacer Comunion general á los niños en la Pascua de Pentecostés, en la Dominica infra Octava de la Asuncion y en el dia de Navidad;» 3 multum confert, si prima Communio in Ecclesia cum aliquo apparatu fiat ac festivitate, ut fit in Galliis, non sine maximo puerorum fructu, qui toto vitæ curriculo tantæ actionis recordantur, et ejus memoria excitantur ad pie vivendum. Ideo plurimum juvat, si ante Communionem pueri una simul emittant et renovent Baptismi promissiones: postea vivide et sancte excitandi sunt ad tantum opus devotissime peragendum; demum, Communione peracta, adjuvandi ad gratias Deo agendas, gratiam perseverantiæ postulandam, etc. Neque dimittantur sine aliquo monito peculiari, et præstat si ipsis aliqua pia effigies, vel liber donetur, qui epocham quodammodo signet. Cæterum in tali administratione caveat Pastor a quadam methodo, quam in aliquibus libris legere est, quæ fuit a S. Pœnitentiaria merito proscripta) *v.* ap-

pend. infine vol.): non desunt moduli, quos tuto sequi potest.—*V.* Gaume, *Il Signore è la mia porzione* o *Lettere sulla perseveranza dopo la Comun.*; it. *S'avvicina il gran giorno,* Lettere di un Missionario sulla prima Comunione. Milano. — *Importance de la première Communion.* Lyon.—Regnault, *Instruction pour la première Communion.* Lyon.—Cerra, *Dono di un Parroco ai fanciulli che fano la prima Comunione.* Vigevano 1845. — *Istruzioni e discorsi e fervorini per la prima Comunione.* Firenze 1857. — Abrate ait: «Procurad solemnizar devotamente la primera Comunion de los niños, á fin de que esta cause mayor impresion, y constituya una época notable para siempre al que participa de ella, sirviendo al mismo tiempo de edificacion para el pueblo y para los padres que maravillados envidiarán tal vez la suerte de aquellos angelitos... *De prima puerorum Communione solemni quodam apparatu facienda, populus in cujus non levem hoc ædificationem vergat, præmoneatur, atque sacrosanctam ejusmodi actionem concio præparatoria præcedat; Eucharistiam vero seu gratiarum actionem gratumque ipsorum animum exprimens subsequatur exhortatio.*»

Hic tandem unum notamus, nempe studium quod impendunt Parochi in hac re, plurimum conferre (si expertis credere est) ad totius populi bonum; qui suos puerulos conspiciens compositos, modestos atque devotos, mire excitatur ad devotionem, Sacramentorum frequentiam, injuriarum condonationem, etc. Dixeris in tali cura singularem inesse benedictionem: nec mirum, cum sit propius Christum imitari, cui parvuli adeo cordi erant, qui indigne ferebat, quando Apostoli eos prohibebant ne ad se venirent; advocabat illos, imponentesque manus, benedicebat eis (*Matth.* 19; *Mar.* 10; *Luc* 18). Si velit totam Parœciam Parochus reformare, puerorum perdiligentem curam habeat; nam *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea:* quod si aliquando forsan recedet, de facili ad prima revertetur. Ideo eos allicere studeat, eorum se accommodet ætati, et pueriliter quoad potest cum pueris agat; caveat ne eorum honestos jocos prohibeat vel festivitatem obtundat; sunt enim animarum Curatores, cæteroquin optimi, qui in pueris propriam gravitatem postulant, et ideo severe illos carpunt, si jocantur, saltant, currunt, cantant, aut in minimo deficiunt: inde fit, ut a Parocho alieni fiant, ipsum tamquam inimicum quasi habeant, aversentur Sacramenta aliaque pia opera ad quæ ab ipso incitantur, et si quando confiteantur, in sinceritate forsan etiam deficiant. Hinc canebat Gagliuffi:

Dulce mihi in vestro, pueri, consistere cœtu;
Vos lateri et Christus jussit adesse suo.
Vestra est simplicitas felix; hac auspice pulchra,
Pulchræ virtutis crescat honestus amor.

(N) Pag. 239.

Audiendus Alphonsus noster, Opuscolo, *Degli abusi nel prender le Messe, Risposta,* ubi n. 23 ait: «Onorato Tournely (*Prælect.* tom. XI *de Euch.* q. 4, a. 5) escribe que santo Tomás (*in* 4 *sent., dist.* 11, *q.* 1, *a.* 3), Alejandro alense (q. 4 de Euch., qu. 10), con otros antiguos escolásticos fueron de parecer

que tanto la Iglesia griega como la latina en los primeros siglos, siempre acostumbró celebrar con ázimo, hasta el tiempo del hereje Ebion, que quiso unir la observancia de la ley antigua y la nueva. Dice que hubo otras opiniones antiguas, que mas tarde no han encontrado el menor apoyo en las escuelas. Escribe además que son tres en el dia las opiniones mas seguidas. La primera es de Jaime Sirmondo *In disquis. de azymo*, in t. VI ejus *Operum:* dice allí que la Iglesia latina adoptó el pan fermentado por espacio de mas de 800 años, pero que del 886 hasta el 1053 en tiempo de Miguel Cerulario, consagró con pan ázimo. La segunda es del P. Mabillon (*In diss. de pane azymo et ferment.*) donde con la autoridad de Cristiano Lupo (t. IV *in declar. Concil.*, diss. *de actis S. Leonis IX, cap.* 7), pretende que la Iglesia latina ha ya hecho uso del ázimo desde el tiempo de los Apóstoles, y lo mismo dijeron el cardenal Uberto, Ruperto, Jaime de Vitriaco, Inocencio III y otros. La tercera opinion es la del cardenal Bona (*Lib.* I *rerum liturg.*, cap. 13), donde dice que los griegos han celebrado siempre con pan fermentado, pero que los latinos en los primeros siglos usaron del ázimo y del fermentado, segun lo pidiere la oportunidad de los tiempos y de los lugares, y que no consagraron comunmente con ázimo hasta el siglo X. Por lo que concluye Tournely, en virtud de estas autoridades y otros documentos, ser probable que en los siglos primitivos los griegos usasen tambien el ázimo, segun la sentencia de santo Tomás, y que los latinos hasta el siglo IX se sirviesen indistintamente ora del ázimo ora del fermentado. Así es que, de todas las autoridades de estos eruditísimos autores no se puede sacar otra cosa en esta cuestion tan debatida, sino que son inciertas todas las opiniones indicadas.»

(O) Pag. 258.

Quoad Sacerdotes qui mortali culpa maculati, sunt celebraturi, hæc tria (ut verbis utamur cl. Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. 8) urget Tridentinum: «Con el primero manda que no se pueda celebrar sin confesarse primeramente con cualquier confesor, sin que valga la escusa de no tener el propio ú otro de confianza. Con el segundo prescribe que no habiendo ningun sacerdote con quien confesarse, no pueda celebrar con solo un acto de contricion, sino en caso de urgente necesidad, y con el propósito de confesarse *quam primum*, esto es antes de que vuelva á celebrar. Con el tercero obliga que habiendo celebrado una vez *urgente necessitate*, vaya luego á buscar Confesor para confesarse *quam primum*, esto es pronto, si puede, por mas que de ello deba seguírsele incómodo, ó á mas tardar dentro de tres dias, absteniéndose entretanto de celebrar.»

Ponamus casum: *an Parochus, quem sive propter censuram in quam incidit, sive propter ipsius habitudinem graviter culpabilem, absolvere non potuit confessarius, teneatur celebrare Missam in sua Parochia die dominica, deficiente quolibet alio Sacerdote? Peccatum illius Parochi est occultum, ita ut a celebrando non possit abstinere absque periculo gravis infamiæ aut scandali.*—«Respondemos: Celebret, cum ad id ex officio teneatur: sed non ce-

lebret nisi perfecte conteratur cum proposito quam primum ad sacrum Tribunal revertendi et satisfaciendi. En este caso es evidente que no podria dispensarse de decir la Misa sin escandalizar á los fieles, á no ser que realmente estuviese enfermo. Tampoco le será permitido el quebrantar el ayuno, bajo pretexto de una indisposicion que no tiene.» «La falta de una Misa debida al pueblo, y sobre la cual cuenta el publico, no puede menos (inquit Collet) de difamar al sacerdote ó escandalizar á los feligreses, y muchas veces de producir uno y otro efecto.» «Así pues, una ley mas antigua y estrecha que la de la confesion, pide que se eviten diligentemente los inconvenientes de esta clase, que ofenden directamente la caridad.» *Gousset.*

(P) Pag. 263.

«Neque, ut verbis Oberauchii utar, illam frigidorum cantilenam occinas: *Res sancta nimio usu vilescit; in tanta frequentia debita præparatio deesse solet; prudens suspicio est illis, qui toties communicantes, in virtute tamen patentes progressus non faciunt, occultum vitium subesse*, etc. — *R. hæc* in frequenter communicantibus, præsertim qui prudenti conscientiæ moderatore utuntur, *plerumque* non contingunt. Si vero ex quibusdam abusibus regulam generalem statuere velis, omnium pene rerum usum sustulisti. Revera numquid in *raro communicantibus* major reverentia, diligentior præparatio, et exactior cordis puritas deprehendi consuevit? Quosnam facilius ad Communionem admittis? num eos, qui ante aliquot menses, vel omnino ante annum confessi fuerunt; an vero qui frequenter se sistunt? Hæc nempe inter divina humanaque commercia differentia datur, ut *homines,* quibuscum frequenter conversamur, ex detectis illorum nævis plerumque nobis vilescant; contra quos sæpius familiariusque cum civibus regni cœlestis, et præsertim cum Deo ipso agimus, eo magis reverentia et charitas nostra augentur; ibi enim mens nostra novos in dies ardores concipit. Si denique a frequenter communicantibus conspicuos in virtute progressus requiras, numquid, si raro tantum accesserint, eosdem magis profecturos speras? Vah! cave, ne in ætate præsertim juvenili peccatis hucusque levibus mox gravia succedant, et omne proficiendi consilium penitus demittatur! «*Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad pejora. Retrahit ergo sancta Communio a malo, et confortat in bono. Si enim modo tam sæpe negligens sum et tepidus quando communico aut celebro; quid fieret, si medelam non sumerem, et tam grande juvamen non quærerem?* De imit. Chr. l. IV, c. 3.» Stapf, *Theol.* § 589. «El congreso de Bourg-Fontain, segun dice S. Alfonso de Ligorio, no fué congreso de hombres sino congreso de demonios; y Antonio Arnaldo no podia hallar mejor medio para hacer inaccesible este gran Sacramento, que el de alterar las disposiciones, que S. Pablo dice ser menester para recibirlo dignamente. Sé que los ángeles no son dignos de acercarse á él; pero Jesucristo ha dispensado este favor al hombre para elevarle en sus miserias. Todo el bien nos viene de este Sacramento; faltándonos este socorro, todo está perdido. *V.* Tannoja, *Vita di S. Alfonso*, l. IV, c. 30.

« *Pero se toma demasiada familiaridad con el Señor:* al contrario, esto es lo que agrada al Señor y nos es sumamente provechoso. *No comulgo á menudo, porque no experimento ninguna devocion:* se puede tener devocion sin sentirla. *Temo comulgar por costumbre:* la costumbre de las cosas buenas, es buena. *Pero no saco de ello ningun provecho:* si no caeis en pecado mortal, este es el fruto de la Comunion frecuente. » Careno, *Regole* ecc. Esame XIX.

Sed nonne (dices) *clamabat Augustinus: quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo, nec vitupero?* — Hæc verba cum Gratiano retulerunt Salesius, et alii uti propria Augustini; at hodie certum est ea Augustini non esse; sed cujusdam Gennadii, qui in pluribus Augustino adversabatur. Huic autem Gennadio opponimus tum S. Ambrosium, qui ait (l. III de Sacr. c. 4) : *accipe quotidie quod quotidie tibi prodest: sic vive ut quotidie merearis accipere;* tum verum Augustinum *Epist. ad Januar.* qui scribit: *quotidie peccas? quotidie sume.* Quod si adhuc quis ea verba ab Augustino dicta putaret objiceretque; ad eum pulcherrimam præberet responsionem S. Catharina senensis. Cum enim quidam ipsam reprobaret, quod adeo frequenter communicaret; atque hanc quam putabat Augustini sententiam, ad nauseam exaggeraret, *respondit Virgo sacra in præsentia plurium: ex quo Augustinus non me vituperat in dictis suis, quare tu, Reverendissime, me vituperas? sicque confusus tacuit.* Ita refert S. Antoninus.

Sed nonne (subjunges) *qui singulis in mensibus per annum fornicatur, dicitur peccare frequenter, atque pravam consuetudinem habere? Ergo a pari qui singulis communicat mensibus, frequenter communicare dicendus est.* — Negamus paritatem; frequentia enim quoad peccata ex impellentibus circumstantiis est metienda. Sic nonne qui toties peccat quoties ei occurrit occasio, dicitur pravum habitum habere, quamvis semel tantum in anno ei occasio contingat? Adde a corrupta natura nos ad malum jam nimis inclinari: adde unum peccatum quasi suo pondere ad aliud trahere; unde manifestum est, quod etiam paucis vicibus mala consuetudo constituitur. Sed diversa ratio in casu nostro; cum enim Eucharistia cibi rationem habeat, longe sæpius est sumenda, ut frequenter sumi dicatur; cibi enim frequentia ipsum diem potius, quam mensem respicit.

Verum (addes) *nonne congruentius est abstinere ob reverentiam, quam ita frequenter accedere?* — Respondet P. Granata esse communem opinionem, quod melius sit accedere quotidie ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Quod confirmat Angelicus dicens (3 p. q. 80, a 10): *utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur; amor tamen et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori.* Sane qui se abstinet, actum reverentiæ negativum exercet; qui accedit, positivum.

Quis (regeres) *potest digne tam frequenter suscipere Deum?* — Si hoc valeret, numquam esset suscipiendus. Unde dicimus sufficere dispositionem nostræ conditioni convenientem; nam etsi magna devotio requiratur ad tantam cum Christo familiaritatem, ea tamen nostris viribus accommodari debet. Nempe *requiritur et sufficit, ut sublato affectu ad venialia, et superata majori parte pravarum inclinationum, magnum habeatur communicandi de-*

siderium, ardens in dies semper proficiendi studium, atque directoris consensus. De hac perfectione contentus est Salesius: et hæc est juxta S. Prosperum, quæ in hac vita potest haberi, attenta humana fragilitate. Hinc merito ab Alexandro VIII damnata est hæc propositio: *arcendi sunt a Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.* Non solis perfectis hæc frequentia convenit. Hinc laudatus Salesius: *si quærunt a te, cur tam frequenter communices? responde illis, quod duplex personarum genus debet sæpius communicare, perfecti et imperfecti: perfecti, ut se in perfectione conservent; imperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire.... Dic illis, quod ii qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent sæpius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero iis detinentur, quia habent necessitatem*, etc. (Filotea).

Monitum: Hodie maxime viri omnes fortiter urgendi sunt ad frequentandum tale convivium; quot sunt qui id fere erubescunt! Hac in re vid. *Lettres à Eugène sur l'Eucharistie.* Paris 1830: «¡qué humillacion no es para los hombres, el que entre una multitud de almas solícitas y afanosas de recibir á su Criador, apenas se vé á uno de este sexo! ¿Es posible que estimemos en tan poco el honor que el Salvador nos hizo de llamarnos los primeros á la participacion de su Cuerpo adorable? Yo le veo en la institucion de este divino Sacramento, confiar su ministerio solo á los Apóstoles, sin incluir á su santa Madre. Y los sacerdotes á los cuales dió el encargo de distribuirlo á los fieles, casi en todas partes ven únicamente á las mujeres presentarse al sagrado convite! Y sin embargo son los hombres, ó Eugenio, aquellos primeros hijos suyos, que antes que otros se sentaron en su Mesa, y que en las personas de los Apóstoles deben considerarse los primeros herederos de su Cuerpo y de su Sangre! ¿No puede decirse que obrando de esta manera, parece que los hombres quieren desheredarse, degradarse y excomunicarse á sí mismos?

«En todas partes los hombres se manifiestan sumamente celosos de su rango, de sus pretensiones, de sus prerogativas; es necesario que los intereses todos de la sociedad pasen por sus manos; de tal manera saben atribuirse y reservarse esclusivamente el poder, el dominio y la decision suprema en todos los mas importantes negocios! ¿Es posible, pues, que sea el Cuerpo y Sangre de un Dios, lo único que abandonan vilmente y que reusen participar? ¿Serán ellos solos los desagradecidos y estraños á la Sagrada Mesa de nuestro Padre comun? ¡Ay de mí! Los hombres han sido en otro tiempo los primeros celadores de la Comunion frecuente y de la gloria del Sacramento; y hoy se declaran sus enemigos por la obstinada repugnancia que de dc él les aleja, ó mas bien, por los vicios vergonzosos que les hacen indignos de este Convite. ¡Ah! ¡porqué no me es dado hacer oir mi voz á todas las mujeres cristianas, y decirles: Almas escogidas por Dios para serle fieles en esta pública desercion, reanimad vuestro celo para sostener la gloria de una vocacion tan sublime! No suceda que el temor de ser tachadas con el apodo de Devotas os vuelva tímidas y retraidas. La Iglesia en su oracion á la Santísima Vírgen Madre de Dios ha consagrado este hermoso título en honor de vuestro sexo, antes que el siglo perverso lo convirtiese en título afrento-

so. Triunfad de sus bajezas, de su ignorancia y de todos sus caprichos con la sabiduría y con la constancia de vuestra conducta. Como en otro tiempo las Paulas y las Melanias en medio de Roma, levantad el estandarte de Jesucristo en nuestras ciudades corrompidas. Obligad á los libertinos y á los impíos á avergonzarse de su conducta, viendo vuestra fe y vuestro valor. Haced respetable vuestra devocion con la práctica de todas las virtudes. Convencedles de las ventajas de las frecuentes Comuniones, con los frutos que de ellas reportáreis. Finalmente, el brillantísimo ejemplo de las victorias que hubiéreis conseguido sobre vuestras mismas imperfecciones, tal vez les enseñe á dominar las pasiones que los envilecen á los ojos de la misma razon.» — *V.* Castelvetere, *Direttorio mist.* l. I, p. 3ª, t. I. — Scaramelli, *Direttorio ascetico.* — Crescimbeni, *Le provinciali all'italiana,* Opus est cl. Vittadini. — Martinet, *L'Emanuele,* ovvero *Il rimedio a tutti i mali.* — Fénélon, *Lettera sulla prima Comunione.* — Careno, *Delle regole*, Esame XIX.

(Q) Pag. 278.

Ad Missarum obtinendam a sancta Sede reductionem, Benedictus XIV assignat decrementum redituum, atque adauctam eleemosynam per Episcopum. Hoc tamen non impedit, ut et pro aliis causis recurratur, uti passim fit, cum urget necessitas propria vel fratrum, vel fabricæ Ecclesiæ, etc. Porro si reductio facienda est ex decremento redituum, tabulæ fundationis inspiciendæ sunt, an casum fundator sit contemplatus (quod semper fieri deberet); et quod præscripsit, præstetur. Si nihil habeatur definitum, iterum videndum est, an patroni hæredes teneantur, et possint supplere de proprio; quo in casu erunt cogendi. Secus en regulæ ex laudato Pontifice servandæ, cum ab Episcopo ad Missarum reductionem deveniendum est: — 1 si unacum Missis adsint alia pia onera eroganda, ut eleemosynæ, etc., hæc potius reducantur, non Missæ; quia talis præsumitur fundatoris mens. Excipe semper, nisi aliud colligatur; — 2 reductio non extendatur ad Missas, quarum celebratione Ecclesia se obstrinxit ex inito contractu, nisi pars altera consentiat. Hinc etiam patronorum consensus solet requiri; — 3 si legatum complectitur Missas in cantu et lectas, illæ prius reducantur; vel etiam tollantur si fuerit opus, ut lectæ serventur; — 4 reductio componatur ad eleemosynam Missæ manualis juxta taxam Diœcesanam; non ad eleemosynam Missæ perpetuæ. Et reditus si imposterum augeantur augeri quoque debet reductarum Missarum numerus, ut æquitas postulat. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 331; et Syn. Novariensis, p. 113.

Hic autem pro praxi notamus: — 1 apud nos non admittuntur fundationes pro Missis perpetuis et quotidie celebrandis, nisi eleemosyna pro singulis sit unius franci et 25 centesimorum. Cætera onera Missarum perpetua non sunt suscipienda sine Episcopi consensu (Synod. p. 113); — 2 eleemosyna tam pro Missis manualibus, quam pro illis quæ ex beneficio vel legato sunt celebrandæ *ad ratam* (id est tot Missæ quot sunt reditus); hodie est apud nos libella una pedemontana *(un franco)* Si autem ex fundatione sive legati sive Beneficii statutus est numerus Missarum, tunc Missæ in præscripto numero

celebrandæ sunt, etsi eleemosyna pro unaquaque sit minor *franco;* vel recurrendum ad Episcopum, ut attentis circumstantiis, provideat eas æquiparando Missis *ad ratam (v. Lett. Circ. ai Vic. Foranei e Parrochi del card. Morozzo,* 2 aprile 1819);—3 tempore litis circa aliquod Beneficii jus non licet suspendere Missarum celebrationem ad litis expensas compensandas, nisi primum obtineatur facultas a superiore: item neque hoc modo compensare expensas pro canonica institutione et in Beneficium immissione, inconsulta sancta Sede. Item si debitor aliquis morosus sit ad canonem solvendum pro Beneficio, non ideo beneficiatus Missarum implementum proprio marte suspendere debet, si adhuc habeat reditus sufficientes pro adimplemento;—4 non licet proprio marte Missas imminuere, quia fundi taxa majori gravati sunt, sed recurrendum ad superiorem: excipe nisi Beneficium sit *ad ratam reditus;*—5 proposita interdicti latæ sententiæ pœna, prohibet S. C. C., approbantibus Urbano VIII et Innocentio XII, ne Capitula, Parochi, Confraternitates onera perpetua Missarum suscipiant sine expressa Episcopi licentia, cujus quidem est videre, num ea onera sustineri valeant.

Q. 1. *An liceat Episcopis in aliquo casu reducere onera Missarum?*

R. Episcopus potest Missarum onera reducere:—1 si deprehendat in prima oneris acceptatione reditus non respondere oneri; quæ quidem facultas insurgit ex tenore Decretorum de hac re ab Urbano VIII editorum; dum enim isti prohibent Episcopis reductionem onerum Missarum, loquuntur de oneribus jam acceptatis (*v.* Malaguzzi *Praxis Parochorum);*—2 si Testator in ultima voluntate vel alibi (dummodo constet) facultatem fecit Episcopo Missas ab eodem legatas reducendi, ex nova causa, acceptatione secuta. Barbosa, *De Offic. et potest. Episc.;*—3 si onus impositum acceptatumque fuit inter vivos virtute conventionis initæ cum Episcopo; tunc in casu diminutionis redituum aut deperditionis fundi, Ecclesia gravata instare potest penes ipsum Episcopum, qui sua ordinaria facultate utens contractum corrigere atque ad terminos juris reducere potest. Quapropter solemne semper fuit S. C. C. ad se recurrentibus pro hujusmodi reductione onerum rescribere, *adeant judices suos,* quos Episcopos esse interrogata respondit, teste Monacello. Notandum autem, quod tempore sacræ visitationis habent Episcopi plures facultates tum quoad reducendas tum quoad condonandas Missas, aliaque componenda non quidem proprio jure; sed quia in illa circumstantia facultates illas impetrant a sancta Sede.

Q. 2. *An casu quo pereant in parte vel in toto reditus legati, debeat Ecclesia vel provisus celebrare præscriptum numerum Missarum?*

R. Ut rectum proferatur judicium, bene perpendendum est, an Legatum Missarum *taxative* conditum fuerit, an *demonstrative.* Si enim Legatum incipiat ab onere, idest si Testator qui adjudicavit alienæ Ecclesiæ onus Missarum dixit: *volo tot Missas in perpetuum celebrari,* ex. gr. *in Ecclesia S. Marci hujus civitatis pro anima mea* etc. *pro quibus assigno talem speciem seu quantitatem,* tunc Legatum dicitur demonstrative erectum, unde si reditus diminuantur vel pereat fundus, hæres hujus Testatoris tenetur aliunde supplere ex bonis Legantis. Si vero Legatum in sua fundatione incipit a specie seu quantitate, *v.* g. si dixit Testator: *titulo Legati relinquo tali Ecclesiæ*

tale prædium, vel tales numero reditus, ut in eadem pro anima mea singulis annis in perpetuum celebrentur tot numero Missæ, dicitur fundatum fuisse Legatum *taxative*, et hoc in casu, quacumque diminutione, aut deperditione redituum contingente, hæres non tenetur supplere, sed datur locus reductioni ex Tridentino. Hac distinctione utitur S. C. C. tamquam regula certa in proferendis judiciis.

Q. 3. *Quid agendum a Sacerdote qui plures Missas reliquit non adimpletas neque eas commode celebrare potest?*

R. In tali casu recurrendum pro compositione, seu condonatione ad S. Pontificem, qui per Congregationem Fabricæ S. Petri eam benigne concedit, deposita ab Oratore nominando aliqua eleemosyna in favorem dictæ Fabricæ, bene perpensa paupertate petentis. Verum pro obtinenda compositione, requiritur, quod non fuerit omissa celebratio animo habendi compositionem; alias gratia non suffragatur, ut in simili re dicitur in *Bulla compositionis* pro debitis incertis. Advertat insuper recurrens pro Missarum compositione, ne sit recidivus; si enim talis sit, debet exprimere in supplicatione, ex stylo Curiæ, condonationem jam habitam: qua expressa, obtinebit aliam, licet difficilius et pro majori taxa. Cavendum est denique, ne quis parum pius existimet omnino frustrari suffragio Missarum illos, qui stipendia dederunt; nam in suffragiis eorum, pro quibus omissa Sacrificia offerri debuerant, alia quotidie celebrantur in Basilica Vaticana a Capellanis ad hoc munus deputatis, ait Benedictus XIV, *De Syn.* l. XIII, c. ult.

Si tamen agatur de foro interno, ut si quis omiserit celebrare Missas, de quarum omissione publice non constat, si impotens omnino sit ad eas celebrandas, fit recursus ad S. Pœnitentiariam pro condonatione.

(R) Pag. 280.

Ritum ambrosianum D. Ambrosius ordinavit primum (vid. Walfridius Strabo, *De rebus eccles.* c. 22; Martene, Le-Brun, et Bibliotheca Patrum, t. XV, p. 2). Quem ritum pluries mediolanenses Archiepiscopi reformarunt; ultimo autem archiep. Romilli desiderio respondens Pii IX novum edidit Breviarium ambrosianum illud emendando, ut patet ex ejus Notificatione ad Clerum 12 febr. 1857. Quando Carolus Magnus et papa Adrianus I, sæculo VIII, exigere volebant, ut omnes occidentales Ecclesiæ ritum romanum adoptarent, Mediolanenses fortiter obstiterunt, et ille ritus adhuc obtinet; imo Missa romana vel privatim dici nequit in Cathedrali Mediolanensi, nisi in Capella subterranea S. Caroli, attamen prius recognita in archiepiscopali Curia facultate celebrandi habita a proprio Episcopo (vulgo *celebret*). Leo XII laudavit episcopum cardin. Morozzo, qui unitatem ritus in Novariensi sua Diœcesi quæreus, impense studebat nonnullas Parœcias ab ambrosiano ad romanum præstantiorem ritum traducere; ad majora tamen præcavenda mala, atque ad turbationes inde exortas sopiendas, decrevit non esse Parœcias illas cogendas, ut videre est ex Circulari ipsius Cardinalis, 24 sept. 1827.

Originem et significationem cæremoniarum in Missa exponunt Benedictus XIV, *De Sacr. Missæ.*—Gavanto, *Thesaurus Ss. Rituum.*—Gaume, *Cate-*

chismo di perseveranza.—Item maxime commendandum Opus, *Il libro della santa Messa*, pel T. Bellasio Antonio missionario Apostolico, Torino : «Si este libro (subscribimus hisce verbis Diarii, *La Armonia,* 6 de junio de 1856) no nos deja ya nada que desear por el mérito de la ciencia y por la mucha erudicion que encierra, no hay por otra parte otro que con él pueda compararse, segun nuestro modo de pensar, si se atiende al modo con que su autor sabe hablar al corazon y hacerle gustar la verdad que enseña al espíritu del que lo lee... En fin, en este libro no solo tendréis un maestro que os instruirá, si que tambien un orador que conmueve y conforta. Hablando un obispo de esta obra, profirió las siguientes palabras: *Ojalá que mis diocesanos la tuvieran en su poder...* ¿Y qué mas puede decirse? tal es el voto del Santo Padre, el cual en la benigna acogida que dispensó á un ejemplar que de este libro le regaló su eximio autor, aplaudió la idea que le hizo determinar á escribirlo, y del feliz éxito que dió mas tarde, dedujo el gran bien que de su lectura sacaria no solo el clero, si que tambien todos los fieles que estuviesen dispuestos á servirse de él, con espíritu de fe y con ardientes deseos de aprovecharse del mismo.» Quod opus in compendium redactum est ab ipso clarissimo auctore pro populo, ut pie adjuvetur ad assistendum et participandum de Missæ sacrificio, sub titulo: *Il Tesoro della santa Messa, ossia accompagnamento e spiegazione della medesima, per ricordo delle Missioni,* ecc.

Varias autem cæremoniarum declarationes exhibent Gardellini, *Decreta authentica* etc. Romæ; Taly, *Hierolexicon Declarationum* etc. Eas recte exequendi modum edocet Liguori, *Le sacre cerimonie della Messa;* Morozzo, *Sacre cerimonie* etc. Præstat hic audire Stapf, § 222: «Quis non summopere doleat quod tanta Christianorum pars, quibus cæteroquin de vera Christi præsentia certissime constat, in visitando suscipiendoque hoc Mysterio adeo segnes et frigidi conspiciantur? Ast materiam dolendi infinities adhuc majorem Sacerdotes illi præbent, qui non tantum per integrum diem Christum in Ecclesia præsentem ignorare videntur; sed in ipsa quoque celebratione Missæ tam præcipitanter ac luride agunt, ut populo christiano scandalum, aut fors ipsam suspicionem incredulitatis moveant.»

Quoad præcipuas cæremonias hæc habet S. Alphonsus, *Homo Ap.* app. III, n. 126: «notandum quod, ut communiter traditur, Missa celebranda est *alte, breviter, clare, devote, exacte* (nempe necesse sunt quinque primæ alphabeti litteræ: *a, b, c, d, e*) :—*Alte,* ita ut non dicantur submisse, quæ alte sunt dicenda; sed ita proferantur, ut saltem a *circumstantibus audiantur,* prout dicit Rubrica; alioquin celebrans non excusatur a culpa, sed tantum veniali. Idem dicendum de eo, qui alte recitat, quæ submisse dici debent. Imo Gavantus et Quarti putant esse mortale (sed non satis id ratione probant) dicere alta voce ea, quæ submisse sunt dicenda. Et consentit La-Croix quoad verba consecrationis, dicens peccare mortaliter, qui illa proferret ita elate, ut audirentur ad decem passus, ubi magna esset populi pars; sed merito P. Concina hoc non audet probare.—*Breviter,* id est ut ordinarie loquendo, non excedatur media hora, monente Rubrica, ut Missa non dicatur *nimis morose, ne audientes tædio afficiantur.* Subdit autem Rubrica: *nec nimis festinanter.* Hinc sapienter ait cardinalis Lambertinus cum aliis communiter, Missam non

debere esse longiorem dimidia hora; nec breviorem triente, id est tertia parte horæ. Qualiter autem peccent qui celerius celebrant, nos dicimus Missam (etiamsi sit *Defunctorum*) persolventem infra quadrantem non excusari a culpa gravi.—*Clare,* id est sine verborum mutilatione: quæ si sit notabilis, et sensus per eam varietur, erit mortalis.—*Devote,* id est sine distractione: quæ si voluntaria sit in canone, et præsertim in consecratione et sumptione, erit mortalis, ut vult Tamburinus, licet aliqui contradicant. Si autem habeatur extra canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis canonicis.—*Exacte,* id est ne omittatur aliquid de iis, quæ dicenda sunt. Hic autem notandum, quod si omittantur partes ordinariæ, nempe quæ in Missa semper dicendæ vel agendæ sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in canone quamlibet orationem; vel *Pater noster,* vel fractionem Hostiæ, et illius mixtionem in calice; vel purificationem patenæ et calicis post sumptionem; vel octo, aut decem verba canonis. Sic pariter erit mortale extra canonem omittere totum introitum, vel duas ex collectis principalibus; vel epistolam, Evangelium, offertorium; vel infusionem aquæ in vinum consecrandum. Veniale tamen erit omittere tantum Psalmum *Judica; Kyrie eleison;* unam ex *collectis;* unam vel alteram *crucem* super oblata; *tunsionem pectoris;* vel *ablutionem digitorum.* Et idem probabiliter dicunt de Lugo, et alii de *Evangelio S. Joannis.* Sic quoque veniale tantum est omittere partes extraordinarias, uti sunt *Gloria, Credo, Sequentia, Tractus, propria Præfatio,* aut *Communicantes* et *Hanc igitur* propria. Ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem constituerent materiam, ut bene advertunt Concina et Wigandt, quidquid dicant Quarti et Pasqualigus.»—Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 411.

Pro coronide hæc ponimus ad praxim: 1 *de altaribus,* 2 *de inservientibus,* 3 *de ornamentis Sacerdotalibus,* 4 *de casu profanationis,* 5 *de consecratione et benedictione rerum,* 6 *de tactu sacrorum,* 7 *de lotione corporalium,* etc.

1. *Quod altaria.*—«Se distinguen dos clases de altares, unos fijos y otros portátiles ó movibles. Tanto los unos como los otros es preciso que sean de piedra. El altar fijo ó estable se llama así, porque está pegado en su base: la parte superior ó sea la mesa, se compone de una sola piedra. El altar portátil es un mármol ó una piedra que se puede trasladar de una á otra parte; esta piedra debe estar perfectamente allanada, y ser bastante grande para que pueda cómodamente contener la santa hostia y el cáliz, y paraque á un mismo tiempo pueda colocarse sobre ella el santo copon. Dicha piedra comunmente se llama *piedra sagrada.* Acostumbra á inscrutarse sobre una mesa no consagrada, sea esta de piedra ó de madera, con un llano perfectamente igual, de manera que el cáliz no esté espuesto á caerse y verter el sagrado *sanguis.* Está prohibido el celebrar los santos misterios sobre un altar que no esté consagrado. Esta consagracion está de tal manera reservada á los obispos; que no pueden conferir esta facultad á un simple sacerdote. Los simples sacerdotes no pueden consagrar un altar á no ser en fuerza de un poder especial emanado del Sumo Pontífice...

«Cuando un altar ha perdido su consagracion de cualquier modo que sea, no es lícito servirse de él para la celebracion de los santos Misterios. Debe bus-

carse cuanto antes una piedra sagrada, á no ser que sea fácil decir la misa en otro altar. Pero como se portará el Párroco que en el momento de ir á celebrar, ya suceda esto en un domingo ó en cualquier otro dia que tenga obligacion de decir Misa, observa que la piedra única que se halla en su Iglesia está hecha pedazos, y que el sepulcro que contiene las reliquias está abierto? Somos de parecer que en aquel caso podrá decir la Misa, con motivo de los grandes inconvenientes que se seguirian de no decirla, pues generalmente hablando, no se podria hacer comprender á los fieles la causa de no celebrar en el caso de que se trata. Para prevenir toda dificultad que pueda sobrevenir, el Párroco que no tiene mas que un altar en su Iglesia, debe siempre tener de repuesto una piedra sagrada en un armario de la sacristía.» *Gousset.*

2.«Para el servicio del altar se deben preferir los clérigos á los láicos; pero es cosa muy rara encontrar los últimos, especialmente si se trata de Parroquias del campo. Están obligados por consiguiente los Párrocos á enseñar ó á hacer enseñar á los jóvenes de la Parroquia á servir la Misa en el debido modo. Las mas de las veces deben echarse á sí mismos la culpa, si por asistentes solamente tienen muchachos mal compuestos y disipados, que hacen servir de diversion á un ministerio tan respetable y que responden precipitadamente sincopando la mayor parte de las palabras. Escogiendo á aquellos jóvenes que den mas señales de inteligencia y piedad, deben educarles y ponerles en estado de desempeñar con mucha edificacion un ministerio que les asocia á la celebracion del santo Sacrificio.» Gousset.

3. Quoad *ornamenta sacerdotalia* hæc pro praxi notamus cum Collet. *Tratado sobre la Misa*, c., x: « los vestidos sacerdotales pierden la bendicion, siempre que pierden la forma bajo la cual la recibieron, ó lo que es lo mismo, cuando ya no pueden servir decentemente para las funciones del santo ministerio. De esto se sigue: 1 que un alba cesa de ser bendecida, si una manga se separa de lo restante del cuerpo ya sea por violencia ó por ser demasiado usada. Otra cosa deberia decirse si no estuviese unida no mas que con algunos lazos, pues entonces diriamos de ella lo que se dice de un cáliz para la consagracion, el cual se desmonta sin ser profanado. Si se recompusiere una manga antes que estuviese separada del todo, este todo aun conservaria su bendicion, aunque se le pusiera un pedazo nuevo, puesto que el accesorio sigue la condicion del principal; 2 el cíngulo pierde la bendicion cuando está roto de modo que ninguna de sus estremidades es apta para ceñir (ligamina si quæ sint, semper mutari possunt, cum etiam sine illis cingulus esse possit). Si una parte de las dos quedara bastante larga para poder ceñir, se podria usar de ella, pudiéndole tambien añadir la parte que le faltare. Si cuando un cíngulo se halla próximo á romperse, se compone con hilo ó se hace mas fuerte con un nudo, continua siempre bendecido, pues compone todavía un todo cuyas partes no han sido divididas;—3 la *estola y la casulla* pierden la bendicion, cuando para acomodarlas de nuevo se les ponen nuevos pedazos, de manera que el nuevo supere al viejo; otra cosa seria si esto se hiciera paulatinamente;—4 si el mismo ornamento fuese doble, es decir, blanco de sobre y colorado de la parte opuesta, se podria separar el uno del

otro sin perjuicio de la bendicion, pues cada uno conserva todavía su bendicion, por ser bendecido de ambas partes;—5 si solamente fuese rasgado el forro de uno de los adornos sacerdotales, este nada perderá de su bendicion poniéndoselo nuevo...;—6 si doblando una estola sin cambiar otra cosa, se forma de ella un *manípulo*, no pierde su bendicion, pues que siendo esta la misma para todos los ornamentos sacerdotales, no la pierden sino cuando pierden esencialmente su forma, lo que no sucede en el caso presente. Lo mismo seria si un largo manípulo se convirtiera en una estola. Pero si cortando una parte muy grande de una estola, se hiciera de ella un manípulo, siendo máxima que la bendicion desaparece con la forma, no me atreveria á valerme de él para este uso, sin hacerlo antes bendecir, por mas que Azorio y otros piensen diversamente. Lo mismo deberíamos decir, si para hacer una estola de un manípulo se le añadiesen muchas piezas fuesen ó no bendecidas, las cuales superasen notablemente la primitiva substancia de este manipulo.;—7 un Párroco puede absolutamente recibir ornamentos adornados con armas gentilicias, mientras que ellas nada contengan de indecente, y los estatutos de la diócesis no lo prohiban (quæ tamen prohibitio si quæ alicubi data erat, absit in desuetudinem): esto lo prueba la práctica de un crecido número de obispos todos de mucho mérito. Las armas (idem dic de nomine donatoris) deben estar bordadas de un modo simple y modesto, en las estremidades de las casullas y de los ornamentos, y bajo los piés de las santas imágenes, ecc.

4 «Cuando una Iglesia ha sido profanada, quítese luego de ella el Santísimo, si es que en la Parroquia ó en la ciudad ó en cualquier otro lugar poco distante haya otra Iglesia donde pueda colocarse... Si la Iglesia fuere profanada en el tiempo que se está celebrando, el Sacerdote debe retirarse á no ser que haya empezado el Cánon,.. Pero si el caso acaeciese el domingo, ó en dia festivo ó de primera comunion, preveyendo el Párroco que se seguirian grandes inconvenientes de no terminar la Misa, en tal caso creemos que podria continuarla aunque no hubiese empezado el cánon, con tal que se hubiera restablecido de nuevo la calma en la Iglesia.» *Gousset.*

5. Non solum consecratio calicis, patenæ, altaris; sed et indumentorum sacrorum benedictio ad Episcopos privative spectat (*V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 378; Benedictus XIV, *Notificat.* XXI.) Episcopi autem a S. Sede obtinere solent hanc facultatem aliis delegandi; sic in Novariensi Synodo, pag. 105 legitur: *potestatem autem sacras vestes benedicendi ex pontificio Indulto* (Rescr. 24 maji 1826) *delegamus in civitate Præfectis sacrario Ecclesiæ Cathedralis et S. Gaudentii, nec non duobus antiquioribus Parochis; in Diœcesi autem Vicariis foraneis (non tamen Provicariis) pro vestibus Ecclesiarum suæ regionis.*

6. Quoad tactum vero Vasorum sacrorum hic audiendus Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIV: «certum est (licet mitiores recentium scriptorum opiniones sequi velimus) Sacerdotibus tantum ac Diaconis potestatem fieri, ut sacra Vasa contingant, in quibus Christi Corpus et Sanguis habeantur. Subdiaconis tribuitur, dum altari ministrant, Calicem et Patenam tangere, ubi Christi Corpus et Sanguis non fuerit. Acolytis autem extra Altaris ministe-

rium eadem facultas traditur, cum Vasa sacra ad sacrificium necessaria præparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est, ut Ordinati omnes et qui sola tonsura prædíti sunt, si aliqua causa intercedat, sacra Vasa dum vacua sunt, extra Altaris ministerium contingant.» Hæc sententia communissima et verior appellatur a S. Alphonso (*Op. Mor.* l. VI, n. 582). Ait autem peccatum esse tantum veniale in laicis, si sacra Vasa extra necessitatem tangant Eucharistiam non continentia; cum non reputetur hæc materia gravis. Id tamen permittitur laicis regularibus sacristis ex privilegio Callixti III et Sixti IV; item monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum. Imo hodie potest dici ex consuetudine id quoque licere laicis oblatis congregationum Sacerdotum sæcularium sacristis, et omnibus qui in habitu clericali Ecclesiis inserviunt; hi enim in Ecclesia muneribus Clericorum funguntur. Quod dictum est de *Vasis sacris*, idem dic de *Corporalibus*, ut ajunt communiter: minime autem peccant laici tangentes vestes sacras, aut alia non immediate attingentia Corpus et Sanguinem Christi, ut bene ajunt Suarez, Concina, Layman, etc. ex sententia nunc in praxi recepta.

7. Prima lotio corporalium, pallarum ac purificatoriorum fieri debet a Diaconis vel Subdiaconis, et aqua lotionis mitti debet in Sacrarium. Hodie tamen fit etiam a Tonsuratis. Si autem primam lotionem faceret laicus, vel aqua lationis non mitteretur in Sacrarium, sed in alium locum decentem, id non posset excusari a veniali.

(S) Pag. 282.

Quoad *Reliquias* habent *Annali Religiosi* (Roma, ser. 2ª, t. 1) «segun las gacetas inglesas el príncipe Alberto ha comprado el *vestido* que Nelson llevaba en la batalla de Trafalgar, por el precio de 150 libras esterlinas, ó sea 3,800 francos, y ahora hace conservar esta reliquia en el hospital de inválidos de la marina. Un ejemplar del *Decamerone de Boccaccio* impreso en Venecia en el año 1471 se vendió á publica subasta por 2260 libras esterlinas. La *silla de brazos* de marfil que la ciudad de Lubecca regaló al rey Gustavo Vasa se vendió en 1832 por 58,000 florines; y el *traje* que Cárlos XII vestia en la batalla de Pultava, en el año 1825 costó 22,000 libras esterlinas, ó sea 560,000 francos. En el 1816 un *diente* de Newton fué pagado en 730 esterlinas. En ocasion de la translacion de los restos mortales de Abelardo y Eloisa, cierto inglés ofreció 100,000 francos por un *diente* de la última. Al contrario, el *cráneo de Cartesio* de Stocolm aunque entero, no costó mas que 99 francos. En Paris un *baston de Voltaire* se pagó en 500 francos. Una *toga de Rousseau* 959 francos, y su *reloj de laton* 500. Por una vieja *peluca de Kant* se dieron 200 francos, y una de igual condicion de Lorenzo Sterne subió hasta 200 guineas. Hubo quien compró las *dos plumas* con que fué firmado el célebre tratado de Amiens por 12,756 francos. El *sombrero que llevaba Napoleon* en Eylau fué vendido por 2920 francos. Se comprende fácilmente que todo esto es justo y digno de elogio; pero si los Católicos tratan de honrar á las Reliquias de los Santos, pronto se grita *supersticion.*»

Adversarii non tantum Reliquias, sed ipsorum altarium pluralitatem de medio tollere vellent, ut sic tandem ad nihil redigant quæ sunt cultus. Cum autem ad antiquitatem appellant, contra antiquitatem aperte faciunt: quod enim fuerit antiquitus plurium altarium usus, satis est commemorare sacella, quæ adhuc in catæcumbis Romanis subsistunt, in quibus duo, tria, novem etiam altaria in eodem cubiculo inveniuntur; ut omittam Ecclesiam S. Sepulchri a Constantino extructam, in qua tria altaria, Basilicam Ostiensem, aliasque non paucas, in quibus plura recensebantur altaria. Hinc Bulla *Auctorem fidei* propositio 31 Synodi Pistoriensis *enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare...* merito damnata fuit ut *temeraria, perantiquo, pio, multis ab hinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti et probato mori injuriosa.* — *V. Annali Religiosi*, vol. XVII, pag. 355. — Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, Opusc. XXVII: sepolture nelle Chiese; numero degli altari; imagini sugli altari; lumi; processioni; pellegrinaggi a luoghi santi; divisione nelle Chiese. — Bona, *Rerum liturg.* l. I, c. 14. — Gerdil, *In Bullam* Auctorem fidei *commenta.*

(T) Pag. 292.

Pauca quædam de variis Missarum *speciebus,* de nonnullis diebus quibus *prohibentur Missæ;* de *numero Missarum;* de *Indulgentia* altaris privilegiati, deque *voto* pro animabus purgantibus emisso.

1. Variæ distinguuntur species Missarum: *major* quæ celebratur cum cantu, et dicitur etiam *Missa cantata; minor* quæ est sine cantu, et dicitur *lecta. Solemnis* si celebretur cum cantu, thure, etc. ministrantibus Diacono et Subdiacono: at solemnis dicitur etiam quæ canitur sine ministris (ab aliis tunc vocatur *media*), si tamen ea sit principalis et canatur cum aliqua solemnitate, uti est parochialis festiva et conventualis. *Publica* ad quam populi concursus admittitur: parochialis est suapte natura publica; *privata* autem, ad quam non admittitur concursus, neque apparatus, sive canatur sive non (*privata* solet etiam dici, quando Sacerdos cum solo ministro, vel paucis fidelibus Missam legit). Missa *præsanctificatorum* (ab aliquibus dicitur *sicca*) est quæ celebratur, hostia prius consecrata, ut in die Veneris sancti: pro qua nequit acceptari eleemosyna, cum non sit verum sacrificium: proprie tamen Missa *sicca* illa erat quæ olim celebrabatur sine oblatione et consecratione in mari super navem (vid. Benedictus XIV. *De Sacr.* l. III, c. 6). *Votiva* dicitur ex devotione diebus permissis, et est quæ non concordat cum officio diei, quæ tamen debet concordare cum colore de die, nisi agatur de votiva celebrata ob gravem et publicam causam; tandem *defunctorum* quæ celebratur in paramentis nigris. Quando autem prohibeantur votivæ et defunctorum, notat Calendar. Diœcesis sub initio.

2. In Ecclesia romana (ut dictum fuit in textu agendo *de Missæ tempore*) omnes Missæ prohibentur die Veneris sancti; Missæ vero privatæ etiam Sabbato sancto, et feria V in Cœna Domini. Occurrente vero in ipsa Cœna Domini festo S. Joseph, et Annunciationis (hæc tamen Festa in toto Sabaudiæ

regno suppressa fuerunt Brevi 10 sep. 1853), Episcopus curabit, ut aliquæ Missæ privatæ ad satisfaciendum præcepto, ante solemnem celebrentur. Si autem Festum B. V. occurrat Sabbato sancto, vel die Veneris sancti (hisce diebus non potest cadere Festum S. Josephi, cum Pasqua non possit contingere ante diem 22 martii), festum de præcepto ex Decretis S. R. C. transfertur ad feriam II post Dominicam in Albis. *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. VI, n. 350; et Gavantus et Merati, qui notant, quod si in hisce diebus Sabbati et Veneris sancti cadat Festum de Patrono, quod sit de præcepto, non ideo potest transferri, ut supra; translatio est tantum specialis prærogativa Annunciationis B. V.; unde esset tantum transferendum Officium; et ipsum festum Patroni esset observandum die quo currit, si excipiatur auditio Missæ in die Veneris sancti, cum non possit hac die celebrari. — Græca Ecclesia tota quadragesima non celebrat, exceptis Sabbatis et Dominicis; Ecclesia autem Ambrosiana omittit tunc celebrare diebus Veneris.

3. Extra diem Nativitatis Domini Nostri sub gravi prohibetur duas Missas aut plures celebrari una die ab eodem Sacerdote, nisi in aliqua singulari circumstantia et cum licentia Episcopi, ut evenit in partibus infidelium. Ita Alexander II, cap. *Sufficit de cons.* dist. 1; et Benedictus XIV, Brevi *declarasti* (Liguori, *Homo Apost.* App. III, n. 127; et *Opus Mor.* l. VI, n. 351). Excipe diem Commemorationis omnium defunctorum pro Sacerdotibus Hispaniæ ac Lusitaniæ, quibus concessum est tres Missas celebrare a Benedicto XIV; sed pro una tantum exigere licet stipendium.

4. Quoad indulgentiam Altaris privilegiati hæc notanda: — 1 quando Indulgentia Altaris privilegiati utpote plenaria de se nata sit omnem pœnam defuncto remittere, non ideo tamen concludendum, quod infallibiliter e purgatorio anima illa liberabitur, ac ideo quod non possit iterum alia similis Indulgentia applicari. Nam effectus Indulgentiæ est quidem infallibilis pro vivis: non item pro defunctis, cum pro istis nulla adsit Dei promissio; unde eas acceptat tantum ad suum beneplacitum. Adde: defunctus potest esse veniali coinquinatus; at peccatum nondum remissum quoad culpam, non potest per Indulgentiam quoad pœnam remitti: hinc merito ab Alexandro VII sub n. 43 damnata est propositio: *annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam decem annos;* — 2 status gratiæ non requiritur ad hoc, ut Indulgentia Altaris privilegiati valide applicetur; quia non a personalibus Sacerdotis dispositionibus ea dependet, sed a divinæ Victimæ oblatione; — 3 etiam defunctis cathecumenis qui in fide ac charitate mortui sunt, potest hæc Indulgentia applicari. Ita communiter; nam hæc applicatio ipsis tantum fit per modum suffragii. Sane pro ipsis offerri potest Missæ Sacrificium, atque id olim cuidam Episcopo præceperat Innocentius III; ergo etiam Indulgentia applicari. *Bouvier.*

5. Ut maximum quo fieri potest animabus in purgatorio detentis procuraretur solatium, sedente Benedicto XIII, quædam pia devotio, quam votum, seu oblationem appellant, instituta fuit, per quam fideles ipsam amplectentes omnia opera propria satisfactoria dum vivunt, et singula pro ipsis oblata suffragia post mortem, animabus jam in purgatorio degentibus singulari pietate offerunt. Hoc votum seu oblatio, sive donatio animabus illis

applicat totum fructum satisfactorium; non autem meritorium, propitiatorium et impetratorium, qui adhuc nobis prodest; potest autem votum illud emitti etiam solo voluntatis nutu; non tamen obligat sub peccato. Benedictus XIII et Pius VI illud Indulgentiis cumularunt, quas quidem Pius papa IX 30 sept. 1852 Decreto urbis et orbis *confirmavit, declarando tamen:* —1 *quod Sacerdotes ipsum votum profitentes Indulto Altaris privilegiati personalis gaudere possint singulis anni diebus;* —2 *quod omnes Cristifideles, qui idem votum amplexi sunt, Indulgentiam plenariam Fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant, quocumque die ad sacram Communionem accesserint, et qualibet anni feria secunda sacrum Missæ Sacrificium in suffragium eorumdem defunctorum Fidelium audierint; dummodo in utroque casu aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint;* —3 *quod ipsis Cristifidelibus omnes et singulas Indulgentias quocumque modo concessas, vel concedendas quas lucrari possint, animabus pariter defunctorum applicare liceat.* Neque prohibentur Sacerdotes tale votum emittentes celebrare et applicare pro iis, pro quibus debent, vel a quibus stipendium accipiunt, uti declaravit Benedictus XIII. —*V. Atto eroico di carità verso le SS. Anime del purgatorio.* Genova, Novara. 1853.

TRACTATUS DECIMUS

DE

PŒNITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE.

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

« Aggredimur Opus, cui utique omni studio præ cæteris materiis sedulo incumbendum; cum in ipso totius Theologiæ moralis summa et quæstiones magis ad praxim spectantes contineantur. Et ideo ego labori non peperci, ut desiderio lectorum satisfacerem; et ut ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant. » Ita Liguori dux noster atque magister (1).

Aliqua præmittimus de Pœnitentia generatim.

PRÆLUDIUM.

Q. *Quid venit nomine pœnitentiæ generatim acceptæ?*

R. Pœnitentiæ nomen, quod a *pœna* vel a *punitione* videtur esse deductum, quasi homo puniat in se ulciscendo quod commisit peccando, solet in Scholis adhiberi: 1 prout indicat virtutem moralem, et dicitur *virtus pœnitentiæ;* 2 prout indicat Sacramentum novæ Legis, et appellari solet: *Sacramentum reconciliationis, Baptismus laboriosus, secunda post naufragium tabula:* item simpliciter *Pœnitentia* vel *Confessio.* Antiquitus etiam *manuum impositio dicebatur;* quia olim pœnitentes manus impositione reconciliabantur.

Pœnitentia prout est virtus, communiter solet definiri: *virtus moralis, infusa, inclinans peccatorem ad detestationem et dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis ac satisfactionis proposito* (2). Dicitur *infusa;* nam ex Scriptura *gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam* (3). Et Tridentinum definivit: *siquis dixerit sine præveniente Spiritus*

(1) *Opus Mor.* l. VI, n. 426. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 434. (3) Act. 11.

Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit (1). Dicitur *quatenus est offensa Dei;* pœnitentia enim utpote quædam species justitiæ est ad alterum, tenditque ad abolendam offensam ipsi illatam et pro ea satisfaciendum: si ergo quis doleat de suo peccato sine respectu ad Dei offensam, ejus dolor idoneus non est ad ipsum offensum Deum placandum. Ex hoc patet pœnitentiam esse virtutem specialem, cum speciale habeat objectum; et continere 1 odium vitæ anteactæ, 2 voluntatem pro ea satisfaciendi, 3 propositum vitæ novæ inchoandæ.

Errat ergo Lutherus, qui ut Pœnitentiæ tum virtutem tum Sacramentum funditus subvertat, totam ejus rationem collocat in solo melioris vitæ proposito, sive in sola resipiscentia. Ejus doctrinam reprobant: — 1 Scripturæ, ubi legitur: *dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu et in planctu* (2); — 2 Patres, ex quibus Augustinus aperte docet ad Pœnitentiam non sufficere *mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium* (3); — 3 ipsa ratio, et ipsa profanorum scriptorum auctoritas; nam naturæ vox est, ut voluntas malum a se patratum detestetur, atque pro viribus reparet. Quare ipse Ovidius cecinit: *pœnitet, et facto torqueor ipse meo* (4). Merito ergo Tridentinum: *declarat igitur sancta Synodus hanc contritionem* (quæ est eadem res cum Pœnitentia, de qua agimus) *non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere* (5).

Hæc pœnitentia, ait idem Tridentinum, *universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore fuit ad gratiam et justitiam assequendam necessaria* (6). Variis autem gradibus ordinarie ad pœnitentiam perveniunt peccatores, ut exponit idem Concilium post Angelicum (7): *disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse quæ divinitus revelata, et promissa sunt: atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* (8).—Diximus *ordinarie;* quia gratia quandoque in instanti effectum suum sortitur, sic Deo volente, ita ut uno temporis puncto perfecta mutatio contingat: patet Pauli exemplo (9).

(1) Sess. 6, can. 3. —*V.* Habert. (2) Joël. 2. (3) Serm. 351.
(4) L. I *de Pont.* Elegia 1. (5) Sess. 14, cap. 4.
(6) Sess. 14, cap. 1. — Verum de virtute pœnitentiæ erit fusius ubi *de contritione generatim*; cum contritio eadem sit ac ipsa pœnitentiæ virtus.
(7) 3 p. q. 85, a. 5. (8) Sess. 6, cap. 6. (9) Act. 9.

CAPUT PRIMUM

DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ NATURA, NECESSITATE, INSTITUTIONE.

Q. 1. *Quid est Pœnitentia uti Sacramentum?*

R. Pœnitentia ut Sacramentum definiri potest: *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum, quo homini baptizato, contrito, confesso et satisfactionem spondenti per Sacerdotis absolutionem peccata post Baptismum commissa remittuntur.* Et brevius: *Sacramentum constans actibus pœnitentis et absolutione Sacerdotis.*

Quod sit verum Sacramentum de fide est et facile demonstratur: verum Sacramentum etiam a Lutheranis et Calvinistis, qui omnium primi hanc veritatem inficiarunt (1), definitur: *signum sensibile, divinitus institutum, et habens adnexam divinæ gratiæ promissionem.* Atqui ritus, quem *pœnitentiæ* nomine nuncupamus et quo Ecclesia peccata dimittit, talis est: 1 est signum sensibile; occurrit enim ex una parte peccatorum confessio in pœnitente, ex altera absolutio a Sacerdote: quæ duo sunt utique sensibilia; 2 divinitus institutum, uti ostendunt illa Christi verba ad ministros suos: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (2); 3 divinæ gratiæ collatio; hæc enim a peccatorum remissione disjungi non potest. — Hujus autem veritatis constantem habemus traditionem, cujus quidem testes sunt tum Patres, ut Tertullianus, *De Pœnitentia;* Ambrosius item, *De Pœnitentia;* Cyprianus, *De Lapsis;* Chrysostomus, *De Sacerdotio;* etc. (3): tum omnes rituales libri utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ, in quibus traditur administratio hujus Sacramenti. Merito ergo Tridentinum definivit: *siquis dixerit in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino Nostro institutum, anathema sit* (4). Et in Concilio Florentino, Decreto ad Armenos legitur: *quartum Sacramentum est Pœnitentia.*

Sed nonne (dices) *potestas remittendi peccata referenda est ad Baptismum, qui Pœnitentiæ nomine in Scripturis appellatur?* — Id docent Lutherani et Calvinistæ: hinc juxta ipsos, si lapsi fuerimus, sufficit Baptismi memoriam repetere, quæ quidem doctrina latissimam peccatis viam aperit. Sed veritas catholica est, Pœnitentiam a Baptismo omnino distingui: ea Sacramenta a se invicem distincta sunt, quæ habent diversam materiam, formam, ministrum et subjectum; atqui hæc omnia occurrunt in Pœnitentia et Baptismo. Materia Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, Baptismi est aqua. Forma Pœnitentiæ sunt verba: *ego te absolvo;* Baptismi sunt verba: *ego te baptizo;* Minister Pœnitentiæ non est nisi Sacerdos; Baptismi esse potest homo quicumque. Denique subjectum Pœnitentiæ est jam baptizatus; Baptismi non baptizatus. Quare ajebat S. Epiphanius: *in iis, qui sunt post Baptismum lapsi,*

(1) *V.* Bossuet, *Hist. variat.* l. XI, nn. 104 et 165. (2) *Joann.* 20.

(3) Doctrinam SS. Patrum videre est penes Klee, *Storia de' Dogmi*, t. II, p. 210.

(4) Sess. 44, can. 1.

subveniri non potest Baptismate; sed alio remedio, quod est Pœnitentia (1). Et D. Hieronymus Pœnitentiam vocat *secundam post naufragium tabulum* (2); prima enim est Baptisma. Recte igitur Tridentinum (3); *siquis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit* (4).

Q. 2. *An Ecclesia possit remittere omnia peccata post Baptismum?*

R. Montanistæ tria peccata subtraxerunt potestati clavium, idololatriam, homicidium, mœchiam; Novatianus autem et Novatus lapsum in idololatriam: ipsorum vero asseclæ ulterius progressi subtraxerunt primum cuncta graviora delicta, et demum omnia lethalia post Baptismum commissa: qui proinde hortabantur peccatores, ut veniam illorum a solo Deo impetrarent. Qui omnes semper ut hæretici habiti sunt, et eos Ecclesia damnavit in compluribus Conciliis, uti refert Eusebius, qui ecclesiasticam historiam primus conscripsit, sæculo IV ineunte. Sane clarissima sunt Christi verba: *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*. Iterum: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (5). Hæc porro nullam continent peccatorum exceptionem. — Accedit usus Ecclesiæ constantissimus concedendæ veniæ peccatoribus etiam perditissimis: sic (ut ab ipsis Apostolis exempla sumamus) S. Joannes juvenem scelestissimum, latronem et homicidam, post congruam pœnitentiam, Ecclesiæ restituit (6). Et Paulus incestuoso Corinthio, qui crimen tale patraverat, quod nec apud gentes audiebatur, veniam est elargitus (7). Quo exemplo sic D. Ambrosius Novatianos insectabatur (8): *cum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Christi? Novatianus, an Paulus?*

Dominus autem, habet Tridentinum, *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens:* accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et

(1) Hær. 59. (2) Ep. ad Sabin. (3) Sess. 14, can. 2.

(4) In Scripturis si Baptismus Joannis dicitur *Baptismus Pœnitentiæ*, est quia peccata non dimittebat ex opere operato, sicut Baptismus Christi; sed totam vim repetebat ex opere operantis, id est ab ipsa pœnitentia peccatorum. Item si frequenter conjunguntur in SS. Litteris Baptismus et Pœnitentia ideo est, quia ille sine hac uti virtute nihil valet ad salutem; nam Pœnitentia quatenus est virtus, est necessaria quoad adultos ad peccatorum remissionem in Baptismo obtinendam. — Patres vero si Pœnitentiam aliquando vocant Baptismum, addunt *laboriosum* aut *lacrymarum*, ad discrimen Baptismi proprie dicti. Vel si videntur Baptismo tribuere remissionem omnium peccatorum, id intelligendum de Baptismo tamquam de causa remota; quia sine Baptismate inaniter pœnitentia suscipitur. — *V. Perrone, Bellarminus, Tournely*, etc.

(5) Matth. 18; Jo. 20.

(6) L. III, c. 23. — V. Tridentinum, sess. 14, cap. 1 et can. 3. (7) Cor. 5.

(8) L. I *de Pœn.* c. 3. Unde si quædam peccata in Scripturis *irremissibilia* dicuntur, id est quia remittuntur difficilius: uti blasphemia in Spiritum Sanctum, ea scilicet animi perversitas, quæ contra veritatem evidenter cognitam obduratur: qui enim ita se habet, patet illum jam in profundum venisse. — *V. Bibbia* di Vence, vol. XI: *sul peccato contra lo Spirito Santo.*

Item si quibusdam fuit aliquando negata venia, id *ex rigore disciplinæ, non ex desperatione veniæ* factum esse docet Augustinus (*Epist.* 60). *V. Alasia, Billuart*, etc.

quorum retinueritis, retenta sunt (1). Dictum est *tunc præcipue;* quia Christus jam quasi inchoaverat ejus institutionem ante passionem, quando potestatem ligandi ac solvendi Apostolis promisit his verbis: *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (2).—Ratio congrua, cur Christus hoc Sacramentum instituerit, est tum ut plenius nobis ejus merita applicarentur; tum ut facilius veniam obtineremus, siquidem in hoc Sacramento non requiritur perfecta contritio; tum ut firmiorem haberemus veniæ spem ac securitatem per Sacerdotis sensibilem veluti sententiam; tum demum ut majus haberemus peccati frænum in confessione peccatorum, in injunctione remediorum ac Sacerdotis monitione. Ratio autem congrua, cur hoc Sacramentum Christus instituerit post resurrectionem, est ut perfectum justificationis exemplum nobis præberet: sicut enim cito, vere et perfecte Christus non amplius moriturus surrexerit, ita et peccator e sua culpa cito, vere et perfecte resurgere debet non amplius casurus.

Pœnitentiæ Sacramentum vel in re vel in voto omnibus post Baptismum in mortale lapsis necessarium esse necessitate medii, sic declaravit Tridentinum: *est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus* (3). At Baptismi Sacramentum est necessarium necessitate medii; ergo et Sacramentum Pœnitentiæ.—Toties autem ex eodem Tridentino Pœnitentia potest suscipi, *quoties fideles post Baptismum in peccata labuntur* (4). Idque patet ex iis Christi verbis generatim dicentis: *quæcumque solveritis... quorum remiseritis*, etc.

CAPUT SECUNDUM

DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MATERIA (5).

Q. 1. *Quænam est materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Materia remota (vel potius removenda) Sacramenti Pœnitentiæ sunt *peccata omnia post Baptismum commissa;* remota enim Sacramenti materia est id, circa quod versatur Sacramenti actio; atqui hujus Sacramenti actio versatur circa illa peccata, scilicet destruenda.

Diximus *peccata post Baptismum commissa;* nam originale et actualia quæ Baptisma præcesserunt, Baptismate delentur, non vero Pœnitentia; cum nondum baptizatus Ecclesiæ clavibus non subjiciatur, et Baptisma cunctorum Sacramentorum sit janua. Diximus *omnia*, ita tamen ut mortalia nondum directe remissa, constituant materiam remotam necessariam, cum ideo Pœnitentia hæc instituta sit: venialia autem et ipsa mortalia jampridem directe remissa (6), constituant materiam liberam ac sufficientem.—Ac primo

(1) Sess. 14, cap. 1 *de Pœnit.* (2) Matth. 18.
(3) Sess. 14, c. 2. (4) Sess. 14, can. 1.
(5) *V.* Liguori *Opus Mor.* l. VI, n. 427; et *Homo Ap.* tr. XVI, n. 35.
(6) *Directe remissa* sunt mortalia, quæ fuerunt declarata in ipsa Confessione. Quæ autem mortalia per oblivionem inculpabilem non fuerunt declarata, remissa quidem sunt, cum unum mortale non possit auferri sine alio: et ideo *indirecte remissa* dicuntur, sed remanet obligatio ea pos-

venialia constituunt *liberam* materiam, quia ex Tridentino, Deo sic volente, *taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt* (1), sed materiam *sufficientem*, quia Christi verba: *quæcumque solveritis* etc., non distinguunt inter mortalia et venialia: aliunde etiam venialia vinculum inducunt: et idem Concilium declaravit venialia *recte et utiliter in Confessione* dici, et damnavit id negantes (2).—Idem currit de mortalibus jam directe remissis, prout omnes docent cum Angelico (3): nempe hæc sunt *materia libera*, quia quod semel remissum est nequit amplius in culpam vocari; sed *sufficiens*, quia licet remissa nunc, semper tamen per illa Deus offensus fuit: cumligitur hæc possint iterum esse materia Confessionis et Contritionis, nihil pugnat quominus adhuc esse queant materia absolutionis: qui enim aliquem offendit, potest iterum atque iterum de suo peccato dolere ac veniam petere. Hoc Benedictus XI expresse tradit et reputat *salubre* (4): et probat etiam communis fidelium praxis.

Q. 2. *Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Lutherani, qui hoc Sacramentum retinent, duas esse volunt illius partes essentiales, *terrores conscientiæ* ex cognito peccato, et *fidem*, qua nempe quis credit sibi per Christum esse remissa peccata. Qui error in Tridentino damnatus fuit (5): et sane terrores possunt utique ad pœnitentiam disponere, at non ipsam constituunt; fides vero, qua quis credit se infallibiliter justificatum, peccatorum remissionem subsequitur: præterea certitudo illa sine divina revelatione haberi non potest. Calvinus autem, qui pœnitentiam habet tantum ut virtutem, contendit illius partes esse *mortificationem carnis* et *vivificationem spiritus*; sed fallitur, hæc enim duo sunt pœnitentiæ effectus, non ejusdem essentiales partes. Tridentinum hac de re habet: *si quis negaverit ad integram et peccatorum perfectam remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur,... anathema sit* (6). Quod merito statutum est, ut iis modis quibus Deum offendimus, iisdem ipsi nos reconciliemur: Deum offendimus corde, ore et opere; sic nos reconciliamur ei cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione.

Attamen dissident Theologi, an in hisce tribus partibus sit constituenda essentia Sacramenti, seu proxima ejus materia. Scotus illam collocat in sola

tea declarandi in alia confessione, ut satisfiat præcepto divino integre confitendi, omniaque mortalia Ecclesiæ clavibus subjiciendi. Quanto autem tempore expectari possit ad faciendam hanc declarationem, aliqui arbitrantur cum, qui singulis mensibus vel crebrius confiteri solet, illam confessionem tuto expectare posse. Verum tunc rectius urget hæc obligatio, cum urget præceptum iterum confitendi.

(1) Sess. 14, c. 5. (2) Sess. 14, c. 5; et can. 7. (3) In 4, d. 17, q. 3, a. 3, q. 1.

(4) *Extrav.* 11 de priv. — Neque obstat, quod peccatum delctum non sit amplius peccatum; nam peccatum etsi jam remissum, semper est peccatum commissum. Sufficit autem quod Sacramentum per se et in actu primo præbeat gratiam deletivam peccati; quamvis per accidens revera et in actu secundo peccatum non deleat, sed gratiam adaugeat: sicuti contingit cum quis ad Sacramentum accedit jam perfecte contritus. Et tunc impletur illud: *qui justus est, justificetur adhuc* Apocal. 22. Quæ justitiæ augmentatio vere dici potest justificatio, sicut augmentatio caloris dicitur calefactio, ut ait Sylvius.

(5) Sess. 14, c. 4. — V. Liguori, *Opera Dogm.* etc. sess. VII, c. 3. (6) Sess. 14, can. 4.

absolutione, et cæteras dicit esse partes tantum integrales; Durandus eam reponit in confessione; at post D. Thomam commune est (1), eam esse constituendam in tribus illis actibus simul, nempe *contritione*, *confessione* et *satisfactione*. Quod conformius est Tridentino, a quo tres illi actus dicti sunt *quasi materia hujus Sacramenti:* ubi Catechismus ejusdem Concilii animadvertit fuisse appellatos *quasi materiam, non quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et Chrisma in Confirmatione.* Hoc ipsum docet Rituale romanum: neque obstat quod contritio de se non sit sensibilis; nam satis sensibilis fit per confessionem et alia exteriora pœnitentiæ signa.— Advertendum tamen inter tres actus prædictos hoc intercedere discrimen, quod satisfactio in actu, seu quatenus imponenda aut implenda, non sit nisi pars integralis; quia effectus pœnitentiæ, nempe gratia et remissio peccatorum quoad culpam et pœnam æternam, sine actuali satisfactione haberi potest: Contritio ex adverso et confessio sunt partes essentiales in actu. Diximus *satisfactio in actu;* propositum enim satisfaciendi est ejusdem naturæ ac contritio ipsa atque confessio: neque enim illum vere pœnitet, qui non habet actuale propositum satisfaciendi justitiæ Dei.

ARTICULUS I—De contritione generatim.

Q. 1. *Quomodo definitur contritio generatim?*

R. Contritio generatim definitur a Tridentino: *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* (2). Quibus verbis ut definitio magis accommodetur statui novæ Legis, addi solet: *et cum voto confitendi ac satisfaciendi.* Dicitur 1 *animi dolor*, id est tristitia cordis, non sensus seu partis sensitivæ; contritio enim est actus voluntatis, ideoque affectus rationalis prorsus; 2 *ac detestatio*, id est odium et aversatio, per quam animus recordatione peccati horret quodammodo ac refugit, illud abominando: detestatio potest esse sine dolore, ut contingit in Beatis, qui peccatum odio habent et aversantur, nec tamen dolent; 3 *de peccato commisso,* propria scilicet voluntate, non aliena: quia peccatum commissum ab aliis, retractari non potest a nobis. Quamquam detestatio et dolor late sumptus, nempe pro displicentia mali, possit etiam esse de alieno peccato; 4 *cum proposito non peccandi de cætero;* quia impossibile est, ut quis vere doleat de peccato, quod adhuc committere vult; 5 *et cum voto confitendi ac satisfaciendi:* sane illud votum seu desiderium scienter negligi non potest; cum confessio et satisfactio ex divina institutione hodie ad pœnitentiam requirantur. Hoc tamen votum jam implicite includitur in ipsa contritione, nec est necesse *extra Sacramentum ipsum*, ut quis conteratur expresse inten-

(1) 3 p. q. 84, a. 2.

(2) Sess. 14, c. 4. — Contritio autem proprie consistit non in dolore, sed in detestatione, ideo enim de aliquo dolemus, quia de eo turpitudinem apprehendimus; ita verius cum D. Thoma (3 p. q. 87, a. 1). Attamen et dolor et detestatio necessario requiruntur, et de facto in contritione habentur; qui enim detestatur peccatum, necessario de ipso dolet; sicut qui de peccato dolet, necessario illud quoque detestatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 433.

dens confiteri; eo enim ipso, quo vere dolet de admissis et vult converti ad Dominum, jam habet voluntatem servandi omnia præcepta, quorum unum est peccatorum confessio: quod innuit Tridentinum dicens: *reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam* (1).

Diximus *extra Sacramentum ipsum;* nam quæstio est, an dolor prout est pars Sacramenti, debeat elici a pœnitente ex intentione et relatione ad Confessionem; an vero postquam elicitus est absque memoria confessionis, possit pœnitens eo dolore uti ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Billuart, Lugo Sporer aliique (ad hoc ut dolor sit materia apta ad Sacramentum) negant eliciendum esse cum expressa intentione confitendi et satisfaciendi; quia jam satis ad Sacramentum dirigitur per subsequentem confessionem. Sed affirmant Busembaum ac Concina; nam sicuti minister aut etiam suscipiens alia Sacramenta, debet per intentionem ordinare materiam ad Sacramentum, v. g. ablutionem aquæ ad Baptisma; ita etiam susceturus Pœnitentiam debet ad illam ordinare dolorem, qui est ejusdem Sacramenti materia (2).

Q. 2. *Quænam sunt conditiones contritionis?*

R. Contritio has conditiones necessario habere debet, ut sit nempe:

1. *Supernaturalis*, et quidem duplici ex capite. Id est tum ratione principii, a quo procedit: et est gratia divina, sine qua *neminem pœnitere potest sicut oportet* (3); tum etiam ratione motivi, ex quo elicitur, quod esse debet per fidem menti propositum; unde siquis doleret de peccato, quia repugnat rationi, vel quia sibi attulit infamiam aut infirmitates, ejus contritio esset mere naturalis: et nullam haberet proportionem cum justificatione, quæ est ordinis supernaturalis. Hinc damnata est ab Innocentio XI. hæc sub n. 57 propositio: *probabile est sufficere contritionem naturalem, modo honestam.* — Hic tamen distingue inter contritionis motivum et occasionem: motivum supernaturale esse debet, occasio autem naturalis esse potest; potest enim peccator ex morbo aliove malo temporali occasionem nancisci ad Deum per veram contritionem redeundi. Qui vero dolet non ex metu æternæ pœnæ, sed ex metu pœnarum tantummodo temporalium, si nullum ad Deum respectum habeat, ejus dolorem mere naturalem esse, ideo non sufficere, docent omnes: si autem istæ pœnæ considerentur prout a Deo infliguntur, utrum id satis sit ad justificationem in Sacramento, negant Canus et Concina; cum solo naturali lumine peccator cognoscere valeat temporales pœnas a Deo infligi: ideo dolor naturalis esset. Sed affirmant Lugo, Sporer, Suarez et alii, quia fide etiam edocti sumus non solum æternas pœnas Deum infligere peccatoribus, sed etiam temporales, ut patet exemplo Ninivitarum, quorum dolor non fuit conceptus, nisi ob metum excidii civitatis, quod iisdem minabatur Deus, clamante Jona: *adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (4).

(1) Sess. 14, c. 4. (2) Secunda sententia cum sit probabilis, in praxi sequenda.

(3) *Tridentinum*, sess. 6, c. 3.

(4) Hæc sententia videtur probabilior, sed in praxi tutius erit tenere priorem, quæ quidem non caret sua probabilitate saltem extrinseca.

2. *Universalis*, se nempe debet extendere ad omnia mortalia: *si impius*, ait Deus, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus..., non recordabor* (1). Sane nemo dixerit vere de peccatis illum dolere, qui unum quidem detestatur, aliud vero diligit; cum sciat omni et quocumque peccato mortali amicitiam cum Deo penitus extingui. Non requiruntur tamen (in sententia communi) singuli actus doloris ad singula peccata; quod sæpe foret impossibile: *omnia peccata*, ait D. Thomas, *conveniunt in aversione a Deo, ratione cujus gratiam impediunt. Unde ad justificationem non requiritur, quod in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet; sed sufficit, quod cogitet de hoc, quod per culpam suam est aversus a Deo* (2). Ut tamen dolor ad omnia virtualiter extendatur etiam occulta, ex motivo universali, v. g. ex offensa Dei vel ex pœna promerita est eliciendus.

3. *Appretiative summa*, id est summa quoad voluntatem, quatenus voluntas detestetur peccatum super omnia mala, et parata sit pœnam quamcumque potius subire, quam peccare mortaliter: sicut enim Deus est summum bonum super omnia diligibile; ita mortale quod illi opponitur, est summum malum super omnia detestandum. Huc facit illud Christi: *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* (3). Non vero summa quoad sensum, sive in parte sensitiva, quasi lacrymæ doloris acerbitatem debeant consequi (4); cum iste dolor, etsi exoptandus, non sit in nostra potestate (5).

4. *Formalis*, nempe expressa: ideo non sufficit virtualis et implicita, prout continetur in actu charitatis; agitur enim de constituenda materia Sacramenti. Unde sicut non sufficit materia virtualis, v. g. panis virtualis, id est triticum, nec vinum virtuale, id est uva in Eucharistia; ita nec in Pœnitentia contritio virtualis, seu actus charitatis. — Item debet esse conjuncta cum fide et spe veniæ: cum fide; quia ex Apostolo *sine fide impossi-*

(1) Ezech. 18.

(2) *De verit.* q. 29, a. 5, ad 4. — In praxi bene erit, si peccatorum suorum deformitatem pœnitens meditetur; maxime si majori passione afficiatur erga peccatum aliquod particulare, tunc ad specialem illius detestationem erit inducendus, ne remanente affectus radice, facile ad vomitum redeat. Sed excipe *peccata luxuriæ*, ne ex inductione ad illa magis detestanda pœnitens exponatur periculo iisdem potius magis adhærendi. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 438.

(3) Matth. 10.

(4) Et quamvis peccator magis dolere debeat de suo peccato, quam de alio malo quocumque, attamen urgendus non est, sed consolandus, si ita se dolere non sentiat; uti si v. g. magis se sentiat dolere de morte patris, filii, etc. quam de offensa Dei. Sicut e contrario reprehendendi sunt Confessarii, qui practice descendentes cum pœnitente ad mala particularia, eumdem tentant, utrum velit potius suspendi, capite obtruncari, comburi flammis quam Deum offendere. Nam cum sensibilia magis hominem moveant, quam spiritualia, periculum erit, ne tentationi succumbat.— *V.* Salvatori, *Istruzioni* ecc. p. 2.ª c. 8.— Careno, *Delle regole* ecc Es. I, II, III, e IV.

(5) Item ad veram contritionem non requiritur ulla intensio vel duratio temporis; *non intensitas*, gradus enim doloris seu affectus et conatus major vel minor non est de contritionis essentia; *non diuturnitas*, hæc enim non pertinet ad essentiam actus; quare etsi præstat ut caveamus a nimia festinatione, ne leviter dolor concipiatur insufficiens; attamen neque cum anxietate huic insistendum est. Ad rem Salesius in suo *Dirett. spirit.* c. 43: «Casi no se necesita tiempo alguno para hacer bien un acto de contricion, porque no se necesita otra cosa sino postrarse delante de Dios con espíritu de humildad y arrepentimiento de haberle ofendido.

bile est placere Deo (1); cum spe veniæ; quia ex Jacobo qui non sperat, *non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino* (2). Imo fides et spes debent esse explicitæ; nam Tridentinum ait, peccatores disponi ad justificationem *credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt... fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* (3). Hoc tamen non debet turbare peccatorem; ipso enim actu quo accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum, jam aliquo modo credit explicite (non quidem reflexe, sed exercite seu de facto) in illo esse vim justificandi ex meritis Christi: et simul explicite sperat, se in eodem peccatorum suorum esse veniam consecuturum.

5. *Interna* juxta illud Prophetæ: *scindite corda vestra* (4); alioquin esset fictio doloris, non verus dolor. Et æquum sane est, ut inde dolor deducatur, unde peccata enascuntur; at *de corde*, teste Scriptura, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*, etc. (5).

6. *Efficax*, nimirum conjuncta cum proposito non peccandi de cætero, et vitæ novæ inchoandæ, juxta illud Ezechielis: *projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum* (6).

Q. 3. *An contritio sit necessaria ad peccatorum remissionem?*

R. Contritio vera et formalis sive intra sive extra Sacramentum ad mortalium remissionem necessaria est necessitate tum medii tum præcepti: *nulla est barbaries*, ait Augustinus, *quæ dicere audeat non esse pœnitendum homini, si peccaverit* (7). Ac 1 necessitate medii; nam repugnat quod homo peccator Deo reconcilietur sine sincera cordis conversione ad Deum: hinc merito Scriptura, si *pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (8); 2 necessitate præcepti; quisque enim vel ipso jure naturæ tenetur arripere media ad salutem necessaria; secus peccaret graviter tum contra charitatem propriam sibi non prospiciendo, tum contra charitatem in Deum, cujus amicitiam recuperare negligit. Quæ quidem contritio vel in eo requiritur qui amore Dei super omnia accensus est, si suorum peccatorum memoriam habeat; quis enim credat Deum super omnia ab eo diligi, qui non dolet de flagitiis præteritis, quibus se Deum offendisse meminerit?

Imo vel ad ipsam venialium deletionem contritio necessaria est: *nec quemquam putes*, iterum Augustinus, *a quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire* (9). Ratio est ex Angelico, quia *sicut peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa, manet effectus* (10). Attamen ad delenda venialia contritio virtualis sufficit extra Pœnitentiæ Sacramentum:—1 contritio virtualis sufficit, seu *virtualis quædam displicentia*, prout ait idem Angelicus; *puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commississe, etiamsi de illo actu non*

(1) Hebr. 11. (2) Ep. c. 1. (3) Sess. 6, cap. 6.
(4) Joël. 2. (5) Matth. 15. (6) Cap. 18.
(7) *De duab. anim.* c. 14. (8) Luc. 13. (9) Ep. 48.
(10) 3 p. q. 87, a, 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 449.

cogitaret;—2 *extra Pœnitentiæ Sacramentum:* nam in Sacramento cum communi tenendum est (1), omnino sub gravi requiri contritionem formalem, etiamsi quis sola habeat venialia, ne scilicet Sacramentum sua materia frustretur: et quidem supernaturalem, summam, cum fide et spe veniæ, internam et efficacem (2); non tamen universalem; in confessione enim venialium satis est vel de uno tantum dolere, cum venialia non constituant materiam necessariam, et unum sine alio remitti possit: et tunc cætera venialia, de quibus pœnitens non dolet, non jam in confessione dicuntur, ut absolutio cadat super illa; sed dicuntur vel ad humilitatem seu confusionem sui, vel ad manifestandam magis conscientiam; confessio enim est etiam ad regimen conscientiæ, et futuræ vitæ directionem. Ita Croix, Lugo, Suarez aliique.

Quandonam (quæres) *obligat contritio?*—Certum est apud omnes, contritionem obligare per se in articulo mortis, aut amentiæ perpetuæ; quia tunc periculum est in mora, et quisque sibi providere tenetur et curare, ne Deo perpetuo remaneat inimicus, sed ut illum vera ac perfecta charitate diligat (3). Per accidens vero obligat: 1 quando quis est in peccato mortali, et debet Sacramenta aliis ministrare, vel Sacramentum vivorum suscipere; sancta enim sancte tractanda sunt; 2 quando quis graves patitur tentationes, neque eas superare valet, quin eliciat actum contritionis; 3 quando quis tenetur charitatis actum erga Deum elicere: tunc qui sibi conscius est gravis peccati, debet illud detestari, cum Deo illud opponatur.

Verum utrum contritio per se obliget post mortale admissum, ita ut ejus dilatio sit novum et speciale peccatum, per se loquendo, negamus; nam præcepta affirmativa habere debent tempus determinatum ad satisfaciendum huic præcepto, si excipias præceptum annuæ Confessionis. Attamen alia ratione pu-

(1) Confessarius «propterea curet (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.* tr. ult. n. 9) si pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero, determinando tamen aliquam materiam quoad genus, v, g. *me accuso de peccatis superbiæ, luxuriæ*, etc.) ut habeat materiam certam, super qua inniti possit absolutio. Alioquin etiam huic pœnitenti per aliquod tempus differri oportet absolutio.» Hæc agendi ratio, aliquod certum peccatum vitæ anteactæ confitendi, in iis maxime est curanda, qui sola venialia habent, et in eadem sunt recidivi: quia merito tunc potest de illorum dispositione dubitari.

Cæterum si Confessarius plane agnoscat aliunde pœnitentem, ut ex recenti totius vitæ confessione etc., et sciat illum intendere accusare de peccatis sibi jam notis, tunc satis erit si pœnitens dicat *me accuso de omnibus peccatis jam tibi notis,* vel simpliciter, *de omnibus peccatis vitæ præteritæ.* Gury.

(2) *Supernaturalem*, nam contritio naturalis nequit esse medium ad effectum supernaturalem: sufficit autem pro venialibus metus pœnarum purgatorii, ut patet; *summum*, seu debet peccator detestari veniale plusquam omnia mala naturalia, nam hæc non sunt nisi naturæ, illud autem est malum Dei; *cum fide et spe*, item *internam et efficacem*, alioquin contritio esset ficta et illusoria.

(3) An autem qui in mortis articulo suscipit Pœnitentiæ Sacramentum cum attritione, teneatur etiam elicere explicite contritionem perfectam, alii negant, cum moraliter certus sit, se esse justificatum; alii affirmant, quia in mortis articulo quisque tenetur quærere tutiora remedia. Utraque sententia probabilis est, sed secunda omnino suadenda, cum agatur de summo salutis negotio; tanto magis, quod in extremo vitæ tenemur ad actum amoris, cui satisfieri non potest, nisi peccatum detestemur, cum memoriæ occurrit. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 437.

tamus non posse excusari a mortali qui per notabile tempus existens in mortali contritionem differt: peccaret enim tum contra charitatem erga Deum, quæ obligat pluries saltem in anno, tum contra charitatem erga se, cum se exponat proximo relabendi periculo; quia sine gratia sanctificante ex D. Thoma, quod homo *diu maneat absque peccato mortali, esse non potest* (1). Et D. Gregorius ait: *peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit* (2). Hinc monet Ecclesiasticus: *non tardes converti ad Dominum* (3). —Verum quale sit *notabile tempus*, alii dicunt spatium unius anni (sed hoc non est admittendum, qui enim per tantum temporis perseverat in mortali, videtur quod non possit vitare periculum in alia facile relabendi); alii hebdomadam circiter: quæ opinio videtur nimis rigida. Potius res est commensuranda ex circumstantiis peculiaribus personæ in peccato existentis, v. g. a sua proclivitate in vitia, a malis habitibus, a violentia tentationum, a præsentia occasionum, etc.: quamquam fere semper peccatores (maxime rudes) excusantur a peccato dilatæ pœnitentiæ ob inadvertentiam: atque ideo Confessarius neque se ipsum neque suos pœnitentes angariare debet ad hanc temporis dilationem nimium pensitandam.

Q. 4. *An contritio debeat Confessionem præcedere?*

R. Contritio debet præcedere absolutionem, quia forma cadere debet super materiam præsentem. Verum communius docent Lugo, Suarez et alii, non oportere ut illa præcedat etiam confessionem; quia licet sit elicita in ejus fine vel post, nihilominus moraliter cum illa unitur, in eamque influit, eamque dolorosam reddit; cum sit elicita in ordine ad confessionem. Huic favet Rituale romanum dicens: *audita confessione,* (Confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere* (pœnitentem) *conabitur*. Cæterum omne dubium deponet qui post dolorem, de narratis se iterum generatim accusat.

Quamdiu autem censeatur perseverare actus doloris, inter diversa opinantes, nos cum Roncaglia non dubitamus asserere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere, si dolor jam habitus perseveret virtualiter; quia non minus ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio, quam dolor ad conficiendum Sacramentum Pœnitentiæ: unde sicut omnes fatentur sufficientem esse ad conficienda Sacramenta intentionem virtualem; ita dicendum est sufficere dolorem virtualem: quod enim virtualiter existit, intelligitur sufficienter influere, et humano modo concurrere ad id, ad quod ordinatum est. Ex his facile dignoscitur, an dolor, qui v. g. per aliquot dies præcesserit Confessionem, sufficiens sit ad illius valorem: utique sufficit, si intelligatur virtualiter perseverare; et taliter perseverare intelligeretur, si pœnitens perstitisset in aliquibus operibus ex vi concepti doloris, et intentione confitendi susceptis, v. g. in frequentiori oratione, in fuga ocasionum, in aliquibus macerationibus, etc.; nam tunc in his intelligeretur dolor præconceptus perseverare. Item dicas, si intra tale tempus præconceptus dolor interdum venerit in memoriam, ibique in confuso saltem retineatur cum aliqua ratificatione seu approbatione; nam tunc illa approbatio, et saltem confusa recogitatio facit quod voluntas præconceptum dolorem in se retineat. Si tamen pœnitens per aliquot dies ante Confessionem doluerit de peccatis et in-

(1) 1, 2, q. 109, a. 8. (2) Hom. 11 in Ezech. (3) Cap. 5.

terim non amplius de ipso cogitaverit, neque aliqua exercuerit opera, in quibus intelligatur perseverare, jam ipsius dolor in pure habitualem transiit, ideoque insufficiens redditur ad valorem Sacramenti.

Sed (quæres) *qui mortale oblitum confitetur statim post absolutionem, tenenturne novum elicere dolorem?*—Communius negant Anacletus, Lugo, Roncaglia, Sporer, etc., quia prior contritio ex motivo generali, puta offensæ Dei, elicita fuit directa ad absolutionem obtinendam omnium etiam oblitorum. Diximus ex *motivo generali;* nam aliter est si contritio elicita sit ex motivo particulari, v. g. ex motivo specialis turpitudinis peccati declarati, quod peccatis oblitis non congruat, cum hæc aliam turpitudinem præseferant. Affirmant vero probabilius Bonacina, Fillucius et Vazquez, dicendo per absolutionem jam completum esse judicium; unde si nova est danda absolutio, nova requiritur materia proxima. Et quamvis dolor perseveret moraliter; non tamen perseverat in ordine ad aliam absolutionem (1).

Q. 5. *Quomodo dividitur contritio?*

R. Contritio a Tridentino dividitur in *perfectam* et in *imperfectam*. Perfecta est quæ a charitate perficitur, seu quæ elicitur ex motivo charitatis in Deum summe et per se dilectum; imperfecta est quæ innititur alio motivo supernaturali, quæ ex Tridentino (2) *ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur*, excludens semper peccati voluntatem, atque veniæ spem includens. Prima retinet vocabulum *contritionis;* altera vocatur *attritio*, ducta similitudine a corporibus duris, quæ *attricta* dicuntur, si aliquo modo sint diminuta; *contrita* vero si trita et comminuta sint in minimas partes, uti notat Angelicus (3).

Differunt contritio et attritio specie inter se: 1 ratione motivi; nam contritio oritur ex motivo charitatis in Deum: attritio vero ex motivo spei vel charitatis erga se ipsum, aut virtutis specialis, cui aliquod peccatum opponitur; 2 ratione effectus, ut mox videbimus.

§ I.—*De contritione perfecta.*

Q. 1. *Ex quo motivo contritio perfecta elicienda est?*

R. Contendunt plures ac merito probabiliter, actum perfectæ contritionis elici posse ex motivo cujuscumque attributi divini per peccatum offensi, v. g. justitiæ, sapientiæ, misericordiæ: ille enim qui diligit divinam justitiam, sapientiam, misericordiam, Deum ipsum jam diligit; cum hæc attributa non aliud sint præter ipsum Deum. Alii tamen communiter et probabilius tenent actum contritionis perfectæ procedere ex solo motivo charitatis, divinæ nempe Bonitatis per peccatum contemptæ, quatenus hæc complecti-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 448. Juxta omnes Confessarius omittere potest renovare in hoc casu absolutionem relate ad pœnitentes ordinarios, seu qui ad eumdem Confessarium redire solent, siquidem isti in alia proxima Confessione directe absolvi possunt. Attamen loquendo generatim melius est omnibus absolutionem de novo impertire (si id facile fieri possit, nec res sit cum scrupulosis, qui iterum atque iterum redire solent) ad pœnitentis solatium, ad animæ tranquillitatem, et ob fructum ex Sacramento percipiendum.

(2) Sess. 14, cap. 4. (3) 3 p. q. 1, a. 1.

tur omnes Dei perfectiones. Nam Tridentinum contritionem hanc *charitate perfectam* expresse dicit (1); atqui objectum charitatis est Deus, uti est infinita bonitas, id est radix et aggregatio omnium perfectionum (2).

Q. 2. *An contritio perfecta justificet ante Pœnitentiæ susceptionem?*

R. Affirmative: contritio perfecta orta nempe ex charitate prædominante, si conjuncta sit cum voto Sacramenti, licet tenuis et remissa, justificat ante ejusdem Sacramenti susceptionem; nam actus contritionis perfectæ est actus formalis charitatis, qui semper in Deum tendit licet diversimode: nempe actus contritionis perfectæ tendit in Deum per modum fugæ, quatenus homo detestatur peccatum uti summum malum ipsi Deo oppositum; actus vero charitatis tendit in Deum per modum consecutionis, uti summum bonum: unde contritio est vera charitas; at *charitas operit multitudinem peccatorum* (3); etenim Deum perfecte amare est cum ipso Deo conjungi, nam amor in unione consistit; sed conjunctio cum Deo necessario disjunctionem a peccato includit. Deinde damnata est hæc Baji propositio: *per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramenti conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Adde: si in Lege veteri contritio perfecta justificabat absque Sacramento; ergo etiam in Lege nova, cum ejus efficacia non sit imminuta. Hanc conclusionem fidei proximam vocat cl. P. Perrone.

Diximus 1: *si conjuncta sit cum voto Sacramenti;* nam idem Tridentinum docet *reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam* (4). Et sane peccata remitti non possunt, nisi per medium a Christo institutum; atqui Pœnitentiæ Sacramentum est tale medium a Christo institutum ad delenda mortalia post Baptismum patrata; — 2 *licet tenuis et remissa:* hoc ita nobis arridet, ut oppositum judicemus cum Gonet, Lugo ac Vasquez omnino improbabile et falsum. Constat ex Scriptura, ubi legitur: *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (5); sed qui habet charitatem, etsi in gradu infimo, veram charitatem habet: ergo Deus in eo est, ideoque nullo mortali peccato potest esse coinquinatus. Constat ex Patribus: Chrysostomus scribit: *ubi charitas est, omnia sublata sunt mala* (6); at quamvis sit in gradu infimo, semper charitas est: neque magis et minus diversificant speciem. Hanc ipsam quæstionem jam ita sibi Angelicus proposuerat: *utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum?* Et sic eam dissolvit: *quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem; quia simul stare cum ea non potest. Sed quælibet contritio* (ergo tam magna, quam parva; tam vehemens, quam remissa) *est gratia gratum faciente informata; ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam* (7). Ipsum autem loqui de contritione

(1) Sess. 14, cap. 4, et can. 5.

(2) Est tertia sententia illorum, qui contritionem docent eliciendam esse ex motivo bonitatis Dei tum absolutæ tum relativæ, quatenus nempe Deus est bonus in se, et bonus nobis. Hinc nonnulli Episcopi actui contritionis id addiderunt: *me pœnitet, Domine, quia te offendi, qui es infinite bonus atque beneficus.*

(3) Petri 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 44; et Bellarminus, *De Pœn.* l. II, c. 13.

(4) Sess. 14, c. 4. (5) I Jo. 4. (6) Hom. 4 in Tim. (7) Suppl. 3. p. q. 5, a. 3.

in genere, non autem conjuncta cum Sacramento, patet quia S. Doctor ne verbum quidem facit neque hic, neque in toto illo articulo, de Sacramento Pœnitentiæ. Tandem idem probatur ex Tridentino, quod cum de contritione perfecta loqueretur, expresse docuit, contingere posse *contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur* (1). Ergo ex Tridentino dolor charitate perfectus jam peccatorem justificat ante susceptionem Sacramenti. Atqui omnis contritio orta a charitate prædominante et super omnia, licet remissa et minus vivida, est dolor charitate perfectus seu informatus. Hinc etiam deducitur contritionem perfectam non esse necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ: cur Christus Pœnitentiam instituit? *ut faciliori ratione communi hominum saluti consuleret:* ita Catechismus R.; at si contritio perfecta necessaria esset ad Sacramentum, profecto non amplius ita res se haberet.

Dices: mulier peccatrix, de qua in Evangelio, perfecte erat contrita, cum accessit ad Jesum; attamen Christus adhuc remittit ei peccata: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (2). Ergo contritio etiam perfecta non justificat ante remissionem, seu Sacramenti susceptionem.—R. Christus illis verbis non ostendit, se mulieri post contritionem peccata remisisse; sed potius voluit coram hominibus declarare remissionem jam factam. Hinc in græco textu legitur: *remissa sunt peccata multa.*

Q. 3. *An contritio remittat non tantum culpam, sed etiam pœnam?*

R. Contritio remittit pœnam æternam; quia homo justificatus per contritionem nequit esse reus damnationis. Remittit etiam partem pœnæ temporalis pro mortalibus jam deletis vel venialibus debitæ, juxta majorem vel minorem illius intensionem. Eruitur ex Tridentino (3).

§ II. — *De contritione imperfecta seu attritione.*

Q. 1. *An attritio bona sit et utilis?*

Nota. Ut status quæstionis plenius intelligatur, nonnulla de timore sunt præmittenda; cum timor sit qui attritionem parturit. Timor definitur: *motus animi malum aliquod sibi imminens refugientis.* Vel est *mundanus*, quo quis magis refugit pœnam ab homine infligendam, quam Dei offensionem; vel *naturalis*, quo quis, duce natura, mala temporalia reformidat; vel *supernaturalis* seu divinus, quo quis peccatum vitat, vel de eo dolet, ob pœnas,

(1) Sess. 14, c. 4. — Volunt adversarii Concilium ibi non loqui de charitate quacumque, remissa videlicet, parvula et minus vivida: sed de intensa et forti, quia non est legendum *charitate*, sed *charitatem perfectam.* Sed falsum est: nam præterquam quod in sincerioribus exemplaribus revera legatur *charitate perfectam*, ita vocabula accipienda esse patet ex eo quod ibi Tridentinum dividat contritionem in perfectam et in imperfectam. Sed esto, quod vox *perfectam* respiciat charitatem, non contritionem; non inde consequens est Concilium ad justificationem extra Sacramentum requirere charitatem intensam. Charitas enim prædominans, etiamsi remissa nec multum intensa, semper est vera et perfecta charitas, quamvis intensa et vivida sit longe perfectior. Nam, ut bene ait Tournely, perfectio vel imperfectio charitatis non sumitur ex majori vel minori intensione, aut remissione; sed ex motivo a quo oritur; nempe charitas *perfecta* oritur ex motivo bonitatis Dei, *imperfecta* ex motivis boni a Dei consequendi.

(2) Luc. 7. (3) Sess. 6, c. 14, et can. 30; et sess. 11 *de pœnit.* c. 8, et can. 12.

quas sibi a Deo infligendas timet. Ipse autem timor supernaturalis subdividitur in *filialem* seu castum, in *servilem*, et in *initialem:* audiatur Angelicus: *quandoque autem homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur et ei inhæret. Quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ et malum culpæ: si ergo aliquis convertatur ad Deum et ei inhæret propter timorem pœnæ, erit timor* servilis: *si autem propter timorem culpæ, erit timor* filialis: *nam filiorum est timere offensam Patris. Si autem propter utrumque, erit timor* initialis, *qui est medius inter utrumque timorem* (1). Ipse autem timor servilis iterum est vel *serviliter servilis,* ut siquis pœnam ita timeat, ut adhuc peccaret, si non esset pœna; vel *simpliciter servilis,* ut siquis timeat pœnam, et ob hunc timorem a peccato se abstineat, quin tamen habeat hic et nunc animum peccandi, si pœna illa non esset; sed ab hac cogitatione penitus abstrahit. Hoc posito:

R. Hic quæstio non est de timore mundano, cum sit vitiosus; neque de timore naturali, qui non habet proportionem cum justificatione, quæ supernaturalis est; neque de timore initiali aut filiali, utrumque enim bonum esse nemo negat, cum ab amore Dei procedat; neque tantum de serviliter servili, qui etsi bonus in se, quia hominem a peccato amovet, subjective tamen malus evadit ob pravam illam animi dispositionem. Tota quæstio est de timore simpliciter servili, qui secundum suam substantiam non importat, nisi timorem pœnæ. Lutherus docet illum esse malum, et attritionem ex illo ortam facere hominem hypocritam ac magis peccatorem: ex parte adhærent Bajus, Jansenius et Quesnellus, qui timorem illum malum dicunt, nisi procedat a charitate.

Sed catholica veritas docet, quod metus simpliciter servilis pœnæ (ex qua ipsa concipitur attritio) et honestus est et a Deo inspiratur, et voluntatem peccandi excludit: — 1 honestus est: sane Christus hunc timorem commendavit, et præcepit, inquiens: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (2). Quem in locum Chrysostomus ait: *quid gehenna gravius? sed hujus metu nihil utilius... nisi bonus esset timor, non multos Christus impendisset sermones.* Merito ergo Tridentinum: *siquis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere, anathema sit* (3); — 2 a Deo inspiratur, ut patet tum ex illo Psalmi: *confige timore tuo carnes meas* (4); tum ex illo Christi Domini: *ostendam vobis quem timeatis* (5); tum ex Tridentino dicente attritionem ex tali metu conceptam esse *donum Dei, et Spiritus Sancti impulsum* (6); — 3 peccandi volun-

(1) 2, 2, q. 19, a. 2. (2) Matth. 10.

(3) Sess. 6, can. 8. — Quod si bona est attritio ex solo gehennæ metu concepta, a fortiori talis erit attritio concepta vel ex turpitudine peccati, prout nempe est contrarium pulchritudini justitiæ et legis æternæ; vel ex amore spei, cum hic finis sit nobilior. Neque dicas eum qui de peccato dolet propter gehennam, magis odisse gehennam, quam peccatum, proindeque magis detestari minus malum. Hoc etenim staret quidem, si comparationem institueret inter gehennam et culpam; sed ab illa comparatione abstrahit in casu nostro: nempe odio habet culpam propter gehennam, quin tamen attendat vel excludat aliud majus motivum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 440.

(4) Ps. 98. (5) Luc. 12. (6) Sess. 14, c. 4.

tatem excludit, dicente Scriptura : *timor Domini expellit peccatum* (1). Unde Augustinus : *timor iste, quo gehennam times et ideo mala non facis, continet te* (2). Sane qui vult efficaciter finem, vult etiam efficaciter media ; ergo qui efficaciter timet gehennam, efficaciter quoque removet affectum peccati, qui ad illam conducit.

Q. 2. *An sola attritio sufficiat ad justificandum peccatorem?*

R. 1 : Attritio quamvis bona sit, a Deo et voluntatem peccandi excludat, tamen extra Sacramentum non justificat ; justificatio enim consistit in perfecta conjunctione cum Deo : sed attritus, licet a creaturis discedat primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, non adhuc tamen est perfecte ad Deum conversus. Unde attritio non confert, sed præparat tantum ad gratiam consequendam, ut Tridentinum docet (3) : sive est conditio prærequisita ad hoc, ut Sacramentum per gratiæ infusionem justificet.

R. 2 : Conveniunt Theologi in affirmando attritionem sufficere in ipso Sacramento ad justificationem, si cum initio amoris conjungatur ; sed magna quæstio est, an hic amor inchoatus debeat esse charitas prædominans. Ita Antoine, Habert, Juvenin, Concina, Berbesius et alii pauci, qui dicunt talem amorem dici *inchoatum* sive initiatum, non quia non sit charitas ; sed quia charitas est in gradu remisso ; nam cum dolor oritur ex amore intenso, tunc est contritio perfecta, quæ remittit peccatum extra Sacramentum : isti dicuntur *contritionistæ*. At sententia fere communis cum Alasia, Billuart, Croix, Frassen, Gonet, Lugo, Suarez et aliis, qui *attritionistæ* appellari solent, tenet charitatem prædominantem neque remissam requiri ; sed sufficere attritionem, quæ oritur vel ex timore gloriæ amissionis, vel ex timore inferni (imo etiam temporalium pœnarum, in quantum istæ pœnæ sunt a Deo inflictæ, ut probabilius videtur), vel ex horrore erga peccati turpitudinem lumine fidei cognitam. Quæ quidem attritio jam de se includit initium amoris Dei : nam, ut ait Alasia, nemo est ita plumbeus, qui non incipiat illum diligere, a quo sperat sine ullo suo merito bonum maximum, nempe æternam beatitudinem (4). Hæc nostra sententia post Tridentinum cum plausu ab omnibus Scholis fuit adoptata, ut asserit Benedictus XIV (5) ; et Alexan-

(1) Eccli. 1. [illegible] (2) Serm. 161 *de Verbo Dei.* — *V.* Bulla *Auctorem fidei*, prop. 25.

(3) *Sess.* 14, can. 5. — An autem attritio remittat peccata venialia extra Sacramentum, probabilius affirmandum est cum Suarez, Lugo, Gury et aliis ; tum quia ex Tridentino variis modis venialia remitti possunt : ergo non sola contritione perfecta : tum quia vis remittendi venialia communiter cum Angelico tribuitur ipsis sacramentalibus, in quantum excitant motum reverentiæ in Deum aut res divinas : quod falsum esset, si ad venialia delenda requireretur perfecta contritio extra Sacramentum.

(4) Neque juvat opponere, quod amor iste non sit benevolentiæ, sed concupiscentiæ, quo nempe peccator diligit Deum propter bonum sui ipsius ; et ideo refert Deum ad se, non se ipsum ad Deum. Nam respondet Salesius, quod si quis diligeret Deum propter bonum suum, et ita animo affectus esset, ut si nihil ab eo speraret, eum nullo modo diligeret, utique peccaret. Quia actualiter et formaliter excluderet charitatem, neque converteret se ad Deum ; sed potius se magis ab ipso averteret, ordinans non se ad Deum, sed Deum ipsum ad se. At qui Deum diligit tamquam summum bonum sibi, et simul excludit omnem voluntatem peccandi, iste elicit actum bonum et supernaturalem provenientem scilicet ex charitate bene ordinata erga seipsum ; et ideo aliquo modo se convertere incipit ad Deum, quod sufficit in Sacramento (*De amore Dei*, c. 27,).

(5) *De Syn.* etc. l. VII, c. 13.

der VII Decreto 5 maji 1657 ait, quod hæc sententia *hodie inter Scholasticos communis videtur:* hoc porro attestando Pontifex consequenter testatur illam in Scholis haberi uti communiter certam, dum quisque scit, quod circa Sacramentorum valorem auctores nonnisi opiniones moraliter certas amplecti deberent (1) *(A)*.

Probatur 1: Concilium Tridentinum postquam tradidit, contritionem *charitate perfectam* justificare ante Sacramentum *actu* susceptum, loquendo de attritione hac declarat, quod *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* (2). Verba hæc nimis decretoria sunt; vocabulum enim *disponit* idem sonat ac *sufficit:* hoc aperte deducitur ex iis verbis: *et quamvis sine Sacramento per se ad justificationem perducere nequeat*, etc.; quæ hanc exhibent consequentiam: *ergo cum Sacramento bene perducit:* si enim Concilium aliter esset intelligendum, incongruenter fuisset locutum. Dein Tridentinum hic loqui de *dispositione proxima*, patet etiam, quia duplicem distinguit dispositionem ad gratiam recipiendam: unam extra Sacramentum, et est *contritio perfecta;* aliam in Sacramento, et est *attritio:* atqui contritionem ad gratiæ consecutionem extra Sacramentum assignat uti dispositionem proximam; ergo etiam attritionem habet pro dispositione proxima ad eamdem gratiam recipiendam in Sacramento. Tandem dicit contritionem in genere, quæ est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso,* esse materiam vel quasi materiam Sacramenti; et postea dividit hanc ipsam in perfectam et imperfectam; ergo cum utrique competat contritionis definitio, sequitur quod etiam imperfecta *proxime disponat* ad gratiam consequendam.

Prob. 2: D. Thomas postquam dixit, quod *per solam contritionem dimittitur peccatum, antequam absolvatur pœnitens,* statim subjungit: *quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequantur* (3). Distinguit ergo S. Thomas, prout distinguit Tridentinum, inter contritionem perfectam, quæ justificat extra Sacramentum, et imperfectam quæ justificat in Sacramento. Atqui hæc non alia debet intelligi quam attritio.

Probatur 3 ratione: Pœnitentia est Sacramentum mortuorum, et valet per se ad conferendam gratiam primam; ita ut Sacerdos pœnitentem absolvens illum non solum ostendat absolutum, sed revera et effective absolvat. Atqui si attritio, de qua loquimur, non sufficeret ad Pœnitentiam suscipiendam,

(1) Esto, quod etiam contritio sit curanda; attamen non de necessitate Sacramenti, unde si non adesset, nec inquietari, nec inquietare debemus; tanto minus pœnitentem uti indispositum rejicere. (2) Sess. 14, c. 4.

(3) Quodlib. IV, ar. 1. — «Si, como sostienen algunos teologos, *ad rem Gousset*, un confesor no pudiese absolver á un penitente hasta que viese en él la caridad perfecta en un cierto grado, un principio de amor perfecto, casi jamás podria absolverle. Con efecto, preguntadle porque se convierte, y las mas de las veces os responderá que el temor de Dios, el temor de sus juicios ó del infierno le ha hecho renunciar el pecado. Preguntadle si á lo menos ha sido movido por un sentimiento de caridad perfecta; y no se atreverá á responderos. Preguntadle si á lo menos hay en él un principio de amor, de aquel amor que acompaña á la esperanza; y no os comprenderá.» *V.* Francolinus, *De dolore ad Sacr. Pœnit.*

sed ipsa charitas esset necessaria, omnes pœnitentes jam deberent accedere justificati; cum ex dictis omnis dolor proveniens ex charitate prædominante et super omnia, licet remissa et minus vivida, remittat peccatum etiam extra Sacramentum *(B)*.

Q. 3. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum pœnitente, qui dicat, se habere dolorem valde exiguum?*

R. Caveat Confessarius, ne cito credat hunc esse indispositum, et revera non habere sufficientem dolorem : sunt enim qui, cum durius habeant temperamentum, difficilius moventur ad dolorem sensibilem; putant ideo se carere hac dispositione. Cum porro dolor hujus generis non sit necessarius, sed sufficiat dolor rationabilis vitæ anteactæ, et prompta voluntas eam emendandi; videat idcirco, an duo hæc adsint, nec plura requirat. Et adesse prudenter judicabit, si pœnitens admonitiones et instructiones libenter accipiat, si conatum aliquem sincere peregerit ad emendationem obtinendam, si paratus sit ad pœnitentiam sibi impositam pro reparandis peccatis implendam, et alia hujus generis præstet (1).

Quid (dices) *si pœnitens vere sit induratus?*—Confessarius eum modo suaviter, modo severe tractabit, præmissa oratione ad Deum pro ipso; cum omnia bona descendant a Patre luminum. *Suaviter* quidem exponendo divinæ misericordiæ largitatem et amorem Jesu Christi erga peccatores, ut ejus animum erigat. *Severe* autem exponendo divinæ Justitiæ terrorem et incomprehensibilia ejus judicia erga peccatores obstinatos, ut cor lapideum scindat.

Corollarium — *De proposito.*

Propositum est *volitio absoluta, qua pœnitens vult ac statuit de cætero se non peccare.* Duplex distinguitur: *explicitum* seu formale, quo quis nempe de futuro cogitans statuit non amplius peccare; *implicitum* seu virtuale, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus præ oculis habeatur. Propositum saltem implicitum est omnino necessarium, cum propositum sit pars essentialis contritionis.

Q. *An sufficiat propositum virtuale seu implicitum, inclusum nempe in ipso dolore? an vero requiratur explicitum et formale?*

R. Prima sententia cum Cajetano, Cano, Concina, etc. requirit propositum formale; quia licet dolor necessario includat propositum, tamen Tridentinum videtur requirere de facto formale propositum; cum dicat quod pars essentialis Pœnitentiæ sit *dolor cum proposito non peccandi de cætero :* at sicut dolor debet esse formalis et expressus, ita et propositum. Secunda cum Anacleto, Laymano, Lugo, Viva, etc. dicit satis esse virtuale, si ipse dolor eliciatur ex motivo universali: et hæc etiam fundatur in Tridentino, ubi dicitur, quod attritio si excludit voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam; et eam tenet Benedictus XIII in Concilio romano, in quo approbavit Instruc-

(1) Hic recolendus Salvatori, *Istruzione* ecc. §§ XXIII et XXIV. — *L' atto di contrizione dimostrato facile* ecc. Torino Marietti. — Liguori, *Praxis Conf.* c. 1; *Opus Mor.* l. VI, n. 440; et *Opera Dogmat.* sess. XIV, c. 3, n. 42.

tionem, ubi id traditur. Tertia tandem sententia cum Bellarmino, Mazzotta, Holzman, etc. distinguit, et dicit quod si pœnitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis morti proximis, tunc sufficit propositum implicitum : secus autem de eo, qui cogitat de futuro; quia juxta Tridentinum contritio continet tam cessationem a peccando, quam inchoationem vitæ novæ, juxta illud (1): *projicite a vobis prævaricationes... et facite vobis cor novum ;* ergo utrumque curandum est.—Duæ ultimæ sententiæ sunt quidem probabiliores; sed prima non caret probabilitate, ideo in praxi semper sequenda est; qui enim certo gravem culpam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere non tantum probabiliter, sed etiam certo validam (2). Cæterum hoc inquietare non debet; cum vix eveniat, quod pœnitens vere contritus propositum etiam explicitum emittat.

Propositum autem debet esse firmum, universale et efficax (3):

1. *Firmum*, id est requiritur, ut pœnitens habeat voluntatem deliberatam non relabendi in peccatum : et ita sit animo dispositus, ut nullius mali timore, nullius boni cupidine peccatum imposterum admittere velit: alioquin deficeret in sinceritate. Sed quid de eo, *qui asserit quidem se amplius non velle peccare ; sed simul credit se relapsurum?* Layman, Suarez aliique putant hoc propositum dici posse satis firmum; quia propositum voluntatis minime relabendi consistere potest cum judicio intellectus de lapsu futuro ex cognita fragilitate. Verum oppositum omnino sequendum putamus cum Concina, Croix, etc. (4): nam licet concedamus firmum propositum voluntatis speculative consistere posse cum cognitione relapsus; in praxi tamen præbet certam suspicionem tale propositum non esse satis firmum. Nemo enim sciens, quod Deus suam gratiam coadjuvantem non denegat *facienti quantum in se est*, potest certo credere se ad peccata sua esse rediturum (5).

2. *Universale,* id est *ad omnia peccata mortalia, tum quæ patrari possent,* extensum. Secus adhuc placeret offensa Dei : *pœnitentia,* ait Angelicus, *de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis* (6).—Diximus : 1 *ad omnia* juxta illud : *quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (7); 2 *mortalia;* nam de venialibus sufficit, ut pœnitens proponat (si ea solummodo habeat), se abstinere ab aliquo in specie, absque eo quod proponat se abstinere ab omnibus: cum venialia non excludant divinam amicitiam. Sufficit etiam firmiter et

(1) Ezech. 18. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 51 ; et l. VI, nn. 432 et 450.

(3) « Hic ante omnia advertendum rem valde difficilem esse, quod peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes, cum vero proposito ad Confessionem accedant. Quapropter in hoc Confessarius sedulo incumbere debet, maxime si pœnitens alicui vitio magnam habuerit adhæsionem. » Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 451.

(4) Aliud esset si non ageretur, nisi de timore relabendi. Nam ad verum propositum non requiritur ut nullus credatur secuturus relapsus ; sed satis est hic et nunc seriam adesse voluntatem non relabendi : cum bene possit stare voluntas resipiscendi cum timore relapsus ex mutatione voluntatis. Hinc verum habet propositum pœnitens, qui interroganti Confessario de voluntate non peccandi, respondit : *fragilis sum, valde formido lapsum; non volo tamen casum.* — *V.* Gousset, *Giustificatione* ecc. pag. 205.

(5) Tunc recte se geret Confessarius, si talem pœnitentem priusquam absolvat, disponere studeat, ut speret, non per vires suas, sed per auxilium Dei a peccatis liberatum iri.

(6) 3 p. q. 87, a. 1. (7) Jac. 2, v. 10.

efficaciter velle minuere frequentiam et multitudinem venialium, quia propositum cadit saltem in aliquod ex illis: attamen in praxi tutius est elicere propositum de nonnullis determinatis venialibus, quæ maxime ex habitu patrantur, vel de aliquo genere venialium, v. g. de mendaciis dicendo: *nolo amplius mentiri*, eique aliquod peccatum grave vitæ anteactæ adjungendo, ut dictum est de contritione;—3 *tum patrata, tum quæ patrari possent;* nam vera ad Deum conversio esse nequit sine omnium mortalium aversione.

3. *Efficax:* id est aptum ad efficiendum quod proponitur. Ideo oportet, ut pœnitens non solum proponat peccatum vitare; sed etiam adhibere media ad illud vitandum idonea, et præsertim fugere occasiones proximas: alioquin nugatoria esset resipiscendi voluntas. Attamen non semper verum est tunc solum propositum esse eficax, quando efficitur quod proponitur: secus quoties pœnitens relabitur, toties teneretur Confessiones repetere. Relapsus nempe non semper est signum mali propositi, sed sæpius dumtaxat voluntatis mutatæ; cum possit contingere, ut quis verum habeat amorem Dei etiam prædominantem, ac firmum propositum non peccandi de cætero, et nihilominus statim peccet. Sic Petrus vere proposuerat mori potius, quam Christum negare; tamen ad primam ancillæ vocem eum negavit (1).

ARTICULUS II — De confessione sacramentali.

Q. *Quomodo definitur Confessio sacramentalis?*

R. Confessio sacramentalis, quam Græci *Exolomogesim* appellant, definitur: *accusatio propriorum peccatorum post Baptismum commissorum, legitime facta Sacerdoti competenti, ad eorum remissionem virtute clavium Ecclesiæ obtinendam.* Dicitur: 1 *accusatio*, quæ nempe fit animo sese reum demostrandi: unde non sufficit mera historica narratio; 2 *propriorum peccatorum*, ut indicetur materiam Confessionis esse peccata propria, non ideo tentationes consensu carentes aut culpas alienas; 3 *post Baptismum commissorum;* quia peccatum originale, vel actualia ante Baptismum commissa clavibus Ecclesiæ non subsunt; 4 *legitime facta Sacerdoti competenti,* nempe facta cum debitis conditionibus coram Sacerdote, qui hac de re necessariam habeat jurisdictionem; 5 *ad eorum remissionem;* sicque Confessionis sacramentalis cognoscitur et finis et effectus; — 6 *virtute clavium Ecclesiæ*, id est potestate a Christo Ecclesiæ tradita: ducitur similitudo a clavibus, quia peccatorum remissione cœlum aperitur clausum, clauditur infernus apertus.

§ I. — *De Confessionis sacramentalis institutione.*

Q. *An Confessio sit juris divini, an humani?*

R. Wicleffus sæculo XIV Confessionem omnino non abrogavit, sed eam dicebat tantum juris Ecclesiastici; sæculo XV Petrus De-Osma negabat

(1) Aliud tamen esset, si pœnitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies, quin aliquo modo tentationi obstiterit. Tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus. — *V.* Careno, *Delle regole* ecc. Esami v, vi e vii.

Confessionem esse divino jure necessariam; sæculo XVI Lutherus et Calvinus Confessionem auricularem (ut nempe in usu est in Ecclesia romana) voluerunt esse juris mere Ecclesiastici, nec ante Lateranense IV habitum anno 1215 sub Innocentio III, institutam. Eam idcirco turpissimis dicteriis insectantur: Calvinus eam *tyrannidem* vocat: Lutherus *cruentissimam carnificinam*. Eorum vero discipuli, inter quos eminet Dallæus et Kemnitius, *tormentum Innocentianum* (1). Veniunt denique increduli et libertini, qui quamdiu passionibus obcæcati et viribus satis validi in hanc divinam institutionem debacchantur. Qui quidem docent vel peccatorum Confessionem esse inutilem, cum sola fides justificet; vel satis esse confiteri Deo; vel si quando necessaria dicitur Confessio, id intelligendum de Confessione publica quoad nonnulla gravissima et atrociora peccata.

Verum de fide est, Confessionem sacramentalem omnium et singulorum mortalium post Baptismum commissorum esse divinæ institutionis ac necessitatis ad salutem (2).

Prob. 1: Ex Ss. Litteris: Christus a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (3): quo tam insigni facto et verbis perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, certum est de fide divina. At hæc potestas nequit exerceri, nisi pœnitentium causa integre et plene cognita sit: sed hæc intregra et plena causæ cognitio nullimode haberi potest, nisi pœnitentes in specie et singillatim sua ipsi peccata confiteantur; ergo quo jure tradita est peccata solvendi ac ligandi potestas, nempe divino, eodem jure instituta et præscripta fuit peccatorum Confessio (4). — Neque 1 ea verba possunt referri ad prædicationem Evangelii, quæ salvat credentes, non credentes perdit; nam apud Evangelistas mandatum prædicandi omnino secernitur a mandato peccata remittendi et retinendi; et Christus vult quidem ut Evangelium prædicetur *omni creaturæ;* at non omnibus promiscue remittenda esse peccata, ait enim *quorum remiseritis*. Neque 2 illa verba sunt intelligenda de privata injuriarum condonatione: aliud sane est injuriam

(1) Habet Diarium, *La Civ. Catt. ser.* 2.ª t. 1: «Hay entre los anglicanos (hablo de los de Oxfort, en donde se encuentran los hombres mas instruidos) que creen en la confesion: hay libertad entre ellos de confesarse ó no; pero el ministro no da la absolucion, porque no cree que la penitencia sea un Sacramento. Los estudiantes están obligados á comulgar cada dos meses; pero son libres de creer lo que quieren: y así sucede que en una misma hora y en una misma cena jóvenes que pertenecen á una misma religion, se acercan á la mesa, los unos para comer, los otros para recibir al Señor.»

(2) Hic proprie agimus de necessitate Confessionis, non de modo Confessionis faciendæ sive publice sive secreto; primum enim attingit dogma; alterum vero disciplinam; disciplina tamen secretæ seu auricularis Confessionis et semper fuit in usu, et non est aliena a Christi institutione, ut patebit ex dicendis.

(3) Jo. 20; Matth. 18.

(4) Tota argumentatio est Tridentini, *sess.* 14, c. 1 et 5. «¿Hay por ventura quien ignora que no puede perdonarse ó retenerse lo que se ignora? un juez, un magistrado constituido por las leyes para absolver al inocente y condenar al culpable, ¿puede absolver ó condenar sin formacion de proceso, sin exámen, sin sentencia razonada y legal?» Casaccia.

pati, condonare vel deferre; aliud accipere Spiritum Sanctum ad peccata remittenda et retinenda: proprius et naturalis sensus pugnat, ut hæc duo confundantur. Neque 3 laudata verba habenda sunt uti directa ad omnes Christi Discipulos, etiam mulieres, ideo et ipsas posse peccata dimittere et retinere; eo quod Joannis textus, ubi datur illa potestas, meminit Discipulos in genere. Cum in sacris Litteris Apostoli etiam *discipulorum* nomine aliquando indicentur, ideo videndum est ex contextu, ex loquendi modo et locis similibus, quando ipsi soli sub hoc nomine intelligantur: ipsos porro solummodo intelligi in præsentiarum, patet evidentissime ex ipso citato Joannis capite; ibi enim dicitur, quod *Thomas unus ex duodecim non erat cum eis, quando venit Jesus; dixerunt ergo ei alii Discipuli: vidimus Dominum* (1).

2. Ex traditione: quod universa semper tenuit et tenet Ecclesia nec ullo in Concilio legitur fuisse institutum, illud a Christo Domino, et Apostolis provenire merito existimatur, ut omnes docent post Augustinum (2). Atqui Confessionem sacramentalem semper tenuit et tenet Ecclesia universa, neque ullo in Concilio eam legimus fuisse institutam. Testes sunt: — 1 tum omnia antiquissima tam Latinorum quam Græcorum et Orientalium Ritualia (3); tum sectæ omnes, quæ longe ante Innocentium ab Ecclesia catholica divisæ sunt, ut græci, armeni, æthiopes hæresi vel schismate infecti, apud quos tamen hæc doctrina et praxis adhuc viget;—2 omnes Patres (4). Sæculo I S. Clemens scribit: *postquam e mundo eximus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere* (5): ubi loquitur de omni generatim peccatorum confessione. Sæculo II S. Irenæus de mulieribus a Marco præstigiatore seductis refert, quod *postea ad Dei Ecclesiam reversæ cum reliquo suo errore hoc quoque confessæ sunt;* aliæ autem hoc crimen confiteri veritæ *a vita Dei desperaverunt:* at non desperassent, si Confessionis usum non credidissent necessarium (6). S. Cyprianus, qui sæculo III floruit, sic pœnitentium Confessiones describit: *animi sui pondus exponunt: salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt* (7). Hic agit S. Doctor de peccatis *parvis* et *modicis*, quæ non erant obnoxia pœnitentiæ publicæ; ideoque loquitur de Confessione vere sacramentali. S. Gregorius Nissenus, qui vixit sæculo IV, sic peccatores hortatur: *sume Sacerdotem ut patrem: audacter ostende illi, quæ sunt recondita: animi arcana tamquam occulta vulnera medico retege: ipse honoris et valetudinis tuæ rationem habebit.* Hic quoque agitur de Confessione illa, qua aperiuntur peccata secreta; et ideo agitur de Confessione sacramentali. Et sæculo V D. Augustinus ait (8): *nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscat, quid in corde meo ago: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ?* Sæculo VI Joannes Patriarcha CP. inquit: *per nostram vocem horum* (peccatorum) *remissio-*

(1) *V.* Negri, *Errori di Luigi De-Sanctis sul dogma della Confessione*, c. 2.
(2) L. IV *De bapt.* c. 24.
(3) *V.* Morinus, *De Pœnit. App.* — Natalis Alexander, *Dissert. polem. de Confess.* l. III.
(4) *V.* Liguori, *Opera Dogmatica*, sess. 14, c. 5; Bellarminus, Vitassius, Tournely, etc.
(5) *Epist. II ad Corinth.* cujus fragmentum nobis superest.
(6) L. I *contra hæres.* c. 6 et 13. (7) Lib. *De lapsis.*
(8) Homil. *In eos, qui acerbe judicant.*

nem dispensat et largitur (Deus), *sicut per propriam vocem ipse declaravit, cum ita dixit:* quæcumque ligaveritis etc.; *revela igitur... nihilque mihi cela eorum, quæ a te clam facta sunt.*

3. Testes sunt Concilia, ut Cabillonense anno 613, Trullanum 692; item Turonense, Remense, Parisiense, Maguntinum, Wormantense, etc., quæ quidem omnia ante sæculum XII celebrata fuerunt. Merito ergo concludit Tridentinum: *universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere* (1). Et deinde definitum: *siquis negaverit Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit* (2). — Mirum sane, quod Protestantes contra hanc institutionem adeo insurgant; cum illius vestigium vel in ipsa veteri Lege habeatur. Siquidem divinæ legis transgressores etiam tunc peccatum suum confiteri tenebantur: pro illis Sacerdos orabat, Sacrificium offerebat, et ita venia obtinebatur (3). Imo vel apud ipsos gentiles in usu est Confessio, ut demonstrant Gaume, Martinet et alii. Imo ad hoc remedium suscipiendum ipsa natura nos impellit: homo enim allevare se sentit peccati sui manifestatione; remorsus extinguit; et pacem, quam amiserat peccando, Confessione invenit. Unde si non adesset, adhuc libenter esset suscipiendum; cum adeo vel ad ipsum bonum publicum conferat. Hinc pulchre Origenes: *sicut ii qui habent intus escam indigestam, si vomuerint, relevantur; ita peccator... si sui accusator fiat, cum accusat seipsum et confitetur, simul evomit et delictum* (4) *(C).*

Dices 1: *nonne sacramentalis Confessio, quæ nunc est in usu, a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, anno* 1215 *initium habuit? ergo non est a divino mandato.* — R. Nihil hac objectione absurdius; in eo enim Concilio, pro certo supposito dogmate Confessionis, tempus tantummodo illam suscipiendi determinatum fuit; cum tunc variæ essent hac de re disciplinæ inductæ. Sane si hæc noviter tunc esset instituta, et Patres de hoc disputassent et fidelium turbæ novitate concitatæ fuissent; nihil autem hujusmodi. Adde: Lateranense eodem modo loquitur de Eucharistia ac de Pœnitentia; si ergo tunc fuit primitus instituta Confessio, cur non etiam Eucharistia? quod tamen nemo dicit. Adde Ritualia, Concilia, Patres qui omnes ante Lateranense Confessionis sacramentalis doctrinam constanter retinuerunt. Adde facta plurima Confessionum, quas historia narrat longe ante illud Concilium: «En el siglo XI *ait Gaume*, un sacerdote llamado Estevan fué confesor de Constanza, esposa del piadoso rey Roberto; en el X S. Ulderico, obispo de Ausburg, confesaba al emperador Othon; en el IX Carlomagno tenia por confesor á Ildebrando arzobispo de Colonia; en el VIII S. Martin obispo de Corcia, desempeñaba este ministerio acerca de Carlos Martel; el primer concilio de Alemania, celebrado en el mismo siglo (año 742) manda que cada

(1) Sess. 14, cap. 5. (2) Sess. 14, can. 6, 7 et 8.

(3) Lev. 5; Num. 5. — *V. Bibbia* di Vence, Dissert. vol. VI: sopra il Battesimo di S. Giovanni; quest 3. (4) Hom. 2 in Psal. 3.

regimiento tenga un sacerdote para oir las confessiones de los soldados; en el VII S. Ausberto, arzobispo de Rouen, era confesor del rey Thierry primero» (1). S. Ambrosius, mortuus anno 397, Confessiones secretas excipiebat, et quoties quis apud illum lapsus suos confitebatur, ita Sanctus flebat, ut pœnitentem flere compelleret (2). S. Eligius sæculo VI Confessionem generalem vitæ suæ fecit apud Sacerdotem. S. Fructuosus abbas Complutensis anno 670 defunctus in regula Confessionem generalem præscribit novitiis, qui ante ingressum in monasterium graviter deliquerunt. Item S. Chrodegangus monasterium Clericorum regularium instituens versus annum 763 tempus agendæ Confessionis sacramentalis præscribit etc. (3).

Dices 2. *Nonnulli Patres Confessionem abrogarunt; ergo illam non habuerunt divino jure institutam ac necessariam.* — R. Si Patres nonnulli videntur Confessionem in suis Ecclesiis abrogasse, id non de sacramentali Confessione accipiendum; sed de publica, quæ tunc erat in usu, quamque abrogarunt, quia aliquando erat occasio scandali: talis fuit illa, quam Nectarius patriarcha CP. abrogavit versus finem sæculi IV, ut invicte probant eruditi (4). Ad cujus quidem facti intelligentiam (quod protestantes ad nauseam objiciunt) sciendum est, Episcopos tempore Novatianorum Sacerdotem pœnitentiarium præfecisse, ut qui lapsi essent, coram illo delicta confiterentur. Quædam mulier ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post Baptismum commissa a se perpetrata confessa est: *Presbyter vero præcepit illi, ut jejuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum Confessione opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est Ecclesiæ, videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse:* sunt verba Socratis (5). Magnum inde exortum est scandalum in Ecclesia, et populus viros Ecclesiasticos hanc ob causam dicteriis appetere cœpit: tunc quidam Presbyter nomine Eudemon suasit Nectario, ut Presbyterum pœnitentiarium expungeret, et *unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem sineret accedere.* Sozomenus factum istud eodem modo refert (6). — Illo igitur admisso ut vero, non sequitur Nectarium Confessionem

(1) *Catechismo di perseveranza*, ecc. (2) Paulinus in ejus vita.

(3) *V.* P. Scheffmacher, *Lettere ad un gentiluomo protestante.*

(4) *V.* Muzzarelli, *Opusc.* XIII. — Vitassius, Klee, Billuart, Bellarminus, Tournely, etc.

(5) *Hist.* l. V, c. 19.

(6) *Hist. Eccl.* l. VII, c. 16: hic audiendus Perrone in suo *Catechismo*, ubi ad rem: «Unos son de parecer que abolió la penitencia pública, y otros pretenden, y tal vez con mas fundamento, que abolió el tribunal mixto del penitenciario mayor, como diríamos ahora, instruido precisamente por causa de los novacianos, á fin de que no se dijera que la Iglesia era demasiado indulgente en perdonar toda clase de pecados. He llamado *mixto* este tribunal, porque su encargo no era solo el de perdonar los pecados, sino tambien, tratándose de crímenes mas enormes, el de obligar á los que los habian cometido, si tenian en ellos alguna complicidad, á cumplir la penitencia pública que les habia sido impuesta, y aun á denunciar al Obispo algunos pecados, cuya absolucion le estaba reservada. De aquí es, que, habiendo una vez el tribunal obligado á una mujer á denunciar el pecado de un diácono, causó aquella revelacion un grave escándalo, que, como no dejaréis de observar, no se originó de que el confesor violara el sigilo sacramental..., sino de la denuncia que ordenó aquel tribunal mixto, que era una añadidura puesta al de la penitencia. Por lo mismo que no era mas que una añadidura, ó una cosa, digámoslo así, sobrepuesta, lo abolió el

secretam abrogasse ; nam 1° abrogavit quod tempore Novatianorum institutum fuerat : at Confessio secreta tempore Novatianorum non fuerat instituta, siquidem antea in usu erat, ut patet testimonio Origenis et Cypriani; 2° abrogavit quod fuerat occasio scandali: atqui sola Confessio publica mulieris causa fuerat scandali; 3° Confessio secreta semper fuit in usu post Nectarium, ut constat testimonio S. Chrysostomi ejus successoris (1), et constanti praxi Græcorum ; 4° ex ipsomet facto mulieris et pœnitentiarii, constat Confessionem auricularem tunc in usu fuisse; siquidem dicta mulier prius secrete confessa est *delicta a se perpetrata*. Nectarius autem permisit *unumquemque pro arbitrio et animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere,* non quod æstimaret Confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse jure divino ; sed quia licentiam unicuique dabat illa uti vel non uti, prout nempe agnosceret se esse sontem, vel insontem.

Dices 3: *nullibi legitur Apostolos Confessiones excepisse vel ipsos ad Confessionem recurrisse; ergo credi nequit ipsorum tempore præceptum Confessionis extitisse.* — R. Multi Theologi probant, usum Confessionis tempore Apostolorum extitisse per hæc Actuum Apostolorum verba: *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos* (2). Ibi enim agitur de peccatis *credentium*, ac proinde post Baptismum commissis. Alii tamen dicunt verbum *credentium,* intelligi posse de nondum baptizatis, qui peccata sua aliquo sensu confitebantur, ut ad suscipiendum Baptismum se præpararent. Hac igitur responsione prætermissa, negamus *consequentiam :* 1 quia prædicare, docere, baptizare, manus imponere aliaque officia muneris apostolici implere debebant Apostoli, raro autem Confessiones fidelium excipere; præsertim cum in his felicissimis temporibus fere nullus gratiam Baptismatis amitteret ; 2 quia multa fecerunt Apostoli quæ non fuerunt scripta : præcepto Domini obtemperantes, *docebant servare quæcumque ipsis mandaverat*, et parum solliciti erant an actus sui scriberentur ; liber autem Actuum Apostolorum præcipua tantum gesta Petri et Pauli continet, et de aliis fere nihil refert; 3 cum Apostoli referant ipsius Christi Domini verbis potestatem ipsis traditam remittendi et retinendi peccata, non est dubitandum, illos hac potestate fuisse usos, necessitate occurrente ; ne dicantur inaniter locuti. Ergo falso concluditur ex silentio, Apostolos Confessiones non excepisse ; vel ipsos Confessione pro se non usos esse: quamquam forte illa non indiguerint ; nam, juxta probabilem sententiam, Apostoli erant confirmati in gratia.

Dices 4 : *a S. Clemente ad S. Bernardum numquam legitur in vitis Sanctorum ipsos fuisse confessos ; quod non potuisset contingere, si Confessio esset jure divino præcepto?* — R. Cum clarissimo Perrone : « Los santos se confesaron siempre que lo juzgaron oportuno, y lo probaré con un argumento muy fuerte de analogía. Es cierto, como hemos visto, que Jesucristo instituyó la confesion, y no lo es menos que la Iglesia uni-

Obispo Nectario, volviendo de esta suerte la confesion á su primitiva sencillez : y Zozomeno se lamenta de aquella abolicion, porque supone que, faltando aquel tribunal, los hombres pecarian con mas facilidad. »

(1) Hom. *de muliere Samarit.* It. *de Sacerdotio.* (2) Cap. XIX, v. 18.

versal la ha practicado siempre; es indudable, que los SS. PP. han inculcado su absoluta necesidad, luego hemos de sacar por consecuencia, que los santos se confesaron siempre que les pareció bien hacerlo. No es lo mismo *hacerse* una cosa, ó escribirse; porque como no ignorais, muchas cosas se hacen, que no se escriben. Bajo este supuesto, nada tiene de estraño que en las vidas de los santos no se encuentre registrada la circunstancia de sus confesiones, porque antiguamente acostumbraban escribirse las vidas muy sucintamente, refiriéndose tan solo sus hechos principales; al contrario de lo que suele hacerse ahora, que se desciende hasta las mas insignificantes minuciosidades. Si este silencio fuera una prueba contra la confesion lo seria contra la comunion; porque como observa el mismo Gibbon, el primero de quien se lee que la recibió antes de morir es S. Ambrosio, que floreció en el siglo VI. Ya veis pues, que de nada sirve el argumento del apóstata; de lo contrario, habríamos de decir, que durante los tres primeros siglos ninguno de los santos recibió el Viático antes de la muerte. Añadid á todo lo dicho, que en aquellos tiempos concurrian una porcion de circunstancias para que fuera mucho mas rara la confesion: 1.° porque gran número de fieles espiraban en el martirio; 2.° porque muchos no recibian el santo Bautismo hasta una edad muy avanzada, y no pocos en su última enfermedad; 3.° porque no eran admitidos á la confesion los que estaban cumpliendo penitencias públicas; 4.° porque entonces no era comun el confesarse de las faltas veniales. Os advierto, empero, que todo esto lo digo solo para mayor abundamiento; pues es falso que de ningun santo, desde S. Clemente hasta S. Bernardo, se lea que se confesara antes de morir. Entre otros se lee de S. Eligio, obispo de una diócecis de las Galias, que hizo la *confesion de toda su vida pasada;* lo mismo podeis leer en la vida de S. Heridio, en la de S. Tillon, y en las de muchos otros santos que cita Martenio, todos cuales florecieron muchos siglos antes que S. Bernardo (1).

§ II. — *De Confessionis præcepto ac conditionibus.*

Q. 1. *An Confessio sacramentalis sit præcepta?*

R. Adest præceptum Confessionis sacramentalis divinum ecclesiasticum pro iis omnibus, qui post Baptisma mortaliter peccaverunt. Divinum declaratur ex illis verbis Tridentini: *siquis negaverit Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino... anathema sit* (2). Ecclesiasticum in Lateranensi IV editum est: *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam pœnitentiam studeat pro viribus implere...; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura* (3). Et Tridentinum eos anathematizat, qui dicunt, ad Confessionem non teneri *omnes et singulos utriusque sexus Christifideles juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno* (4). Hoc porro præceptum sive divinum sive ecclesias-

(1) Perrone, *Catechismo* ecc. lez XII. (2) Sess. 14, can. 6. (3) Can. 21.
(4) Sess. 15, can. 8. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 662.

ticum obligat omnes quos respicit, sub gravi; cum agatur de materia per se gravi.

Q. 2. *Quos et quoties obligat præceptum divinum Confessionis?*

R. Præceptum divinum Confessionis omnes obligat, qui mortali peccato se commacularunt; nam sine ista pœnitentia vel in re, vel in voto non fit remissio: et tunc obligat tum per se, tum per accidens. Obligat *per se* in mortis articulo, et in gravi vitæ periculo, vel probabili non amplius confitendi; ne scilicet contingat præceptum hoc numquam impleri, aut ne in hujusmodi rerum adjunctis negligantur media ex præcepto divino ad salutem necessaria, inter quæ sacramentalis Confessio merito recensetur. Sic v. g. tenebuntur confiteri ingredientes periculosam navigationem vel conflictum: item mulieres non satis robustæ primum parituræ, vel quæ solent habere partus difficiles: item damnati pœna capitali, vel habentes signa imminentis mortis etiam naturalis. — Obligat vero *per accidens:* 1 quando sumenda est Eucharistia, si eam sumpturus versetur in mortali, ex divino præcepto (1); 2 quoties necessarium sit ad gravem tentationem superandam; medium enim debet, qui debet finem; 3 siquis debeat esse in statu gratiæ, et nequeat elicere perfectam contritionem; tunc una justificationis via hoc Sacramentum est.

Sed nunquamne (dices) *extra prædictos casus præceptum divinum Confessionis per se obligàbit?* — Est commune cum D. Thoma (2), hoc præceptum *per se* non obligare statim post peccatum, cum nihil tale præcipiatur, atque hoc præceptum sit affirmativum: quod ideo non obligat pro omni tempore. Attamen communius ajunt illud obligare sæpius in vita: quod quidem videtur probabilius; nam hoc divinum præceptum Christus reliquit determinandum ab Ecclesia. Ecclesia autem in decreto Lateranensi determinavit illud obligare saltem semel in anno. Ita Croix, Granata, Salmanticenses.

Q. 3. *Quoties et quos obligat præceptum Ecclesiasticum Confessionis?*

R. Ad 1: Ex Lateranensi decreto patet præceptum Ecclesiasticum Confessionis obligare saltem semel in anno: hinc recte ajunt Concina, Lugo, Holzman, Suarez, quod per se loquendo annus esset computandus a januario ad decembrem; spectata tamen universali consuetudine, hodie computatur a Paschate ad Pascha (3). Diximus *saltem semel in anno:* unde qui prævidet sibi imposterum non fore commoditatem confitendi toto anno, debet Confessionem prævenire, si peccavit mortaliter; quia iste jam obligationem contraxit (4).

(1) *V. De Eucharistia.* (2) In 4, d. 17, q. 3, a. 1, q. 4.

(3) Si autem quæratur quonam tempore præcise obliget, respondet Gousset: «El Cánon *omnis utriusque* no determinó precisamente el tiempo del año en que debe cumplirse este precepto, pero, atendido que prescribe al mismo tiempo que se comulgue por Pascua, se introdujo naturalmente la costumbre de confesarse en el tiempo pascual ó en el de Cuaresma. Hasta los fieles que no tienen pecado mortal de que acusarse, conocen que no pueden acercarse mas dignamente á recibir la sagrada Eucaristía, que dejando pasar el menor tiempo posible entre una buena confesion y una santa comunion. Por esto el Concilio de Trento aprueba la costumbre de confesarse en la Cuaresma, la recibe como saludable, como piadosa, y digna de conservarse en la Iglesia.» «Jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fructu, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc S. Synodus maxime probat et amplectitur tamquam pium et merito retinendum.» *Sess.* XIV, *cap.* 5.

(4) Non tamen tenetur prævenire qui habet mortale, et timet ne obliviscatur illius, ut cum

R. Ad 2: Lateranense decretum ad Confessionem obligat omnes baptizatos peccatores, nisi eos impotentia excuset; ergo etiam impuberes, imo etiam pueros, qui nondum septennium compleverint, si jam ad annos discretionis pervenerint: quod si de discretione dubitetur, nec brevi possit dubium resolvi, docent Croix, Diana, Gobat, Layman, Mazzotta, Sporer aliique communissime, pueros esse sub conditione absolvendos; ne forte diu maneant in mortali. Tunc autem pueri censentur attigisse annos discretionis quoad hoc præceptum, quando sunt capaces mortalis peccati, quod quidem judicandum est non ex sola ætate, sed præcipue ex gradu ingenii, ex educatione, ex spiritu, vel si sciant discernere bonum et malum. Spiritus discretionis censetur inesse in iis, qui apprehendunt quid sit mendacium vel qui de quibusdam impuris actionibus erubescunt: hos puerulos pastores animarum tenentur sensim præparare ad Confessionem (1). Graviter autem errant Confessarii, qui sibi commissos pueros numquam ante primæ Communionis ætatem absolvere volunt; alia est enim discretio quæ requiritur ad Confessionem, alia quæ ad Communionem necessaria est.

Quid (quæres) *de illo, qui non habet, nisi venialia?* — Audiatur Angelicus: *Dicendum quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex Decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia: quod patet ex eo quod dicit, quod debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest; quia nullus omnia confiteri potest: et secundum hoc, ille qui non habet mortalia, non tenetur ad Confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum ut se Sacerdoti repræsentet, et se ostendat absque conscientia mortalis esse, et hoc ei pro Confessione reputatur* (2). Verum communis sententia et verior cum D. Antonino, Billuart, Cajetano, Cano, Laymano, Lugo, Suarez, etc., ab onere etiam se repræsentandi solutos esse docet omnes, qui mortaliter non peccaverunt; nam præceptum canonis Lateranensis est tantum determinativum divini præcepti, ut expresse tradit Tridentinum (3); atqui divinum præceptum non obligat ad Confessionem venialium. Adde non esse verisi-

communi ait Lugo, Coninchius et alii; nam præceptum est tantum confitendi suo tempore peccata, quæ memoriæ occurrunt, examine præmisso. Neque iste tenetur peccata sua scripto mandare, ut cum eodem Lugo docet Billuart; nam conservatio scripturæ est exorbitans; imo periculosa, cum de facili aliis possit innotescere.

(1) Ex D. Carolo optima est consuetudo puerulos, etsi nondum perfecte ad annos discretionis accesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paullatim instrui, ac manu quasi in cognitionem et usum hujus Sacramenti transferri: Continuator Tournely observat hac in re cum Navarro, Lugo et Sylvio, Parochos vel Confessarios qui simul plures audiunt pueros doli capaces, aut de quibus dubium sit an doli capaces sint, gravi sacrilegio reos esse: 1 quia Sacramento utuntur ad risum; 2 quia pueros illos morali exponunt periculo peccata sociorum revelandi; 3 quia canon *Omnis* præcipit ut *solus soli* confiteatur. Quod magis tenet de puellulis, quæ si doli capaces, nonnisi ad crates audiendæ sunt (quoad modum agendi cum pueris vid. infra in adnotationibus).

(2) Suppl. 3 p. q. 6, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 432 et 666.

(3) Sess. 14, cap. 5, in fine. In hac autem re, cum agatur de internis, utique fideli credendum est; attentis tamen illius moribus, ne sub hac larva præceptum violet. Quamquam hæc quæstio speculativa est; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus renueret semel saltem in anno confiteri, vel ad Communionem ab anno inconfessus accedere auderet?

mile, quod Ecclesia in condendo hoc præcepto aliud intenderit, quam intenderit Christus; scilicet reconciliationem peccatoris. Adde pœnam, quæ indicitur, graviorem esse, quam ut pro omissione Confessionis venialium infligatur.

Q. 4. *An qui præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ non satisfecit, teneatur satisfacere quamprimum?*

R. Sententia communior, quam sequimur, affirmat utique eum, qui præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ non satisfecit, quacumque de causa sive legitima sive non, teneri satisfacere quamprimum. Quia terminus non apponitur ad obligationem finiendam, ut in jejunio; sed ad eamdem non differendam, ut in debiti solutione; nam hic res ipsa, seu Confessio primario spectatur, non tempus, ut patet ex verbis: *saltem semel in anno.* An autem toties peccet qui confiteri differt, quoties negligit sibi oblatam occasionem, affirma si toties renovet positivam voluntatem; secus probabilius negative (1).

An (quæres) *qui anno sequenti confitetur peccata præteriti anni satisfaciat præcepto utriusque anni?* — Audiatur Sanctus noster: «alii affirmant; alii vero negant (2). Sed verior sententia Castropalaui, Vivæ, Hurtadi, Salmanticensium, etc., distinguit: si ipse confitetur peccata mortalia tam præteriti quam præsentis anni, tunc recte satisfacit utrique præcepto; quia jam præcepti finem adimplet, qui est reconciliatio cum Deo a peccatis illius anni. Non ita vero si confitetur peccata tantum præteriti anni in posteriore anno (quia nempe in currenti anno non habet, nisi venialia): si post peractam Confessionem labitur in alia peccata mortalia, tenetur iterum confiteri, ut satisfaciat præcepto posterioris anni; dum communiter dicunt Suarez, Layman, Castropalaus, Salmanticenses, Lugo, etc., quod si quis in principio anni confitetur sola venialia, tenetur denuo confiteri. Itaque illa Confessio mortalium prioris anni non habet vim satisfaciendi præcepto anni posterioris (3). »

Q. 5. *An præcepto annuali satisfiat per Confessionem invalidam?*

R. Negative: 1 quia Confessio, quæ præcipitur, debet esse Sacramentum completum, et apta ad peragendam reconciliationem cum Deo; 2 quia Ecclesia novum non condidit præceptum, sed tantum divinum determinavit: atqui præceptum divinum respicit Confessionem validam; 3 quia proscripta est ab Alexandro VII hæc sub n. 14 propositio: *qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

An autem satisfaciant præcepto non confitentes proprio Parocho, tres summi Pontifices quæstionem definierunt, docentes utique satisfacere: 1 Alexander IV sæculo XIII contra Guillelmum a S. Amore parisiensem; 2 Joannes XXII sæculo XIV contra Joannem Poliacum item parisiensem;

(1) De hoc fusius Croix, *De præcepto Confessionis*, n. 2003. Vide hic ubi *de contritione*; item *de restitutionis dilatione*, in Tract. *De restitutione.*

(2) Ideo affirmant, quia præceptum de Confessione est de illa facienda semel in anno, ergo qui eam facit hoc eodem anno non tenetur ad aliam; alioquin qui per tres annos non fuisset confessus, quater deberet confiteri. Ideo negant alii, quia sicut qui singulis annis tenetur solvere denarium, si anno præterito non solvit, non satisfacit solvendo hoc anno unum denarium; ita non potest quis una Confessione præcepto duorum annorum satisfacere.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XII, n. 37; et *Opus Mor.* l. VI, n. 669.

3 Clemens VIII sæculo XVI in Bulla *Significatum* contra nonnullos Parochos Diœcesis Atrebatensis in Belgio. Quare communiter tradunt capite *Omnis* nomine *proprii Sacerdotis* intelligi quidem Parochum; sed sine exclusione Episcoporum et Sacerdotum, qui sint ab Ordinario approbati: talis revera est ubique consuetudo. *Sacerdos proprius,* ait Angelicus, *non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa...; unde qui confessus est Episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio Sacerdoti* (1).

Q. 6. *Quot sunt conditiones ad Confessionem?*

R. Sexdecim conditiones numerat Angelicus hisce versiculis (2):

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta et lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

1. *Simplex*, idest veritatem simpliciter dicens sine admixtione rerum, quæ ad Confessionem minime pertinent. *Et qui indigent consolatione propter tribulationes, vel consilio propter dubia, post Confessionem et absolutionem talia dicant; et non misceantur in Confessione, ne contritionis vim diminuant.* Ita D. Antoninus.

2. *Humilis:* tam *interne,* ut malitiam sui peccati pœnitens tribuat sibi, non tentationibus vel gratiæ defectui; quam *externe*, ut Confessio fiat sine audacia vel jactantia, cum habitu decenti, capite detecto, genibus flexis et armis depositis. Non enim venit pœnitens quærere sui excusationem ac ostentare virtutem; sed suam fatori malitiam, et infirmitatem. Plures Synodi (uti Novariensis *pag.* 117), prohibent Ecclesiasticis, ne accedant peccata expiaturi cum vestibus sacris, aut superpelliceo; *quia ea ornamenta (innocentiæ symbola et gradus prærogativæ) reorum personæ non sunt consentanea.*

3. *Pura,* id est cum solo fine obtinendi veniam peccatorum virtute clavium; cum ideo Confessio instituta sit. Unde peccant, qui alio fine confitentur, v. g. captandi bonam famam vel benevolentiam.

4. *Filelis* seu *verax*, id est peccatum exponens sine ullo mendacio et æquivocatione. Id sane requiritur essentialiter, quando agitur de materia substantiali et necessaria; alioquin in re gravi deciperetur judex. Hinc fatentur omnes, me graviter peccaturum: 1 si mortale quod teneor confiteri, et puto esse tale, negem vel tegam ita, ut a Confessario non intelligatur; 2 si mihi ipsi mortale aliquod falso imponam advertenter; est enim contra charitatem in me ipsum. Si tamen id fiat ex scrupulo vel ex simplicitate non esset peccatum; neque postea tenetur, cum errorem cognoscit, iterum adire Confessarium pro retractatione, *quia ejus Confessio*, uti ait Sylvius, *bona fuit, nec aliquid accedit novi confitendum circa illud;* 3 si negem vel mentiar circa peccata, etsi jam confessa et absoluta, quando Confessarius uti judex aut medicus de iis aliquid exquirit utpote necessarium ad præsen-

(1) Opuscul. 16 *Contra impugnant. Religion.* Imo S. C. Episc. anno 1554 declaravit, quod si Episcopus juberet, ne quis Confessiones audiret sine licentia Curati, talis decreti nulla habenda sit ratio. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.* l. XI, c. 14; et *Notificatione* XIII.

(2) Supplem. 3 p. q. 9, a. 4. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 27.

tem Confessionem; nam in substantialibus deciperetur (1). — Non ita tamen esset, si ageretur tantum de materia libera et non pertinente ad Sacramentum: ut si v. g. historiam falsam quis narret; quia falsitas in accusatione circa materiam accessoriam non facit sententiam irritam: unde iste tantum peccat venialiter; cum injuriam gravem non irroget neque Confessario neque Sacramento (2).

5. *Frequens* juxta pœnitentis conditionem et Confessarii judicium; nam qui non vult insordescere, necesse habet, ut frequenter pulverem excutiat inter hujus vitæ vias. Quæ frequentia etiam illis convenit, qui venialibus tantum detinenter; hæc enim ex Tridentino *recte et utiliter* in Confessione aperiuntur (3): et hoc commendat piorum usus et antiquitas, ut pluribus ostendunt Mabillonius (4), Morinus (5), Martenius (6), Renaudotius (7), et Chardonius (8). Hinc a Pio VI Const. *Auctorem fidei* « declaratio Synodi (Pistoriensis) de peccatorum venialium Confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi Confessiones, damnata est uti *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi, a sancto Concilio Tridentino probatæ, contraria* (9). » Merito ergo Synodales Constitutiones (uti Novarienses pagg. 116 et 162) quoad Ecclesiasticos, si in majoribus sint constituti, præcipiunt ut singulis Dominicis, solemnibusque festis confiteantur: si in minoribus ut confiteantur singulis mensibus, item majoribus festivitatibus. Quoad sæculares vero jubent, ut a proprio Parocho suadeatur accedendum *crebro per annum, solemniorum potissimum occasione dierum, non absque multiplici Indulgentiarum emolumento* (10).

6. *Discreta,* tam in explicando peccato honestis verbis, quam in eligendo etiam docto et pio Confessario; ne secus loco medicinæ hauriatur venenum.

7. *Nuda,* nempe libera e verborum ambagibus, vel inani circuitu. Neque enim agitur de minuenda culpa; sed de venia obtinenda.

8. *Libens,* nempe voluntaria: ideo non coacta timore sive domini sive parentum, ut solet evenire in servis et filiis.

(1) Imo pœnitens, qui affirmat peccatum mortale quod non fecit, vel negat quod fecit, duplex mortale committit: *sacrilegii* contra virtutem Religionis ob reverentiam Sacramento debitam, *mendacii* sibi graviter perniciosi, contra veracitatem. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 496.

(2) Idem dicendum est cum communi, siquis vel negat peccatum veniale commissum; vel mortale, sed alias jam confessum et absolutum, neque ad præsentem Confessionem necessarium; vel si falso se accuset de veniali, modo det aliam materiam pro Sacramento conficiendo; tunc cum effectu non frustretur, non habebitur nisi culpa levis.

(3) Sess. 14, c. 5. (4) Præf. ad *Acta Sanct. Benedictin.* sæc. III.

(5) De pœnit. l. V, c. 3. (6) *De antiq. Eccl. ritib.* l. I, p. 2, c. 5.

(7) *De perpet. fidei*, t. v, l. III. (8) *Hist. Sacrament.* t. II, c. 6.

(9) *V.* Salvatori, *Istruzioni* ecc., — Castelvetere, *Direttorio ascetico-mistico*, p. 3, c. 17. — Segneri, *Il penitente istr.* ecc. c. 15. — Sales, *Filotea* etc.

(10) Ad ædificationem conduceret, si scirent fideles ac viderent suos Ecclesiasticos frequenter peccata sua confitentes. Caveant Ecclesiastici ne hoc opus ita furtim agant, ut si forte ipsi periculose ægrotent, quem accersant Confessarium dubii hæreant domestici. De quodam narratur qui mortali morbo laborans interrogatus fuit cuinam de more confiteretur: respondit suum ordinarium Directorem et Confessarium esse talem religiosum, qui quidem religiosus jam a quinque annis defunctus erat.

9. *Verecunda,* nempe cum animi vultusque pudore; neque enim illum veraciter pœnitet, qui peccata modo prorsus historico enarrat.

10. *Integra* quoad peccata mortalia: peccata enim tegere est sinu serpentem fovere, qui nos lethaliter interficiat (1).

11. *Secreta,* id est soli Sacerdoti facta, ad ejus nempe aures, et ideo *auricularis* dicitur. Id tamen non requiritur de necessitate Sacramenti, quasi non valeat si publica sit; sed ex usu rationabili Ecclesiæ: *quoad modum,* ait Tridentinum, *confitendi secreto apud solam Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem cum ob aliorum exemplum, tum ad Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda* (2).

12. *Lacrymabilis,* id est cum intimo, ac vero animi dolore conjuncta, ut nempe sit Confessio nostra sacramentalis.

13. *Accelerata,* nempe non adeo dilata post peccatum, ne agglomerentur peccata peccatis; cum unum suo quasi pondere ad aliud trahat (3). Et hæc dilatio magis timenda est, si sit circa peccata sensus; nam et Deum maxime irritat, et dæmoni vires addit, et passionem acuit, et culpæ ruborem minuit, et emendationis desiderium extinguit, et fidem ipsam vulnerat; sicque tandem in profundum venitur.

14. *Fortis* in superando timore, quo pœnitens sæpe concutitur in manifestandis culpis gravioribus et turpioribus: consideret melius esse uni tantum peccata salutariter aperire, quam coram omnibus in ultima die maximo ac insalutifero rubore aperta eorum manifestatione perfundi (4). Monet D. Bonaventura plurimum conferre, si primo peccata aperiantur, quæ majori nos confusione afficiunt (5).

15. *Accusans,* nempe non se excusans, ut sæpe faciunt nonnulli qui peccata sua referunt in alios, v. g. filii in parentes, uxor in maritum et vicissim; Confessio enim est sui accusatio, non aliorum (6).

16. *Parere parato,* Confessario nempe in iis, in quibus pœnitentes obedire tenentur, ut in acceptanda pœnitentia, in proxima occasione fugienda: secus non essent sincere dispositi; neque enim efficaciter vult sanari, qui expertis medici præscriptiones negligit.

Ex his conditionibus aliæ ad validitatem requiruntur, aliæ non; prout vel ad Confessionis essentiam pertinent, vel tantummodo ad perfectionem. Ad essentiam autem maxime pertinet integritas.

(1) *V.* Careno, *Delle Regole* ecc. Esame xv. (2) Sess. 4, cap. 6.

(3) *V.* Segneri, *Il penitente istruito.*

(4) Gaume, *Lettere d'un antico missionario dell' America sulla prima Comunione*, Lett. xvi. — Vega. *Casi della Confessione sacrilega.* — Liguori, *Discorsi*; it. *Institutio catechistica*, in fine.

(5) *De purit. conscientiæ.* (6) V. Careno, *Delle regole* ecc. Es. xvi.

N. 1.—De integritate ad confessionem (1).

Q. 1. *Quænam integritas ad Confessionem requiritur?*

R. Integritas Confessionis alia est materialis, alia formalis. Materialis est *accusatio omnium peccatorum mortalium, quorum pœnitens reus est.* Formalis est *accusatio omnium mortalium, quorum post diligens examen sibi pœnitens conscius est, et quæ hic et nunc, spectatis circumstantiis, confiteri tenetur:* intellige post ultimam Confessionem rite factam.

Integritatem materialem, et in ejus defectu formalem divino jure esse necessariam ad Confessionem definivit Tridentinum: *siquis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti præmeditatione habeatur: etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta: et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam... anathema sit* (2). Id suadet etiam ratio; quia sine tali integritate neque posset recte administrari judicium Sacramentale, neque servari æquitas in statuendis pœnis.—Quod vero in defectu integritatis materialis sufficiat ad Confessionem integritas ipsa formalis, expressius declarat ipsum Tridentinum inquiens: *constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit; ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fidenter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me* (3). Ex his deducitur:

Primo ad integritatem conducere: 1 *numerum peccatorum;* ait enim Tridentinum confitenda esse *singula peccata:* unde qui decies est fornicatus, decem distinctas fornicationes manifestare debet, nec satisfaceret, si diceret simpliciter, se fornicatum; 2 *eorumdem species morales;* alioquin non aperirentur peccata prout sunt, cum non omnia in uno genere malitiæ conveniant (4): unde qui grave furtum et occisionem patravit, non satisfacit dicendo, se duo mortalia commisisse; sed et furtum et occisionem distincte fateri debet; 3 *circumstantias mutantes speciem,* ut docet Concilium: unde qui eleemosynam erogat puellæ ad seducendam, hanc circumstantiam aperire debet;

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 465 et 471. (2) Sess. 14, can. 7.

(3) Sess. 14, c. 5.

(4) Quæ sint species diversæ in genere morum, v. *de Peccatis* ubi *de distinctione peccatorum specifica.* Etiam notandum: — 1 qui non potest speciem infimam (seu peccati individualem) patefacere, tenetur ad speciem superiorem seu genericam manifestandam; v. g. si quis sciens se peccasse contra castitatem, non recordatur de peccato specifico, tenetur tamen dicere se contra castitatem graviter peccasse: — 2 qui scit se peccasse mortaliter, sed ignorat speciem etiam genericam peccati, tenetur dicere in genere se peccasse graviter, non tamen recordari cujus peccati sit reus.

4 *circumstantias quæ speciem novam addunt*, tunc enim sunt diversa peccata; singula autem ex Concilio sunt confitenda: unde qui in Sacris constitutus voluntarie polluitur, non satisfacit si confitendo ignoto Confessario dicat simpliciter, se pollutione reum esse: sed suam qualitatem illi manifestare debet; nam pollutio personæ consecratæ novam addit malitiam mortalem, nempe sacrilegium; 5 *actum externum effectumque malum, si satis prævisum ex mala actione secutum;* unde qui copulam carnalem habuit, ex quo gravia mala evenerint in familia, non satisfacit dicendo se peccasse contra castitatem; sed et externum actum, nempe copulam, et effectum inde secutum ubi satis prævisum, nempe illa gravia mala aperire debet. Ratio est quia actus externus facit moraliter cum actu interno unum actum completum; effectus vero malus pertinet quodammodo ad objectum peccati, estque malus effectus liberæ causæ.

Secundo diligens conscientiæ examen requiri; neque enim *sine diligenti præmeditatione,* ut verbis utamur Tridentini, omnes animi nostri sinus perscrutari possumus. Hæc tamen præmeditatio æstimanda est pro capacitate pœnitentis, temporis mora, et cæteris circumstantiis; et sufficit illa, quam viri prudentes in arduis negotiis communiter et ordinarie solent adhibere, ut habet Catechismus romanus. Non autem requiritur summe diligens, etsi quis putet per hanc alia peccata reperturum; hoc enim anxietates parere natum esset; quare illa semel adhibita, non tenetur pœnitens de anteacta vita ulterius cogitare. Cui obligationi satisfacere poterit sine nimio labore si, Dei auxilio implorato, revocet in mentem præcepta Decalogi et Ecclesiæ, peccata capitalia, obligationes proprii status, videndo an circa hæc omnia deliquerit cogitatione, verbo et opere. Et hoc facilius consequetur, si mente revolvat loca ubi fuit, personas cum quibus conversatus, negotia quæ tractavit, animi affectiones quibus indulgere solitus est. Qua in discussione non solum inquirere debet peccata in genere, sed eorum numerum, speciem et necessarias circumstantias; et mala quæ inde evenerunt ex dictis (1).

Q. 2. *An omnes peccati circumstantiæ sint de Confessionis integritate?*

R. Circumstantiæ varii generis distinguuntur in peccatis. Aliæ speciem mutant, et sunt quæ actui in se bono vel indifferenti malitiam adnectunt; aliæ speciem addunt, et sunt quæ novam addunt actui peccaminoso malitiam specie distinctam ab ea, quam actus jam in se habet: has omnes definitum jam est in Tridentino, aperiri debere. Idem currit de circumstantia quæ trahit peccatum de veniali ad mortale; nam omnia mortalia sunt de necessitate Confessionis (2).—Aliæ speciem minuunt, utpoteque minorem peccati malitiam reddunt, v. g. defectu advertentiæ: quæ quidem tunc sunt in Confessione aperiendæ, si omnino tollant malitiam, vel si notabiliter mutent judicium Confessarii, vel si quod est mortale, faciant veniale; id enim pertinet ad Confessionis fidelitatem.—Tandem aliæ sunt circumstantiæ aggravantes peccatum in eadem specie et quidem vel notabiliter vel leviter, prout vel notabiliter vel leviter augent malitiam actus peccaminosi, puta ratione dura-

(1) Remoto periculo evulgationis, potest suaderi, ut peccata scribantur, ne memoria excidant; modo tamen vitetur anxietas nimia, propter quam id scrupulosis prohiberi potest. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 471.

(2) Sess. 14, c. 3 et can. 7.

tionis, intensitatis, modi vel temporis, loci, personæ, etc. (1). Si circumstantiæ istæ sint leviter aggravantes, certo non sunt de necessitate Confessionis; cum tunc in omnium sensu sint tantum venialia, quæ non sunt de necessitate confitenda.

Tota igitur quæstio est de circumstantiis notabiliter in eadem specie aggravantibus: v. g. qui furatur centum libellas, gravius et notabilius peccat, quam qui furatur quadraginta; semper tamen intra eamdem speciem mortalem. Duæ in hac re sunt sententiæ principales: alii cum Antoine, Cano, Concina, Gonet, Sanchez, Sylvio, Suarez, etc., valde probabiliter docent etiam has circumstantias esse aperiendas; quia aliter non satis perciperetur status pœnitentis: et hæc videtur sententia Catechismi romani. Verum communius negant alii cum Cabassutio, Lugo, Navarro, Holzman, Paludano, Salmanticensibus, Soto, Toleto, Vasquez et Ss. Antonino, Bernardo ac Bonaventura (2). Idque nobis per se loquendo est probabilius:—1 quia Tridentinum non alias memorat circumstantias aperiendas præter eas, quæ *peccati speciem mutant;* ergo non obscure videtur existimasse has sufficere ad hoc, ut Confessarius rectum efformet judicium de gravitate criminum et de pœna imponenda; neque enim hic omnimoda, sed quædam tantum æqualitas requiritur;—2 quia si aliter esset, pœnitentes semper inter angustias fluctuarent; cum semper dubitare possent de integritate Confessionum suarum in determinando, quæ sint circumstantiæ graviter, quæ vero leviter aggravantes (3);—3 quia nemo tenetur servare legem dubiam: atqui lex confitendi circumstantias notabiliter aggravantes est saltem dubia, uti dicunt Cabas-

(1) Rudibus ad dignoscendas circumstantias explicatu necessarias hanc tradit regulam Careno, *Delle Regole* ecc. Es. XIV: « Cuando la persona, por ejemplo, con quien habeis pecado, el lugar donde pecasteis, el modo con que cometisteis el pecado, os escitan mas vivo remordimiento, acusaos de estas circunstancias, que ayudarán al confesor á formar su juicio sobre las circunstancias que cambian la especie, ó que la agravan solamente. »—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 468.

(2) Pro hac sententia est certe D. Thomas (*in* 4, *d.* 16, *q.* 3, *a.* 2); et frustra adversarii conantur aliter explicare illius textum, ut scite demonstrat S. Alphonsus, *Opus Mor.* l. VI, n. 468.

(3) Hic ad rem Gousset, *Giustificazione* ecc.: « Cualquier opinion que abrace sobre este punto un Pastor discreto, se guardará bien, así en el púlpito como en el confesonario, de resolver una cuestion, que el mismo Tridentino dejó sin resolver, ó de presentar como cierta una opinion que la Santa Sede mira como dudosa. Benedicto XIII en su Instruccion italiana, puesta al fin del Concilio que celebró en el año 1725, despues de haber declarado que deben manifestarse las circunstancias que cambian la especie, añade: « En cuanto á las circunstancias que no cambian la especie del pecado, pero que la aumentan notablemente, los Doctores están divididos en dos opiniones: los unos sostienen que hay obligacion de declararlas en la confesion, y otros lo niegan. En fin, tened por máxima que el penitente está siempre obligado á responder con verdad, cuando el confesor le pregunta sobre sus pecados para conocer el estado de su conciencia. » Esta controversia nos ofrece ocasion para hacer una observacion, que no será inútil á los confesores, especialmente á los jóvenes. Como no es cierto que se está obligado á manifestar en confesion las circunstancias notablemente agravantes, es preferible proceder con cierta reserva, á escederse en las preguntas relativas al sexto precepto, y á las obligaciones conyugales; el confesor podrá, sin peligro de comprometer su ministerio, limitarse á las preguntas que juzgue necesarias para descubrir las circunstancias que cambian la especie del pecado, y, no se olvidará nunca que, si por una parte está obligado á procurar la integridad de la confesion, lo está todavía mas estrictamente de no escandalizar á los penitentes, y evitar todo lo que podria disminuir en ellos la idea que deben tener de la santidad y modestia de los Sacerdotes. » — *V.* Bolgeni, *Il possesso, principio fondamentale per decidere i casi morali.*

sutius, Lugo, Roncaglia et Salmanticenses cum Benedicto XIV (*Notificatione* LXX);—4 Christus solum præcepit necessario Confessionem peccatorum; ille autem qui explicat illorum species et numerum, vere et proprie confitetur peccata sua; ergo nihil aliud per se exigitur ex parte pœnitentis. Adde: ex contraria sententia sequeretur, declarandas esse circumstantias durationis, intensionis, etc.; hæc enim aggravant notabiliter: nam si declaranda est per se quantitas furti, v. g. centum libellarum eo quod æquivaleat pluribus furtis mortalibus, erit quoque declarandum odium per horam, cum equivaleat pluribus odiis gravibus instantaneis; quod nemo dicit. Hinc in nostra sententia qui commisit furtum grave, satisfacit per se loquendo suæ obligationi, si grave furtum confiteatur, quin explicet an fuerit quadraginta vel centum libellarum: qui incestum commisit, valide confitetur si dicat se incestum commisisse, quin gradum explicet, nisi agatur de illo gradu, qui revera speciem mutat (1). Item in hac sententia non est necessario declaranda (seclusa ratione scandali, aut officii vel obligationis particularis) circumstantia dignitatis personæ, v. g. si ipse peccans sit superior, magistratus, etc. Item neque circumstantia peccati Confessarii cum pœnitente commissi: excipe, nisi hæc habeat relationem ad Confessionem, quia ex officio stricte tenetur Confessarius ad rectam directionem in tribunali Pœnitentiæ (2). Item neque declaranda circumstantia temporis sacri: ratio est praxis universalis tum Confessariorum, qui de hoc non solent interrogare, tum pœnitentium qui hoc neutiquam curant declarare. Sed adhuc excipe nisi agatur de circumstantia extraordinaria, qua notabilis irreverentia irrogetur cultui divino, ut siquis in die veneris Sancti exhiberet comœdias, ludos publicos, etc.; id enim induceret quamdam sacrilegii speciem (3).

Diximus *per se loquendo*; nam communissime excipitur casus, quo agatur de circumstantia, vel quæ inducat censuram aut reservationem; in hoc casu hæc circumstantia explicanda est, ut constet de censura aut reservatione; vel circa quam ad necessariam pœnitentis ipsius directionem Confessarius prudenter interroget: tunc enim Confessarius, uti medicus et judex jus habet, ut sibi veritas aperiatur; ideoque debitum habet pœnitens respondendi. Unde infertur, quod licet non teneatur pœnitens per se loquendo aperire habitum peccandi, quia præterita peccata non sunt nova circumstantia speciem mutans peccati præsentis, tenetur tamen per accidens, si Confessarius interroget; cum id necessarium sit ad pœnitentis dispositionem indagandam; hinc contraria propositio sub n. 58 ad Innocentio XI damnata est (4). —

(1) Sic speciem mutat incestus, si commissus cum consanguineis in linea recta, ut inter matrem et filium, vel patrem et filiam: et hæc circumstantia aperienda est. Item est si sit commissus in primo gradu affinitatis in linea recta, ut inter privignum et novercam, interque socerum et nuram. An autem speciem mutet circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, nempe inter fratrem et sororem, disputant. *V. De peccatis*, ubi de incestu.

(2) Esset tamen aperienda circumstantia Parochi, qui peccavit cum suis parochianis; ratio quia strictissimo munere tenetur parochianorum suorum animas a peccato avertere, et etiam in foro externo curam spiritualem suscipere. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 451.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 46 et 273.

(4) *Sed* (dices) *cum prima opinio sit tutior, servanda est in materia Sacramenti, ne illud exponatur periculo nullitatis.* — R. Hoc procedit cum agitur de valore Sacramenti; secus de integritate.

Cæterum in praxi expedit ordinarie, ut circumstantiæ notabiliores in Confessione declarentur; id enim confert ad majorem animi pacem et humilitatem, atque ad uberiorem fructum percipiendum. Ideo merito hortari possunt fideles ad tales circumstantias generatim aperiendas; non tamen ad id sub peccato obligari.

Q. 3. *An obsit Confessionis integritati qui in gravem culpam lapsus est; et eam primo confitetur alteri Confessario, Confessario ordinario postea non pandens, nisi culpas leves?*

R. Negative per se loquendo; quia ut supponitur, prior Confessio totam necessariam, posterior vero sufficientem habet materiam. Verum hic pro praxi est inspiciendus finis: vel enim iste ita se gerit malo aliquo fine, v. g. ut sanctus appareat penes Confessarium suum, ut sibi captet ejus æstimationem, ut liberius peccatis suis indulgeat, etc.; vel ita se gerit ob quamdam erubescentiam aut timorem, ne imprudenter et graviter reprehendatur. — Si 1, peccat ob pravum illum finem, ut patet: imo si finis ille sit graviter malus, peccat etiam graviter: et *nulla et sacrilega* est ejus Confessio; *nulla* quidem est ob contritionis aut attritionis defectum; *sacrilega* vero propter pravam intentionem, qua se in Sacramento novo scelere commaculat. — Si 2, modo hæc agendi ratio nullam præbeat occasionem manendi in peccato aut in proximo ejusdem periculo, non videtur damnandus. Quod item dicendum de eo, qui simulat aliam vocem, ne dignoscatur a Confessario, si tamen omnia mortalia aperiat; quia per se non est de necessitate Confessionis, ut a Confessario dignoscatur, et Confessarii intentio semper est per se ad præsentem pœnitentem determinata. «Conviene advertir, *ad rem Gousset*, que el clérigo que se prepara para recibir el subdiaconado está obligado á hacer conocer á su director las faltas graves, que puede tener que reprenderse: este conocimiento es necesario al que ha de decidir de su vocacion.

Q. 4. *An ad integritatem Confessionis pertineant mortalia dubia?*

R. Dubium circa peccatum mortale tripliciter maxime contingit: 1 vel mortale peccatum est certo commissum; et tantum dubitatur, an sit in Confessione declaratum: 2 vel mortale uti dubie commissum in Confessione declaratum fuit; sed postea dignoscitur illud fuisse certe perpatratum: 3 vel præhabito diligenti examine, adhuc dubitatur, an aliquod mortale sit commissum, necne? His positis, dicimus:

Si 1, peccatum aperiendum est; quia obligatio confessionis est certa, cui non fit satis per dubiam satisfactionem. Talis est fidelium praxis. Tale est Tridentini præceptum, ea nempe omnia mortalia peccata confitenda esse, *quæ sunt in conscientia.*

Si 2, adhuc peccatum uti certum est declarandum juxta communissimam ac veram sententiam; etenim non fuit explicata tota peccati substantia, nam fuit tantum declaratum uti dubium, cum tamen sit certo commissum. Cæ-

Nam quantum ad valorem certum est sufficere integritatem formalem, quæ jam habetur in nostro casu. Hinc sequitur, quod quælibet opinio vere probabilis negans aliqua peccata differre specie, non subjacet damnationi; quia si forte ante Deum est falsa, nihilominus jam Confessio formaliter integra erit. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 469.

terum communissimum est, quod si pœnitens confessus sit peccatum, cujus vel ipse vel Confessarius vel uterque nesciebat gravitatem, sed postea lectis vel auditis Theologis, mortale esse cognovit, non est cur denuo confiteri teneatur, quia nulla occurit circumstantia necessaria quæ non fuerit expressa, nec opus est ut Confessarius determinate sciat hoc vel illud peccatum quod audit, esse lethiferum necne.

Si 3, si nempe dubitetur, an mortale sit revera commissum necne (vel an peccatum quod commissum est, sit mortale, an veniale), neque debita diligentia et inquisitione adhibita, dubium vinci valeat, tunc speculative loquendo, non adest gravis obligatio peccatum illud confitendi (1); tum quia non debet onus certum imponi ex lege dubia; tum quia ex Tridentino (2) pœnitens tenetur ea tantum mortalia confiteri, *quorum quis conscientiam habeat, vel quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit:* et talis revera non est qui dubitat. In praxi tamen putamus ordinarie suadendam pœnitentibus confessionem omnium mortalium, quocumque sensu dubia sint tam positive quam negative; id enim summopere prodest ad propriæ conscientiæ tranquillitatem. Hinc nullimode probamus qui aperte in Catechesibus, atque generatim vellet de hoc fideles deobligare (3). Excipe tamen scrupulosos et eos qui sunt timoratæ conscientiæ, et non solent deliberate peccare lethaliter; isti enim in dubio rationabiliter, imo certo credere possunt non deliquisse; cum præsumptio sumatur ex communiter contingentibus. — Hic autem advertimus cum Laymano peccata dubia non esse materiam sufficientem; ideoque si alia desint, vel ex præteritis certa quærenda materia, vel sub conditione in necessitate impetranda absolutio.

Q. 5. *An adsit obligatio confitendi peccatum mortale, quod nequit manifestari sine manifestatione complicis, ideoque sine ejus infamia?*

(1) Quod tenet sive peccata sint *negative* dubia, quorum nempe nulla apparet ratio affirmandi vel negandi fuisse commissa, ut dicunt probabilius Habert, Coninchius, Marchantius, Croix, Mazzota contra Dianam, Busembaum et Tamburini. Sive sint *positive* dubia; cum nempe probabile est ea fuisse commissa et probabile non fuisse, ut dicunt communiter Anacletus, Roncaglia, Salmanticenses, Silvester, Sylvius, Suarez contra Coninchium, Habert et Merbesium. Recte tamen advertunt quod in ipso mortis articulo, qui scit se Sacramentum Pœnitentiæ non suscepisse post tale peccatum dubium (ad assecurandam salutem æternam) aut debet contritionem elicere, aut accipere absolutionem confitendo aliam materiam certam. — Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 30.

(2) Sess. 4, c. 5. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 478.

(3) Audiatur Bolgeni: «Cada uno vé al primer golpe de vista cuanto podrian abusar de esta imprudencia la ignorancia y las pasiones del hombre, y cada uno sabe igualmente que no se publican todas las verdades, precisamente á causa del abuso que harian de ellas los ignorantes. Aquí debe aplicarse la regla de S. Agustin: *Utile est ut taceatur aliquod certum propter incapaces.* El santo Doctor añade que hay muchas razones por las cuales conviene callar al pueblo ciertas verdades, *quarum est et hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt; dum volumus qui intelligunt facere doctiores* (De dono persev. c. 16, n. 40): y todavía prosigue que en presencia de los hombres sabios *dicatur verum, maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur, impellit; et capiant qui possunt.*

Por otra parte, es cierto que en caso de duda se está obligado primeramente á examinar las cosas para salir de la duda, si es posible.... el pueblo ignorante, que por sí mismo no puede ni debe hacer este exámen, no le queda con frecuencia otro recurso que esponer estas dudas al confesor. De aquí nace para el cómun del pueblo la obligacion de confesar los pecados dudosos. Los Catecismos, pues, y los Catequistas deben inculcar la confesion de estos pecados: lo que, por otra parte, nada prueba contra la verdad de nuestras decisiones, etc., etc.»

R. Recte dicunt, quod non debet aperiri peccatum, cum manifestari non potest sine manifestatione complicis, si illud sit veniale, vel mortale jam confessum; cum tunc nulla sit gravis causa famam proximi prodigendi. Si vero agatur de mortali nondum confesso nonnulli cum Innocentio III (1) tenent, quod pœnitens debeat peccatum suum reticere, si non potest illud confiteri, quin complicem manifestet Confessario; quia præceptum de integritate Confessionis est positivum: ideo non est anteponendum præcepto naturali de servanda proximi fama. Attamen communis evasit sententia contraria, quam sequimur cum sanctis Thoma, Bonaventura et Antonino, nempe pœnitentem teneri ad Confessionem etiam cum infamia complicis, *quando commode non potest invenire alium Confessarium, cui sit complex ignotus;* nam divinum præceptum integre confitendi debet servari quotiescumque licite servari potest. Atqui satis licite in casu nostro servari potest; cum manifestatio alieni criminis non sit illicita, quando fit ex rationabili causa; tunc enim cessat naturale præceptum. Ita nonne licet puellæ v. g. ad consilium capiendum, vel extra confessionem manifestare dominum suum, qui eam ad inhonesta allicit? Adde: si teneor confiteri peccatum cum mei infamia, eccur non potero cum infamia alterius maxime consentientis? complex enim peccando interpretative videtur aliquatenus consentire in sui diffamationem; cum sciat, me peccatum confiteri debere.

Diximus *quando commode non potest invenire alium Confessarium, cui sit complex ignotus:* si enim commode potest alium Confessarium invenire, tenetur illum pœnitens quærere; cum urgeat præceptum naturale proximi famam quoad potest tuendi. Cæterum passim excusant pœnitentem a tali inquisitione: — 1 si urgeat periculum mortis, aut præceptum annualis Confessionis sive Communionis: vel si pœnitens non celebrando aut non communicando incurreret infamiæ notam; — 2 si ipse existeret in peccato mortali, et pro inquirendo alio Confessario deberet expectare (in nostra sententia) etiam per diem; — 3 si credatur complex juri suæ famæ cessisse, v. g. si frater peccasset cum sorore, quam scit a matris comitatu separari non posse, ut alium inveniat Confessarium; — 4 si alicui solito quotidie celebrare aut communicare grave sit id omittere; vel si alias privandus esset Indulgentiæ emolumento; — 5 siquis difficulter alteri Confessario conscientiam aperit: vel si propter consolationem, consilium aut firmiorem directionem, quam expectat a pio et docto Confessario, nollet alium quærere; — 6 excusantur sæpe etiam matres ac uxores manifestantes peccata filiorum et virorum Confessario, qui eos cognoscit. Id enim communiter faciunt ad consilium petendum vel ad leniendum dolorem; et nimis ipsis esset durum, si semper cogerentur novos adire Confessarios. Tanto magis, quod graves Doctores censent, non excedere veniale uni vel alteri viro prudenti crimen alterius revelare, etiam sine causa.

Quod autem dictum est de infamia complicis, item Alasia, Antoine, Billuart, Lugo aliique contra Suarez tradunt de infamia *non complicis,* v. g. si pœnitens occiderit innuptam sororem, sed ex crimine gravidam, quo in casu ad totum peccatum aperiendum deberet etiam explicare circumstantiam

(1) C. *Omnis* de pœn. et remiss. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 489.

graviditatis criminosæ. Sane adhuc non videtur unius fama tanti æstimanda, ut non servetur Confessionis integritas; maxime cum etiam non complex sit in culpa. Unde D. Bernardus generatim habet: *de nullo sinistre loquaris, nisi in Confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum* (1).

Neque dicas: *grave damnum tertio obventurum excusat ab integritate Confessionis.* Nam, ait Alasia, hoc verum est, quando damnum oritur extrinsece ex integritate Confessionis, puta si timeretur, ne Confessarius crimen revelaret; non vero quando oritur per se et intrinsece ex Confessione ipsa: malum quippe hoc tertio obveniens, sive famæ amissio, eodem quo pœnitentis peccatum, sigillo et oblivionis tegumento obducitur. Alioquin non teneretur pœnitens grave admissum crimen sibi noto Confessario aperire, ne propriam amittat famam, vel ne nimis erubescat: quod falsum omnino. Unde Tridentinum: *ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur* (2).

Q. 6. *Quid de Confessario, qui complicis nomen exquirit?*

R. Benedictus XIV Bulla *Ad eradicandam,* tam ad vitandam proximi infamiam, quam ad impediendam injuriam Sacramenti, sigilli violationem, scandalum et alia ejusmodi, rigorose prohibuit Confessariis omnibus, ne exquirant a pœnitentibus nomen complicis peccati, vel locum habitationis vel alias circumstantias manifestationem hanc concernentes (3).

Et imponit: 1 pœnam suspensionis (ferendæ) ab officio audiendarum Confessionum in Confessarios exquirentes complicem; cum tamen eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, absolutionem denegant: et excommunicationem ipso facto ac Pontifici reservatam in eos, qui audent docere voce vel scriptis licitam esse hanc detestabilem praxim; 2 onus denuntiandi intra solitum terminum, nempe 30 dierum sub pœna excommunicationis ipso facto et reservatæ illi cuicumque, qui non quidem ex Confessione propria (quia pœnitens in hoc casu propriam turpitudinem revelaret, ad quod nemo tenetur); sed aliunde noverit aliquem Confessarium exquirere nomen complicis cum denegatione absolutionis: exceptu casu quo id Confessarius faceret ex quadam animi simplicitate.—Verum aliter est nomen complicis formaliter exquirere; aliter inquirere circumstantias necessarias ad integritatem Confessionis. Primum vetitum est, non secundum; cum id Confessario necessarium sit, ut rectum de pœnitente suo judicium efformare valeat, ut opportunum ei remedium accommodet: v. g. si agatur de circumstantiis, quæ præter propriam actus deformitatem aliam peccaminosam speciem addant, ut si persona complex sit consanguinea; tunc enim nonnisi per accidens complex dignoscitur.

Quid (dices) *si jam teneatur in conscientia pœnitens complicem manifesta-*

(1) In Form. Mon. vitæ. (2) Sess. 14, c. 5.

(3) Constitutione *Suprema* anno 1745; et Const. *Ubi primum* anno 1746, editis pro Regnis Portugalliæ et Algarviorum, id jam prohibuerat: quod demum ad universum orbem extendit Bulla *ad eradicandum* anno 28 sept. 1746. Agit etiam *De Syn. Diæc.* l. VI, c. 11. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tract. XVI, n. 41.

re, v. g. ad damnum innocentis vel publicum avertendum, ut si agatur de addicto societati secretæ adeo Reipublicæ et Religioni exitiosæ? — Nemini dubium est, quin tunc pœnitens teneatur nomen complicis manifestare in ipso foro externo. Ob prohibitionem tamen adeo rigorosam a Pontifice expressam, nos dicimus satis esse, si Confessarius pœnitenti imponat obligationem manifestandi socium superiori, qui damnum valeat impedire. Sed numquam ipsi Confessario licebit dicere: *manifesta mihi,* nisi forsan solus Confessarius valeat damnum cavere, quod rarum est (1).

N. 2.—De causis ab integritate Confessionis excusantibus.

Q. 1. *Quænam causa excusat ab integritate Confessionis?*

R. Nulla est causa excusans a formali Confessionis integritate; cum hæc sit in sensu nostro ea declaratio peccatorum, quæ quis hic et nunc potest et debet confiteri. Tota quæstio est de integritate materiali: porro duæ causæ solent enumerari ab integritate Confessionis materiali excusantes: impotentia physica, quia *impossibilium nulla est obligatio;* et impotentia moralis, *nempe grave et extrinsecum* damnum tam spirituale, quam temporale imminens vel pœnitenti vel Confessario vel tertio; quia non censetur moraliter possibile, quod fieri nequit sine gravi incommodo. Diximus *grave;* parvæ enim difficultatis nulla ratio habenda est: *extrinsecum*, quia certe non excusat difficultas ipsi Confessioni intrinseca, etsi gravis, v. g. magna repugnantia et verecundia in se accusando: ratio quia Confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa: si secus, plerumque ab accusandis mortalibus excusarentur fideles, atque inde rueret ex maxima parte hæc institutio. Tota ergo quæstio est de extrinseca difficultate et impotentia, ob quam ponuntur hi versus:

Mutus et oblitus, moribundus, surdus et infans:
Qui sibi, Presbytero, fratri dispendia timet;
Quem scrupuli exagitant, aut sacri pacta sigilli.

Primo igitur ob impotentiam physicam ab integritate materiali Confessionis excusantur:—1 *muti*, quibus sufficit tam in morte quam in præcepto paschali, ut signis, modo quo possunt, explicent unum dumtaxat peccatum: si tamen muti scribere sciant, tunc ex probabiliori et communi sententia tenentur confiteri sua peccata scribendo, nisi subire deberent damnum extraordinarium, vel periculum revelationis (2);—2 qui non amplius *recordantur peccati admissi*. Item valet de *moribundis*, qui *absolute* absolvi debent, si

(1) *Quid si pœnitens sponte sua roget Confessarium, ut complicem corrigat?* — Etsi Confessarius absolute loquendo possit ea licentia uti; multa tamen opus erit prudentia; nam ordinarie non expedit, ut in hisce se immisceat: etenim ex una parte ipsi incumbit dumtaxat onus cavendi damnum sui pœnitentis, et quidem in Confessione; ex altera Confessarius difficulter assumere poterit istud onus sine periculo scandali et offensionis sui ministerii. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 492.

(2) Sic aliquando fit confessio a mutis, qui sciunt legere: librum qui specimen examinis præsefert, oculis percurrendo, digito Confessario indicant ubi et quoties deliquerint.

aliquo modo voce aut signo confiteantur vel absolutionem petant : *conditionate* vero, si attritio et confessio præsumi possint aliquo modo, etsi tenuiter probabili ; cum agatur de casu extremæ necessitatis ;—3 *surdi*, qui Confessario respondere nequeunt; neque, uti debent, peccata aperire sciunt: non tamen *surdastri*, qui debent adduci in aliquem locum remotum ;—4 *ignari idiomatis*, qui possunt absolvi, si signis tantum manifestent peccatorum suorum dolorem, casu quo velint confiteri, atque commode invenire nequeant Confessarium, a quo intelligi possint; neque tenentur uti interprete, quia Lateranense ait : *solus peccata confiteatur*. Et Tridentinum docet, ex Christi præcepto, ad eos tantum crimina esse deferenda, qui pro potestate clavium, remissionis aut retentionis sententiam pronuntient (1): unde non ultra aggravandus est pœnitens ; cum confiteri per interpretem sit onus gravissimum, multis periculis obnoxium, v. g. manifestationis, irrisionis, etc. Hinc S. C. Congregatio 28 febr. 1633 declaravit pœnitentem, qui non vult uti interprete, *posse et debere absolvi* (2).

Secundo ob impotentiam moralem, quæ in humanis physicæ æquivalet, ab integritate materiali Confessionis pœnitens excusatur :—1 si prudenter prævideatur quod Confessarius sit abusurus tali manifestatione vel contra pœnitentem ipsum, eum v. g. solicitando ad turpia : vel contra tertium, v. g. ipsum postea infamando; ex charitate enim tenemur hoc impedire ;—2 si grave damnum Confessario ipsi prudenter obventurum timeatur, v. g. si totam audiens Confessionem certe incurreret periculum pestis vel alterius gravis morbi : tunc Confessarius potest absolvere pœnitentem infectum, audito uno tantum peccato, uti commune est cum Alasia, Concina, Elbel, Coninchio, Hurtado, Granata, Layman, Muratori, Suarez, Turriano, etc (3); —3 si immineat naufragium, aut prælium ; quia sufficit, si unum audiatur peccatum quod minus infamet; vel etiam (juxta quosdam) si pœnitentes dicant in genere, se esse peccatores ;—4 si scrupulosus confiteatur et jugiter præteritarum Confessionum timore vexetur, ut docent communiter Elbel, Layman, etc.;—5 si Confessio non possit fieri sine revelatione sigilli Sacramentalis, quod arctissimum esse debet, ut si confiteatur surdus, aliis adstantibus ; vel si certo prævideatur Confessarius revelaturus.

Ut tamen ratione moralis impotentiæ possit reticeri peccatum quod menti occurrit, requiritur ut desit alius Confessarius, cui sine talis damni periculo pœnitens valeat confiteri. Item ut Confessio non possit differri sine magna difficultate : qua in re notamus non licere Sacramentaliter absolvere dimi-

(1) Sess. 14, c. 5. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XVI, n. 35.

(2) An autem isti teneantur confiteri saltem in morte per interpretem, alii affirmant ; verum alii cum Cajetano, Viva, Salmanticensibus probabiliter negant, nisi in casu, quo dubitarent de contritione sua ; quia tunc tenerentur ad confitendum cum sola attritione, quam haberent, ut per Sacramentum gratiam perciperent : at tunc sufficit ipsis, ut Confessario per interpretem aliquod veniale manifestent. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 494.

(3) Est contra Marchionum qui acriter tuetur contrarium, ut refert Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 19. Excipe tamen in omnium sensu, si Confessarius etiam in eo periculo vellet audire integram Confessionem ; tunc tenetur pœnitens integre confiteri, cum id sit in favorem Confessarii, ne morbum contrahat, qui potest utique heroica charitate ductus cedere suo juri, si aliud non obstet. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 482.

diate confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel Indulgentiæ ; est enim periculum absolvendi indispositos, nec casus urget: et contrarium est damnatum ab Innocentio XI, sub n. 59. Item ut illa dumtaxat omittantur peccata, quorum Confessio periculum continet: cum nulla sit ratio cætera reticendi. In hisce autem casibus semper præ oculis habendum est, quod peccata justa de causa in una Confessione omissa, cessante hac gravi causa, debeant aperiri in alia Confessione ; nam esto, quod omnia remissa sint, non tamen omnia clavibus Ecclesiæ submissa fuere. Non est quidem renovanda tota Confessio, cum valida fuerit, sed supplenda, difficultate cessante, in quo illa defuit. Hinc Alexander VII hanc damnavit propositionem sub n. 11: *peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

Q. 2. *An Confessio fieri possit scripto?*

R. *De necessitate Sacramenti est*, ait Angelicus, *quod pœnitens peccata sua manifestet... sed quod fiat manifestatio verbo, non est de necessitate Sacramenti* (1). Attamen ordinarie loquendo Confessio fieri debet voce, non scripto. Idque tum ex Bulla *Inter cunctas* Benedicti XI, ubi habetur: *nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris Confessio... exigatur* (2); tum ex usu communi Ecclesiæ; tum quia ex orali Confessione melius dignoscuntur pœnitentis dispositiones et fortius a culpis avertitur ob ruborem, quo tenetur, in se ipso ore suo manifestando, accusando, condemnando. Unde illicita foret Confessio aliter facta.

Diximus *ordinarie loquendo ;* nam extante gravi causa, v. g. nimiæ et extraordinariæ verecundiæ, aut linguæ impedimenti, etc., sufficit (prout communiter dicunt Canus, Palaus, Pascualigus, Salmanticenses, etc.), quod pœnitens scriptura confiteatur; et tunc dicat postquam Confessarius scripto exaratam ejus Confessionem legerit: *me accuso de omnibus his* (3).

COROLLARIUM.—*De Confessione iteranda, et Confessione generali.*

Q. 1. *Quandonam adest obligatio repetendi Confessiones?*

R. Pœnitentes cogendi non sunt ad Confessiones iterandas, nisi certo moraliter constet easdem fuisse invalidas ; possessio enim stat semper pro earum valore, quamdiu de nullitate non constet, ut recte dicunt Croix, Elbel, Filliucius aliique communiter. Neque dicas: cum adest præceptum et dubitatur de implemento ejusdem, possidet obligatio præcepti ; nam hæc regula currit quidem, cum adest præceptum et dubitatur an actus implementi positus fuerit ; sed cum talis actus jam certo positus est, et solum dubitatur an fuerit validus an invalidus, uti validus reputandus est: tunc currit principium aliud : *in dubio standum est pro valore actus* (4). Quod quidem valet etiam de

(1) Quodl. 1 , q. 6 , a. 1. (2) Extrav. comm. l. V , t. VII *de privil.* c. 1.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI , nn. 429 , 479 et 493 ; et *Homo Ap.* tr. XVI , n. 34.

(4) Hoc tamen intellige , quando scimus actum revera positum esse ; sed in genere ac quasi in confuso dubitamus, an recte sit positus , an omnia sint declarata , etc. Non vero si quod mortale sit certo admissum , et præcise dubitemus , an illud declaratum sit ; tunc currit aliud principium,

recidivis, si aliquamdiu post Confessionem dignos pœnitentiæ fructus fecerint, hoc est strenue adversus tentationes et occasiones pugnaverint; illa enim resistentia dat præsumptionem favorabilem. Secus tamen si paulo post Confessionem, seu data prima occasione sine ulla resistentia lapsi sunt; qui enim vere dolet et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus a peccato se abstinet, vel aliquem saltem conatum adhibet ante relapsum.

Q. 2. *Quotupliciter Confessio potest esse invalida?*

R. Confessio potest esse invalida:—1 ex parte Confessarii, uti si jurisdictionem non habuit, v. g. si citra necessitatem absolverit complicem in peccato turpi; si est excommunicatus vitandus et notorius; si formam substantialiter vitiavit; si absolvere non intendit; si nullum peccatum intellexit, etc.; —2 ex parte pœnitentis, uti si mortale tacuit, vel de eo se falso ac scienter accusavit; si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia; si non fuit neque contritus neque attritus; si non vult tollere occasiones; si ignorat scitu necessaria necessitate medii, etc.

Hic notandum: rudes et pueri, qui semper in confuso confessi sunt, sine specierum et numeri peccatorum distinctione, etsi id fecerint in bona fide, tenentur cum advertunt, ad explicandas species et numerum omissum; quia licet eorum Confessiones fuerint validæ, tamen semper remanet obligatio ad reintegrandam Confessionem materialiter, cum id potest, supplendo omissa.

Q. 3. *An sit iteranda Confessio facta Confessario surdo?*

R. Si Confessio surdo sit facta mala fide, utique iteranda erit, quia pœnitens peccavit actu quo confessus est; ideoque nec erat rite dispositus ad absolutionem recipiendam. Si autem bona fide, tunc probabilius docent Suarez, Layman aliique passim absolutionem valuisse, modo aliquot peccata audita fuerint; et ideo non esse repetenda nisi peccata quæ non fuerint audita; nulla enim ex parte pœnitentis intercessit culpa; et nimis durum videretur eumdem subjicere pœnæ iterandi totam Confessionem.

Idem fere est de casu quo vix finita Confessione, pœnitens intelligat Confessarium aliqua non bene percepisse vel propter somnum vel propter distractionem. Si pœnitens cognoscit præcise peccata quæ Confessarius non bene percepit, ea repetere tenetur; quia integritas materialis semper supplenda est, quando commode potest. Si vero non cognoscit præcise, adhuc Confessionem repetere debet, si ea brevis sit; nam hoc non est tantum onus, ut quis liberetur a re tuto exequenda. Si autem Confessio sit longa et pœnitens nescit peccatum non satis perceptum, commune est cum Lugo, Salmanticensibus et Sanchez Confessionem non esse necessario repetendam; non enim præsumendum voluisse Christum imponere præceptum integritatis materialis cum tanto onere, scilicet repetendi omnia peccata nostra in tali casu; cum jam certum sit multa percepta fuisse.

Sed quid (dices) *si ipse pœnitens surdus sit, et jam Confessio cœpta sit, neque tamen ob circumstantes possit vox extolli?*—Si Confessarius circa initium pœnitentis surditatem advertit, imponat pœnitenti, ut redeat alio tempore

dubia nempe *satisfactione non fieri satis obligationi certæ.* Vide supra *de peccatis dubiis.* — Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 42.

ac loco opportuno; interim aliis surditatem patefaciat, si opus sit, ad auferendam omnem malam suspicionem, quæ concipi posset contra pœnitentem. Si vero hoc advertit in progressu, ne illi imponat alta voce, ut redeat, quia magna daretur suspicio, quod sit confessus mortale; sed peccata intelligendo, quo potest meliori modo, absolvat eum absolute, si probabiliter dispositum judicat; sub conditione, si dubitat: et pœnitentiam in hoc casu debet injungere levem, cum alii eam audituri sint.

Q. 4. *Quomodo iteranda Confessio, si fit eidem Confessario?*

R. Si Confessarius memoriam non retinet de statu pœnitentis ne in confuso quidem, Confessio iteranda erit ex integro; quia perinde est, ac si alteri fuisset facta.—Si vero memoriam retinet, probabiliter docent Coninchius et Suarez eam esse repetendam, si defuit in parte essentiali v. g. in dolore; quia tunc non fuisset Sacramentalis. Verum in communi ac valde probabili sententia, quam tuentur S. Antoninus, Billuart, Croix, Layman, Lugo, Salmanticenses, Vasquez, etc. (undecumque defectus evenerit, sive ex parte Confessarii, sive ex parte pœnitentis) non est opus Confessionem repetere. Sed sufficit si Confessarius resumat notitiam ejus saltem in confuso, et pœnitens se accuset de sacrilegio patrato, ac defectu admisso in Confessione, atque in communi de omnibus prius declaratis; nam licet prima Confessio fuerit sacrilega vel nulla, adhuc tamen dici posse videtur sufficienter Sacramentalis, cum facta fuerit in ordine ad absolutionem obtinendam: vel si non fuit Sacramentalis, ratificatio tamen illius conjuncta cum notitia antecedenter habita a Confessario sufficiens reputatur, ut nunc illa Sacramentalis fiat (1).

Q. 5. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum eo, qui anxius nimis sit de suis præteritis Confessionibus?*

Nota. Quæstio est de illis, qui sunt timoratæ conscientiæ, quosque bene novit Confessarius. Quoad enim malemoratos, qui sine ulla fere emendatione facile relabuntur, patet contra ipsos militare præsumptionem Confessionis non rite peractæ. Hoc posito:

R. Anxietas illa respicit vel præparationem ad Sacramentum, quod nempe non adhibuerit diligentiam necessariam: vel ipsam Confessionem, quod nesciat, an rite confessus sit: vel absolutionis efficaciam, quod dubitet an effectum Sacramenti consecutus sit, necne?—Si 1, Confessarius eum tutum faciet, ostendens non requiri, nisi diligentiam et præparationem ordinariam

(1) *Quid* (dices) *si Confessarius memoriam non habeat de statu pœnitentis, sed tantum de speciali pœnitentia injuncta?* — Multi graves auctores cum Laymano, Vasquez, Toleto et Sa adhuc liberant pœnitentem a confessione iteranda, si ea facta fuit in ordine ad absolutionem. Ratio videtur esse, quia ex sola notitia pœnitentiæ injunctæ poterit Confessarius sibi judicium efformare de statu pœnitentis. Quamquam hoc in casu præstat, ut pœnitens aliquam circumstantiam particularem indicet, vel speciale peccatum, ut sic prudenter sese Confessarius gerat. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 502.

Quod si ne meminerit quidem specialis pœnitentiæ, sed solum recordetur se eam injunxisse, tunc si absolveret (facta prædicta confessione in communi) valide absolveret; cum absolutio caderet in materiam sibi significatam. Sed in nostra sententia male se gereret, ait Liguori (*Homo Ap.* tr. XVI, n. 44); nam pro sententia proferenda debet sibi judicium efformare saltem in confuso de statu pœnitentis: quod hic non potest; cum ne de ipsa quidem pœnitentia imposita recordetur.

qualis generatim adhiberi solet in humanis negotiis; nec repetendas esse Confessiones, si habeatur vera probabilitas eas fuisse validas. Neque enim misericors Deus exigit ultra quod possumus, aut vult nos perpetuo angi. Si 2, Confessione semel rite peracta, non amplius sinat eamdem repeti; imo jubeat de præteritis omnino tacere: omnia enim peccata innocenter prætermissa, sunt indirecte ablata vi absolutionis jam datæ. Neque tenetur quis cum tanto suo incommodo scrutari præterita, ut singula peccata remittantur directe (1). Si 3, Confessarius eum erigat in fiduciam, ostendens, quod etsi Deus noluerit nos certos certitudine fidei de statu gratiæ, ut semper in humilitate ambulemus; noluit tamen esse diffidentes.

Q. 6. *Quid statuendum est de Confessione generali?*

R. Statuendum est Confessionem generalem aliis esse *necessariam;* aliis *utilem;* aliis vero *noxiam.* Est necessaria iis, qui invalide confessi sunt ex defectu vel proprio vel Confessarii. Est utilis iis, quibus causa esse potest vel majoris doloris ob tot peccata simul considerata, vel pacis ac conscientiæ tranquillitatis, vel majoris cautionis. Est noxia iis, qui scrupulis anguntur, experientia teste; quo enim magis præteritorum recordationem curant, eo magis eorum animus confunditur, terretur, conturbatur; ac quo majora exponunt, eo majora exponenda esse dictat inanis eorum formido (2). Huc revocantur qui iterum atque iterum Confessione generali Confessarii judicio rite peracta, eam de novo renovare volunt numquam contenti; qui audiendi non sunt. Hæc generatim loquendo: pro praxi enim duo sunt attendenda:

1 Confessionem generalem plurimum utilitatis conferre iis præsertim, qui vel primam Communionem sunt suscepturi: vel multo abhinc tempore, aut numquam generaliter sunt confessi, maxime si pluribus fuerint distracti. Item iis, qui stabilem vitæ statum ut clericalem, Religiosum, vel matrimonialem sunt inituri: vel qui perfectioni student, quibus saltem valde confert Confessio annualis ac mensilis, saltem summatim circa defectus notabiliores:—2 non raro evenire ut quæ prius nonnisi utilis, postea necessaria dignoscatur generalis Confessio (3).

(1) Si adhuc timidus ille non acquiescat, sed dicat se certo scire aliqua determinate fecisse, jubeat eum jurare rem ita esse, et ideo peccasse mortaliter. Si prompte juret, audiat: secus si timeat jurare. *V.* De Conscientia, ubi *de scrupulosis.*

(2) *V.* Sales, *Filotea* p. 1, c. 6. — Segneri, *Il penitente istruito*, c. 15. —B. Leonardo, *Direttorio, della Confessione generale.* — Salvatori, *Istruzioni* ecc. p. 2, § 7.

(3) Non ergo difficilem circa illam se debet exhibere Confessarius. Saltem si non totam vitam, notabilem tamen vitæ periodum scrutari pœnitenti permittat, habita ratione illius conscientiæ ac profectus. Cæterum, si pœnitens ad illam non inclinat, ne ad eam adigatur, nisi adsit necessitas absoluta; absit etiam toto cœlo, ut Confessarius ad suam curiositatem eam exigat, vel permittat. Ad rem P. Pallavicini, *Il Sacerdote santificato per l' amministraz. della Penitenza*: «No obligueis jamás á hacer una confesion general, principalmente á los que oís por primera vez y no tienen todavía en vosotros una gran confianza, á menos qué tengais de ella una razon evidente.»

Oportet animadvertere quod licet Confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debet Confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut Confessiones jam factæ repetantur. Unde ait P. Segneri, non esse obligationem repetendi Confessiones, *nisi in casu manifestæ necessitatis, et in quo error sit evidens.* Ita Liguori, *Praxis Conf.* n. 20.

ARTICULUS III — De satisfactione.

Q. 1. *Quid est satisfactio?*

R. Satisfactio generatim accepta nomen suum desumit a verbo *facio* et vocabulo *satis;* nam satisfacere nihil aliud est, quam *facere tantum, quantum quis debet.* Sed accepta sensu strictori, prout hic, solet definiri: *punitio sui ipsius a Confessario in Pœnitentiæ Sacramento injuncta, et voluntarie a pœnitente suscepta, tam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, quam ad redimendam pœnam graviorem per idem peccatum promeritam.*

Dicitur 1 *punitio sui ipsius;* quia tota posita est in laboriosis operibus, quæ hominem interius et exterius affligunt;—2 *a Confessario in Pœnitentiæ Sacramento injuncta;* quia nos loquimur de satisfactione Sacramentali, de ea nempe, quæ pertinet ad materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc autem non alia esse potest, quam quæ *virtute clavium* imponi solet in ipso Sacramento;—3 *et voluntarie a pœnitente suscepta;* quia licet a Confessario imponatur, sponte tamen et suscipi et agi debet a pœnitente;—4 *tam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam;* hic enim est scopus pœnitentis satisfacientis, jus nempe Dei a se læsum et violatum resarciendi, quantum saltem in se ipso est;—5 *quam ad redimendam pœnam graviorem* etc.; hæc enim pœna omnibus peccatoribus vel in hac vita destinatur, prout expertus est David; vel in vita altera superest luenda, videlicet in Purgatorio.

Q. 2. *Quænam est doctrina catholicæ Ecclesiæ circa satisfactionem?*

R. Ecclesia catholica contra hæreticos tenet: 1 quod, remissa culpa quoad pœnam æternam, non semper tota remittitur pœna temporalis; 2 quod hæc pœna temporalis per Christi merita redimi potest laboriosis pœnitentiæ operibus (1).

Prob. pars 1.ª: *remissa culpa, non semper tota remittitur pœna temporalis.* Id jam fuit definitum in Tridentino: *siquis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti... semper a Deo; satisfactionemque pœnitentium non aliam esse quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit* (2). Merito autem id factum docet Augustinus, *ne scilicet culpa putaretur parva, si cum ea finiretur et pœna* (3). Et Cyprianus ait: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus* (4). Confirmatur 1 exemplo Davidis; ipse quidem adulterii veniam a Deo fuit consecutus, ut patet illis Prophetæ verbis: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (5); sed in pœ-

(1) Hæretici docent satisfactionem quamcumque esse rem mere politicam, quæ inducta est ad aliorum exemplum, ad scandalum reparandum et mores probandos: simulque contendunt opera satisfactoria, etsi dura, non posse habere rationem satisfactionis proprie dictæ, quæ nempe Deum placare valeat: — 1 quia remissa culpa nulla remanet pœna, sicut in Baptismo; negant idcirco Purgatorii existentiam, rejiciunt Indulgentiarum thesaurum et mortuorum suffragia contemnunt; — 2 quia offensa illata est infinita, ad quam nullam habent proportionem humanæ satisfactiones; quæ insuper censeri debent injuriosæ Salvatori, qui satisfactionem pro nobis obtulit infinitam.

(2) Sess. 14, c. 12. — *V.* Billuart et Alasia.

(3) Tract. 124 in Joann.

(4) *De lapsis.* Alios Patres mittimus, cum ultro fateatur Calvinus sibi contrarios.

(5) II Reg. 12.

nam obiit ei filius ex adulterio susceptus, quem maxime diligebat: *veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui tibi natus est, morte morietur;* 2 perpetua Ecclesiæ praxi, quæ pro peccatis quovis tempore pœnas imposuit. Quare Tridentinum iterum habet: *siquis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc sæculo vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit* (1). Dictum est *non semper totam pœnam remitti;* nam aliquando vere totà remittitur, si nempe contritio ac charitas vehementissima sit. Quo enim est vehementior, eo magis satisfacit; nam fervention ille actus est etiam meritorius, et accipit gratiam sibi correspondentem, uti docet Gonet ex Angelico (2).

Probatur pars 2.ª: *Hæc pœna temporalis per Christi merita redimi potest laboriosis pœnitentiæ operibus, id est pœnis vel a Sacerdote inflictis, vel sponte a Pœnitente susceptis, vel a Deo immissis et patienter toleratis.* Hoc sane modo Ninivitæ a se ipsis cohibuerunt pœnam mortis et excidium urbis universæ (3). Et in novo Testamento legitur: *facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* (4):... *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (5); atqui ridiculum esset laboriosa hæc pœnitentiæ opera tam vehementer commendare, nisi Deus per ea placari posset, et sic redimi pœna peccatis debita. *Neque vero,* ait Tridentinum, *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum, nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri; et per illum acceptantur a Patre* (6). Et postea definit: *siquis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus,.. anathema sit* (7).

Variæ autem sunt satisfactionis utilitates; quas recenset Tridentinum: ac

(1) Sess. 6, can. 30. (2) *De pœn.* disp. ult. 6, a. 2. (3) Jonas, 3.
(4) Matth. 3. (5) Luc. 13. (6) Sess. 14, c. 8.

(7) Ad Protestantium autem commentum contra 1am. conclusionem dicimus cum Angelico, in Baptismo non tolli quidem concupiscentiæ fomitem; sed certo remitti totam pœnam etiam temporalem, quia homo participat totaliter virtutem Passionis Christi; cum ei et commoriatur et consepeliatur et regeneretur ad vitam novam omnino. In Pœnitentia vero homo consequitur virtutem Passionis Christi tantum secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia Sacramenti (3 p. q. 86, a. 4). Et *sane,* ait Tridentinum (sess. 14, c. 8), *divinæ Justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati et accepto Spiritus S. dono, scienter templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.* Hinc illud Apostoli ad Coloss. 1: *adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* — Ad illud vero, quod contra 2am. conclusionem effutiunt, animadvertimus cum eodem Tridentino satisfactiones nostras esse quidem finitas, sed infinitas quoad valorem quodammodo evadere; quia a Christo, in quo satisfacimus, vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Ex quo illud etiam fit, ut non ei injuriam; sed gloriam afferant et honorem.

1 nos magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coërcent; 2 vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; 3 medentur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt; 4 imminentem a Deo pœnam amovent; 5 Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiunt; 6 certissimam salutis arrham præbent; quia si compatimur et conglorificabimur (1).

Q. 3. *An Confessarii debeant satisfactionem imponere?*

R. Affirmative: Confessarii possunt et debent satisfactiones pœnitentibus imponere, et hoc Tridentinum definivit: *siquis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi,... anathema sit* (2). Hujus autem constantis Ecclesiæ praxis testes sunt inter cætera veteres pœnitentiales libri ac canones. Idque sub gravi a Confessiario requirit triplex ejus qualitas, ministri, judicis et medici. Qualitas *ministri* expostulat, ut quantum in se est, Sacramenti integritati consulat; ad hanc autem satisfactio pertinet. Qualitas *judicis*, ut pœnas delictis commensuratas infligat. Qualitas tandem *medici*, ut præscribat pharmaca, quæ idonea sint tam ad sanandos morbos contractos, quam ad eosdem vitandos in posterum: *Habeant autem præ oculis* (Confessarii), monet idem Tridentinum, *ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* Attamen in hac re probabiliter contendunt Mazzotta, Lugo et Salmanticenses, Confessarium non peccare nisi venialiter ex parvitate materiæ, si nempe ob venialia, vel mortalia jam confessa et remissa levis pœnitentia esset imponenda et Confessarius eamdem voluntarie omitteret; etsi enim satisfactio sit pars Sacramenti, non est tamen pars essentialis, sed integralis. Neque defectus in materia levi videtur gravis irreverentia, ideoque gravis culpa.

Hic advertendum: ex praxi Ecclesiæ danda est absolutio sine pœnitentiæ impositione moribundo, qui in ipso Confessionis actu subito amittit sensuum usum et cognitionem, Non tamen impositio satisfactionis potest omitti tempore Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ; contrariam sententiam Benedictus XIV reprobavit *tamquam laxiorem*, Encyclica *Inter præteritas*, dicens non posse putari verum pœnitentem qui hoc prætextu vult se eximere ab implenda satisfactione Sacramentali; nam Indulgentiæ conceduntur ad infirmitatis auxilium, non in negligentiæ fomentum. Dein ut pœnitens posset se per Indulgentias liberare a satisfactione certe debita, certus esse deberet sese illas lucraturum; atqui sine speciali Dei revelatione hanc certitudinem habere non potest. Et licet certo quis Indulgentiam sit lucraturus, semper tamen debet aliquam pœnitentiam implere, ne Sacramentum mutilum remaneat (3).

(1) Sess. 14, c. 8. (2) Sess. 14, can. 15. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 506.

(3) Quæ ratio demonstrat non posse imponi *totam* pœnitentiam sub conditione reincidentiæ; si enim non ceciderit, mutilum erit Sacramentum: adde tunc nulla habetur satisfactio vindicativa. Diximus *totam;* aliqua enim salutariter sic potest imponi pro evitando relapsu; «Es preciso advertir aquí dos cosas: la *primera* es que las penitencias no sean demasiado difíciles porque en este

An (quæres) *pro culpis gravibus possit imponit satisfactio quidem in re gravis, sed sub obligatione levi?* —Negant Bonacina ac Coninchius, eo quod Confessarius non agat, nisi uti simplex minister, nomine nempe Dei, qui proinde debet obligationem materiæ proportionare. Verum communior sententia cum Filliucio, Segneri, Suarez, Viva, etc. affirmat; quia in hoc Sacramento Sacerdos non simplicis ministri officio fungitur, sed est verus judex ac legislator a Christo constitutus cum facultate et solvendi a peccatis et ligandi per pœnitentiam: unde hujus obligationis gravitas oritur non ex vi Sacramenti, sed ex præcepto Confessarii. Hæc secunda sententia per se loquendo valde probabilis mihi videtur, sed non probarem, si Confessarius ex hac doctrina vellet pro peccatis gravibus totam pœnitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis ægritudinis aut intensissimæ contritionis, vel alio casu rarissimo, in quo omnino videretur expedire ad salutem pœnitentis; censeo enim ex præcepto Tridentini teneri semper Confessarium injungere aliquod grave opus sub obligatione gravi, licet sit leve respective ad numerum et gravitatem peccatorum. Præfata ergo sententia deservire poterit ad hoc tantum, ut Confessarius postquam imposuit aliquam pœnitentiam gravem, aliam graviorem injungat sub levi, ut si pœnitens illam implebit sacramentaliter satisfaciat; si vero negliget, non gravetur culpa gravi. Et sic puto recte se gerere Confessarium.

Q. 4. *Quæ et quanta esse debeat satisfactio et quando imponenda?*

R. Ad 1: Ad qualitatem quod attinet satisfactionis, ea debet esse vindicativa et medicinalis; dicente Tridentino, satisfactiones esse imponendas *non solum ad novæ vitæ custodiam; sed etiam ad præteritorum vindictam et castigationem.* Satisfactio vindicativa seu pœnalis est quodcumque opus bonum injunctum in Sacramento, v. g. oratio, eleemosyna, jejunium, etc. (1); nam in statu naturæ lapsæ quæcumque virtuosa actio habet rationem pœnæ; quia omnes post amissam justitiam originalem ad terrena et propria commoda proni sumus. Satisfactiones vero medicinales sunt illæ quæ, ut verbis utamur Tridentini, *medentur peccatorum reliquiis; et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Audiatur hic S. Alphonsus: *circa praxim regula hujus requirit, ut imponantur opera carnem coërcentia pro peccatis sensualibus, eleemosynæ pro peccatis avaritiæ, oratio pro blasphemiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti: quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentiam, orationem mentalem et eleemosynas; nihilominus praxis habet, has reddi damnosas iis, qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæ solent esse, nimirum*

caso no se cumplen; y una vez que el penitente ha faltado en ello, creyendo haber faltado á los compromisos contraidos con el confesor, pierde el ánimo y vuelve á pecar á sus anchuras. La *segunda* es, que algunos toman estas penitencias como si fuesen un tributo; y mientras que hagan esta limosna, por ejemplo, continuan pecando como antes. Conviene, pues, tener mucha circunspeccion y cautela en instruir á los penitentes, sobre el modo con que deben usar de ellos. » Ita B. Leonardi, *Discorso mistico-morale da farsi dopo la missione per unire in sacra lega tutti i Confessori,* § XXIX.

(1) Per hæc tria Deo omnia damus; per *orationem* bona animæ: per *jejunum* bona corporis; per *eleemosynam* bona fortunæ.

aggregari ad aliquam congregationem; quolibet vespere (saltem ad tempus) actum doloris elicere; et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio: Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar; visitare quotidie SS. Sacramentum, et imaginem quoque Mariæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando; Rosarii saltem tertiam partem recitare et ter Salutationem Angelicam mane, meridie et vespere dicendo: Mater mea adjuva me hodie ne in Deum peccem (1); *cum cubitum iverint, dicere in lecto: Si nunc mihi morandum fuisset in inferni igne;* aut dicere: *veniet dies quo mihi in hoc lecto moriendum erit. Qui vero legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem* (2).—Cum vero inter vitia ferme semper sit aliquod prædominans, ex quo cætera originem habent, in hoc debebit Confessarius attente inquirere, atque huic medicinam majori studio accommodare, ut ipso avulso, vitia cætera corruant (3).

R. Ad 2: quod pertinet ad quantitatem ac mensuram satisfactionis præ oculis habenda sunt tum criminum gravitas, tum facultas pœnitentium. Relate ad criminum gravitatem considerari debent eorum species, numerus et circumstantiæ: relate ad facultatem pœnitentium satisfactio accommodanda est eorum statui, sexui, ætati et conditioni. Monet Salesius, non esse gravandum pœnitentem multis rebus, maxime si diversis, ne confundatur et terrefiat. Cæterum pro praxi notamus cum Gury: «illa censenda est pœnitentia gravis saltem ex hodierno Ecclesiæ more, quæ respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur. Hinc pœnitentia gravis erit et pro peccato gravi ordinarie sufficiens, Missam unam audire, uno die jejunare, recitare Rosarium (etiam solam tertiam partem). Officium parvum B. Virginis, Litanias Sanctorum, Salmos pœnitentiales, Viam Crucis agere, meditari per tertiam horæ partem et similia. Non autem erit gravis pœnitentia, si Psalmus *Miserere* tantum imponatur, vel quinque *Pater* et *Ave* una vice tantummodo» *(D)*.

R. Ad 3: ad tempus quod spectat satisfactionis imponendæ, etsi ea etiam post absolutionem possit imponi, ut docent communissime, quia in re non est essentialis, et statim ei unitur, illam postea imponendo; tamen ordo ju-

(1) Hanc tamen pœnitentiam ter recitandi Salutationem Angelicam cum prædicta supplicatione ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis; qui eam non solebant frequentare. Ita Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 5 et 16: *Homo Ap.* tr. XVI, n. 54; et tr. XXI, l. VI, nn. 5 et 6, ubi remedia generalia et particularia scite assignat peritissimus Antistes, qui ea in sacro ministerio 30 annorum spatio probaverat.

(2) *V.* Pinamonti, *Il Direttore*, ecc. c. 8. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 514. Hic duo maxime notanda: — 1 non sunt imponenda jejunia pueris, rusticis, opificibus continuo labore defatigatis; nec filiis-familias qui nimiam jejunando admirationem parentibus injicerent, aut etiam eos offenderent. Nec sunt injungendæ peregrinationes, aut prolixæ preces, aut eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis; nec pauperibus magno labore victum sibi comparantibus; — 2 non sunt imponendæ pœnitentiæ multis operibus diversis implicatæ; quia memoriter teneri non possent: nec, ordinarie saltem, pœnitentiæ nimis naturæ repugnantes; v. g. signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter etiam generatim imponitur pueris, ut veniam petant a parentibus, vel ab aliis ob inobedientiam, irreverentiam, aut furtula ipsis facta; quia sæpe odiosam reddunt Confessionem, et plerumque omittuntur.

(3) *Praxis Confess.* c. 8.

dicii et consuetudo generalis postulat, ut imponatur ante: sic etiam dispositio pœnitentis melius cognosci potest.

Q. 5. *An minui possit satisfactio Sacramentalis?*

R. Sunt casus, in quibus Confessarius levissimam satisfactionem imponere debet, uti est percussio pectoris, invocatio Nominis Jesu: et casus, in quibus non levissimam, sed culpis minorem potest injungere.

Primo levissimam imponet: — 1 si jam pœnitentem satisfecisse advertat, uti si eum inveniat vehementissime contritum; — 2 si pœnitens sit impos mentis aut morti proximus aut valde debilis; quia tunc major pœnitentia evadit moraliter impossibilis (1); — 3 si meticulosus sæpius reddit inter eamdem horam cum levissimis culpis: ne nimia pœnitentia gravatus, magis animo angatur in ea implenda; et aliunde supponitur jam satis imposita in præcedenti.

Secundo potest Confessarius leviorem, licet non ita improportionatam injungere pœnitentiam, id est talem, ut dici quidem possit eam esse gravem in se, licet non secundum omnem mensuram: — 1 tempore Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ; nam et hoc modo bene solvitur pœna vindicativa; — 2 ob ea verba, quæ in ipsa forma absolutionis exprimuntur: *quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum* etc. Ita docet sententia longe probabilior et communior cum D. Thoma (2); non enim Ecclesia voluit hæc verba a Confessario frustra pronuntiari, bene vero, ut omnia bona opera pœnitentium, quamvis propria electione peracta, ad satisfactionis Sacramentalis meritum eleventur; — 3 ob prudentem timorem, ne pœnitens illam sit impleturus, uti ferme omnes affirmant. Licet enim juxta divinæ Justitiæ rationem exigatur satisfactio peccatis adæquata; ex divina tamen Clementia ratio simul habenda est virium tam corporis quam animi pœnitentium. Id deducitur ex ipso Tridentino, quo præcipitur Confessario, ut satisfactione quidem imponat *pro qualitate criminum:* sed etiam *pro pœnitentium facultate, quantum prudentia suggesserit.* Et ratio est tum quia hoc Sacramentum non est forum iræ et pœnarum, sed veniæ et misericordiæ; tum quia satius est, quod pœnitens cum leviori pœna residuam luat in purgatorio, quam graviori pœna neglecta, damnetur in inferno. Hinc Angelicus: *Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem, ut pœnitens totum dimittat; nec ita levem, ut contemnat peccatum... Tutius est imponere minorem debito, quam majorem; quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem* (3). Idipsum docent Salesius ac Carolus addentes expedire, ut aliquando pœnitentes interrogentur,

(1) Habet Rituale R.: *ægris non esse injungendam gravem pœnitentiam; sed indicandam tantum illam, quam si convaluerint, opportuno tempore peragant.* Quod si infirmus sit in mortis articulo aut sensibus destitutus, potest absolvi sine alia pœnitentia; at quando fieri potest, semper expedit aliquam levem semper imponere, ut osculari crucifixum, invocare nomina Jesu et Mariæ, saltem in corde, etc. Non autem expedit infirmo pro pœnitentia imponere, ut patienter incommoda infirmitatis sufferat; hoc enim potest esse illi multorum scrupulorum occasio. Contra recte advertunt Salmanticenses, quod si infirmus possit satisfacere per eleemosynas, istas utique esse a Confessario injungendas, nam quilibet tenetur eam facere, quam potest, pœnitentiam. — Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 49.

(2) Quodl. 3. a. 28. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 507.

(3) Opusc. 65.

an talem pœnitentiam valeant exequi. Monendi tamen sunt de insufficientia satisfactionis injunctæ, ut ita quoad possunt pœnitentiæ operibus vacent. Imo sapienter addit S. Thomas de Villanova (1): *hoc judicio meo ita perficies, si facilem unam injunxeris, acriorem consulueris.*

Q. 6. *An pro satisfactione expediat imponere ingressum in Religionem, vel Matrimonium, vel Missarum celebrationem?*

R. Quoad ingressum in *Religionem* commune est, eum non posse pro satisfactione imponi; quia id esset nimis durum. Ita ex Angelico docent Navarrus, Sa, Silvius et alii (2).—Utrum vero possit imponi *Matrimonium*, affirmant nonnulli pro casu, quo Confessarius cognoscat statum conjugalem esse pœnitenti remedium necessarium ad vitanda peccata. Sed melius cum Escobar, Laymano, etc. hoc reprobant alii; quia matrimonium requirit omnimodam libertatem, unde ipse pœnitens poterit quidem se ipsum ad illud obligare; at alter nonnisi illum hortari. Sane ea pœnitentia data, pœnitens esset ligatus; sed quid si postea velit ipse aliis mediis uti ad se continendum? tunc non esset in necessitate contrahendi, et proinde frustranea evaderet pœnitentia injuncta et mutilum remaneret Sacramentum. — Tandem quoad *Missas* Benedictus XIV Confessarium hortatur, ne eas etiam sponte oblatas acceptet, si eas ipse imposuerit: idque ad avaritiæ suspicionem avertendam (3). Imo recte monet D. Carolus, ut Missæ non imponantur, eadem de causa (4).

An (quæres) *imponi possit opus jam debitum; opus internum; opus pro defunctis; ab opere cessatio, vel satisfactio publica?*

R. Ad 1: Negat Antoine posse pro sacramentali satisfactione imponi *opus jam debitum*, cum jam alio titulo sit illud a pœnitente præstandum. Verum Layman, Lugo, Sanchez Sporer, Suarez affirmant communiter ac merito, si opus non sit eodem titulo satisfactionis sacramentalis præceptum; nam opus aliunde jam debitum aut præceptum, uti esset auditio Missæ in Festo, cum sit ex natura sua satisfactorium, bene potest *per claves Ecclesiæ* elevari ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis. Nonne qui audit Missam in Festo etiam ex voto debitam, duplex consequitur meritum, obedientiæ et pietatis? a pari qui implet opus jam præceptum, et simul injunctum pro satisfactione sacramentali. In praxi tamen, ne fiat, nisi spectata fragilitate pœnitentis; cum æquum sit, ut sentiat peccati pondus: et in casu id expresse pœnitenti significetur. Unde commune est, quod ubi Confessarius expresse non sit allocutus de opere alias debito aut præcepto, intelligatur impositum opus liberum, seu supererogatorium (5), nisi (ut satis communiter dicunt) aliud colligi possit in certis rerum adjunctis: v. g. si Confessarius imponeret auditionem Missæ per mensem, non esset obligatio duas Missas audire in festo; nam sic recte præsumitur esse mens Confessarii.

R. Ad 2: De *opere interno* nonnulli dubitant posse pro sacramentali satisfactione imponi, eo quod putent satisfactionem, cum sit pars Sacramenti,

(1) Sermo fer. VI post Dom. *Lætare.* (2) 2, 2, q. 62, a. 3.
(3) *Notificatione* XCII. (4) Instr. ad *Confessarios.*
(5) Unde si Confessarius jejunium imponat, pœnitens debet monere Confessarium, si forte alio debito stricte teneatur ad jejunium. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 513.

esse debere sensibilem. Sed sententia communis merito affirmat: nam sicut contritio licet per se tota interna sit, attamen fit sensibilis per Confessionem: ita opus satisfactorium, licet internum, fit sensibile per impositionem atque acceptationem.

R. Ad 3: Communius et probabilius affirmant posse imponi *opus pro defunctis;* satisfactio enim in hoc casu stat ex parte bonæ voluntatis, qua pœnitens opus suum applicat defunctis. Vel, ut docet Angelicus, satisfactio sacramentalis duplicem habet valorem: unum ex opere operato; alterum ex opere operantis. Primum sibi soli, alter etiam aliis prodesse potest (1). Hinc Catechismus romanus: *maxime convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent; ac pro omnibus, et præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant* (2).

R. Ad 4: Recte ac communiter affirmant posse etiam imponi *cessationem a bono opere,* v. g. a Communione, a jejunio; cessatio enim hæc potest esse aliquando actus virtutis, saltem ad servandam obedientiam Confessario. Regulariter tamen id non expedit, præsertim si periculum sit, ne alii judicent talem omissionem fuisse impositam in Sacramento, et sic odiosa reddatur Confessio.

R. Ad 5: Si agitur de peccato occulto, certum est non posse *publicam satisfactionem* imponi; id enim expresse Confessario vetat Rituale R.: *pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat;* sic agendo indirecte violaretur sigillum. Si agitur de peccato publico tenetur publicam satisfactionem imponere Confessarius, si alia via occurri nequeat, v. g. scandalo dato, vel honori alicui detracto. Sed non est adstringendus pœnitens si renuit, et aliter possit damnum æquivalenter reparare; tunc enim ex una parte infirmitati pœnitentis subvenitur, ex alia per aliud æquivalens damnum tollitur, uti per publicam auditionem Missarum, Ecclesiarum visitationes, frequentiam Sacramentorum, ingressum in aliquam Congregationem, ubi publice pietatis opera exerceantur (3) (*E*).

Q. 7. *An satisfactio semel imposita mutari possit?*

R. Satisfactio semel imposita non potest valide mutari a pœnitente auctoritate propria ne in melius quidem; tum quia nulla satisfactio potest esse sacramentalis, nisi imponatur a ministro Sacramenti; tum quia reus non potest mutare sententiam judicis. Sed potest tam a proprio Confessario seu ab eo a quo pœnitentia illa imposita est, quam ab alio quolibet Confessario approbato:

1. A proprio Confessario, quia legislator semper valide potest propriam legem mutare, imo cum causa etiam licite, uti esset in casu nostro si pœnitens prævideatur non esse satisfacturus ob nimiam repugnantiam, aut fragilitatem. Neque tunc de novo danda est absolutio, cum jam peccata sint remissa: imo neque opus est Confessionem jam factam repetere, si adhuc

(1) Quodl. 3, a. 28. (2) *De satisf.* n. 79.

(3) V. Liguori, *Opus mor.* l. VI, n. 512. — « Un hombre que ha manifestado desprecio por los deberes de la Religion; si asiste á los divinos Oficios, si se acerca á recibir los Sacramentos, la reparacion del escándalo es suficiente. » *Gousset.*

Confessarius recordetur saltem in confuso de statu conscientiæ sui pœnitenti; tunc enim adhuc potest justam ferre sententiam. Notant tamen Lessius, Suarez et alii, quod, facta commutatione, pœnitens iterum potest primam eligere; quia ex una parte commutatio est in illius favorem inducta, ex alia prima pœnitentia conveniens est et sacramentalis.

2. A quolibet alio Confessario approbato, quia quilibet alius Confessarius potest eamdem causam cognoscere, si pœnitens illius tribunali se submittat. Ut tamen alius Confessarius pœnitentiam mutet, docent probabiliter Castropalaus, Concina, Holzman, Layman et Lugo pœnitentem debere Confessionem suam repetere saltem in confuso, ut ejus status dignoscatur, et conveniens medicina et pœna ei injungatur. Verum multi cum Bonacina, Navarro, Sa, Toleto, etc. item probabiliter contrarium docent; dicentes in hac secunda Confessione non agi de judicio ferendo super culpis delatis in præcedenti, cum jam illud completum sit, neque de nova danda absolutione, quæ jam est tributa; sed tantum de pœnitentia commutanda, ad quod sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, ut nova aliquo modo æquivalenter medicinalis et vindicativa imponatur (1).

Certum est autem, quod pœnitentia valide commutari non potest ab alio Confessario, extra pœnitentiæ tribunal; quia Confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali. Ab eodem autem Confessario utique potest commutari extra Confessionem, juxta aliquos intra unius diei spatium a Confessione, et etiam intra hebdomadam et amplius; at verius puto cum sententia communiori id tantum posse admitti, si fiat statim post absolutionem, antequam pœnitens discedat; quia tunc tantum censetur moraliter perseverare idem judicium, idque etiam videtur exigere reverentia Sacramenti.

Q. 8. *An pœnitens debeat acceptare, et exequi satisfactionem?*

R. Ex sententia communi et vera (quæ ex Vasquez est etiam de fide post Tridentinum) pœnitens tenetur sub gravi satisfactionem sibi impositam acceptare et exequi; si enim sub gravi tenetur Confessarius satisfactionem convenientem injungere, a pari tenetur pœnitens sub gravi eamdem acceptare et exequi: obligatio videlicet imponendi satisfactionem et obligatio eamdem acceptandi et exequendi sunt duo correlata, quorum unum esse non potest sine altero, uti argumentatur Benedictus XIV, Bulla *Inter præteritas*. Unde peccat graviter pœnitens qui recusat acceptare pœnitentiam, quæ par est suis viribus et quam potest facile adimplere, si ex mera desidia illam recusat (2). — Attamen docent communiter omittere pœnitentiam levem impositam pro venialibus aut mortalibus jam confessis, non esse nisi veniale; cum materia levis non sit capax gravis obligationis; aliunde Sa-

(1) Hoc tamen locum non haberet, si esset immutanda pœnitentia ob casus reservatos a superiore imposita; quia inferior nulla in superiorem potitur auctoritate. Excipe nisi casus urgeat, et superior non possit adiri; tunc præsumitur conniventia superioris. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 529.

(2) Si tamen ea sit justo gravior et nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si Confessarius nollet eam moderari, posset pœnitens absque absolutione discedere, saltem sine gravi culpa, et alium quærere Confessarium.

cramentum jam completum est essentialiter (1). Non tenetur autem pœnitens pœnitentiam implere, si fuit invalida Confessio ; quia judicis sententia sacramentalis non fuit; nec proinde adest Sacramentum integrandum. Idem est de imposita sine absolutione pœnitentia, ob eamdem rationem: excipe, si pœnitentia sit medicinalis et necessaria, vel si pœnitens ad eamdem Confessionem perficiendam pluries accedat, et Confessarius pœnitentiam singulis vicibus imponat hac intentione, ut minor ultima vice imponenda sit, uti sæpius fieri solet.

Quid (dices) *si pro venialibus, vel mortalibus jam confessis pœnitentia imposita sit gravis? an sit grave peccatum illam omittere?* — Probabiliter et communius affirmant cum Lugo et Roncaglia; cum gravitas obligationis videatur desumenda non ex peccato, pro quo imponitur, sed ex materia quæ præcipitur. Verum negant satis probabiliter alii cum Laymano, Navarro, Sporer et Suarez ; sicut enim Confessarius non debebat illam imponere sub gravi, ita nec sub gravi illam tenetur acceptare pœnitens ; gravitas enim est commensuranda peccato. Excipe cum Roncaglia, nisi peccata illa nimis disponant ad mortale, vel si de illis mortalibus, jam quidem confessis, nondum sit condigna pœnitentia peracta.

Quid (addes) *dicendum de circumstantiis satisfactionis?* — Qui sine causa omittit circumstantiam satisfactionis, si v. g. recitet quidem Rosarium, sed non flexis genibus, uti fuerat eidem injunctum, peccat saltem venialiter ; cum utique sit in præcepto hæc circumstantia. Sed utrum aliquando peccet mortaliter, id pendet a molestia gravi aut levi, quam affert illa circumstantia vel per se vel respective ad pœnitentem, prout significaverit Confessarius pœnitentiam imponens : si v. g. injunctum sit orare flexis genibus, censet Croix non esse mortale, si omittatur genuflexio ; si vero injunctum sit orare brachiis expansis, dicit esse mortale, si hæc omittatur circumstantia; quia non primum, sed secundum in genere molestiæ grave est (2).

Q. 9. *An pœnitens oblitus satisfactionis debeat iterum confiteri?*

R. Alii cum D. Antonino affirmant pœnitentem debere iterum confiteri; quia pœnitens curare debet quantum commode potest, ut Sacramentum fiat integrum : qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, saltem tenetur præcipua repetere peccata. Alii vero communiter et valde ac forte magis probabiliter negant cum Layman, Roncaglia, Suarez, Vasquez, Viva, etc., et hoc valere dicunt Croix, Lugo et Navarrus, etiamsi pœnitens oblitus sic culpabiliter prioris satisfactionis ; nam pœnitens non amplius tenetur ex una parte ad illius implementum, cum impossibile ei factum sit ; ex altera non videtur extare obligatio repetendi Confessionem, cum nemo videatur teneri repetere peccata jam directe remissa ; esset enim onus nimis grave. Attamen si pœnitens putaret Confessarium reminisci posse pœnitentiæ impositæ, teneretur eumdem adire ; cum eo in casu ejus implementum adhuc sit moraliter possibile : et aliunde curandum sit, ne relinquatur mutilum Sacramentum (3).

(1) Item est veniale, si pars levis tantummodo gravis satisfactionis omittatur. Et hac in re censet Croix et Gobat cum aliis non esse mortale, si v. g. ex decem Communionibus una omittatur; verum huic non acquiescimus, ait S. Alphonsus, *Opus Mor.* l. VI, n. 521.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 620. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 525.

Q. 10. *Quandonam satisfactio impleri debet?*

R. Certum est, quod satisfactio non est necessario præmittenda absolutioni (ergo tanto minus Communioni); id constat: — 1 ex praxi a duodecim et amplius sæculis in utraque Ecclesia vigenti; imo etiam primis temporibus id fieri consuevisse pluribus exemplis probant eruditi (1); — 2 ex Sixto IV, qui Petrum De Osma contra sentientem nota hæreticali confixit; ex Alexandro VIII, qui sub n. 15 contrariam propositionem proscripsit; ex Clemente XI qui item propositionem 87 Quesnelli diris devovit; tandem ex Pio VI, qui instauratum errorem in Synodo Pistoriensi propositione 35 iterum damnavit; — 3 ex ratione; nam satisfactio in actu non est pars essentialis (2).

Quoad tempus autem adimplementi præcise, dicimus, si tempus fuit a Confessario determinatum, patet tunc satisfactionem adimplendam esse: secus debet ea impleri quamprimum commode poterit; satisfactio enim est solutio debiti, et compensatio illatæ injuriæ, quæ diu differri non debent (3). Quænam autem notabilis dilatio? dicimus: si pœnitentia sit levis, dilatio quantacumque sit, numquam erit gravis; cum tunc vel ipsa pœnitentiæ omissio probabilius non esset gravis. Si vero imposita pœnitentia sit gravis, conveniunt omnes, dilationem notabilem satisfactionis inferre gravem injuriam Sacramento; et ideo continere grave peccatum. Qua in re nos tenemus cum Croix et Mazzotta hoc principium generale: quod nempe habeatur ut notabilis dilatio illa, quæ affert grave præjudicium rei præceptæ, v. g. si pro satisfactione medicinali imposita sit Communio singulis mensibus; et pœnitens ita eamdem differat, ut ex ea dilatione videatur oriri periculum relabendi in peccatum. Vel in ipsis satisfactionibus vindicativis videtur nimis benigna sententia, quæ dilationem non reputat gravem, si ad sex menses minime pertingat: sicut et nimis rigida illa, quæ judicat mortalem dilationem ad solos quindecim dies vel ad mensem, si adhuc possit pœnitentia recte impleri.

Quid (dices) *si præscripto tempore satisfactio non fuerit impleta?* — Adhuc est implenda; semper enim a Confessario intenditur principaliter ipsum opus injunctum: tempus vero non intenditur, nisi accessorie. Atqui principale remanet, etiam deficiente accessorio.

Q. 11. *An satisfactio impleri possit per alium?*

R. Cum distinctione: vel agitur de satisfactione, quæ non sit imposita in Sacramento; vel de satisfactione Sacramentali. Si 1, potest illa per alium impleri; nam satisfactio est debiti solutio; potest autem unus pro alio debitum solvere. Unde Apostolus habet: *alter alterius onera portate* (4). Hoc tamen intelligendum, si agatur de mera debiti solutione; non autem si satisfactio ordinetur ad medicinam, quæ non prodest nisi sumenti: *ex jejunio unius*, ait Angelicus, *caro alterius non domatur* (5). — Si 2, non potest; tum

(1) Morinus, *De Pœnit.* l. VIII, c. 8. — Martenius, *De antiq. Eccl. ritib.* l. I, p. 26, c. 6.

(2) Ergo Confessarius exigere non debet a pœnitente sufficienter disposito, ut pœnitentiam ante absolutionem impleat. Si autem prudenter judicet pœnitentem non esse sufficienter dispositum, pœnitentiam simul medicinalem et pœnalem ei injungat, eumque pro aliquo tempore remittat, ut melius disponatur: pœnitentia quam interea implebit, effectum non habebit ex opere operato, sicut et confessio, nisi eo instanti quo accedente absolutione, perficietur Sacramentum. Ita *Dens.*

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 57. (4) Gal. 6. (5) Suppl. 3 p. q. 13, a. 2.

quia ab Alexandro VII proscripta est hæc propositio sub n. 15: *pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat;* tum quia ex Tridentino materia Sacramenti sunt actus ipsius pœnitentis, nempe contritio, Confessio et satisfactio: ergo sicuti unus non potest pro altero conteri vel confiteri, ita nec satisfacere (1).

Sed (quæres) *an possit cum alio satisfactio Sacramentalis impleri?* — Alii affirmant posse pœnitentem cum socio satisfactionem implere; quia hoc onus imitatur pondus Officii, quod utique potest recitari cum socio etiam ad illud non obligato. Alii (et huic sententiæ consentanea est praxis) negant, negando paritatem; nam Officium non est pœna, ut eam debeat peccator totam sustinere. Cæterum contra Cajetanum et Sylvium docent communissime Elbel, Filliucius, Sa, Sanchez, Sporer, Suarez, etc., quod pœnitentia bene potest impleri tempore, quo aliud impletur præceptum, puta in Missa de præcepto; nam duobus præceptis potest simul satisfieri. Et sane in nostro casu Missa est quidem in præcepto, non tamen peculiares preces; hæc igitur determinari poterunt a pœnitente ipso.

Q. 12. *Quid de eo, qui satisfactionem implet in mortali?*

R. Communis et probabilior sententia quam tenent Concina, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses et Suarez docet, eum qui pœnitentiam implet in mortali, substantialiter satisfacere, etsi adhuc habeat affectum ad peccatum illud, et *quamvis aliunde peccet;* nam ad implendam satisfactionem sufficit ponere opus præceptum, licet ejus finis non obtineatur. Tunc quidem non habebitur meritum et effectus satisfactionis injunctæ, nempe remissio pœnæ debitæ, quæ haberi non potest sine charitate (et hoc sensu intelligitur D. Thomas, qui contra objicitur); sed dici nequit, ipsum abesse satisfactionis implementum.

Diximus *quamvis aliunde peccet;* nam probabilius est eum qui implet in mortali satisfactionem, peccare venialiter, siquidem indigne suscipit partem integralem Sacramenti; et illius fini obicem ponit (2).

Corollarium. — *De Indulgentia et Jubilæo.*

Q. 1. *Quid est Indulgentia* (3)?

R. Indulgentia definitur: *remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis post Baptismum commissis, facta a Superiore legitimo extra Sacramentum, per applicationem thesauri Ecclesiæ.* Dicitur: 1 *remissio pœnæ temporalis;* nam pœna æterna remittitur una cum ipsa culpa, cum repugnet in æternum puniri, qui est Dei amicus. Ergo quando dicitur per Indulgentiam peccata remitti, nomen peccati pro reatu pœnæ usurpatur; 2 *debitæ peccatis post Baptismum commissis;* peccata enim commissa ante Baptisma ita per illud re-

(1) Excipe casum, quo Confessarius id pœnitenti concedat, ut dicit Suarez cum D. Thoma; nam tunc non jam opus, sed ipse actus pœnitentis, quo satisfactionem ab altero pro se petit, locum tenet satisfactionis formalis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 526.

(2) Putat Antoine cum aliis pœnitentiam actam in mortali effectum suum sortiri, et finem obtinere, sublato per justificationem obice. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 522.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, nn. 62 et seqq.: et *Opus Mor.* l. VI, n. 533.

mittuntur, ut nullam relinquant pœnam ne temporalem quidem postea luendam; 3 *facta a legitimo superiore;* quia nulla potestas potest valide exerceri, nisi ab iis, quibus ea legitime data est; 4 *extra Sacramentum;* quia hic pœnæ remissio non fit virtute alicujus Sacramenti, sed fit nobis applicando satisfactiones Christi et Sanctorum ipsis superabundantes, ex quibus conflatur thesaurus Ecclesiæ; et ideo additur: *per applicationem thesauri Ecclesiæ.* Ex his patet Indulgentiam ex sui natura liberare a laboriosis pœnitentiæ operibus: «*Singulis tamen*, ait Benedictus XIV, *cardinalis Bellarmini doctrinam proponendam ducimus:* accipient prudenter Christiani Indulgentias, si simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere (1).» —Indulgentia dividitur:

1. Ratione objecti cui inhæret: et alia est *localis*, quæ conceditur loco immediate, v. g. tali Ecclesiæ; alia *realis*, quæ conceditur immediate rei, v. g. coronis, iconibus (utraque mediate personis, v. g. talem Ecclesiam, tale Altare visitantibus); alia *personalis*, quæ personis conceditur independenter a loco et a re.

2. Ratione effectuum, quos producit: et alia est *plenaria*, quæ dicitur etiam *plena*, *plenior*, *plenissima*, juxta majorem vel minorem facultatem, quæ, præter totalem pœnæ remissionem, tribuitur absolvendi a censuris, dispensandi in votis, etc.: hæc remittit juxta aliquos totam pœnam, quam totis suis viribus expungere non potest fidelis; sed melius totam pœnam temporalem remittit, ut verbum ipsum sonat, et juxta fidelium persuasionem. Alia est *partialis*, quæ remittit dumtaxat aliquam pœnæ partem v. g. dierum vel annorum, prout fuerit a superiore declaratum: tales sunt quadragenæ et septenæ, quarum illæ remittunt tantum pœnæ, quantum per jejunium 40 dierum in pane et aqua remitteretur juxta veteres canones; istæ quantum deberetur per annos septem (2).

3. Ratione temporis ad quod extenditur: et alia est *perpetua*, alia *temporanea*, alia *indefinita*, prout conceditur in perpetuum, vel ad tempus, vel absque temporis limitatione.

Q. 2. *Quænam est catholica doctrina circa Indulgentias?*

R. Adversus Indulgentias insurrexerunt primo Montanistæ; dein Waldenses ac Wicleffitæ; postea Lutherus (3) et Calvinus, ac sectæ omnes ex his progenitæ; tandem Janseniani, qui indulgentias dicunt non esse nisi relaxationes pœnitentiæ canonicæ in foro ecclesiastico tantum validas; thesaurum vero Ecclesiæ commentum esse a Scholasticis excogitatum. Contra hos omnes:

Dicimus 1: est in Ecclesia potestas a Christo concessa conferendi Indul-

(1) *Notificatione* LIII. — *V.* hic P. Perrone, *De Indulgentiis*: materiam erudite exsolvit. — Muzzarelli, *Il buon uso della Logica*, Opusc. 30: valore delle Indulgenze; it. Opusc. 10, storia Ecclesiast. § 12. — *Sermoni istruttivi di on vecchio Parroco della Toscana* ecc. — Wiseman, *Confer.* XII. — Bellarminus, etc.

(2) Indulgentiæ culparum; item pœnarum, sed annorum mille, aut tercentum mille a Benedicto XIV tamquam falsæ rejiciuntur. *De Syn Diœc.* l. XIII, c. 18.

(3) Lutherus contra Leonem X ira excandescens, quod Indulgentiæ publicationem commisisset Dominicanis, non Augustinianis, de quorum familia erat, in Indulgentias debacchatus est, et eas non erubuit appellare *Pontificum fraudes et imposturas.*

gentias, et earum usus est christiano populo maxime salutaris. De fide est sic a Tridentino definitum: *quum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant* (1). Id evincitur: — 1 ex Scriptura, in qua legitur: *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (2): at si per ea verba *quæcumque alligaveritis* Ecclesia potestatem accepit peccatoribus laboriosa opera injungendi, dicenda erit per alia posteriora verba *quæcumque solveritis*, potestatem accepisse ab illis operibus eosdem solvendi: quod quidem per Indulgentias operatur; —2 ex præscriptione: jam enim ab antiquis temporibus, nemine reclamante, Ecclesia Indulgentias elargita est: sic Innocentius I anno 416, S. Leo anno 451, Sergius II anno 847, Gregorius VII anno 1084, Urbanus II anno 1094, Paschalis II anno 1100 et alii longe ante protestantes fidelibus eas concessere. Adde Concilium Nicænum I, Ancyranum, Illiberitanum, Arelatense, Laodicænum, etc.: adde usum qui per decem fere sæcula perduravit, ut feria v in Cœna Domini ab Episcopis absolverentur ab omni ulteriori pœna, qui in capite quadragesimæ confessi fuerant (3). Tandem nonne ipse Apostolus incestuoso Corinthio de rigore temporalis pœnitentiæ aliquid remisit, et quidem ex persona Christi (4)? Quæ quidem salutaris remissio vera fuit Indulgentia; salutaris, inquam; cum enim Indulgentiæ nonnisi rite dispositis ac pœnitentibus, nec nisi sub certis conditionibus, quæ pietatem foveant, concedantur, pronum est inferre earum largitionem, devotionem pietatemque promovere; ideo esse maxime salutares.

Dicimus 2: datur in Ecclesia Indulgentiarum thesaurus constans ex meritis (5) Christi et Sanctorum. Hoc est fidei proximum, ut constat ex Pio VI, qui propositionem 41 Synodi Pistoriensis contrarium innuentem damnavit: Pio VI præiverat tum Leo X contra Lutherum, tum Gregorius XIII contra Bajum. Et sane negari non potest, quod sit in Ecclesia cumulus satisfactionum seu superabundantia: siquidem superabundavit satisfactio Christi utpote infinita; satisfactio B. Virginis, quæ licet sine macula extiterit, tamen tot passa est; aliorumque sine numero Sanctorum, qui ab omni ferme culpa

(1) Sess. 25, decr. *de Indulg.* (2) Matth. 18.

(3) *V.* Christ. Lupus, *Dissertat. de peccatorum et satisf. Indulg.* c. 7. — Salzano, *Lezioni di diritto* ecc. vol. III, p. 48. — Amort, *Dissert. apolog. de Indulgentiis.*

(4) I Corinth. 5. — Liguori, *Opera dogmatica*, sess. XXV, nn. 50 et seqq.

(5) Nos *meritorum* Christi et Sanctorum nomine significamus non merita in rigoroso sensu, quibus aliquis *sibi* meretur; sed quatenus hæc *satisfactoria* sunt, quibus quispiam aut pro se, aut pro se et aliis aut pro aliis tantum divinæ justitiæ læsæ satisfacit. Sic Christus pro nobis tantum satisfactoria hæc merita posuit, Sancti vero satisfecerunt pro se et pro aliis: dum itaque dicimus thesaurum Ecclesiæ constare ex meritis Christi et Sanctorum, significamus constare tum ex meritis satisfactoriis, aut etiam, ut nonnullis placet, *impetratoriis*, quæ præstiterunt Sancti pro se, et si superabundent etiam pro aliis. Adeoque improprie *meriti* nomen usurpatur. Ita Perrone. — *V.* Alasia. Billuart, Bellarminus, etc.

immunes tot tantaque sustinuerunt. Et quamvis Sancti fuerint abundanter remunerati de operibus proprie meritoriis per visionem Dei, tamen utpote satisfactoria eorum opera exhausta non fuerunt (1); at numquid istæ uti simpliciter satisfactoriæ remanent otiosæ? Dicendum potius eas in Ecclesiæ thesaurum ingredi, cujus ipsa administrationem habet: *ea autem, quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest*, ut ait D. Thomas (2). Omnes porro commembra sumus unius capitis Christi Jesu; ergo omnes homines de illis participare possunt. Esto quod vi Communionis hujusmodi omnes jam per se participent; at multo magis participare debent, quibus applicantur specialiter (3).

Dicimus 3: Indulgentiæ a pœna liberant, seu remittunt pœnam pro peccatis debitam non solum coram Ecclesia, sed etiam apud divinam Justitiam. Hoc est saltem proximum fidei, ut constat ex contrariis propositionibus censura notatis, nempe ex articulo 19 Lutheri a Leone X, et propositione 40 Synodi Pistoriensis a Pio VI damnata. Et talis semper fuit Ecclesiæ sensus (4). Adde ex Angelico: si Indulgentiæ nudam importarent pœnæ canonicæ remissionem, *Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis* (5): quod impium est dicere.

Dicimus 4: Indulgentia applicari potest *per modum suffragii* animabus purgatorii. Hæc propositio ad fidem pertinet juxta Sylvium, saltem fidei proxima est; id enim probat tum Ecclesiæ usus, siquidem omni tempore sic concessas legimus (6); tum Sixtus IV, qui 1478 damnavit doctrinam Petri De-Osma huic veritati oppositam; tum Leo X, qui 1520 damnavit contrariam Lutheri propositionem (sub nn. 42 et 43); tum Pius VI, qui aliam similem diris devovit Bulla *Auctorem fidei*, n. 24. Neque sane *est aliqua ratio*, inquit Angelicus, *quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos et non in mortuos* (7). Id autem magis ac magis evincit dogma de communione Sanctorum; *neque enim piorum animæ mortuorum*, ait Augustinus, *separantur ab Ecclesia* (8).

Addimus *per modum suffragii;* nam cum animæ purgantes Ecclesiæ jurisdictioni non subdantur, ipsis Indulgentiæ applicari non possunt sicut vivis per modum absolutionis, vi cujus Ecclesia eorum delet pœnæ reatum. Sed tantum per modum suffragii, seu simplicis solutionis, quatenus nempe rogatur Deus, ut eas acceptare dignetur. Ad hoc tamen necesse est:—1 ut eo fine sit concessa Indulgentia, ut nempe etiam possit defunctis applicari: quæ quidem concessio a solo R. Pontifice fit;—2 ut intentio saltem interpretativa sit in lucrante eas defunctis applicandi; nam superior dat tantum *posse*, non

(1) Quamquam etiam meritis Sanctorum adhuc viventium conflari potest hic meritorum cumulus, ut patet et docet Catechismus romanus, p. 2, c. 5, n. 6.

(2) Suppl. 4 p. q. 25, a. 1.

(3) D. Chrysostomus Homil. *In Ss. martyres Juventinum et Maximinum* mentionem facit thesauri Ecclesiæ; non est ergo Scholasticorum inventum.

(4) *V.* Epist. 30 Cleri Romani ad S. Cyprianum; it Epist. 12 Cypriani ipsius.

(5) Suppl. q. 25, a. 1.

(6) *V.* Perrone, *De Indulg.* n. 76.

(7) Suppl. q. 71, a. 10.

(8) *De civ. Dei*, l. XI c. 9.

autem actu applicat eas huic vel illi;—3 status gratiæ in eas lucrante, saltem in ultimo opere, ut nobis verius videtur: neque enim quis potest alteri applicare Indulgentiam, nisi prius ipse eam fuerit lucratus; cum nemo possit alteri tribuere, quod non habet. Porro ad lucrandam Indulgentiam statum gratiæ omnino requiri declaravit Benedictus XIV Constitutione *Inter præteritas* (1) *(F)*.

Q. 3. *Quibus competit potestas Indulgentias concedendi?*

R. Cum Indulgentiæ sint bona communia Ecclesiæ, principium generale est, easdem concedi non posse nisi ab iis, qui jure divino Ecclesiæ ipsi actu præsunt: hinc nec Abbates Religiosorum Ordinum, nec Vicarius generalis, nec Parochi possunt, nisi jure delegato, Indulgentias elargiri; nec etiam potest Episcopus qui sedem non habeat, cum tunc jurisdictione careat.—Ex eodem principio sequitur eas concedi posse a Pontifice in toto orbe, ab Episcopis in propriis Diœcesibus: et quidem Pontifex concedere potest Indulgentias plenarias; Episcopi autem ex Lateranensis IV dispositione Indulgentias tantum unius anni in Dedicatione Ecclesiæ, quadraginta dierum in aliis causis (2): et quidem in perpetuum, atque etiam extra propriam Diœcesim, modo cum suis subditis; cum hæc jurisdictio non sit contentiosa. Quod vero pertinet ad Archiepiscopos, Patriarchas ac Primates, eas omnes, quas possunt Episcopi, Indulgentias concedunt, et quidem per totam provinciam extra ipsam visitationem; cum hac de re jus indistincte loquatur (3). Tandem Cardinales ex usu introducto 100 dierum Indulgentias legitime concedunt Ecclesiæ, cui tamquam Episcopi præsunt, imo in Ecclesiis suorum titulorum eas ipsas concedunt, etsi Episcopi non sint (4).

Ad Indulgentiam concedendam requiritur causa; quia Papa et Episcopi non sunt domini, sed dispensatores thesauri Ecclesiæ: *Indulgentiæ,* ad rem Angelicus, *tantum valent quantum prædicantur* (5), *dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte suscipientis charitas, et ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem* (6). Attamen bene advertit Bellarminus, quod hoc non est subditorum judicare, sed ipsorum est grati animi sensu beneficia, quæ a superioribus legitimis conferuntur, exosculari: tanto magis, quod si aliquando non potest totum prodesse, poterit in parte: cum Indulgentia res sit divisibilis.

Q. 4. *Quid requiritur ad Indulgentiam lucrandam?*

R. *In omnibus Indulgentiis* hæc requiruntur ad eas lucrandas:

1. Ut eas lucraturus intentionem saltem virtualem habeat Indulgentias

(1) Licet autem effectus Indulgentiarum pro vivis sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro defunctis; cum eis nulla adsit promissio, unde Deus ipsas acceptat ad suum beneplacitum. Cæterum tenendum ut plurimum prodesse, ne dicatur Ecclesia agere quid inutile, has frequenter defunctis applicando. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 534.

(2) Relat. in 6 *de pœnit.* C. *Romana fin.* l. V, t. x, c. 1. — Indulgentiæ non expirant morte concedentis, nisi adsit clausula *ad beneplacitum nostrum.* Neque, ut habet Sa, ante notitiam revocationis.

(3) C. *Nostro* 15 *De pœnit. et remiss.* — Usus tamen invaluit, ut Archiepiscopus taurinensis 80 dies concedat. (4) *V.* Ferraris, V. *Indulgentia*, art. 2, n. 19.

(5) Hinc illud: *tantum valent quantum verba sonant;* ideo error communis non supplet.

(6) Suppl. q. 25, a. 2.

lucrandi: quod certum est, quoties illa concessa sit cum certa intentione sibi proponenda, v. g. orandi pro felici Ecclesiæ statu. In cæteris autem casibus, an ista intentio necessario requiratur, affirmant plures cum Billuart; nam opus præscriptum dirigi debet in finem ab Ecclesiæ intentum: hoc autem præstari nequit sine virtuali saltem intentione Indulgentiam lucrandi. At plures cum Lugo et Croix negant; nam si Indulgentia concessa est facienti tale opus, si fiat, jam totum positum est quod ponendum erat. In praxi tamen prima sententia est suadenda: ideo magis, quia in materia Indulgentiarum non major probabilitas, sed veritas effectum producit. Hinc laudanda piorum praxis, qui mane semper renovant propositum omnes per diem Indulgentias lucrandi;—2 ut eas lucraturus sit baptizatus; illi enim, qui minime est de Ecclesia, Ecclesiæ thesauri non aperiuntur;—3 ut lucraturus inveniatur in statu gratiæ, saltem quando præstat ultimum opus præscriptum: pœna enim non remittitur, nisi simul remittatur, vel jam remissa sit culpa;—4 ut lucraturus sit immunis ab excommunicatione; quia hæc tollit communionem bonorum spiritualium;—5 ut sit subditus illius, qui Indulgentiam personalem elargitur: quia agitur de veræ jurisdictionis exercitio, quæ non complectitur, nisi subditos;—6 ut adimpleat singula opera præscripta: non officit, si pars minima operis injuncti omittatur, quia tunc adhuc censetur opus quoad substantiam perfici. Pars minima respective ad totum opus sumenda est: sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave,* minima videtur; secus vero si quinque *Pater* et *Ave* requirantur, et unum *Pater* et *Ave* omittatur (1).

Diximus in *omnibus Indulgentiis;* ad plenarias enim quod attinet, ordinarie (2) hæc insuper requiruntur ad eas lucrandas: 1 *Confessio,* quæ est necessaria, licet quis sola venialia habeat. Ita S. Ind. C. 19 maji 1759, approbante Clemente XIII: indulto tamen 9 sept. 1765 et decreto S. C. Indulgentiarum 15 nov. 1841, statutum est, ut qui singulis hebdomadis confiteri solent, omnes Indulgentias per hebdomadam lucrari possint, ad quas lucrandas Confessio sacramentalis cæteroquin requireretur, modo tamen mortali non sint gravati. Imo decreto ejusdem S. C. approbato a Pio VII, 12 junii 1822, permissum est, ut Confessio etiam pro aliis sufficiat, qui singulis hebdomadis confiteri non solent, si tamen illa facta sit octo ante festum diebus, sed tantum pro acquirenda Indulgentia illius festi (3); 2 *Communio:* hæc fieri potest etiam in pervigilio ex citato Decreto, si Indulgentia incipiat

(1) Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 524.

(2) Diximus *ordinarie;* nam, ita R. Pontifice disponente, aliquando minus, aliquando plus requiritur: sic v. g. ex Bulla Pii VI *Dum præclara* confirmata a Bulla *Nuper* 31 julii 1679 Innocentii XI, confratres SS. Rosarii lucrantur Indulgentiam plenariam, si vere pœnitentes et confessi vel firmum propositum confitendi habentes, Capellam SS. Rosarii visitaverint in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis et Præsentationis B. V. (vid *Pregi utilissimi della divoz. del Ss. Rosario,* ecc. Torino 1839). Sic e contrario ad lucrandam Indulgentiam plenariam in festis Patrocinii B. M. V.; et SS. Nominum Jesu et Mariæ præter preces, Confessionem et Communionem, ex Innocentio XI et XII insuper requiritur, ut assistatur Missæ solemni. Ubi tamen defectu ministrorum nequeat Missa solemnis celebrari, sufficit ex Leone XII, si assistatur Missæ parochiali. Vid. *Synodus Novariensi,* pag. 338.

(3) *V. Ami de la Religion,* vol. XXXIII.

a Vesperis, ut est illa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum (1); 3 *Preces*, et quidem juxta intentionem concedentis: quæ si sint indeterminatæ, sufficit, ut dicunt, recitare quinque vel septem *Pater* et *Ave;* vel alias similes orationes, sed vocales (2). Hæ preces etiam cum socio alternatim possunt recitari ex Decreto S. C. 20 febr. 1820, Pio VII approbante.

Q. 5. *Quid Synodus Novariensis circa Indulgentias?*

R. Synodus Novariensis Parochis præcipit: 1 ut vim Indulgentiarum, utilitatem et dispositiones ad eas lucrandas, populum edoceant; 2 ut earum, quas obtinuerint, tabulas et monumenta caute observent: et novas Indulgentias nemo audeat promulgare, nisi prius in Curia Episcopali fuerint recognitæ: 3 ut omni modo compescant vagos quosdam qui Indulgentias numismatibus, oratiunculis aliisque pietatis signis adnexas jactant venditantque.

Hic operæ pretium est adnotare, quod ex Constitutione *Pia Mater* Benedicti XIV 5 apr. anno 1747, Episcopi ac Prælati inferiores jurisdictionem habentes concedere possunt benedictionem in articulo mortis cum applicatione Indulgentiæ plenariæ etiam per subdelegatos Sacerdotes sive sæculares sive regulares omnibus in propria Diœcesi existentibus (3). Ad Diœcesim Novariensem quod specialius attinet, ex peculiari apostolicæ Sedis privilegio dato 24 maji anno 1826, facta est ab Episcopo omnibus Parochis ratione proprii officii facultas eam concedendi. Iisque permittitur etiam ut alium unaquaque vice deligant, si ipsi designato infirmo adesse nequeat. Alii qui ea uti volunt, ab Episcopo impetrare debent, qui eam elargiendi facultatem habet (*pagg.* 141 *et* 331).

Q. 6. *Quid est Jubilæum* (4)*?*

R. Jubilæum a *jubilare* dictum, definitur: *indultum Pontificium, quo et plenaria Indulgentia et certa privilegia conceduntur definita opera exequentibus:* ad imitationem veteris Legis inductum est: in ea enim, definitis temporibus, gratiæ extraordinariæ dabantur (5). Aliud autem est *ordinarium*, quod Bonifacius VIII anno 1300 constituit, ut quolibet anno centesimo redeunte celebraretur; Clemens VII reduxit ad annum quinquagesimum;

(1) Item in Novariensi Diœcesi quæ concessa est in Festo Protopastoris S. Gaudentii.

(2) Excipe surdos-mutos ex Indulto Pii IX. — *V. Appendix* in fine. V. Indulgentia.

(3) 1 Cum in nostra sententia, quæ etiam communis est, fructus Indulgentiæ in articulo mortis non obtineatur, nisi casu quo mors sequatur, ideo putamus benedictionem Papalem rite collatam inutiliter repeti, eodem durante morbo; — 2 si infirmus non erat in gratia, cum ei benedictio Papalis tributa est, erit repetenda, ut habeat suum effectum. Item repetenda videtur, saltem ad majorem securitatem, si infirmus eam receperit in gratia, sed postea lapsus sit in mortale. verum id caute fiat, ne adstantes, si qui sunt, videntes illam renovari, de peccato infirmi suspicentur; — 3 si infirmus ob distantiam frequenter visitari nequit, usus est ut statim post Extremam-Unctionem Papali benedictione muniatur. Secluso hoc casu, melius est, si expectetur donec infirmus sit morti proximior, ut sic periculum non incurrat fructum Indulgentiæ suspensum amittendi. Non tamen expectanda est agonia vel delirium; si enim adhuc est integer sensibus, poterit suis actibus infirmus efficacius beneficio illo frui. *Bouvier.*

(4) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 64; et *Opus Mor.* l. VI, n. 535. — *Del Giubileo, Narrazione Storica.* Torino 1824. — Viva, *De Jubilæo et Indulgentiis.* — Wiseman, *Conferenze* etc. Conf. XII. — Scotti, *Teoremi* ecc. — *Il Giubileo, e pratiche divote.* Torino (Letture Cattoliche).

(5) Lev. 25.

Gregorius XI ad annum trigesimum tertium; donec tandem Paulus II et Sixtus IV illud revocaverunt ad annum vigesimumquintum. Primitus Jubilæum nonnisi Romæ celebrabatur; at Bonifacius IX statuit, ut anno quo illud currit, Romæ celebretur; anno vero subsequenti extra Romam in toto orbe: Romæ per annum integrum perdurat (non ita extra) et en Jubilæum *anni sancti*, vel *Jubilæum majus*. Aliud est *extraordinarium* seu *ad instar*, quod tribuitur ob aliquam causam peculiarem (1); et dicitur etiam *Jubilæum minus*. Aliud est *generale* quod conceditur universo orbi; aliud *particulare* quod conceditur tantum alicui provinciæ vel etiam loco (2).

Quoad Jubilæum *particulare* attendendum est ad Indulti tenorem: ordinarie tria tantum requiruntur, id est Confessio, Communio et Ecclesiæ visitatio; etsi quoad facultates fere illud assimiletur cæteris Jubilæis. Ad Jubilæum autem *generale* sive majus sive minus, hæc ordinarie præscripta sunt opera: 1 *visitatio Ecclesiarum;* 2 *Confessio,* quæ pro Jubilæo semper requiritur etiam pro illis, qui a mortalibus sunt immunes et Confessionem frequèntant: ideo dicitur *rite confessis;* 3 *Communio,* nec sufficeret sacrilega, ut patet; 4 *jejunium,* quod alias non sit debitum, nisi sint a summo Pontifice nominati dies, in quibus jam jejunium alio titulo debeatur; 5 *eleemosyna*, quam probabilius etiam pauperes debent; cum nemo sit tam pauper, qui saltem unum obolum vel frustillum panis dare non possit: quamquam consultius est, ut hoc opus pro pauperibus in aliud mutetur; pro subjectis vero in temporalibus eleemosyna fit a superioribus; 6 *oratio vocalis*. Dicunt autem plures graves AA. sufficere, si ores onte ostium vel in cœmeterio, si ob multitudinem Ecclesiam ingredi nequeas.

Hæc vero præcipua privilegia in Jubilæo conceduntur: 1 *facultas in pœnitente eligendi Confessarium*, inter approbatos tamen. Benedictus XIV Constitutione *Celebrationem* declarat, quod facultas data monialibus earumque novitiis intelligitur de Confessario approbato ad moniales; 2 *facultas in Confessario absolvendi ab omnibus casibus reservatis atque censuris* sive publicis sive occultis, etiam publicos Clericorum percussores, et alios nominatim excommunicatos, suspensos vel interdictos; non tamen potest absolvi externe et formaliter hæreticus, nec complex in peccato turpi, nisi de his expressa fiat mentio. Quoad censuras vero nominatim inflictas *ab homine*, absolutio est tantum ad effectum Indulgentiæ consequendæ; 3 *facultas dispensan-*

(1) Tale fuit quod concessit Pius Pp. IX 17 nov. anno 1846 ad divinam gratiam atque subsidium in hac nostra temporum calamitate implorandum. Generatim determinatio temporis ad Jubilæum pro unaquaque Diœcesi committitur Ordinariis, quorum porro est illud et determinare, et determinatum variare juxta particularium locorum circumstantias; facultas enim data est ad effectum Jubilæi.

(2) Tale es illud, quod a Pio IV anno 1565 perpetuo concessum fuit oppido Olegii Diœcesis Novariensis: omnes videlicet qui in Festo tum Corporis Christi tum Omnium Sanctorum vere pœnitentes et confessi, seu statutis a jure temporibus firmum confitendi propositum habentes, altare SS. Corporis Christi situm in Ecclesia Ss. Petri et Pauli, a primis vesperis usque ad occasum solis dictorum dierum, devote visitaverint, aliquas ibi preces fundendo pro felici R. Ecclesiæ statu et fidei exaltatione, plenariam Indulgentiam consequuntur animabus purgantibus applicabilem. Facta Confessariis approbatis facultate tum absolvendi ab omnibus casibus et censuris, exceptis reservatis in Bulla *Cœnæ;* tum commutandi vota in alia pietatis opera, exceptis votis visitationis Liminum Apostolorum, et S. Jacobi Compostellani; item religionis et castitatis votis.

di ab irregularitate: quæ tamen facultas est tantum dispensandi ab iis irregularitatibus, quæ ob censuræ violationem incursæ sunt, et quidem dispensandi in ipsa Confessione ; 4 *facultas commutandi* (non dispensandi) *omnia vota simplicia*, intra Confessionem tamen : excipe semper tum vota quæ cederent in præjudicium tertii, tum vota castitatis perpetuæ atque ingressus in Religionem. Quando agitur de Jubilæo pro commutatione votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit illa generalis et communis, ob quam Pontifex motus fuit ad Jubilæum concedendum (1).

Loquendo speciatim de Jubilæo *anni sancti,* ut magis alliciantur fideles ad illud lucrandum et Romam petant, statutum est:—1 omnes partiales et plenariæ Indulgentiæ pro vivis suspenduntur pro toto orbe, nisi agatur de Indulgentiis concessis pro articulo mortis, vel pro recitantibus suis temporibus *Angelus Domini*, vel pro comitantibus Viaticum candelam accensam gestando, vel pro 40 horarum devotione ; aut de indulgentiis applicatis defunctis, aut concessis particularibus ab alio, quam a Papa: imo ex concessione Benedicti XIV omnes Indulgentiæ etiam illæ, quæ alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt;—2 suspenditur etiam facultas absolvendi a casibus papalibus et dispensandi in votis etc., si ea concessa sit in ordine ad acquirendam Indulgentiam aliquam plenariam : excipitur hic etiam quæ Episcopis competit facultas de jure communi. Cæterum inspiciatur Bulla concessionis (*G*).

CAPUT TERTIUM

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ EJUSQUE EFFICACIA.

Q. 1. *Quænam est forma Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Forma Sacramenti Pœnitentiæ continetur illis verbis: *ego te absolvo a peccatis tuis: in Nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Sic enim habet Tridentinum (2): *docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipe ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse:* ego te absolvo etc., *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur.* Preces autem hujusmodi, et methodum utendi prædicta forma, sic Confessario exhibet Rituale romanum: « cum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit: *Misereatur tui Omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.* Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus Noster Jesus Christus te absolvat ; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* ✠ (efformet signum crucis) *et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. J. C.; merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 537, quærit. 4.
(2) Sess. 14, c. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 428.

in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.»

Hæc insuper monet Rituale : 1 vocem *suspensionis* omittendam esse cum laico, quia ejus censuræ incapax est ; 2 urgente mortis periculo, breviter sic dici posse : *ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis : in nomine Patris* etc. Imo communiter affirmant sufficere quoad validitatem, si dicatur : *te absolvo a peccatis* (1); quia hæc verba involvunt absolutionem a quocumque vinculo orto ex peccatis : et nihil obstat, quin Confessarius dirigat intentionem suam ad absolutionem tum peccatorum tum censurarum. Item valida est absolutio, si Confessarius prius absolvat a peccatis, quam a censuris ; quia censura non obstat validitati Sacramenti. Peccaret tamen graviter, quia est contra gravem Ecclesiæ prohibitionem, quæ facit illicitam censuratis susceptionem Sacramentorum : excipe nisi agatur de interdicto et suspensione, quia generatim istæ censuræ non privant per se receptione Sacramenti Pœnitentiæ.

An (quæres) *omnia Ritualis verba in absolutione sint de essentia* ?—Certum est : 1 verba *te absolvo* pertinere ad essentiam ; cum secus neque præsentia pœnitentis determinari, neque ipsa vis absolutionis indicari valeat (2) ; 2 communissime ac probabilius negant cum D. Thoma et Catechismo romano, ad essentiam pertinere verba *a peccatis tuis ;* nam iis etiam omissis, sufficienter verbo *te* materia determinatur atque forma per præsentiam pœnitentis, qui confessus est. Ea tamen omittere mortale est ; tum quia est contra usum ; tum maxime quia adhuc probabile est ea verba necessaria esse ; nam revera Christus instituens pœnitentiam dixit : *quorum remiseritis peccata :* unde vult Billuart absolutionem esse sub conditione repetendam, si ea verba fuerint omissa ; 3 verba : *In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen*, sententia vera negat esse de essentia ; quia Christus in hujus Sacramenti institutione nullam fecit mentionem de hac explicita Trinitatis invocatione, sicut fecit in Baptismo : imo omissio communissime non habetur, nisi ut veniale. Item neque est essentiale pronomen *ego,* ut patet ; 4 verba : *Misereatur*, *Indulgentiam*, ad essentiam non pertinent : et dicunt communiter omitti posse sine ullo peccato. Idem dicunt de verbis : *Dominus Noster J. C.* etc., dum Tridentinum dicit, quod, excepta forma, aliæ preces *laudabiliter adjunguntur* (3). Verum Concina non sine ratione ait esse veniale, ea verba sine causa omittere ; cum Rituale R. dicat : *in Confessionibus frequentioribus omitti potest* Misereatur etc. ; *et satis erit dicere :* Dominus Noster *usque ad illud* Passio etc. (4).—At nemo dubitat, quin convenientius sit preces hujusmodi retinere, maxime illas : *Passio D. N. J. C.*, cum per eas ex

(1) Quoad formam conditionatam *v. De Sacram. in genere*, disput. I, c. 2.

(2) Volunt tamen nonnulli pronomen *te* omitti posse, si dicatur *a peccatis tuis ;* quia illud in hoc vocabulo *tuis* satis includitur. Hoc porro quamvis speculative loquendo *probabilius* videatur, in praxi tamen in hac materia contrarium tenendum est.

(3) Sess. 14, c. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 425 et seqq.

(4) Quæsitum fuit a S. R. C. : «quum in Rituali R. de absolutionis forma legatur : *in Confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest*, Misereatur : *et satis erit dicere*, Dominus N. J. C. *usque ad illud :* Passio etc., quæritur an sit intelligendum exclusive vel inclusive? R. 27 febr. 1847, *intelligendum exclusive.*

Angelico omnia bona opera pœnitentium eleventur ad meritum satisfactionis Sacramentalis, quæ quidem pœnam remittit ex opere operato virtute ipsius Sacramenti per uberiorem applicationem meritorum Christi; ad differentiam satisfactionis extrasacramentalis, quæ quidem nonnisi ex opere operantis remittit pœnam.

Manus elevatio, formatio crucis, et capitis aperitio in absolutione impertienda non sunt de necessitate: imo juxta graves auctores omitti possunt sine peccato, etsi præstet servare consuetudinem.

Q. 2. *An absolutio mitti possit ad absentem?*

R. Cum forma Pœnitentiæ ex Tridentino consistat in verbis, non aliter exprimi potest, quam voce; idcirco semper moraliter præsenti danda est absolutio. Id constat:— 1 ex Tridentino, quod docet, Christum peccatores *ante Tribunal* (Pœnitentiæ) *tamquam reos sisti voluisse;*—2 ex D. Thoma, qui expresse tradit: *utilius esse confiteri laico præsenti, quam Sacerdoti absenti, extrema necessitate;*—3 ex propositione damnata a Clemente VIII, anno 1602: *licet per litteras, seu internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Imo præcepit Pontifex sub excommunicatione reservata et ipso facto incurrenda, ne dicta propositio *umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquomodo deducatur.*

Ex quibus verbis recte inferunt, quod absolutio absenti in quocumque casu non solum datur illicite, sed etiam invalide; nam si Pontifex tantum illicitam eam intendisset declarare, ipsa aliquando urgente necessitate, et valide et licite dari posset; cum leges ecclesiasticæ non possint obligare cum gravissimo damno, et tanto magis si illud sit spirituale. Unde si Pontifex voluit hujusmodi absolutionem in nullo casu esse licitam, consequenter declaravit in nullo casu esse validam. Paulus autem V anno 1605 damnavit quorumdam in prædictum decretum interpretationem, qua dicebant absolutionem mitti posse ad absentem, modo Confessio in præsentia præcessisset: declaravit nempe Pontifex Clementinam prohibitionem esse intelligendam non modo cumulative; verum etiam disjunctive, idest non solum de confessione et absolutione simul acceptis; sed etiam de iisdem acceptis separatim ac divisim (1).

Præsentia autem moralis sufficiens pro absolutione reputatur illa, intra quam homines communi voce, licet altiori, loqui possunt et solent: eam idcirco nonnulli extendunt usque ad viginti circiter passus, præsertim quando pœnitens nondum egressus est ab aspectu Confessarii; non enim opus est, ut pœnitentes audiant, multominus ut intelligant verba absolutionis (2).

(1) Neque obstat, quod sententia in foro contentioso contra absentem valeat: judicium forense et sacramentale non undequaque comparari possunt, cum unum sit primario ad reconciliationem, aliud ad punitionem; in uno tantum audiatur reus, non in alio. — *V.* Guillois, *Le dogme de la Confession*, cap. 6. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 429.

(2) Hinc 1 absolvendus ille qui e tecto ruit, in flumen cadit, in mare submergitur, saltem si non procul a Confessario distet; 2 si Confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit cubiculum infirmi ingredi, illum ex janua absolvere debet; 3 si pœnitens recederet a Confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam. Ait Sporer: recte fecit Sacerdos qui—

Imo sapienter consultum est, ut in præsentia aliorum pœnitentium verba illa Confessarius submisse pronuntiet, ne, siquis dimittatur sine absolutione, alii id percipere valeant.

Q. 3. *Quanta est absolutionis virtus et efficacia?*

R. Cum in protestantium doctrina sola fides peccata dimittat, ideo juxta ipsos absolutio sacramentalis est mera cæremonia, quæ fidem excitat, et peccata remissa esse declarat. Verum de fide est Sacerdotem absolutionis verba pronuntiantem peccata vere et proprie remittere auctoritate sibi divinitus tradita. Id constat:—1 illis Christi verbis: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (1): quæ sensu obvio significant veram potestatem remittendi peccata Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus collatam. Aliud sane est dicere: *quorum declaraveritis peccata esse remissa;* et aliud dicere: *quorum remiseritis peccata.* Id firmatur ex metaphora clavium, qua usus est Christus in hac tribuenda potestate; nam claves traduntur ad aperiendum et claudendum, non vero ad declarandum ostium esse apertum, vel clausum;—2 ex Ss. Patribus: *corporis lepram purgare,* unus audiatur Chrysostomus, *imo potius nullatenus purgare, sed purgatam probare, tantum Judæorum Sacerdotibus licebat. Hi vero* (Sacerdotes novæ Legis) *non lepram corporis, sed immunditiam animæ non purgatam probandi, sed prorsus purgandi, potestatem acceperunt* (2). Hinc Trideutinum: *siquis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem; sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, peccata esse remissa confitenti, modo tantum credat se esse absolutum... anathema sit* (3). Ex quo patet Sacerdotes non esse simplices executores, ut sunt judices sæculi, quorum tantum est declarare aliquem esse reum vel innocentem respectu legis, sed judices esse auctoritate suprema præditos, quos scilicet Christus *suos vicarios tamquam judices et præsides* constituit, ut ait Tridentinum.

Q. 4. *An pœnitens possit esse certus de obtenta remissione?*

Utique de certitudine *fidei* certus esse non potest pœnitens de obtenta remissione; nam certitudo fidei, cui non potest subesse falsum, non habetur nisi per divinam revelationem; et hoc sensu præcipue accipienda sunt, quæ objiciuntur testimonia. At potest certus esse certitudine *morali* seu *conjecturali,* quantum videlicet satis est ad conjiciendum se habere gratiam, interrogando testimonium conscientiæ suæ. Ipse Apostolus ad testimonium

dam oblitus absolutionem dare pœnitenti, postea intra Sacrum eumdem communicaturus, opportune recordatus, dum porrigit Hostiam secreto dixit prius: *ego te absolvo a peccatis tuis* etc., et mox *Corpus Domini* etc.

(1) Jo. 20; Matth. 18; Jo. 20. — Et sane Pharisæi non murmurassent audientes Christum paralytico dicentem: *remittuntur tibi peccata tua*, si per hæc verba intellexissent meram peccatorum jam remissorum declarationem; cum id non ignorarent factum jampridem erga Davidem a Natan. (2) L. III *de Sacerd.*

(3) *Sess.* 14, *can.* 9. Esto quod peccatores absolvi non possint, nisi prius divina gratia excitati vivere incipiant per displicentiam peccati, propositum emendationis et conversionis desiderium; at vitam perfectam nonnisi per absolutionem obtinent. Hinc patet distingui duplicem vitam, inchoatam unam per gratiam excitantem, perfectam aliam per gratiam sanctificantem, quæ quidem absolutione tribuitur. *Cum audis*, ait Augustinus, *hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est.* (Serm. II in Ps. 101). — *V.* Liguori, *Opera Dogmat.* ecc.

conscientiæ appellat, cum ait: *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat* (1). Iterum cum dicit: *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei... conversati sumus in hoc mundo* (2). Eodem in sensu ait Joannes: *carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* (3). Hinc Basilius quærenti, quomodo quis persuasus esse possit, quod Deus ei peccata dimiserit, responderet (4): *nimirum si affectionem in se anima senserit similem illius, qui dicebat: iniquitatem odio habui... tunc sine dubio credat, se esse liberum a peccato (H)* (5).

Si ita est, cur illud : *nihil... mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (6)? Cur illud : *de propitiato peccato noli esse sine metu* (7)?

R. Ad 1: Apostolus non negat allatis verbis se esse justificatum; sed docet tantum justificationem suam non inniti huic conscientiæ suæ testimonio uti causæ efficienti justificationis; cum hanc non operetur conscientia, bene vero gratia Dei. Et ideo non dicit simpliciter: *sed non justificatus sum;* verum: *sed non in hoc justificatus sum:* id est *non sum ego justificatus in testimonio conscientiæ meæ, sed in sola gratia D. N. J. C.* Celebris Martini dictum oraculum alio modo explicat nempe de certitudine fidei, cui falsum subesse non potest. Unde contra nos non concludit.

R. Ad 2: *De propitiato peccato noli esse sine metu:* id accipiendum non quasi debeas de remissione dubitare; sed quia non debes esse sine metu, ne in idem relabaris. Si aliter textus acciperetur, contineret sensum contradictorium: diceret nempe peccatum *propitiatum* simul et non *propitiatum*, id est *remissum* simul et *non remissum*, quod esse non potest (8).

ARTICULUS UNICUS—De absolutione concedenda, neganda, differenda (9).

Q. 1. *Quibusnam concedenda est absolutio?*

R. Concedenda est absolutio generatim loquendo pœnitentibus bene dispositis; isti enim statim ac vere contriti sunt et integre confessi, sibi acquirunt verum jus ad absolutionem. Id exigit ipsa ratio judicii reconciliativi, vi cujus judex, audita causa, debet judicare et absolvere reum, quem invenit absolutione dignum : id exigit etiam pactum quoddam implicitum inter Con-

(1) I Cor. 11. (2) II Cor. 1. (3) Ep. 1, c. 3.

(4) *Reg. brev.* Disp. interr. 296. Imo eximius Suarez docet, tantam esse posse in pœnitente certitudinem hanc, *ut regulariter et moraliter excludat actualem formidinem.* Imo addit: *valde probabile censeo posse aliquem justum ad illum statum virtutis ascendere, in quo non minus certo credat remissa esse sibi peccata actualia, quam originale.* (De Gratia l. IV, c. 9). — *V.* Liguori, *Opera Dogmatica* sess. v, nn. 49 et seqq. (5) *V.* Dogmatici ubi *de justificatione.*

(6) I Cor. 4. (7) Eccli. 5. (8) *V. Tesori di confidenza*, p. 2.ª c. 2.

(9) Ad rem *Stapf*, § 621 : « Maxime optandum est, ut omnes Confessarii in deneganda vel differenda absolutione iisdem principiis insistant, ne quod alter colligit, alter dispergat. B. Leonardus a Portu Mauritio exemplum communitatis affert, quæ blasphemiis valde assueta, brevi tempore ab hoc vitio sanata fuit, postquam omnes ibidem et in confinibus Sacerdotes inter se convenerant, se tamdiu nullum blasphemum absoluturos, donec sufficientia emendationis signa præbuisset. Quid si etiam nostro tempore, cum alicubi certum vitium ingravescit, Sacerdotes tale inter se fœdus inirent? Id quod in conferentiis Sacerdotalibus facillime fieri posset. »

fessarium et pœnitentem. Adde: negando absolutionem bene disposito, ipsum Confessarius sine justa causa exponeret periculo remanendi in peccato mortali; cum incertum semper sit, an elicuerit contritionem perfectam: item ipsum fraudaret magno bono, ac exponeret relabendi periculo.

Diximus *generatim loquendo;* nam certum et commune est, quod Confessarius differre possit absolutionem etiam disposito, imo et eam postulanti, si prudenter judicet dilationem futuram utilem ejus emendationi. Confessarius non solum est judex, sed etiam medicus et pater: atque ideo ut talis bene potest, imo debet absolutionem differre, quando existimat id pœnitenti profuturum.

Quænam (quæres) *in Confessario requiritur certitudo circa pœnitentium dispositiones ad absolutionem impertiendam?*—Cum materia in hoc Sacramento sit moralis, posita nempe in actibus pœnitentis, sufficit idcirco in Confessario certitudo moralis seu judicium prudens; innixum videlicet motivo gravi, licet adsit aliqua de indispositione suspicio, alioquin vix ullus posset absolvi; nam quæcumque signa in hac re non præbent certitudinem omnino infallibilem (1): *non oportet*, inquit Angelicus, *quod omnis mensura sit omnino infallibilis; sed secundum quod est possibile in genere suo* (2). Quod congruit cum Catechismo romano: *si audita Confessione, judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Porro signa ordinaria sufficientis dispositionis sunt: 1 si pœnitens candide et humiliter confiteatur; 2 si asserat corde se dolere de peccatis et firmum habere propositum non peccandi de cætero cum Dei gratia; 4 si omnia peccata etiam majora et turpia sincere declaret; 3 si ex aliquo pio motivo ad Confessionem libere accesserit, et maxime si ex desiderio conversionis, jam a peccato cessaverit.

Præstatne (addes) *toties absolvere devotos, quoties confitentur?*—Curandum ut personæ devotæ semel aut bis in hebdomada absolvantur, ut sic robur acquirant ad alacriter in perfectione progrediendum. Sunt autem pii Confessarii, qui illis benedictionem dumtaxat impertiuntur cunctis vicibus, quibus confitentur per hebdomadam; eas nihilominus ad Communionem admittentes, si videant ipsas naturales potius defectus, quam venialia peccata declarare. Alii tamen non minus pii eas semper absolvunt; modo peccata certa vitæ anteactæ saltem in genere confiteantur, ne Sacramentum frustretur (3).

Q. 2. *Quibus absolutio deneganda est?*

R. Sicuti absolutio concedenda est dispositis, ita neganda est indispositis, contraria ratione. Habentur autem præcipue uti indispositi: 1 qui nulla dant signa doloris, vel nolunt uti remediis necessariis ad emendationem; 2 qui

(1) «Hinc (ait S. Alphonsus, *Opus Mor.* l. VI, n. 461) auctor *Istruzione pei novelli Confessori* (p. 1, c. 15, n. 360) cum Esparz sic loquitur: «De aquí deducimos nosotros la conclusion, que es como la clave de toda esta materia, que, para administrar el Sacramento de la Penitencia, basta formar un juicio prudentemente probable de la disposicion del penitente. Por lo que, si las circunstancias no autorizan una duda prudente sobre su buena disposicion, el Confesor no debe inquietarse á sí mismo ni al penitente, para adquirir la evidencia, que no puede adquirirse.»

(2) 1, 2, q. 19, a. 3.

(3) Quoad *devotorum* directionem vid. infra in Adnotationibus.

acceptam injuriam condonare nolunt, nec odia et inimicitias deponere, juxta illud: *si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (1); 3 qui rem alienam, vel honorem aut famam læsam, quum valent restituere, recusant, clamante Augustino: *non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum* (2); 4 genitores et domini, qui filios et servos vitiis deditos corrigere negligunt, dicente Apostolo: *siquis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (3); 5 qui versantur in occasione proxima peccandi, quam possunt et nolunt dimittere, aut qui aliis occasionem illam præbent; 6 qui ignorant res scitu necessarias necessitate medii ad salutem, ut patet ex propositione sub. n. 64 ab Innocentio XI damnata (4).

Sed (quæres) *an possit denegari absolutio pœnitenti, qui suam vult sequi sententiam; cum tamen opposita Confessario videatur probabilior imo sola probabilis?*—Distinguendum est: vel agitur de opinione, quæ directe versatur circa pœnitentis dispositiones, v. g. an pœnitens sincere doleat, an proponat Deum non amplius offendere, an credat se tuta conscientia suam opinionem sequi. Vel agitur de aliis opinionibus, quæ directe versantur circa ea, quæ a pœnitente aliunde agenda sunt, aut vitanda.—Si 1, Confessarius pœnitentem non debet absolvere; nam eo in casu pœnitens tenetur stare judicio sui Confessarii, cum Confessarius ideo sit constitutus judex, ut nempe de pœnitentis dispositionibus judicet. Si 2, communis et sequenda sententia quam contra Concinam, Fagnanum et Gonzalez tuentur vel ipsi rigidiores, ut Cabussutius, Pontas, Victoria et Alasia (cujus tamen exempla non probamus), aliique passim: hæc, inquam, sententia tradit prudentem Confessarium non solum posse, sed etiam teneri talem pœnitentem absolvere. Sane quando pœnitens, facta Confessione, bene dispositus est per cordis dolorem ac propositi firmitatem, jam habet strictum jus ad absolutionem (5). Et Confessarius si eamdem denegaret, gravem ipsi faceret injuriam (saltem si Confessio facta fuerit de materia gravi); tum quia privaret eum gratia Sacramentali; tum quia eum obligaret ad gravissimum onus subeundum, nempe ad repetenda sua peccata penes alium Confessarium.

Neque dicas: *pœnitentem non bene esse dispositum, si non vult sequi opinionem sui Confessarii.*—Nam Confessarius non est judex opinionum, quas pœnitens sequi tenetur, sed dispositionis. Atqui hæc pœnitentis dispositio ex Tridentino non consistit, nisi in habendo *verum dolorem* de peccatis confessis, et *firmam voluntatem* non peccandi de cætero: quæ duo esse possunt etiam cum dicta opinionum discrepantia. Deinde si res ita non esset, quot inconvenientia! Supponamus quod quis pecuniam simoniace acceperit: iste secundum aliquos pretium acceptum tenetur restituere ei qui dedit, secundum alios Ecclesiæ vel pauperibus. Si porro contingeret, ut ipse ad duos accederet Confessarios, quorum unus uti probabiliorem habeat sententiam primam, alter secundam: quærimus hic cuinam pœnitens obtemperare deberet, si ex hypothesi teneretur judicio Confessarii sui se conformare? et si

(1) Matth. 6.
(2) Epist. 153, al. 54 ad Maced.
(3) I Tim. 5.
(4) Quomodo autem isti dirigendi, diximus *De fide.*
(5) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 604.—Gousset, *Giustificazione* etc.

forte jam paruerit primo, et dein confiteatur secundo, debebitne bis restituere? Ergo Confessarius in allata facti specie permittere debet, ut pœnitens propriam teneat opinionem, quotiescumque sibi ex illa efformet conscientiam de honestate actionis (1). Adde: contrario admisso, probabilistæ semper essent dimittendi inabsoluti, quoties penes probabilioristas confiterentur, licet essent docti ac sancti; neque posset absolvi S. Antoninus, neque S. Bonaventura, neque S. Alphonsus, cujus tamen opiniones iteratis decretis esse sine ulla censura declaratum habemus, adeo ut quis eas tuto sequi possit ac profiteri (2).—Excipe, nisi opinio pœnitentis sit omnino et evidenter falsa: qua tamen in re ne etiam hallucinetur Confessarius; non enim opinio esset in se evidenter falsa, si eam graves Theologi tueantur, esto quod illi nullimode placeat (3).

Q. 3. *Quibus absolutio differenda est?*

R. Generale principium est in Scholis, quod absolutio differri debeat iis, quorum dispositio est dubia, vel quibus ea dilatio prudenter censetur profutura. Hinc etiam illis, qui venialia tantum habent, cum nulla apparet emendatio: et hoc magis si venialia proximius ad mortale disponant, ut sunt quædam affectiunculæ sensibiles, certa nimia tenacitas in proprio sensu, quotidianæ intemperantiæ, etc.: quod de illis pœnitentibus maxime currit, qui ratione proprii status studere debent perfectioni, ut sunt Ecclesiastici, Religiosi ac Moniales.—Hæc generatim; præcipue autem absolutio iis est differenda: 1 qui negligunt discere necessaria etiam necessitate præcepti, vel ea a filiis aut domesticis ignorari patiuntur: item qui in iis addiscendis quæ sunt sui officii ac professionis, continuam exhibent negligentiam: 2 qui solent parum curare conditiones ad Confessionem requisitas, v. g. non bene se ipsos examinando, neque se recollendo, aut sine nulla fere displicentia

(1) Id satis innuit ipse Benedictus XIV, Bulla *Sollicita* an. 1753, ad § 17. — « Habiendo vacado una parroquia (ita Tannoja, *in vita S. Alphonsi*, l. III, c. 31), se presentó al concurso, entre otros, el sacerdote Diodato; el cual, siguiendo á los autores contrarios al sistema móral de Monseñor, fué escluido por los examinadores. Habiendo Monseñor leido el concurso, estrañó semejante reprobacion, y dijo á los examinadores: *los autores, cuya doctrina ha seguido, son, sin embargo, clásicos y aprobados.* Habiendo estos replicado, que la respuesta no era conforme á su Teología Moral, repuso san Liguorio: *yo no soy hombre que dicte leyes; y en materia de opiniones, cuando la Iglesia no las ha condenado, cada uno es libre de sostener la suya.* Habiendo tomado el partido de Diodato, obtuvo este el *magis dignus* para la provision de la parroquia. »

(2) Hisce decretis adductis, sic concludit cl. P. Perrone *Tract. de pœnit.* in fine: « quare non admodum eorum obtemperantia mihi videtur commendanda, qui adhuc pergunt tamquam minus tutam insectari doctrinam sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Liguori. » V. aureum Opusculum *Riflessioni sopra l' esimia santità e dottrina del B. Alfonso Maria de' Liguori.* Reggio 1825. — Et Tractat. *De conscientia* in fine.

(3) Ad rem auctor libri, *Il Sacerdote santificato*, *lett.* 1 scribit: « ¿La Iglesia sabe muy bien la diversidad de opiniones y, sin embargo, calla; y yo, confesor privado, decidiré, y me haré juez de los Doctores hasta pretender que todos los contrarios hayan errado, y que mi parecer haya de prevalecer hasta el punto de imponer una obligacion grave y cierta? ¡esto no puede componerse con el concepto bajo, que por cristiana y racional humildad debo tener de mí, y de mis sentimientos, y con el aprecio y respeto que debo tener á autores tan piadosos y tan doctos que sienten lo contrario! Puedo muy bien decir: *me satisface mas tal sentencia;* podré sugerirla además por via de consejo ó de ser lo mejor; pero hacer de la misma una obligacion hasta el punto de negar la absolucion al que quiera practicár lo contrario, esto jamás. »

Confessionem exsolvendo; 3 qui versantur in occasione proxima, et dicuntur *occasionarii;* item qui in easdem culpas post Confessionem relapsi sunt, et sunt *recidivi:* isti siquidem ex S. Alphonso nostro, *sunt duo magni scopuli, in quos major Confessariorum pars impetunt et deficiunt* (1).

§. 1.—*De occasionariis.*

Q. 1. *Quid est peccati occasio et quotuplex?*

R. Peccati occasio est *objectum qualecumque extrinsecum, in quo peccandi periculum contineatur*. Dicitur: *extrinsecum,* idest existens extra ipsam hominis personam, ad distinctionem mali habitus et pravæ consuetudinis hominem ad peccatum pertrahentis, quæ in ipso pœnitentis animo latet: et dicitur peccati occasio *intrinseca.*

Duplex autem est peccati occasio: alia *remota,* alia *proxima.* Utraque vero subdividitur in *necessariam* et in *voluntariam.*

1. Occasio *remota* ea est, in qua constituti homines, ut plurimum, non peccant, et quæ non affert peccandi periculum. Hanc non tenemur effugere; alioquin deberemus omnes de mundo exire, cum laqueis undique sit plenus, ut legitur in Scripturis (2).

2. Occasio *proxima* e contrario illa est, in qua constituti homines ut plurimum peccare solent: unde ad hanc occasionem constituendam non est necesse, ut homo in eam fere semper labatur; sed sufficit, ut labatur frequenter. Hæc autem vel talis est *per se,* et *ex natura sua,* vel talis est *per accidens* et *respective:* insuper vel *præsens est,* et (sicut loquuntur) *in esse,* vel *absens* et *non in esse.* Occasio proxima *per se* est illa, in qua, inspecta communi hominum fragilitate, omnes, ut plurimum, peccant. Occasio proxima *per accidens* et *respective* ea est, quæ licet non sit apta de se ad homines communiter inducendos in peccatum: tamen relate ad talem personam est aptissima, vel quia in tali occasione frequenter jam cecidit, vel quia, considerata præterita ejusdem fragilitate, prudenter prævideri et timeri potest ipsius relapsus (3). — Occasio proxima, quæ dicitur *præsens* et *in esse,* est quam homo semper aut fere semper secum habet, quin eam actu quærat: ut siquis domi suæ teneret concubinam. *Absens* vero et *non in esse* est quam homo non semper secum habet, sed eam debet inquirere: ut siquis cauponam ingrediatur, ubi solet inebriari, vel ubi frequenter inebriatur. Item est de illo, qui in ludo frequenter labitur in blasphemias vel fraudes; item de illo qui semper cum tali muliere peccat, quoties accedit illius in domum, etsi semel in anno accederet.

3. Occasio *voluntaria* vel *libera* ea est, quæ pendet a voluntate et facile dimitti potest sine incommodo saltem gravissimo.

4. Occasio denique *necessaria* vel talis est *physice,* quæ scilicet nullo modo pendet a voluntate, ut deseratur: v. g. siquis carcere inclusus sit unacum muliere flagitiosa. Vel talis est *moraliter,* quæ nempe absolute quidem lo-

(1) *Homo Ap.* tr. ult. n. 1; et *Opus Mor.* l. VI, n. 606. (2) Sap. 14.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 452. — Careno, *Delle regole.* Es. VIII et IX. — Bolgeni, *Dissert. sulle occasioni.*

quendo pendet ab hominis voluntate, sed deseri non potest sine peccato vel sine gravi damno temporali, uti esset militia respectu militis, qui frequenter in ea peccat, sed abeundi licentia ei recusatur: iste nempe non potest eam deserere vel sine peccato inobedientiæ, vel sine damno gravissimo sui status, bonorum, etc. Idem est de filiis, qui deserere nequeunt domum paternam, ubi in aliqua proxima occasione versantur. Idem de collegialiter viventibus, qui consocium habent eos vehementer ad turpia impellentem.

Q. 2. *An possit absolvi qui est in occasione proxima voluntaria?*

R. Certum est absolutionem esse denegandam ei, qui monitus non vult occasionem proximam voluntariam dimittere; quia diris devota fuit hæc sub n. 61 propositio ab Innocentio XI: *potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere; quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Neque enim concipi potest, quomodo quis velit efficaciter finem, negligendo voluntarie media ad ipsum. Ad rem D. Bernardus: *indicium veræ compunctionis est substractio occasionis* (1). Et hoc certum est, quamvis *causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrat:* et quamvis quis eam vellet *quærere directe pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.* Neque enim sub quacumque specie boni licet malum morale amare, velle, aut ejus periculum ultro quærere (2). Pariter non possunt absolvi qui licet in occasione non peccent, aliis tamen scandalum præbent occasionem non deserendo; quia uniusquisque lege charitatis tenetur a proximo suo offendiculum avertere (3).

Quid de eo, qui nondum occasionem proximam voluntariam dimiserit, sed sincero animo eam dimittere promittit: poteritne prima aut secunda vice absolvi? — Distinguendum cum S. Carolo: vel agitur de occasione absenti et non in esse; vel de presenti et in esse.

Si 1, potest pœnitens, antequam experimento probet se cavere ab illa occasione, utique absolvi (sed non ultra bis aut ter). Ratio est, quia ex una parte pœnitens firmiter proponens se cauturum ab occasione, jam est dispositus: ex altera vero parte occasio, quæ absens est, non tantum difficultatis

(1) Ser. 1, in Pasc.

(2) Damnatæ propositiones sunt: ab Innocentio XI, n. 62: *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* N. 63: *licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Ab Alexandro VII, n. 41: *non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo (est vox hispanica, quæ indicat dulcedinem, et oblectamentum maxime in cibis sumendis); *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.*

(3) Addunt Croix et Continuator Tournely cum Cabassutio (ita Liguori), quod cum occasio externa conjungitur cum passione aut tentatione vehementi, vel habitu vitioso vel forti tentatione, peccat qui eam non relinquit; etsi necdum cesserit tentationi; quia raro accidet quod talis se continebit, si ab occasione non separetur: unde ait Continuator Tournely, quod ancilla vivide sollicitata ab hero tenetur ab illius domo discedere; qui enim libere commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter sperare victoriam tentationis, nisi auxiliis gratiæ extraordinariis, quæ sperari sine temeritate nequeunt ab eo, qui libere periculum vitare potest et non vitat. Hæc tamen intelligenda sunt, si hujusmodi persona sit fragilis et parum devota; nam si esset pietati dedita et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non illico obstringerem ad occasionem auferendam. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 452.

habet, ut ab ea nos abstineamus; cum ejus inquisitio positivum ac industrium actum importet. Si 2, pœnitens nisi prius occasionem reliquerit, ne prima quidem vice est absolvendus, quascumque faciat promissiones. Idque omnino tenendum, saltem ordinarie loquendo: ratio potior est, quia ablatio occasionis hujusmodi est res omnino ardua; cum enim ea sit *in esse*, et statim pœnitens eam invisere debeat, nonnisi per magnam violentiam ei resistere valebit ob suam propensionem. Porro hanc vim difficulter sibi infert qui jam est absolutus, dum ablato timore sine absolutione remanendi, de facili sibi suadebit, quod tentationi resistet: sicque occasione non dimissa, profecto redibit ad vomitum, prout quotidie experimento probatur. Et hoc maxime currit, si sermo sit de vitio turpi; ita enim occasionarii mentem solet excæcare hoc vitium, ut omnia bona proposita ab ejus mente prorsus ejiciat.

Diximus *saltem ordinarie loquendo;* nam excipiendum est:—1 si agitur de moribundo, cui non possit differri absolutio expectando, ut prius occasionem dimittat;—2 si agitur de pœnitente, qui instructionis defectu numquam adverterit ad occasionem periculosam, neque ad obligationem eam deserendi: si aliunde sit dispositus, ipse credi potest et una vice absolvi, antequam occasionem deserat, ut ait Billuart;—3 quando pœnitens affert signa extraordinaria doloris; nam hæc indicant pœnitentem donatum uberiori gratia, qua merito speratur, quod in removenda occasione constantior erit. Si tamen potest commode differri absolutio, adhuc differrem usque dum sit ablata occasio, ait S. Alphonsus; quia funiculus occasionis difficile rumpitur;—4 quando pœnitens non amplius posset ad Confessarium redire, vel nonnisi post longum tempus, vel nonnisi per longissimum iter: tunc bene potest absolvi, si censeatur dispositus per propositum statim removendi occasionem; quoniam eo in casu periculum frangendi propositum remotum reputari potest, causa magni oneris, quod pœnitens deberet pati, aut abscedendi sine absolutione, aut repetendi Confessionem apud aliud Sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti: quapropter cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, habet jus, ut statim absolvatur; dum enim hic non potest ante absolutionem, occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Sed hoc nec etiam est admittendum, si pœnitens jam ab alio Confessario fuerit admonitus; quia tunc haberetur uti recidivus (1).

An (quæres) *possit absolvi se exponens probabili peccandi periculo, id est periculosæ occasioni, in qua videtur esse tam fere probabile, quod peccabit, quam quod non peccabit se exponens?* — Negativa sententia tenenda est omnino, nisi adsit necessitas; nam etiamsi tam probabile sit, quod pœnitens iste in actu peccabit, quam quod non peccabit; periculum tamen proximum peccandi certum est et formale: sed omne periculum, cum potest, fugiendum est. Consentit Angelicus qui habet: *infirmi in fide, de quorum salute probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione* (2): unde in Confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit; quia eodem genere peccati peccavit. — Diximus *nisi adsit necessitas;* nam ubi

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. ult. n. 5. (2) 2, 2, q. 10, a. 9.

justa adest causa, non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter prævideatur lapsus in peccatum (ut esset maxime, siquis in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit et spes non effulgeat emendationis). Et sane Scriptura non dicit *qui est in periculo,* sed *qui amat periculum in illo peribit* (1): sic excusantur chirurgi, qui periculo se exponunt in medendis fœminis, cum aliquoties in præteritum ob talem occasionem jam lapsi fuerint; sic Parochi qui in excipiendis Confessionibus eamdem miseriam fuerint experti; sic etiam excusantur alii qui proprium officium, puta curialis, militis, cauponis, aut mercatoris, non possunt deserere sine gravi detrimento (2).

Ratio quia periculum de se proximum tunc fit remotum ratione circumstantiæ necessitatis et ratione simul mediorum præcaventium, quæ persona proponit (ut tenetur) adhibere, nempe diligenter avertendo animum a delectatione turpi vel ab alia passione: et insuper se muniendo piis cogitationibus, orationibus ac Sacramentorum frequentia. Quæ utique media, licet non sufficiant ad excusandum, ubi non adest justa causa, eo quod Deus non adjuvat temere se periculo exponentes; bene tamen opem suam præstat ei qui ex justa causa occasionem non deserit, dum is eo casu non ex affectu ad peccatum, sed ex quadam necessitate in illa occasione permanet.

Q. 3. *Quid de iis, qui sunt in proxima occasione necessaria?*

R. Cum occasio proxima peccati est necessaria, speculative loquendo, poterit absolvi pœnitens qui in ea versatur. Docent enim communiter et probabilissime cum D. Basilio, Anacleto, Concina, Laymano, Lugo, Holzman, Sanchez, Sporer, Viva, etc., eum minime teneri occasionem hanc derelinquere, si grave passurus sit damnum, modo tamen paratus interim sit uti mediis ad peccatum evitandum præscriptis: quæ sunt *major oratio, frequentior usus Sacramentorum, quotidiana ante Crucifixum renovatio promissionis de non amplius peccando, mente sibi fovere præsentiam Dei, fugere, quoad potest ab aspectu et societate complicis,* etc. Sane occasio peccandi non voluntaria neque est peccatum in se, neque affert necessitatem peccandi: ideo potest conciliari cum vera detestatione peccatorum et firmo proposito non peccandi de cætero.

Diximus *speculative loquendo;* nam in praxi omnes conveniunt longe magis expedire, imo nos dicimus Confessarium teneri ad differendam absolutionem, præsertim si occasio sit de materia turpi, et talis dilatio commode locum habere possit; nam qui experientia docti sunt, aperte testantur pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligere medici præscripta, et sic facillime relabi. E converso vigilantius satagunt, ut remedia exequantur, atque tentationibus obsistant, quando absolutione privantur, timentes ne secus rursus id sibi eveniat. *Forte in hoc quis me nimium rigidum reputabit,* verba sunt Alphonsi nostri, *sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis, qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac*

(1) Eccli. 3.

(2) Hæc occasio a nonnullis *propinqua* dicitur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 63; l. VI, n. 453.

mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi: et sic censeo multo magis prodesse pœnitentium saluti. Utinam et omnes Confessarii sic etiam se gererent: oh quot peccata evitarentur, et quot aliæ salvarentur animæ! —Idque magis tenet, si sermo sit de pœnitente in occasione necessaria, qui, licet adhibuerit remedia opportuna, semper eodem modo relapsus est, et modica superest spes emendationis. Iste nempe non poterit absolvi, nisi occasionem deserat, etiamsi occurrat ipsa quoque jactura vitæ; nam esto quod ob justam causam possit permitti peccati periculum, numquam tamen ipsum peccatum formale: at cum nulla apparet spes emendationis, periculum et peccatum fiunt quid unum. Unde eo in casu *quidquid tandem evenire debeat*, ait S. Carolus, *deneganda prorsus est absolutio;* tunc enim urget illud Christi: *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te* (1).

§ II.—*De consuetudinariis seu habituatis ac recidivis.*

Q. 1. *Quis est consuetudinarius seu habituatus* (2)?

R. Consuetudinarius seu habituatus in peccato, nuncupatur *qui frequenter lapsus est in ejusdem generis peccata; de quibus nondum fuit confessus.* Pravus hic habitus, qui dicitur etiam *occasio proxima peccandi intrinseca*, ut dicatur constitui, sufficiunt quinque lapsus in mense, si sermo sit de peccato externo, et inter unum et alterum intercedat aliquod intervallum. Sed in peccatis luxuriæ multo minor numerus potest habitum constituere: v. g. qui semel in mense fornicatur per annum, merito *habituatus* appellari potest.

Habituato bene potest concedi absolutio, quamvis nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat et velit serio laborare, ut consuetudinem vincat, ut docent communissime: nam pœnitens præsumitur dispositus, cum sponte ad Confessionem veniat; hæc spontanea Confessio est signum contritionis, nisi obstet positiva præsumptio in contrarium; quis enim neget dolorem manifestari per Confessionem? Excipitur tamen: 1 si habitus sit valde radicatus; tunc enim poterit Confessarius differre absolutionem, si aliud non obstet, tum ut experiatur quomodo pœnitens remedia exequatur, tum ut ipse pœnitens de suo vitio majorem horrorem concipiat;—2 et maxime si habituatus in peccato gravi sit Clericus, qui brevi vult ad sacros Ordines promoveri, ratione nempe positivæ sanctitatis, quæ illi nunc deest; sed necessario prærequiritur actu ad sublimem, sanctum ac perpetuum illum statum capessendum. Vel ipsa experientia docet, hac in re difficilem se exhibere idem esse ac causam tueri tum Ecclesiæ, tum fidelium, tum ipsius habituati. Hic nulla cautela satis, si expertis credere est (3).

Dices: *contra habituatum stat positiva præsumptio in contrarium, in ipso nempe pravo habitu et mala peccandi consuetudine.*—Sed falsum est; licet enim hæc reddant peccatorem propensiorem ad culpam; nullam tamen exhibent hic et nunc præsumptionem malæ voluntatis, cum nullus habeatur post absolutionem relapsus (4).

(1) Matth. 5. — *V.* Liguori. *Praxis Confess.* c. 4. — Stapf, *Theol. Mor.* § 128.
(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 459; et *Homo Apost.* tr. ult. n. 8.
(3) *V.* dicta fusius tom. I *De oblig. Clericorum*, cap. 2, art. 2, § 5, quæst, ultima.
(4) *V.* Liguori, *Praxis Confess.* c. 5. — Salvatori, *Istruzione* ecc. par. 2ª.

Q. 2. *Quisnam dicitur recidivus, et quid de eo?*

R. Recidivus est ille, *qui post Confessionem in easdem culpas eodem, vel fere eodem modo relapsus est.* Differt ab habituato, quia hic confitetur prima vice peccata sua; ideoque ignoratur, utrum postea relapsurus sit, an non. Porro sententia communis, quam sequimur cum Anacleto, Bonacina, Laymano, Lugo, Petrocorensi, Sanchez, Sporer, Suarez, Viva et aliis docet, quod recidivus rediens cum iisdem peccatis, quæ in aliis Confessionibus deposuerat, *nec potest nec debet absolvi generatim loquendo, nisi simul afferat signa extraordinaria suæ dispositionis.*

1. Recidivus *nec potest nec debet absolvi, si cum iisdem peccatis reddet:* est contra Sancium atque Silvestrum. Constat ex damnatione hujus sub n. 60 propositionis ab Innocentio XI: *pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponat emendationem.* Sane quando pœnitens jam in alia Confessione admonitus eodem fere modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex remediis præscriptis, adest profecto præsumptio, quod rite dispositus non sit: *ille pœnitentiam digne agit,* inquit S. Isidorus, *qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat* (1);—2 diximus *generatim loquendo;* nam recidivus etiam sola contritionis signa ordinaria præbens per se absolvi potest: imo generatim debet, quoties absolutio differri omnino non potest, ut cum agitur de moribundo, qui est adjuvandus omni modo;—3 recidivus *potest absolvi, si extraordinaria signa, quæ solida sint ac fundata, exhibeat:* est contra Genetum ac Merbesium; nam relapsus anteactus, quamvis videatur præbere etiam pro præsenti præsumptionem indispositionis, non est tamen argumentum omnino certum; quia contingere potest, quod pœnitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus relapsus sit. Quare quoties præbet signa extraordinaria doloris, toties præsumptio de indispositione cedit, cum ex adagio: *præsumptio cedat veritati;* et Confessarius tunc poterit prudenter judicare pœnitentem bene dispositum, cum eum videat uberiori gratia donatum, qua nempe fit constantior. Neque dicendum, solam temporis probationem esse signum mutatæ voluntatis; nam hæc mutatio tota pendet a gratia divina, quæ non indiget tempore. Unde ajebat Chrysostomus: *temporis moram non quære, sed animæ correctionem; hoc itaque fac, ut demonstres sintne compuncti* (2). Et hæc semper fuit agendi ratio sanctorum Xaverii, Nerii, Avellini, B. Leonardi, etc.

Quænam autem sint signa extraordinaria, sequentia assignant Auctores non solum valde eruditi et pii; sed etiam experientia edocti, ut sunt Anacletus, Croix, Layman, Lohoner, Lugo, Mazzotta, Milant, Salmanticenses, Segneri, Sporer, Wigandt, aliique plures et passim cum S. Alphonso nostro (3).

(1) L. II sent. c. 16. — Quare nobis non arridet eorum doctrina, qui volunt recidivum redeuntem cum signis tantum ordinariis absolvi posse usque ad quartam vicem, etiamsi eodem modo relapsus sit, et nullum adhibuerit pro emendatione remedium.

(2) Hom. 14 in II ad Cor. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 460.

(3) *V.* Segneri, *Il Confessore istruito*, c. 4. — Andreucci, *Diss. theol.* de recidivis. — Faure *Dubitationes theol. de judicio practico circa recidivos.* — Salvatori, *Riflessioni* ecc. p. 2. — *Riflessioni sulla santità e dottrina del* Liguori. Torino 1839.

1. Major dolor patefactus per lacrymas insolitas, per suspiria, aut per talia verba, quæ ex animi compunctione oriantur: v. g. si effundantur post auditam concionem, vel post monitiones Confessarii præbentis aliquod compunctionis motivum;—2 minor numerus peccatorum, cum pœnitens fuerit in iisdem occasionibus (1). Vel si perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20 aut 25 dies, cum prius pluries in hebdomada prolaberetur. Vel nonnisi post magnum conflictum prolapsus sit;—3 studium adhibitum ad emendationem, et implementum mediorum, quæ præscripta sunt: v. g. jejunia, eleemosynæ, orationes, fuga spontanea occasionum;—4 Confessio spontanea, quæ nempe non oriatur neque ex obligatione præcepti Paschalis; neque ex impulso Superiorum; neque ex usu se confitendi in solemnitatibus: sed a sola voluntate sese reconciliandi cum Deo. Ut esset in illo, qui pro Confessione peragenda notabilem adhiberet conatum, longum iter susciperet, se abstineret a lucro illius diei, magnum conflictum internum vel externum superaret: quod locum habet præsertim in juvenibus et viris, qui et seipsos et timorem humanum vincere debent, ut ad Confessarium accedant;—5 si accedat ad Confessionem ductus motivo extraordinario, v. g. concionis auditæ, mortis amici, vel timore infortunii;—6 si prius confiteatur peccata culpabiliter omissa; vel restituat ablatum; vel reparet famam proximi læsam; vel post peccata significet se ad Confessarii monitionem adeptum fuisse novam cognitionem suæ iniquitatis, aut periculi suæ damnationis.

Cur (dices) *in praxi differenda est absolutio illi, qui versatur in occasione proxima extrinseca, id est occasionario, si ei commode differri possit, quamvis præbeat signa doloris extraordinaria? Ex adverso concedenda est illi, qui versatur in occasione intrinseca, id est recidivo signa illa præbenti?* R. Diversa ratio est: videlicet occasio proxima, sed extrinseca agit in animum pœnitentis per præsentiam objecti, vividiores in eo excitat cogitationes, vehementius movet sensus jam pronos ad peccandum, et affectum reddit in ipsum peccatum intensiorem, ita ut primario in ista consistat pœnitentis fragilitas et peccandi facilitas; igitur illa prius removenda est, quam pœnitens absolvatur, ne velimus relapsum. Remotio autem hujus occasionis præcipue obtinetur per absolutionis suspensionem; ergo pœnitenti existenti in occasione proxima voluntaria, seu occasionario, quamvis præbeat signum extraordinarium, differri debet absolutio usquedum occasio tollatur, si voluntaria sit. Vel usquedum remediis utendo periculum remotum evadat, si ea sit necessaria: ad quod quidem ordinarie non videtur sufficere dilatio 10 vel 15 dierum. E contrario recidivo sufficienter habito disposito per signum aliquod extraordinarium, *ordinarie* non est differenda absolutio; quia nonnisi ex intrinseca voluntatis infirmitate assentitur peccatis, nempe delectationis venereæ, pollutionis, odii vel blasphemiæ in rixa, aut ex pravo habitu; ideoque ejus infirmitas primario in voluntate consistit; at infirmitas voluntatis tollitur per robur quod accipitur per gratiam Sacramenti, quia quo fortior fit voluntas, eo remotius evadit periculum relabendi in pristina peccata. Consonat Rituale R. inquiens: *in peccata facile recidentibus utilissimum fue-*

(1) *Esto debe entenderse de una disminucion notable; porque, en moral* parum pro nihil. Ita Gousset, *Giustificatione della Teol. Mor. di S. Alfonso*, c. 9.

rit consulere, ut sæpe confiteantur; et si expediat, communicent. Consonat D. Thomas scribens: *dicendum quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum* (1).

Diximus *ordinarie;* credimus enim recidivis ex causa intrinseca (licet exhibeant extraordinarium signum) posse aliquando, sed raro absolutionem differri, si nempe illis credatur hoc magis profuturum. Verum hæc dilatio non est admittenda ultra octo vel decem aut ad summum ad quindecim dies; quia periculum est, ut pœnitentes amplius non revertantur. Benedictus XIV, Encyclica *Apostolica,* ait tales pœnitentes, *quantocitius esse invitandos, ut redeant* (2).

SCHOLIUM.—*De absolutione et assistentia præstanda moribundis.*

Q. 1. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum moribundo?*

R. Si moribundus det aliqua pœnitentiæ signa Sacerdoti præsenti, non est dubium, quin sit absolvendus absque ulla conditione. Imo expedit, ut toties absolvatur, quoties præstat hujusmodi signa; adest enim in hoc casu materia sufficiens, uti sunt omnia peccata illius sub ratione generica peccati et offensionis Dei, eamque materiam exhibet infirmus per illa ipsa signa. Adest etiam cognitio causæ meliori modo quo potest, licet non plena.—Si vero infirmus jam sit sensibus destitutus, an sit absolvendus, distinguendum est: vel aliqua doloris signa dedit adstantibus, v. g. postulando confessionem et absolutionem, et adstantes ipsi de hoc testimonium ferre possunt. Vel non dedit, neque unus testis haberi potest:

1. Si dedit signa aliqua, sententia communis ac tenenda cum D. Thoma (3) docet moribundum absolvendum, licet fuerit habituatus in peccatis, et confessus adhuc non sit. Hoc probat Concilium Arausicanum I (4), S. Leo Papa (5), ac demum Rituale R.; per testationem enim factam ab aliis satis sensibilis fit confessio ac bona voluntas (6). Est autem tutius, si tunc absolutio detur sub conditione *si es capax,* ut sic etiam Sacramento consulatur, si fortasse invalidum sit.

2. Si nulla signa dedit, negant moribundum absolvendum esse (ne sub conditione quidem) Abelly, Busembaum, Layman ac Lugo. Sed probabilior,

(1) Suppl. 3. p. q. 25, a. 1.

(2) Concludamus cum Gousset: « En cuanto al modo de apreciar la enmienda de los reincidentes, conviene atender el estado moral del penitente, á las circunstancias en que se encuentra, á la manera con que se cometió el pecado, á la fuerza y frecuencia de las tentaciones, y al número de los recaidos. Por esto se puede juzgar, si las recaidas son efecto de la malicia ó de la fragilidad humana... Debe atenderse tambien la edad del penitente. En igualdad de circunstancias debe usarse mas indulgencia con los jóvenes, porque ellos son naturalmente mas inconstantes, mas volubles y pasan con igual facilidad del bien al mal, y del mal al bien; y principalmente en los puntos donde la fe es débil, hay que temer que el negar la absolucion desanime á los jóvenes á causa de los grandes esfuerzos que deben hacer para vencer el respeto humano, que tiende á alejarles de los santos Sacramentos. » — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 463; *Praxis Conf.* cap. 6; et *Ho. Apost.* tract. ult. nn. 9 et 14.

(3) Opusc. 6 *de Sacr. Unct.*

(4) In can. *Qui recedunt,* Caus. 26, q. 6.

(5) In c. *Is qui* causa 26, q. 6.

(6) Clemens autem VIII damnans Confessionem factam absenti expresse declaravit, se noluisse casum hunc comprehendere, ut testantur Bellarminus, Suarez et Lessius.

et hodie etiam communior sententia cum Billuart, Cardenas, Concina, Croix, Juvenin, Merbesio, Molina, Pontas, etc., contrarium tuetur, quamvis moribundus non ita christiane vixerit. Clare id docet Augustinus: *quæ Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia* (1). Tunc enim prudens adest dubium, quod infirmus vel ante sensuum destitutionem, vel post in aliquo lucido intervallo, advertens damnationis suæ periculum velit et petat absolutionem signis vere sensibilibus, uti sunt suspiria, motus corporis, anxietas respirationis, etc; licet a præsentibus non percipiantur, quod quidem aliquando contigisse narrant (2).—Imo etsi ageretur de eo, qui sensibus destitutus sit in ipso actu peccati, v. g. duelli, furti, grassationis, adulterii, satis probabiliter eum ajunt adhuc esse absolvendum sub conditione, modo constet fuisse catholicum; quia de quolibet potest esse præsumptio, quod si umquam rationis usu donetur, petat meliori quo potest modo Confessionem.

Q. 2. *Quoties moribundo absolutio renovanda est?*

R. Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsan præteritæ Confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non Purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat; sed moneat, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet, si rursus tentatur, benigne ipsum confortet, procuret ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat. —Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur: unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc Sacerdos ex conscientia, quam noverit infirmi, se dirigere debet: nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest: sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen, si jam jam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quærit, aut dum Sacerdos ipsi conferre vult, e. g. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet et similia (*1*).

Ad dignoscendum instans mortis dat indicia *Summula* Raymundi:

His ægrum signis morientem nosce quaternis:
Fronte rubet primo, pedibus frigescit ab imo,
Albescit nasus, dexter lacrymatur ocellus.

(1) L. 1 *de adul conj.* c. 28. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tract. XVI, n. 36; *Opus Mor.* l. VI, n. 480.

(2) In tali ac tanta necessitate hæc signa profecto sufficiunt; cum, dicente eodem Augustino, *Sacramenta sint propter hominem, non homo propter Sacramenta; et satius sit dare nolenti quam negare volenti.* Adde: per appositam conditionem satis reparatur injuria Sacramenti. — *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. XII, c. 15.

CAPUT CUARTUM

DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MINISTRO.

Q. 1. *Quisnam est legitimus Pœnitentiæ minister?*

R. Waldenses et Wiclephitæ Pœnitentiæ ministerium bonis laicis tribuebant: denegabant Sacerdotibus pravis: protestantes autem, maxime lutherani contendunt quemlibet fidelem clavium potestatem accepisse a Domino. Sed: — 1 de fide est solos Sacerdotes esse Pœnitentiæ ministros: Christi enim verba, quibus hæc innititur facultas, ad Solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores pertinere universa antiquitas uno consensu semper agnovit. Hujus veritatis testes sunt omnia latinorum ritualia, omnes græcorum et orientalium liturgiæ. Itemque Patres; S. Ephrem ait: *absque venerando et divino Sacerdotio remissio peccatorum mortalium non conceditur* (1). Et S. Ambrosius: *jus hoc solum permissum Sacerdotibus est* (2). Et sane absurdum est, ut omnes in societate judices sint ac magistratus: porro absolutio actus judicialis est ac supremæ auctoritatis; — 2 de fide item est pravitatem Sacerdotum non officere, quominus ipsi valide absolvant; nam Sacramentorum virtus est ex meritis solius Christi (3). Utrumque porro sic Tridentinum definivit (4): *siquis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum:* quæcumque ligaveritis super terram etc., *anathema sit.*

Quid (dices) *sentiendum de Diaconis?* — Celebris Morinus existimavit etiam Diaconis factam olim fuisse potestatem, ut sacramentaliter absolverent in necessitate, et deficiente Episcopo vel Sacerdote; sed hoc est falsum, et constanti ac universali Ecclesiæ catholicæ consuetudini repugnans. Quod si in vetustis monumentis memoria aliquando recurrat confessionis et absolutionis Diaconorum ministerio peractæ, ea intelligenda sunt non de confessione vel absolutione Sacramentali; sed de mera quadam cæremonia, qua coram ipsis publici pœnitentes testabantur se cursum pœnitentiæ publicæ explevisse, et sic iisdem pax et reconciliatio concedebatur: quod utique in casu necessitatis, et deficiente Episcopo vel Presbytero, etiam per Diaconos effici poterat, adhibita sacra quadam manuum impositione, quæ tamen numquam habita est uti Sacramentalis (5). — Imo et de confessione laicis facta historia narrat: hæc usque ad sæculi XIV initium duravit: et fuit tunc

(1) Orat. *de Sacerdotio.* (2) *De Pœnit.* l. I, c. 2.

(3) *V.* De Sacramentis in genere, ubi *de valida administratione.*

(4) Sess. 14, c. 10. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 540. Unde quando Jacobus ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra* (cap. 5), per *alterutrum* non intelligitur quilibet, sed Sacerdos, seu homo homini. Et hoc patet ex particula *ergo*, quæ hunc versiculum connectit cum antecedenti, in quo Apostolus Sacerdotes dixerat esse vocandos ad ungendos infirmos. Adde non pauci textum illum explicant de humili tantum Confessione, qua quis nempe se dicit esse peccatorem, ut sic alios ad orandum pro se moveat.

(5) Imo illam absolutionem non fuisse Sacramentalem agnovit ipse Morinus in recognitione sui operis, uti constat ex editione Autuerpiensi an. 1692. *Perrone.*

commendata ut valde utilis, quia humilitatis habebat meritum et ad contritionem disponebat; sed nemo veterum credidit eam fuisse Sacramentalem. Unde Angelicus: *ille qui laico confitetur, quamvis impleat quod ex parte sua est de sacramentali confessione, tamen sacramentalem absolutionem non consequitur* (1).

Diximus *tunc commendata;* non enim desunt qui hodie eam graviter illicitam dicunt, cum ea fieri non possit absque scandalo; ac maxime cum videatur præbere suspicionem lutheranæ hæresis (2).

Q. 2. *An quilibet Sacerdos possit Confessiones excipere?*

R. Negative; ad validam enim pœnitentiæ administrationem requiritur ulterius, ut Sacerdos approbetur ac donetur jurisdictione, nisi de casu extremæ necessitatis agatur. Ad administrationem vero utilem insuper necesse est, ut Confessarius eas dotes obtineat, quæ hujus muneris sunt: et si quos admiserit defectus, corrigat (3).

ARTICULUS I — De confessarii approbatione et jurisdictione.

Q. 1. *Quid est Confessarii approbatio?*

R. Confessarii approbatio est *juridicum testimonium, quo Episcopus fidem facit, se talem Sacerdotem judicare idoneum ad Sacramentales fidelium confessiones in sua Diœcesi audiendas:* quibus ex verbis deducitur ad talem approbationem non requiri de rei essentia examen, si adsit judicium prudens de sufficientia et idoneitate.

Ubi viget disciplina Concilii Tridentini, nullus Sacerdos potest Sacramenti Pœnitentiæ ministerium exercere, nisi aut habeat Beneficium parochiale aut ab Episcopo loci, in quo Confessarii munus exercere cupit, sit approbatus (4). Ait enim: *quamvis Presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolven-*

(1) In 4, d. 20, q. 1, a. 1. — Quod magis valet de confessione facta *Abatissis,* uti obtinet in quibusdam religiosis Institutis; mulieres jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces sunt.

(2) *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. VII, c. 14.

(3) An autem gravis sit obligatio Confessiones audiendi, vide tom. I *De Obligationibus,* quoad Parochos, disp. 1, c. 2, a. 2, § 4; quoad cæteros Ecclesiasticos *ibidem* § 5.

(4) Nomine Episcopi venit Vicarius capitularis, Sede vacante; cum sit in ejus locum.

Quid vero de Capellanis militum? — Certum est (ait *Bouvier*) illos absolvere non posse milites absque legitima Episcopi approbatione, nisi facultatem id faciendi a Sede apostolica obtinuerint. Hac de re Benedictus XIV, B evi *Quoniam* 28 maji 1746 concessit ad septennium majori Capellano Regis Sardiniæ ab ipso Rege deputato, facultatem per se vel per alios Sacerdotes probos et idoneos in examine a se repertos et subdelegandos, Sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, nec non alias utriusque sexus personas ad exercitus regios (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes. Item dispensandi in votis, Sacramentis; benedicendi paramenta ecclesiastica pro suo servitio, item celebrandi in altari portatili, etc. Quoad milites ac militiam spectat, omnia in unum congessit liber, *Pregi e difetti dei Capellani militari, della scuole e del corpo sanitario, degli uffiziali superiori e subalterni,* etc. Torino 1855. * Clemens 12, Brevi diei 4 Februarii an. 1736, precibus Philippi V Hispaniarum Regis inclinatus, concessit majori Capellano ab ipso deputato, facultatem per se vel per alios Sacerdotes probos et idoneos in examine a se repertos et subdelegandos, sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, nec non alias utriusque sexus personas ad exercitus regios (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes. Et nunc de septennio in septennium hæc facultas fuit prorogata a romanis Pontificibus. Vide infra in fine hujus vol. apendicem super hac re. *

di potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium (1) *etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut habeat parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus* (2). Hinc sequitur, approbationem petitam et negatam minime sufficere; sed requiri ut reapse concedatur.

Approbatio dari debet ab Episcopo loci, in quo Confessiones excipiuntur; non ab Episcopo pœnitentis. Ita fert universalis praxis et constat ex Bulla Innocentii XII *Cum sicut*, et Benedicti XIV *Apostolicum*. Hanc approbationem seu facultatem Episcopus etiam per alios potest tribuere, cum non sit actus Ordinis: imo eam concedere potest et ipse per se exercere (hoc ipso quod tali munere donatus est) Episcopi Vicarius, qui supposita nominatione jurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus, quam in spiritualibus non ab Episcopo, sed ab ipso jure (3).

Sed (quæres) *an Episcopus possit approbatos iterum examinare, vel approbationem datam revocare aut restringere?* — R. Affirmative: ab Episcopo possunt iterum ad examen revocari Confessarii sive regulares sive sæculares. Potest etiam approbatio jam data revocari vel restringi ad locum, ad tempus, ad personas, prout Ordinario placuerit, quin teneatur de tali revocatione vel restrictione rationem reddere: id expresse deducitur ex Bulla *Apostolicum:* et sane tota res Episcopo est commissa (4). Quod valet, etsi revocatio facta sit sine justa causa: cum in hac re non attendatur quid fieri deberet, sed quid factum est; voluntati enim superioris facultas subdita est. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII hæc sub n. 13 propositio: *præcepto annuæ Confessionis satisfacit, qui confitetur Regulari ab Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

Q. 2. *Quid penes Novariensem Diœcesim notandum circa approbationem?*

R. Hæc præcipua: 1 eos qui actu Parochi sunt et Coadjutores Titulares, id est possessionem adepti, approbari in tota Diœcesi absque facultatis renovandæ necessitate; sed cæterorum Sacerdotum neminem approbari sine præcedenti idoneitatis periculo; 2 singulos sive regulares sint sive sæculares, non approbari, nisi ad anni spatium: idcirco eo evoluto omnes teneri proro-

(1) Dicit *sæcularium*: nam regulares pro suorum confratrum regularium Confessione excipienda indigent sola generalis vel provincialis approbatione.

(2) Sess. 23, c. 15 de R. — *V.* Benedictus XIV, *Notific.* LXXXVI.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 558.

(4) Hic speciatim quæri solet, *an Episcopus possit de novo Parochos suos examinare?* Distinguendum est cum Benedicto XIV, *Notificatione* IX, n. 16.

Si agitur de Parochis examinatis ab antecessore, hæc statuit S. C. Concilii: *Censuit Episcopos successores posse, supervenientc rationabili causa, etiam ex officio, etiam extra visitationem examinare Parochos ad Ecclesias parochiales approbatos.* Et idem dicit de *Parochis regularibus.* Rota Romana decrevit quod sit sufficiens causa novi examinis *libitum, et sola quies conscientiæ Episcopi.* — Si vero agitur de Parochis ab eodem Episcopo jam examinatis, utrum hic iterum possit eos examinare, hæc habet eadem Congregatio: 1 *posse episcopum examinare Parochos et Rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia;* 2 *posse ad hujusmodi examen procedere extra visitationem;* 3 *ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judices probationes imperitiæ præcedant.*

gationem expostulare, exhibendo intra mensem octobris patentes Litteras proprio Vicario foraneo, vel Secretariæ, vel Cancellariæ episcopali, si sint sæculares; Superiori autem Monasterii, si sint regulares. Hoc si fecerint, ad totum usque mensem decembris facultas prorogata censetur, etiam ante acceptum prorogationis decretum: si vero neglexerint, ultima octobris die expirabit (1); 3 hoc prorogationis decretum Sacerdotibus sæcularibus non concedi, nisi prius exhibeant testimonium proprii Confessarii de Confessione singulis hebdomadis peracta; et attestationem Parochi de morum honestate, de cura in divinis officiis, in catechesibus tradendis, et in collationibus casuum conscientiæ frequentandis; 4 Patentes approbationis et prorogationis litteras extendi quidem pro Confessariis omnibus ad totam Diœcesim; sed *per se* non complecti facultatem absolvendi a reservatis; neque ad Confessiones Monialium aut mulierum quarumcumque in Monasteriis, Collegiisve degentium (*pag.* 117).

Q. 3. *Quid de Confessarii jurisdictione?*

R. Nomine *jurisdictionis* hic intelligitur *potestas illa, qua Sacerdos in subditum fert sententiam, in foro tamen conscientiæ:* proprie loquendo hæc approbationem supponit, licet nunc cum illa videatur confundi, quia una simul tribuitur. Duplex est Confessarii jurisdictio: ordinaria et delegata. *Ordinaria* est quæ alicui competit ratione officii, quod ei fuit demandatum, cuique adnexa est animarum cura: ut sunt Papa, Episcopi, eorumque Vicarii generales, Vicarii capitulares, Archiepiscopi, cum visitant subditos suffraganeorum, Prælati Religionum ac Parochi. *Delegata* est quæ alicui vel tacite vel expresse legitime confertur ab habente primam, id est ordinariam: excipe Parochos, qui etsi possint suos parochianos etiam in aliena Diœcesi confiteri ex declaratione S. C. C. 3 dec. 1707 (2); non tamen possunt aliis conferre facultatem confessiones audiendi neque in ipsa Parœcia; nam eorum ordinaria jurisdictio non est omnimoda, cum sit tantum pro foro pœnitentiali (3); pro foro autem externo non habeant nisi jurisdictionem limitatam et secundum quid, nempe relate ad nudam administrationem (4).

(1) Hodie tamen constitutum est, quod *Litteræ Patentes* debeant consignari intra mensem decembris. Ad totum tamen martium perdurant, etsi non consignentur.

(2) Imo Parochus per se loquendo pro suo tantummodo oppido est approbatus. Attamen hodie fere ubique vel consuetudine, vel lege (ex Syn. Novar. p. 194 quoad nos) et Parochi et Coadjutores titulares, quoadusque hoc munere funguntur, pro tota Diœcesi valent Confessiones excipere. Sed cessante munere, omnis facultas expirat.

(3) Etiam pœnitentiarius Cathedralis, quum ordinariam habeat jurisdictionem in tota Diœcesi, in qua Pœnitentiaria in officium stabile erecta est, potest omnes ejus Diœcesis incolas etiam extra Diœcesim ipsam absolvere; non tamen Vicarii foranei licet Parochi sint, quia exceptis propriis ovibus, in alias Vicariæ oves non habent nisi delegatam jurisdictionem. Item tanto minus cæteri Confessarii qui jurisdictionem habent tantummodo delegatam valide possunt absolvere extra Diœcesim subditos Diœcesis propriæ; ex Bulla enim Innocentii XII *Cum sicut*, et Benedicti XIV *Apostolica indulta*, nullæ sunt Confessiones quæ fiunt sine approbatione Ordinarii loci, in quo ipsi pœnitentes degunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 548; et *Homo Apost.* tract. XVI, n. 79. — Pavona, *La luce fra le tenebre.*

(4) *V.* Bouix, *De Parocho*, par. 1, cap. 5: ubi multis probat, quod vox *pastoris* nonnisi improprie Parochis tribuitur, cum hæc indicet potestatem gubernandi cum jurisdictione proprie dicta et legislativa; et revera tota antiquitas solos Episcopos hac denominatione designavit.

Hæc autem delegata jurisdictio acquiritur tum ab homine, tum a jure. *Ab homine*, quando Ordinarius illam alteri committit, vel alteri licentiam concedit Confessarium sibimet eligendi. *A jure*, quando jus vel legitima consuetudo certis personis permittit, ut absolvant, aut ut ab electo Confessario absolvantur; qui tamen permissionem habent eligendi Confessarium, non possunt eligere nisi approbatum vel Parochum. Hanc autem permissionem seu privilegium habent: 1 ex consuetudine Reges et Principes; sed pro se tantum, et modo supremo gaudeant dominio. Item domestici Pontificis. Item Cardinales, qui præterea Romæ degentes possunt sibi et familiæ Confessarium eligere, et eum quocumque conducere; 2 ex jure Episcopi omnes, etsi sint tantum titulares et quamvis nondum consecrati, modo sint confirmati. Item Prælati minores exempti, et Superiores regulares locales (1). Episcopi autem possunt secum conducere Confessarium jam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena Diœcesi (2).

Amittitur vero hæc confitendi delegata potestas: — 1 per revocationem superioris qui illam tribuit; per quas causas enim res nascitur, per easdem solvitur; — 2 morte delegantis (vel ejus cessatione ab officio), si tamen delegatio sit de audienda tantum alicujus personæ confessione, nec hæc confessio adhuc sit incæpta, ut jure constitutum est (3). Si enim delegatio sit generalis a Papa proveniens, communis sententia et praxis est, eam non extingui per delegantis mortem; nam *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* (4). Imo etsi ab Episcopo proveniat delegatio generalis, adhuc ea non extinguitur, quamvis confessio nondum cæpta sit, nisi vel a successore revocetur, vel præfixum tempus elabatur. Hoc certe firmatur tum a vulgari adagio: *gratia facta non expirat per mortem concedentis* (5), tum a consuetudine generali et praxi. Et revera, Episcopo defuncto, vel cessante e suo officio, adhuc Confessarii antea deputati in suo munere et officio, perseverant in Confessionibus audiendis usque ad tempus ab illo Episcopo definitum.

Q. 4. *An jurisdictio necessaria sit ad Pœnitentiæ Sacramentum?*

R. Nonnulli sub finem sæculi XVIII cum Aloysio Litta et Joanne Guadagnini contendere ausi sunt, tum approbationem Episcopi ad Confessiones valide excipiendas non consistere in jurisdictione, sed in solo idoneitatis testimonio; tum Confessarios omnes vi Ordinis ab omni casu reservato valide, si non licite, absolvere posse. Verum certum omnino est, imo fidei proximum ad valide absolvendum præter potestatem Ordinis requiri potestatem jurisdictionis: id eruitur ex Concilio Florentino, ubi in Decreto ad Armenos de hoc Sacramento legitur: *minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens au-*

(1) Non tamen Parochi: et contraria propositio damnata est ab Alexandro VII sub n. 16. — V. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 544 et 565.

(2) Verum si Episcopi eum non conducunt, confiteri debent approbato ab Ordinario illius loci, ut declaravit S. C. C. ac confirmavit Gregorius XIII, 1 dec. 1532.

(3) Ex *Decreto* Greg. l. 1, t. XXIX: *de Offic. et potest. jud. deleg.* c. 19 et 20.

(4) Cap. *Si super grat.* 9 de off. deleg. in 6. Excipiunt nisi sit facta his verbis: *usque ad beneplacitum nostrum*, vel *ad arbitrium nostrum*, et similibus, quia *voluntas morte vel renuntiatione finitur.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. I, n. 198.

(5) C. *Si super grat.* 9 de off. deleg. in 6. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 82.

ctoritatem ordinariam, vel ex commissione. Et Tridentinum ait: *quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem* (1). Jam vero: absolutio quæ est nullius momenti, non tantum illicita, sed etiam invalida debet existimari. Ratio est, quod Pœnitentiæ ministerium exerceatur ad modum judicii forensis; sed in causis forensibus sententia non potest valide pronuntiari, nisi ab eo judice, qui in litigantes habet jurisdictionem.

Ex Synodo Novariensi excommunicatio ipso facto incurritur a Sacerdote, qui *non approbatus hoc sibi ministerium vindicat extra necessitatem* (pag. 117).

Sed (dices) *nonne Sacerdotes in ipsa Ordinatione accipiunt omnes potestatem absolvendi a peccatis, sic dicente Episcopo consecrante:* accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retineritis, retenta sunt? — R.: potestas Ordinis est omnino distincta a potestate jurisdictionis: *duplex est spiritualis potestas,* ait D. Thomas: *una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur.... Potestas autem jurisdictionalis est quæ ex simplici injunctione hominis confertur* (2).

Q. 5. *An valida sit absolutio data a Confessario cum jurisdictione tantum probabili, vel præsumpta, vel si ea ex errore credatur adesse, cum tamen non adsit?*

R. Ad 1: Quando est sub opinione, an Confessarius in tali casu habeat jurisdictionem, et hinc inde militant rationes, adeo ut jurisdictio remaneat æque probabilis seu dubia, tunc aliqui pauci cum Antoine et Concina absolute negant validam esse absolutionem, quia ex propositione ab Innocentio XI damnata, non licet *in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi.* Unde qui amplectitur opinionem probabilem Doctorum asserentium, v. g. in hoc vel illo casu Confessarium habere jurisdictionem absolvendi a reservatis, vel privilegium quod habebat, nondum esse revocatum, et illi innixus absolvit, invalide facit. — Alii vero communiter et absolute eam valere affirmant cum Croix, Filliucio, Lessio, Lugo, Viva, etc.; quia est consuetudo universalis sic absolvendi in Ecclesia: et merito, ne scilicet Confessarii sæpius sint anxii circa veritatem jurisdictionis: porro consuetudo tribuit jurisdictionem. — Sed nos cum Barbosa, Elbel, Gobat, Holzman, Sporer, Suarez, Wigandt et aliis distinguimus: vel

(1) Sess. 14, c. 7. — Addatur proscriptio thesis 37 Pseudosynodi Pistoriensis lata in Bulla *Auctorem fidei*, ubi doctrina illius Conciliabuli hac in re *sic intellecta, quod ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam*, proscripta fuit ut *falsa, temeraria, erronea et Concilio Tridentino contraria.* Et valet licet tantum agatur de absolvendo a venialibus, vel a mortalibus jam remissis, ut merito docet ex Decr. Innocentii XI, Benedictus XIV *Notificat.* LXXXVI, n. 7, et Constit. *Apostolicum.* Sane esto quod istorum Confessio sit libera; absolutio tamen semper est sententia judicialis, quæ ferri debet in designatos subditos.

(2) 2, 2, q. 39, a. 3.

aliqua adest causa gravis necessitatis aut magnæ utilitatis, vel non. Si 1, fas est uti jurisdictione tantum probabili; cum enim adsit in Ecclesia consuetudo universalis ferme omnium Confessariorum absolvendi pœnitentes cum tali jurisdictione, et agatur de re, quæ ab Ecclesia suppleri potest, certo suppleri præsumitur in dicto casu gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis ob bonum animarum. Sicque Confessarius non absolvit cum sola opinione probabili; sed cum opinione moraliter certa, non quidem directa, sed reflexa. Si 2, non licet; ubi enim nulla causa satis justa intercedit, censeri non potest Ecclesia supplere jurisdictionem, cum hæc numquam censenda sit meræ Sacerdotum suorum libertati velle connivere. Quæ gravis causa accidit: 1 si urgeat præceptum annuæ Confessionis, nec alius adsit Confessarius; 2 si pœnitens indigeat auxilio talis Confessarii; 3 si pœnitens deberet complicem patefacere alium adeundo; 4 si pœnitens secus remanere debeat in mortali; 5 si Confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem tantum, timeat ne secus pœnitens apud alium sacrilege confiteatur.

R. Ad 2: Si præsumptio consensus illius qui jurisdictionem tribuere potest, fundatur in signis, quæ indicant consensum præsentem, v. g. si Sacerdos, quem constat non habere jurisdictionem, Confessiones excipiat, præsente vel sciente et non contradicente Episcopo, sufficit; quia ea apparet jam tacite concessa. Si vero indicant tantum consensum de futuro, non sufficit; quia consensus futurus non præbet jurisdictionem pro tempore præsenti. Neque illa potest postea rata haberi; quia valor Sacramentorum nequit suspendi. Item neque sufficit solus internus consensus cum jurisdictio sic communicari non possit hominibus; sed est manifestanda cui tribuitur (1).

R. Ad 3: Si error, quo creditur talem Sacerdotem habere jurisdictionem, sit *communis* et conjungatur cum *titulo colorato*, certum est apud omnes tunc Ecclesiam jurisdictionem supplere: et ipso jure probatur (2). Ratio est, quia alias multæ animæ perirent; ideoque rationabiliter præsumitur Ecclesia supplere. Diximus: 1 si error sit *communis*, id est omnium vel fere omnium in loco, ubi excipitur Confessio; alioquin non metuendum publicum damnum: neque ideo Ecclesia jurisdictionem suppleret; Ecclesia enim ut provisor generalis non censetur supplere, nisi ratione boni communis; nam gubernator generalis ad solum bonum generale societatis attendit; 2 cum *titulo colorato*, quod evenit, quando titulus est quidem falsus, sed vere existens coram hominibus, id est vere collatus a legitimo superiore, et ideo præseferens speciem veri tituli; sed ob aliquem latentem defectum nullus, uti siquis revera obtinuerit titulum Parochi, sed invalide ob latentem simoniam.

Sed quid (quæres) *si error sit quidem communis, sed titulus sit tantum existimatus, fictus, seu putativus* (3), *id est si a fidelibus titulus reputatur*

(1) Ajunt tamen illum valide absolvere, qui mittit nuntium Episcopo pro confirmatione facultatis et eo tempore, quo certo præsumit obtentam facultatem, absolvit, licet nondum redierit nuntius; quia hic illius personam repræsentat. Agit tamen illicite, cum Sacramentum nullitatis periculo exponat; posset enim Episcopus ex causis sibi notis confirmationem negare: licet ipse aliter credat. Aliter esset, si certo sciat Patentes renovatas esse; tunc et valide et licite Confessiones audit, ut patet. (2) L. *Barbarius ff. de off. Præt.* et cap. *Infamis* q. 7.

(3) Sunt qui titulum *putativum* idem esse dicunt ac *coloratum;* sed communiter illum cum existimato et ficto confundunt. Cæterum lis est de nomine.

quidem adesse, sed nullus omnino extat? — Communius negant cum Busembaum, Concina, Holzman et Sporer, tunc Ecclesiam supplere jurisdictionem; quia majus damnum fidelibus proveniret, quam utilitas; cum ex hoc plerique Sacerdotes improbi sumerent occasionem simulandi se Confessarios, et sic fideles possent facilius seducere etiam in iis, quæ ad fidem pertinent: hinc ex juris dispositione actus intrusi semper sunt nulli. Attamen alii probabiliter cum Bonacina, Lugo et Sanchez affirmant etiam in hoc casu Ecclesiam supplere jurisdictionem; nam eadem adæquata ratio boni communis tam valet pro errore communi, qui conjunctus est cum titulo colorato, quam etiam pro eo, qui est a tali titulo disjunctus (1).

Q. 6. *Quotupliciter quis subditur alteri quoad pœnitentiam?*

R. Per pœnitentiam quis alteri fit subditus:

1. Ratione *domicilii,* vel *quasi-domicilii.* Sic qui in aliena Diœcesi in perpetuum vel majore anni parte habitare intendunt, cum fiant subditi, valide absolvuntur a Confessariis in illa Diœcesi approbatis.

2. Ratione *privilegii status:* sic qui alicui familiæ uniuntur, eorum jurisdictioni subduntur, qui eidem præsunt. Uti contingit Novitiis, et familiaribus Regularium, si tamen Monasterii expensis, inter illius septa et sub eorum obedientia actu inserviunt, ut limitant canones.

3. Ratione *consuetudinis,* quatenus hæc est indicium consensus a superiore legitime præstiti (quod etiam eruitur ex Bulla *Superna*). Sic ex consuetudine qui pergunt alienam Diœcesim etiam sine animo contrahendi domicilii aut quasi-domicilii, a quolibet Confessario ibidem approbato absolvi possunt, nisi adsit fraus vel censura (2).

4. Ratione *erroris communis cum titulo colorato;* quia tunc jurisdictionem supplet Ecclesia ob bonum commune.

5. Ratione *articuli mortis,* ne scilicet aliquis pereat hac ipsa occasione: et quod in bonum fidelium inductum est, cedat in eorum perniciem. Imo id valet (in sententia veriori et communissima) etiam quando agitur de solo mortis periculo: quamvis enim physice loquendo non sit eadem res articulus et periculum mortis (3); in ordine ad præsentem casum nulla in jure occurit dis-

(1) Huic tamen videtur obstare declaratio S. C. Congregationis data 11 dec. 1683. Nempe interrogata, an Cappuccini, qui in Patavina Diœcesi Confessiones exceperant sine licentia Episcopi illius Diœcesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena Diœcesi approbati, alii vero ab Episcopo quidem Patavino ad annum, sed jam elapsum, S. Congregatio respondit: *illicite et invalide Confessiones excepisse, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare Confessionem.* Ubi vides aperte errorem communem, nempe omnium fidelium putantium illos religiosos veros esse confessores; sed titulus approbationis episcopalis per litteras patentes, quam fideles adhuc adesse credebant, cessaverat. *V.* Benedictus XIV *Notificatione* LXXXIV, ubi declaratio per extensum habetur. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 570.

(2) Sacerdos approbatus, priusquam audiat Confessiones in Ecclesia Parocho subjecta, veniam petat ab ipso Parocho, ut debitus ordo postulat ac dependentia: excipe nisi casus urgeat, vel amicus sit Parochus, etc. Non tamen requiritur venia Parochi ad audiendas sæcularium Confessiones in sacello regularium vel monialium; sed sufficit tunc venia superioris vel superiorissæ loci, si aliunde sit approbatus sacerdos. *Gury.*

(3) « *Articulus mortis* (ait Stapf, § 588) ille dicitur quo mors certo, vel saltem probabilius proxime secutura prævidetur. *Grave periculum* adesse censetur, dum prudens timor, seu solidum

tinctio, dicente Rituali R.: *si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.* Sane in tali periculo nonne fidelis tenetur confiteri?

Quid (dices) *si tunc adsit vel adesse possit, si vocetur, Confessarius approbatus?*—Sententia communissima negant tunc simplicem Sacerdotem absolvere posse; nam cessat tota ratio, ob quam ipsa facultas data est. Ab hac sententia per se loquendo nos judicamus non recedendum maxime ob auctoritatem Rituali R. inquientis: *si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest... absolvere.* Ex his verbis fluit conclusio: *ergo quilibet Sacerdos non potest absolvere, si adsit Confessarius approbatus.*

Diximus *per se loquendo;* nam simplex Sacerdos potest et valide et licite absolvere tempore mortis, etiam præsente Confessario approbato: 1 si approbatus nollet, vel non posset facultate sua uti, vel non esset approbatus in illa Diœcesi: tunc idem est, ac si non adesset; 2 si approbatus sit excommunicatus vel suspensus vitandus: tunc præferendus simplex Sacerdos; quia approbatum eo in casu prohibet Ecclesia; 3 si approbatus sit complex in peccato turpi cum pœnitente ex Benedictio XIV (1); 4 si moribundus ita horreat manifestare sua crimina Confessario illi, ut sit in periculo confitendi sacrilege, v. g. si sit inimicus, consanguineus, aut objectum peccati: tunc profecto videtur adhuc vigere illud: *ne hac occasione aliquis pereat,* uti docent Collet, Croix, Mazzotta ex D. Thoma; 5 si approbatus superveniat, Confessione incæpta apud non approbatum; quia judicium semel inchoatum compleri debet (2).

Quid (dices) *de Sacerdote hæretico, schismatico, excommunicato?* — Non obstante contraria quorumdam sententia, dicimus ipsos quoque, licet vitandos, in hoc casu absolvere posse moribundum; semper enim urget ratio, *ne quis pereat* (3). Refert cardinalis Albitius hanc quæstionem fuisse propositam Innocentio XI, atque ab eo definitam, ut non amplius dubitari possit, quin

dubium mortis proxime secuturæ occurrit, eo quod in ejusmodi casibus frequenter accidat, e. g. in gravi morbo, difficili partu, in prælio, in longa navigatione, in operatione chirurgica ardua. — Generatim animarum pastor in determinando gradu periculi non sit anxius: sufficit justus timor, ne morbus iste progrediatur in mortem: moneat etiam populum, ut in casu infirmitatis Ss. Sacramenta mature petant, ne morbo ingravescente, ægroti, ut fieri solet, minus dispositi inveniantur.» — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 561.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 562. — P. Pavone, *Spicilegio* etc. 300 et seqq.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 562 et seqq. Item probabiliter dicunt, quod si Confessio facta Sacerdoti simplici sit invalida, bene potest infirmus huic Sacerdoti iterum confiteri, etiam superveniente approbato; nam ille habuit revera jurisdictionem ad priorem illam Confessionem, quæ non censetur finita. Item potest hodie simplex Confessarius iterum excipere Confessionem infirmi qui heri ob morbi gravitatem non potuit integre confiteri, etsi hodie jam expiraverit ejus facultas audiendi Confessiones; causa enim incepta et non finita durat delegati potestas donec terminetur (cap. *Gratum;* cap. *In litteris,* et cap. *Relatum*). Aliter est, ut communiter dicunt, si talis Confessarius hodie, jam expirata facultate, velit audire confessionem alicujus, qui heri penes ipsum confessus est, et absolutus, sed inculpabiliter omiserit aliquod mortale; nam illa esset nova confessio, et actus novi judicii; neque hesterna confessio potest dici suspensa et incompleta.

(3) Hæc verba protulit Tridentinum agendo tantum de casuum reservatione, quam ideo in morte cessare dicit ratione Presbyteri simpliciter approbati. Attamen et casui nostro merito, ut patet, applicantur, ut nempe non tantum approbatus simpliciter, sed etiam Sacerdos catholicus

pœnitens in articulo mortis licite et valide absolvi queat ab hæretico, schismatico, excommunicato, deficiente altero Sacerdote. Et vero ita aperte tradit Rituale romanum dicens, quod tunc absolvere potest *quilibet Sacerdos*.

ARTICULUS II—De casuum reservatione, de confessario monialium et complicis.

Q. 1. *Quid est casuum reservatio?*

R. Reservatio nihil aliud est, quam *limitatio jurisdictionis alicui concessæ pro excipiendis fidelium confessionibus*. Casus porro reservati dicuntur quædam crimina atrociora, quorum absolutionem concedere nequit Sacerdos, qui communi dumtaxat jurisdictione et approbatione præditus est; neque ipse Pœnitentiarius cathedralis Ecclesiæ, quamvis in tota Diœcesi cæteroquin valeat vi potestatis suæ Confessiones excipere, ut declaravit S. C. Congregatio 6 julii 1647.—Hæc lex adeo gravis est, ut Sacerdos qui scienter absolvit a reservatis in Bulla *Cœnæ*, excommunicationem ipso facto incurrat nemini reservatam, uti constat ex ipsa Bulla. Si vero prætextu privilegiorum (etiam Regularis) præsumit absolvere a dictis casibus Bullæ *Cœnæ*, et aliis sex casibus, extra Romam et intra Italiam, Papæ reservatis, vel a casibus reservatis Episcopo, præter nullitatem absolutionis et culpam gravissimam, illico incidit in excommunicationem Papæ reservatam ex decreto Clementis VIII 1602, et Pauli V 1617. Sed hi casus a quibus nequeunt Regulares vi illius privilegii absolvere intra Italiam et extra urbem sunt: 1 *immutatis Ecclesiasticæ violatio quoad confugientes ad Ecclesiam*; 2 *violatio clausuræ Monialium ad finem libidinosum*; 3 *injectio manus violentæ in Clericum*; 4 *provocatio ad pugnam in duello*; 5 *simonia realis scienter contracta*; 6 *confidentia beneficialis*.

Dividitur reservatio in *Papalem*, *Episcopalem* et *Regularem*; prout casus reservantur Papæ, vel Episcopo, vel Superioribus regularibus. Iterum reservationi vel excommunicatio adnectitur, vel non: si 1 casus dicitur reservatus *ratione censuræ*; si 2 *ratione sui* tantummodo (1).

Q. 2. *Quot sunt casus Papales?*

R. Casus Pontifici reservati ratione sui duo sunt:—1 est in eum, qui Sacerdotem innocentem falso insimulat de crimine sollicitationis apud judices Ecclesiasticos, sive per se impie calumniando, sive sceleste procurando, ut ab aliis id fiat: ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV;—2 est in illum, qui dona accipit a Regularibus utriusque sexus (exceptis rebus medicinalibus, aut devotionis: item quæ sunt in remunerationem ob præstita servitia, si tamen cum debita licentia tribuantur; remunerare enim pertinet ad virtutem). Porro statim ac donum pertingit ad materiam gravem ideoque ad mortale peccatum, casus est reservatus, a quo tunc tantum Confessarius potest ab-

nullimode approbatus. Imo et omnes Sacerdotes etiam ab unitate Ecclesiæ præcisi valeant absolvere in morte. — *V.* Bouvier, qui refert etiam declarationem Pii VI 1 apr. anno 1794. — Liguori, *Homo Ap.* tr. XVI, n. 92.

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 578. — Pavone, *La luce* ecc. dissert. II. — Quoad casus reservatos a Regularibus vide t. I *de statu religioso*.

solvere (nondum realiter facta restitutione), quando pœnitens nullimode potest eam de præsenti adimplere, cum promissione tamen eamdem quamprimum poterit satisfaciendi. Igitur nondum ipsa restitutione facta, Confessarius nequit absolvere Pœnitentem, qui eam facere potest: sed poteritne tunc absolvere major Pœnitentiarius? negative, si munera tributa excedant valorem decem scutorum romanorum; si vero dictum valorem non excedant, tunc Pontifex facit majori Pœnitentiario potestatem, ut injuncta arbitrio sui vel Confessarii eligendi eleemosyna eroganda in beneficium Conventus, cui de jure esset facienda restitutio, absolvere, vel absolvi mandare possit. Ita Bulla *Religiosæ* Clementis VIII; *Nuper* Urbani VIII; *Pastor bonus* Benedicti XIV (1).

Casus latæ sententiæ ac Papæ reservati ratione censuræ præter eos, quos jam supra adnotavimus, plurimi sunt. En præcipuos: nempe censuram reservatam incurrunt:—1 absoluti in articulo mortis a censura Papæ reservata, se postea Papæ non præsentantes (cap. *eos qui de sent. excomm.* in 6);—2 apostolicæ Sedis Legatos vel Nuntios, item Archiepiscopos vel Episcopos offendentes (Bulla *Cœnæ);*—3 appellantes a Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores. Appellantes vel aliter recurrentes ad laicam Potestatem a Decretis Judicis ecclesiastici (Bulla *Cœnæ);*—4 personis ecclesiasticis vel ecclesiasticis bonis onera, tributa, taxam supratаxam imponentes, exigentes, vel recipientes (Bulla *Cœnæ;* excipe si quæ sint Concordata, vel legitimus usus);—5 bona Ecclesiastica usurpantes, vel usurpata recipientes, vel usurpatoribus efficaciter consentientes aut cooperantes: item bona Ecclesiæ vel loci pii alienantes, vel alienari consulentes; vel effringentes et spoliantes Ecclesias; item Montium Pietatis bona usurpantes (Pius V Bulla *Admonet* et Tridentinum); vel eos Montes concionando impugnantes (Leo X);—6 Causas spirituales vel spiritualibus adnexas a Judicibus ecclesiasticis advocantes, vel impedientes, eorumque fautores (Bulla *Cœnæ);*—7 judices qui, quovis colorato prætextu, efficaciter trahunt, vel trahere faciunt ecclesiasticos ad suum laicale tribunal (Bulla *Cœnæ*). Item judices, officiales, laici ac ecclesiastici trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale etiam in rebus civilibus, ex Martino V Bulla *Ad reprimendas* 1 febr. 1428; et si sit Capitulum vel alius conventus ecclesiasticus, suspensionis et interdicti pœnam incurrit ipso facto (sed excipe semper, nisi id permissum sit ex Concordatis vel ex legitima consuetudine);—8 domini temporales censuras violari facientes (Clementin. *Gravis, de sent. excomm.);*—duellantes eorumque fautores (Bulla Gregorii XIII, *Ad tollendum:* et Clementis VIII, *Illius vices:* et Benedicti XIV, Bulla *Detestabilem);*—10 examinatores, qui aliquid recipiunt pro examine ad Parochiam (Trid. *sess.* 24, *cap.* 18 *de R.);*—11 Scripturam sacram prædicantes vel explanantes contra sensum ab Ecclesia approbatum (Bulla Leonis X, *Supernæ Majestatis);*—12 Societatis Jesu institutum impugnantes vel mutari procurantes (Bulla Gregorii XIII, *Ascendente)* (2).

(1) « El que da no incurre en la reserva, pero peca contra el voto de pobreza; é incurre en la escomunion impuesta contra el que, sin las facultades necesarias, enagena los bienes de los lugares eclesiásticos. » Ita Pavone, qui fuse in Opere *La luce fra le tenebre.*

(2) Plures alios casus vide *De Censuris in particulari.*

Q. 3. *Quot sunt casus Episcopis reservati?*

R. Casus Episcopis reservati ratione sui vel censuræ, alii sunt reservati in jure Communi; alii in Synodo Diœcesana; alii extra Synodum. Casus jure Communi reservati sex numerantur his versiculis:

Clerum percutiens, animati fœtus abortus,
Participans crimini criminoso, excommunicatus
Occultus, quisquis Papam non possit adire.

Nempe incidunt in Episcopalem reservationem: 1 percussores Clericorum, si tamen agatur de percussione levi, quamvis publica: item si agatur de mediocri et enormi, dummodo non sit publica; 2 procurantes abortum, effectu secuto; 3 participantes in crimine criminoso; 4 excommunicati ab Episcopo per sententiam particularem; 5 incidentes in casus Papales occultos; et etiam post Tridentinum reservatos, nisi tamen adsit clausula derogatoria (1), item nisi agatur de casibus Bullæ Cœnæ; 6 incidentes in casus Papales publicos, sed impediti Romam adire (2). Hæc de jure Communi, et quidem tantummodo ratione censuræ Episcopo reservantur, qui proinde vel per se, vel per alios omnes suos subditos ab illis potest absolvere; imo etiam non subditos, si agatur de papalibus occultis, quæ non possunt auferri nisi in Confessione; nam tunc peregrini ratione Confessionis constituuntur subditi.

De jure vero Diœcesano, in Synodo postrema Novariensi (habita diebus 11 12 et 13 julii anno 1827 ab Episcopo præclarissimo cardinali Josepho Morozzo felicissimæ et sanctæ recordationis) hæc reservantur ratione sui:

1. *Blasphemia in Deum, vel Deiparam Virginem aut Sanctos, quæ a duobus vel a pluribus audita fuerit. Et blasphemia hæreticalis, nemine etiam audiente, prolata.* Reservatæ blasphemiæ reus est, qui jurat per falsos Deos. Illæ autem voces auditu nequissimæ: *corpus* vel *anima Dei, Christe Domine, Sacramentum, Sanguis Christi, tu es Diva* vel *anima mea*, aut *idolam meam, per vitam Dei ita est, hoc tam verum est quam ipsum Evangelium*, non reservantur. Item neque factum execrandum Dei, B. V., et Sanctorum effigiem vel simulacrum pedibus proterentis, aut manibus discindentis. Incurritur autem reservatio, licet a pueris audita sit blasphemia, si sint doli capaces. *Synodus.*

2. *Quæcumque superstitiones cum abusu rerum sacrarum, aut cum expressa dæmonis invocatione.* Nomine *Sacrarum rerum* veniunt quæcumque benedictione vel consecratione ecclesiastica indigent, vel sacra sunt, ut species consecratæ, sancta Olea, verba Scripturæ, templa, aqua lustralis, signum crucis, cœmeteria, vestes sacræ, sacræ imagines, etc. *Synodus.*

3. *Homicidium voluntarium, quod quis directe sive per se sive per alium perpetraverit. Abortus quoque fœtus sive animati sive etiam inanimati, licet irrito effectu tentatus.* Incurritur reservatio, licet quis metu fuerit ad occisionem inductus vel vehementi iræ motu, si adhuc sit usus rationis sufficiens

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 594.

(2) Quoad hæc omnia vide *De Censuris in particulari*, ubi erit de alio casu ratione censuræ quibusdam in locis Episcopo reservato quoad medicos.

ad mortale. Item incurritur, etsi adsit error facti, v. g. si quis occidat Cajum putans occidere Titium. Ex pluribus qui aliquem sauciaverint, si ignoretur auctor vulneris lethalis, omnes reservationem incurrunt. Si quis autem lethaliter sauciato novum et atrocius vulnus intulerit, unde citius intereat, non prior, sed posterior incurrit reservationem. Mandans vero occisionem, si sufficienter se retractavit, liberatur a reservatione. Qui animo abortum curandi, etsi insufficientem causam invexerit, propinaverit, hauserit, paraverit, consuluerit aut applicuerit, reservatione innodatur. Non eam incurrit mater, si saltando, adsportando, etc. causam abortus præbet, modo illum directe non intenderit. Confessarius deputatus ad absolvendum ab hoc casu, est etiam ab Episcopo deputatus ad absolvendum ab excommunicatione lata a Gregorio XIV in reos abortus fœtus animati. *Synodus.*

4. *Injuriosa legitimorum parentum, patris nempe vel matris percussio:* unde qui vitricum vel novercam suam percuteret, non incurreret reservationem. Hæc autem reservatio obtinet, etsi patris vel matris percussio ex odio vel ira procedat, quamvis in se levis sit; nam æstimatur gravis ex personæ qualitate. Item reservatur repercussio facta a filiis, licet injuste verberatis. Item impulsio, vel repulsio, qua pater et mater parieti alliderentur, vel in terram dejicerentur. Non tamen reservatur brachium in parentes minaciter extendere, vel in illos expuere, aut aqua ipsos aspergere. *Synodus.*

5. *Suffocatio, imo et retentio infantis in lecto, anno expleto minoris, omissa cautione cunarum vel alterius firmi repaguli.* Casum incurrit non solum mater aut nutrix, sed et maritus, si ejus quoque consilio illa retentio facta sit: imo solummodo maritus, si uxor vi vel metu ad id a marito inducta fuerit. Hæc pœna incurritur sive noctu sive interdiu, sive in cubili sive alio quovis in loco sopori carpendo apto parvulus, qui annum integrum nondum exegerit, absque opportuno repagulo secum collocetur. Non erit vero reservatio, si mater aut nutrix sedendo in lecto eumdem susceperit, ut lactet vel soletur, in cunas deinde statim reclinandum, atque interim somno correpta ipsum oppresserit. *Synodus.*

6. *Horrenda sodomiæ perfectæ tam activæ, quam passivæ, bestialitatis et concubinatus scelera* (1). Ad concubinatum quod spectat, non refert, si concubinarii sint soluti vel matrimonio ligati; sed satis est si constituant simul (perinde ac si conjuges essent) libidinose vivere, et sic vivant per annum quadam actuum frequentia delinquentes, etsi una simul non cohabitent. Quoad bestialitatem autem non refert, si commercium cum bruto extra vas naturale compleatur. Tandem sodomia debet esse perfecta et completa ad reservationem. Ita *Synodus.*

7. *Incestus inter consanguineos sive in primo sive etiam in secundo gradu (lineæ tam rectæ, quam transversalis). Inter affines in primo gradu, et inter cognatos spirituales.* Error facti, quo incestuosus vel putat talem non esse si-

(1) Hic observat Fulco in suis *Instit. Theolog.*: « ut habeatur concubinatus jure Canonico requiritur: 1 ut sive domo viri, sive alibi retineatur mulier, et vir habeat ad eam facilem accessum; 2 ut habeatur pluralitas copularum, seu habeantur quatuor saltem copulæ; 3 ut habeatur animus perseverandi in tali congressu; 4 ut mulier non habeat cum alio viro non suo commercium carnale. »

bi propinquam, cum sit; vel putat esse propinquam, cum non sit, liberat a reservatione. Flagitium hoc a matrimonio junctis patratum cum consanguineis alterius conjugis, privat etiam jure petendi debitum conjugale. Porro quoties alicui generatim jurisdictio datur absolvendi ab incestu, non includitur facultas in pristinum jus restituendi incestuosos conjuges; sed hæc singulis vicibus est expostulanda. *Synodus.*

8. *Copula carnalis cum innupta vi, metu aut ficta promissione dotis, vel matrimonii extorta.* Item *inter sponsos ante matrimonium* (pro innupta intelligenda videtur etiam vidua honesta). Sufficit ad reservationem gravis timor incussus alicujus gravis mali aut damni mulieri vel ejus parentibus inferendi. Ficta autem promissio dotis vel matrimonii, sive agatur de proprio sive de alieno matrimonio, semper reservatur, si ideo copula extorta sit. Sed dissolutis sponsalibus legitime, aut invalide initis, vel carnali facinore minime completo, non est reservationi locus. *Synodus.*

9. *Consensus dictis vel factis libere omnino præstitus a marito vel parentibus, patre videlicet aut matre: vel ab avo, avia; tutore et curatore, ut uxor, vel filia, vel puella respective alteri sui copiam faciat.* Ut sit reservatio, copula interesse debet. Nec refert si filia sit naturalis, vidua, aut mulier divortio separata. Qui non impedit carnalem lapsum, vel dat consensum absque omnimoda libertate, non incurrit reservationem. Item neque vir qui alimenta uxori negando, causa esset illius prostitutionis, nisi directe et expresse hoc medio eam adducere intenderet ad hoc flagitium. *Synodus.*

10. *Execrandum Confessarii pœnitentem ad turpia sollicitantis crimen in actu; vel prætextu vel occasione Confessionis.* Item *quicumque obscœni actus inter Confessarium, et filiam spiritualem seu Confessionis* (1). Adhuc est reservationi obnoxius Confessarius sollicitans, licet pœnitens ad turpia extimulatus non consentiat. Item est, si pœnitens prior sit, qui Confessionis prætextu ad turpia provocet Confessarium, qui tamen consenserit. Item est, si Confessarius occasione Confessionis cum pœnitente inhonestos sermones habeat etsi id agat longo tempore post auditam Confessionem. *Obscœni actus* sunt qui objective mortalem præseferunt turpitudinem contra sextum, etsi per jocum fiant: qui reservati sunt tam pro Confessario, quam pro pœnitente. Si tamen pœnitens, suo Confessario relicto, alteri Confessario jam ab anno confiteatur, tunc si cum illo primo inhoneste peccet, non incurrrit in reservationem, quia tunc non amplius habetur ut ejus filia spiritualis; sed excipe nisi hoc fine, nempe ad reservationem eludendam, abstinuerit per annum a Confessione illa. Amplexus et oscula, quæ ex veneris impulsu procedunt, reservantur; non tamen reservantur amatoriæ collocutiones, actusque alii de se minime obscœni, etsi eos ignotæ libidinis affectio forsan comitetur. *Synodus.*

(1) Ex ipsa rei natura unusquisque est *pœnitens* illius, penes quem confitetur, etsi ei primum et semel confiteatur. Sed juxta communem intelligendi morem, ut quis habeatur uti *filius* (vel *filia spiritualis*) seu *confessionis*, insuper requiritur, ut ter quaterve eidem Confessario confessus sit; vel si semel tantum ei sit confessus, ab eodem tamen in posterum audiendus fuerit acceptatus, tamquam confessionis filius (vel filia): dicitur nempe confessionis filius, si masculus; filia si fœmina. Ita Rulfus in celebri suo *Commentario manuscripto in casus reservatos* (quod extat in Biblioth. Seminarii Novariensis): ex hoc patet, quod prima pars nostri casus magis extenditur, quam secunda.

11. *Jurata falsi in judicio depositio, aut veri reticentia facta ab accusatore vel teste.* Item *inductio falsi testis jurati in judicium.* Qui non leviter dubitant de rei veritate, et eam juramento uti indubiam affirmant; aut qui jurant tamquam testes de visu, cum sint tantum de auditu; aut qui utuntur æquivocationibus, amphibologiis, vel restrictione mentali, reservationem incurrunt. Non eam tamen incurrit si falso juramento deponens vel reticens sit reus ipse et de facto proprio agatur. Item neque ille, qui verum jurat, quod ex errore credebat vel dubitabat esse falsum, licet sit perjurus ob conscientiæ reluctantiam. Ita *Synodus.*

12. *Retentio et occupatio scripturarum, bonorum immobilium, aliorumque jurium ad Ecclesias et loca pia spectantium* (1). Item *piorum legatorum solutio diutius anno protracta.* Item *Notariorum negligentia a notitia obitus defuncti legata ipsa, aliasque pias testatorum dispositiones intra sex menses non denunciantium.* Nomine *scripturarum* veniunt etiam scripturæ privatæ, licet in foro interno tantum obligent. Nomine *Ecclesiarum* veniunt non tantum sacræ ædes; sed et Beneficia et Capellaniæ ecclesiastica auctoritate in iis erectæ. Tandem nomine *piorum locorum* veniunt quæcumque domus quavis auctoritate extructæ, et ad Dei cultum destinatæ, vel ad ejus ministros efformandos aut sustentandos, vel ad excipiendos alendosque pauperes. Scripturæ censebuntur retentæ, cum habeantur etiam sine animo eas retinendi; sed delentur vel celantur, vel immutantur ex magna parte. Facta scripturarum restitutione refectisque damnis, cessat reservatio. *Piorum legatorum* nomine veniunt omnia, quæ ad pias causas fuerunt relicta, v. g. Missæ, Officia sacra, sacræ preces, eleemosynæ aut Ecclesiæ, aut pauperibus, aut puellis dotandis, aut captivis distribuendæ, etc. Reservationem incurrunt qui studiose non agnoscunt hæreditatem sibi delatam, ne piæ testatoris voluntati satisfacere adigantur, vel ideo malitiose hæreditatis possessionem differunt: vel post possessionem culpabiliter se impotentes reddunt ad solvendum. Hi tamen licet honesta parsimonia curare teneantur solutionem, si tamen, absolutione rite obtenta, propositum violaverint, reservatio non reviviscit. Hac lege devinciuntur etiam curatores, tutores, executores testamentarii, ac debitores quicumque legatorum, atque administrantes bona, quæ hoc onere gravata sint. Facta autem etiam post annum piorum legatorum solutione, reservatio cessat. Ita *Syodus Novariensis* (2).

Extra Synodum unus est casus Episcopo reservatus, sine censura tamen,

(1) An autem qui fundum Ecclesiæ conduxit, si annuum locationis pretium culpabiliter non solverit, incurrat in hanc reservationem, tamquam iniquus Ecclesiæ jurium retentor, sunt aliqui qui affirmant, quia pretium illud est revera *jus ad Ecclesias pertinens.* Verum negandum videtur; tum quia in communi æstimatione *jurium* nomine, proprio sensu non venit pretium rei locatæ, sed potius ratio seu fundamentum per quod fructus et reditus possunt exigi: quod quidem eruitur etiam ex ipso textu; tum quia nomen *retentionis* et *occupationis* locum habet ex sensu auctorum, quando res apprehenditur, retinetur, et in ea insistitur tamquam in re propria: hoc posito, de conductore qui differt pretium locationis solvere generatim loquendo nonnisi improprie prædicaretur. Neque etiam dici posset debitor Legatorum, cum nonnisi sit morosus debitor fructuum.

(2) *Pagg.* 315 *et seqq.* Hi casus cum eorum expositione quam diligentissime sunt memoriæ mandandi, ac semper firmiter retinendi, ne contingat errare in re gravissima et necessaria omnino.

et sic legitur in Litteris ad Clerum 2 apr. 1857 : *oido el parecer de diferentes eclesiásticos , y atendido el peligro de seduccion y escándalo en que caeria cualquiera que oyera y defendiera á los herejes dogmatizantes, establezco el que sea caso reservado el asistir á sus reuniones , aunque sea por simple curiosidad.*

Q. 4. *An Ecclesia habeat potestatem casus reservandi?*

R. Affirmat Tridentinum dicens : *magnopere... ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Postea addit : *siquis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit* (1). Addimus damnationem thesis 44 Pseudosynodi Pistoriensis Bulla *Auctorem Fidei*, ubi legitur : «*propositio Synodi asserens reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem*, falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchiæ potestatis læsiva.» Et hæc reservatio antiquitate commendatur, cujus quidem rei exempla suppeditant Thomasinus, Martenius, Morinus, et Chardonius (2) : ex quibus etiam jansenistæ arguuntur, qui toties provocant ad venerandam antiquitatem.—Utique Christus illimitate contulit omnibus Sacerdotibus absolvendi facultatem : sed aliud est facultas, aliud facultatis exercitium ; ut enim facultas exerceatur et personæ et causæ et modi designandi sunt, prout fit in ipso foro civili.

Habent facultatem reservandi qui ordinaria potestate gaudent, ut sunt Papa, Episcopi, Prælati Religionum, quique potestatem quasi Episcopalem habent, uti declaravit S. C. C., referente Fagnano (3). Non tamen Parochi ; neque enim ipsi sunt *maximi ac summi Pontifices*, quibus tantum reservatio tribuitur.

Q. 5. *Quale esse debet crimen, ut reservetur?*

R. Quamvis Episcopi casus seu peccata quæcumque sibi valeant reservare, negando jurisdictionem, cum eorum imperio Sacerdotum jurisdictio subsit; ne tamen Sacramenti administratio nimis difficilis reddatur, non debent sibi reservare, nisi peccata : 1 atrociora et ex objecto mortalia, et quibus conjuncta sit Ecclesiasticæ disciplinæ pernicies, et ideo ut plurimum non peccata venialia. Diximus *ut plurimum ;* nam si hæc, attento fine Superioris, possunt aliquando evadere gravia, poterunt subjici reservationi ; 2 in genere suo completa, non vero simplicem eorum attentationem, nisi id expedire censuerint ; 3 externa, ne infinitis anxietatibus locus aperiatur ; 4 certa, seu certo commissa : quia reservatio est odiosa (4).

(1) Sess. 14, cap. 7, et can. 11.

(2) *V.* Perrone, c. 5 *De pœnit.* (3) In c. *Cum olim de præscr.* n. 24.

(4) Monet etiam Benedictus XIV Bulla *Quo primum*, Parochorum potestatem, cum ordinaria sit,

Quid (dices) *de peccato dubio?* — Vel tale dubium est *facti*, nempe cum pœnitens certus quidem est illud genus peccati, quod commisit, esse reservatum: sed dubitatur, an in eo committendo revera ipse mortaliter peccaverit: puta defectu advertentiæ, vel consummationis. Vel tale dubium est *juris*, nempe cum certum quidem est pœnitentem mortaliter peccasse; sed dubitat Confessarius, an in illud peccatum lata sit reservatio, necne. Si 1, reservatio non est; quia hæc est res strictæ interpretationis, ut omnes fere pro certo habent cum Concina, Sanchez, Suarez et aliis. Imo docent communiter Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Viva, etc. quod si pœnitens confessus sit simplici Confessario tale peccatum, omnino liberatur a reservatione, quamvis postea illud agnoscat uti mortale: unde quamvis teneatur pœnitens, cum recordatur peccati certi prius confessi ut dubii, illud iterum tamquam certum confiteri, ut sic suppleat integritatem, eum exponendo uti erat in conscientia, ejusque cognitam gravitatem Confessario manifestet; tamen non tenetur amplius se sistere superiori pro ablatione reservationis, quia ablato peccato, ablata est etiam reservatio (1). — Si 2, docent Antoine, Concina et Wigandt, reservationem adesse; quia cum dubitatur, an peccatum quod vere commissum fuit, sit reservatum; dubitatur etiam an Confessarius habeat facultatem illud absolvendi; atqui Confessarius uti non potest facultate dubia. Sed communiter et probabilissime Anacletus, Elbel, Filliucius, Hurtadus, Sa et Viva, etc. tenent contrarium, sive dubium sit negativum sive positivum, nisi lex ipsa etiam casus dubios expresse complectatur; tum quia reservatio est strictæ interpretationis, tum quia *in dubio melior est conditio possidentis;* atqui Confessarius in hypothesi facultatem absolvendi jam in genere possidet. Adde: cum hæc sententia sit communis et fundata, certum est Ecclesiam supplere jurisdictionem, si forsan illa opinio esset falsa. — Hinc versus:

Completum, externum, certum, mortale reservant.

Quid (dices) *de fideli, qui committit peccatum reservatum, sed reservationem ignorans?* — Sententia, cui subscribimus, communior, imo communissima negat absolvi posse ignorantes reservationem; nam reservatio casuum respicit potius Confessarios, quos privat jurisdictione, quam pœnitentes: et ideo non est pœna pœnitentes ipsos respiciens, sed jurisdictionis restrictio respiciens Confessarios. Nec videtur dubitandum, cum Tridentinum dicat absolute Confessarios super reservatos *nihil posse:* nempe finis reservationis non est tantum, ut fideles a culpis gravioribus absterreantur; sed etiam ut recipiant a Superioribus pœnitentias, monita et remedia opportuniora, quæ non expedit dari, nisi a peritioribus. Et ideo cum in ignorantibus non cesset adæquate finis reservationis, nec ipsa reservatio cessat (2). — Si autem

non esse adeo coërcendam, et in Synodo potius imminuendam, ut sic omnis querelæ occasio præcidatur. (*V.* etiam *de Synodo Diœc.* l. V, c. 4, n. 3).

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XVI, nn. 142 et 143; et *Opus Mor.* l. VI, n. 600.

(2) Sess. 14, c. 7. — Neque obstat dicere, quod si reservatio non subsistit, cum adest dubium, multo minus debet subsistere cum adest ignorantia; nam ignorare minus est quam dubitare. — R.: in casu nostro diversa res est; quando enim dicimus *ignorare*, supponimus pro certo adesse

casui reservato sit adnexa censura, an tunc a reservatione incurrenda excusetur pœnitens, si reservationem ignoret, affirmandum est, si casus sint papales (modo tamen duos excipias in quæstione secunda relatos); quia casus Papales principaliter reservantur propter censuram, in qua spectatur præcipue ratio pœnæ, quæ in contumaces tantum infligitur. Hinc in hisce casibus, reservata censura, etiam peccatum remanet reservatum: e contrario, sublata censura, v. g. eo quod ignorata fuit, nec est reservatum peccatum; quia sublato medio reservationis, id est censura, jam peccatum non remanet reservatum (1). Negandum vero pro casibus, quos non quidem in jure Communi, sed sibi ipsi reservant Episcopi; quia in his principaliter et per se reservatur casus, eique supperadditur censura ad hoc ut peccantes fortius ligentur et per duplicem reservationem a peccato absterreantur: et ideo in tabella Casuum reservatorum ab Episcopo sic illi adnotari solent: *casus reservati, quibus est adnexa excommunicatio.* Quare hisce in casibus, ex veriori sententia, corruente censura ob ignorantiam, non ideo corruit reservatio (2).

Cæterum hac in re videantur etiam uniuscujusque Diœcesis constitutiones. Ex Synodo Novariensi, ut peccatum sit reservatum, oportet: 1 ut sit externum; 2 ut sit mortale ex objecto, et completum in genere suo, nisi aliud exprimatur; 3 ut tamquam reservatum cognitum fuerit a pœnitente. Hodie tamen qui indigent Litteris Patentibus, nequeunt amplius a reservatis absolvere pœnitentes hac ratione, quia ignoraverant reservationem: cum hæc exceptio in earum renovatione non amplius inveniatur (hæc igitur restrictio non tenet Parochos neque Coadjutores titulares, cum non indigeant hisce Litteris); 4 ut certum sit esse commissum ac subjici reservationi; 5 ut sit clare expressum; neque enim fit argumentatio de casu ad casum; 6 ut sit patratum a persona, quæ jam decimumquintum ætatis annum expleverit (3).

Q. 6. *Quinam a reservatis queunt absolvere?*

R. Generatim a reservatis possunt absolvere non tantum ipse reservans, ejusque Superior in jurisdictione spirituali, ac ille cui reservans vel ejus Superior facultatem hanc delegaverit; sed etiam Sacerdos inferior, quamvis a suo Superiore non delegatus in hisce casibus:

et a Confessario cognosci peccatum reservatum, sed tantum illud ignorari a pœnitente; e contra quando ponimus *dubitare*, incertum est an revera adsit peccatum reservatum: unde hic minus est dubitare, quam ignorare.

(1) Ex cap. 2 *de constitut.* in 6. Si quis autem sciens censuram ignorat illam esse reservatam, ab ea incurrenda non excusatur; quia is jam consentit in pœnam censuræ, adeoque implicite in ejus reservationem et in omnes alios effectus, licet ignoratos.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 581. In Novariensi Diœcesi sunt quidem censuræ reservatæ per se, uti videre est in tractatu *De Censuris* in fine, at nullus est proprie dictus casus cum excommunicatione ei adnexa neque in Synodo neque extra, si excipias casum abortus fœtus animati, quem Episcopus sibi reservat, et cui Pontifex adnectit excommunicationem ipsi Episcopo reservatam; sed obtenta facultate absolvendi a tali casu, eo ipso est data facultas absolvendi a censura, ut habet Synodus.

(3) Pagg 130 et 315. — Qui confitetur post adeptam pubertatem peccatum in impubertate commissum, potest a quolibet Confessario absolvi, quia superveniens ætas non inducit in actionem præteritam illud gravitatis genus, quod plectere voluit superior. Ita Alasia pro iis Diœcesibus, in quibus ad reservationem pubertas requiritur. Hoc tamen negat Possevinus, quia in absolutione reservatorum respicitur tempus quo datur absolutio, cum reservatio afficiat Confessarium: ita *Resolut. casuum* sub Prospero Lambertini.

Et 1 Sacerdos inferior etiam non delegatus potest omnes directe absolvere in articulo ac periculo mortis ; in eo enim, dicente Tridentino, *nulla est reservatio, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Unde si infirmus ab inferiori Sacerdote absolutus iterum convalescat, non amplius tenetur recurrere ad Superiorem, ut iterum absolvatur ; cum tunc perinde se habeant peccata reservata, ac si reservata non essent. Excipe si peccata illa habeant adnexam censuram: tunc si pœnitens convalescat, debet se præsentare Superiori, idque præcipitur in jure, non quidem ut iterum absolvatur, quia jam a censuris et peccatis absolutus fuit, sed ut se ostendat absolutum, obedientem et paratum ad majorem pœnitentiam accipiendam, si Superiori videbitur: quod si pœnitens neglexerit, reincidit in censuram (1).

2. Item Sacerdos inferior non delegatus directe potest absolvere illum extra diœcesanum, qui ligatus sit peccatis in propria quidem Diœcesi reservatis, non autem reservatis in Diœcesi Confessarii. Reservatio enim directe afficit Confessarium, non pœnitentem: unde cum non sit ligata Confessarii jurisdictio, illa uti valet etiam in peregrinum ex universali consuetudine. Excipitur : — 1 ex Bulla *Superna* Clementis X, si pœnitens e sua in aliam migraret Diœcesim *in fraudem reservationis* nempe (uti probabilius ac communius explicant Lugo, Roncaglia et Viva) si pœnitens eo unico fine principali proficiscatur, ut alibi facilius absolvatur, et proprii pastoris judicium aufugiat (2): tunc enim elusiora redditur lex ; — 2 cum eodem Roncaglia et Wigandt contra alios, si casus cognoscatur innodatus censura reservata; nam censura directe afficit pœnitentem ut pœna, quæ ideo eum ubique comitatur : unde simplex Confessarius non potest illum absolvere, cum in censuris reservatis nihil possit ; imo neque Episcopus qui non sit Ordinarius pœnitentis : quia Episcopi sunt independentes alii ab aliis, et unus non potest ingredi provinciam alterius quoad facultates et statuta propriæ Diœcesis.

3. Sacerdos inferior non delegatus potest absolvere pœnitentem illum, qui adire non potest Superiorem (neque per epistolam), vel alium qui hac facultate gaudet; si tamen causa urgeat, v. g. ut vitet scandalum vel infamiam, ut satisfaciat præcepto paschali quod urget, aut si alias diutius perseverare debeat in mortali. Ita communiter Castropalaus, Concina, Coninchius, Elbel, Layman, Salmanticenses, Suarez, Vasquez, Wigandt, Viva : et hoc quidem, quamvis peccatum sit reservatum cum excommunicatione. Sane cum Tridentinum dicat reservationem esse *in ædificationem, non in destructionem,* necessitatis casum merito præsumitur Superiorem excepisse : id-

(1) C. eos qui *de sent. exc.* in 7 ; et *Decr.* Greg. l. V, t. XXXIX *de sent. exc.* c. 13. — Unde quilibet Confessarius simplex, etiam præsente Superiore, potest moribundum absolvere a reservatis sine censura ; non tamen a reservatis cum censuris si adsit, vel vocari possit superior. Ratio, quia in 1° casu, cum omnis tunc reservatio cesset, per se et absolute absolveret ; in 2° vero casu, nonnisi per accidens et sub conditionali pœna se præsentandi superiori, quod si omittat, in primam censuram incurrit.

(2) Unde bene ipse absolvi potest, si abscesserit ob aliquem honestum finem, v. g. negotii, Indulgentiæ lucrandæ ; vel ut confiteatur cum minori incommodo, vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui suæ tranquillitati melius consulat etc. *V.* Liguori, *Opus Morale* l. VI, n. 589.

que confirmat Benedictus XIV, ut refert Panzuti.—Quia tamen Tridentinum declaravit Confessarios simplices *extra articulum mortis nihil posse in reservatis* (1); ideo dicendum in hoc tertio casu absolutionem nonnisi *indirecte* tribui. Et proinde, cessante impedimento, teneri pœnitentem se præsentare Superiori, ut etiam directe absolvatur (2).

Hæc generatim loquendo: ad Novariensem enim Diœcesim quod attinet, facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis conceditur Vicariis, Pro-Vicariis foraneis; Parochis vero conceditur pro semper facultas absolvendi a casu posito sub n. 5: pro cæteris casibus absque restrictione a Dominica *Passionis* usque ad Dominicam *In Albis* inclusive: ab omnibus item casibus facultas conceditur, die quo Congregatio habetur, pro iis nempe Parochis vel Coadjutoribus titularibus, qui ad Confessiones tunc temporis audiendas fuerint deputati a Vicario vel Pro-Vicario foraneo. Cæteris vero Confessariis hæc in reservatis facultas conceditur absque limitatione: — 1 erga ægrotantes in Nosocomiis, degentes in Gynæceis, Collegiis, Carceribus et Monasteriis (si ad Monasteria patentes Litteræ extendantur);—2 erga infirmos, qui domo exire nequeunt judicio prudentum;—3 erga sponsos, qui intra hebdomadam inituri sunt matrimonium; — 4 erga eos, qui aliunde bene dispositi, absque scandali aut gravis probri periculo absolutione privari nequeunt judicio prudentis Confessarii; — 5 erga eos, qui inculpate alicujus peccati reservati in Confessione obliti fuerint: vel bona fide illud confessi sint Sacerdoti, qui reservationem minime advertens eosdem sine facultate imprudenter absolverit; — 6 *erga eos, qui non minorem quinquennio confessionem emittunt ex quadam utilitatis vel necessitatis ratione: non vero eo tantum fine, ut a reservatis absolvantur;* — 7 *erga eos, qui tempore admissi criminis reservationem non affectate ignoraverint* (habentes tamen facultatem confessiones excipiendi per Litteras Patentes, nequeunt amplius eos absolvere qui quinquenalem confessionem emittunt, vel reservationem ignorarunt; cum numeri 6 et 7 expuncti fuerint in illarum Litterarum renovatione jam ab anno 1843); —8 erga illos, de quorum culpa Confessarius dubitat, num in reservatione comprehendatur; — 9 erga illos, qui confitentur tempore quadraginta horarum, vel Missionis aut Exercitiorum Spiritualium octo saltem dies perdurantium, et intra illius Parœciæ fines: vel occurrentibus Festis Dedicationis ac Titularium Ecclesiæ parochialis, et eorum pervigiliis (3).

In Encyclica autem *Quanta nos* 23 sept. 1833 (præfixa Kalendario anni 1834) hæc insuper notantur: — 1 facultates Parochis concessæ quoad casus in Synodo reservatos extenduntur etiam ad Coadjutores titulares, ad Pro-Parochos et Vice-Coadjutores Ecclesiarum vacantium: et quidem ad totum tempus Paschale, etiamsi hoc fuerit a Superiore anticipatum vel ampliatum: quæ ampliatio etiam Parochis intelligitur data; — 2 facultas concessa pro

(1) Sess. 14, c. 7. — *V.* Panzuti, *De Pœnitentia*, n. 363.

(2) Tunc *indirecte* tribuitur absolutio, quando peccatum expresse non declaratur; vel si declaratur, in illud tamen Confessarius per se jurisdictionem non habet. Si pœnitens non habeat nisi reservata, nequit absolvi, nisi submittat clavibus Ecclesiæ peccatum aliquod saltem veniale vitæ præteritæ; secus nulla daretur Sacramenti materia.

(3) Pagg. 37 et 131. — Si facultas alicui conceditur a reservatis absolvendi, hodie ab Episcopo fere semper excipiuntur casus 3 et 10.

Nosocomiis extenditur etiam in favorem omnium Communitatum, quæ a Superiore vel Superioribus determinatis reguntur, dummodo in earum Oratoriis vel ædibus confessiones excipiantur; — 3 Confessarii, licet semel tantum delegati ad absolvendum a reservatis sive casibus sive censuris, absolvere possunt pœnitentem, qui in eumdem casum vel censuram relapsus sit, ipsa jam obtenta delegatione (non tamen exercita); et quamvis in petitione certus numerus fuerit expressus culparum aut censurarum. Item cessat reservatio, si absque nullius sibi propositæ fraudis vitio confessionem integram fecerit pœnitens Confessario opportunis facultatibus prædito, ab eoque absolvatur; tametsi confessio illius culpa, ex quovis alio capite, invalida sit; — 4 hebdomada, qua licet sponsos absolvere a reservatis, complectitur spatium dierum septem supputando a die confessionis inclusive; — 5 nomine Dedicationis ac Titularium Ecclesiæ parochialis intelliguntur tantum Festa Dedicationis propriæ Ecclesiæ parochialis, ac titularis principalis Parœciæ: ac propterea hæc facultas non amplectitur omnes Dedicationes, quæ in quibusdam locis celebrantur; neque omnes Titulares, ubi plures coluntur. Quoties vero hæc Festa occurrunt feria II, facultas vigebit etiam sabbato et dominica præcedentibus.

An pœnitens (quæres) *confessus superiori, si inculpate obliviscitur reservati, possit postea de illo peccato a quovis Confessario directe absolvi, illud ei declarando?* — Sententia nobis probabilior negat: ratio valde urgens est, quia ad auferendam reservationem requiritur, ut non tantum peccatum subjiciatur judicio superioris, ut absterreantur pœnitentes, sed etiam ut convenientem ab eo medicinam ac pœnitentiam recipiant. Excipe 1 cum Concina, si ex aliquo positivo judicio habeatur præsumptio, voluisse superiorem reservationem omnem auferre; 2 cum Suarez, si pœnitens confessus sit in Jubilæo; quia ex tali privilegio habet, ut possit absolvi a quocumque Confessario.

An (addes) *tollatur reservatio per Confessionem nullam factam Superiori, vel delegato a Superiore, in qua tamen declaratum fuit peccatum reservatum?* — Si Confessio pœnitentis est inculpabiliter nulla, ut si v. g. inculpabiliter erretur in absolutione, tunc tollitur reservatio ex communi ac probabiliori sententia; nam ex una parte Superior intendit actualiter et absolute pœnitentem liberare tam a peccato quam a reservatione; ex alia pœnitens subjecit Superiori peccatum, et ab eo pœnitentiam recepit: excipe casum Jubilæi, quia ibi positive requiritur Confessio valida. — Si vero confessio sit culpabiliter nulla seu sacrilega, adhuc tolli reservationem communius et non improbabiliter affirmant; quia alius est finis confessionis, qui est remittere peccatum; alius est finis reservationis, qui est subjicere peccatum Superiori vel delegato, ad pœnitentiam et redarguitionem: qui si ex voluntate interpretativa nollent, tamen voluntate actuali jam reservationem auferunt. Excipe 1 si pœnitens non habeat animum vitandi reservatum, vel ejus pœnitentiam implendi; tunc enim non potest supponi conniventia Superioris; 2 si agatur de Jubilæo, quia tunc facultas absolvendi reservata non conceditur, nisi ad finem, ut fideles Jubilæum lucrentur (1).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 597 et seqq.

Quomodo (dices) *se gerere debet Confessarius audiens reservatum, si absolvendi careat facultate, nec casus urgeat?* Confessarius iste, statim audito peccato reservato, quin ultra pœnitentem audiat, ipsum mittere debet ad facultatem habentem, neque se debet offerre ad licentiam postulandam a Superiore, ne finis reservationis destruatur, qui est tum ut difficultate absolutionis retrahantur homines a gravioribus peccatis, tum ut graviores morbi a peritioribus medicis curentur. Excipe nisi aliter suadeat charitas, ut ipse veniam petat a superiore; quo in casu reliqua audiat peccata ac implebit Confessionem, tum ut congrua remedia præscribat, tum ut videat, an alia habeat peccata reservata, deinde vero eum absolvendi facultatem sibi a Superiore comparabit. Qua obtenta Confessarius non utatur, quin prius pœnitenti patrati sceleris gravitatem ostendat, et salutarem satisfactionem imponat (1) *(J)*.

An (inquires) *peregrinus peccans in alia Diœcesi, ubi casus est reservatus cum censura, utramque incurrat?* — Erit iste ligatus reservatione tantum, si ibi velit confiteri: cum reservatio afficiat Confessarium. Quoad censuram adnexam non videtur per se loquendo eam incurrere; quia censura non potest ferri nisi in subditos: et peregrini etsi constituantur subditi ratione Confessionis, non tamen tales constituuntur ratione censuræ incurrendæ (2).

Q. 7. *Quid notandum circa Confessarium Monialium?*

R. Hæc præcipua notanda: — 1 omnes Confessarii, ut valide Moniales confiteantur, indigent speciali electione et approbatione Episcopi loci etiam pro Confessione venialium: ita S. C. C. Si vero agatur de Monialibus exemptis, tunc Confessarii præsentantur a propriis Superioribus, sed adhuc debent ab Episcopo de necessitate approbari; et approbatus pro Monialibus unius Monasterii non censetur approbatus pro monialibus alterius Monasterii. Ita Bulla Gregorii XV *Inscrutabili*, Clementis X *Superna*, et Benedicti XIII *Pastoralis;* — 2 jure Communi nulla ætas ipsis præscripta est; sed Clemens XI præter alias conditiones doctrinæ, prudentiæ et pietatis, præscripsit, ut sint *ætate provectiores:* quod judicio Episcopi relinquitur (3); — post elapsum triennium ab officio suspenduntur, nisi confirmationem obtinuerint a Congregatione Episcoporum et Regularium, ut declaravit S. C. C. 4 maji 1696. Advertunt tamen non pauci posse Episcopos sinere, ut ultra triennium in munere adhuc perdurent, si tamen Sacerdotes idonei deficiant; — 4 bis vel ter in anno assignentur Confessarii extraordinarii, et tunc sileat potestas Ordinarii etiam quoad novitias: et Moniales omnes teneantur ad extraordinarios accedere vel pro confessione facienda, vel pro accipiendis salutaribus monitis, ut Tridentinum ait (4). Hoc etiam

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 591, etc. (2) Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 584.

(3) Ex pluribus decretis S. C. C. nequeunt deputari Vicarii generales, Pœnitentiarii, Parochi aut Regulares, nisi Episcopi justis de causis expedire censuerint.

(4) Sess. 25, c. 10 de Regul. — *V.* De-Alexandris, *Confessarius Monialium.* — Pellizarius, *De Monialibus:* si tamen correctus juxta editionem Romanam 1755; quia secus est in Indicem relatus Decr. 21 apr. 1693. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.* nn. 55, 121, 157 et seqq.; et *Opus Mor.* l. VI, nn. 576, 577 et 602. — *Istruzione pe' novelli Confessori* Opera di un Missionario, par. 2. — *Istru-*

Benedictus XIV præcepit Const. *Pastoralis*, qui insuper Monialibus facultatem fecit ad Pœnitentiarium recurrendi, si extraordinarios Episcopus non assignet. Monet etiam, ut Episcopus se facilem exhibeat, si Monialis aliqua extraordinarium petat; — 5 confessionalia debent amoveri a sacrestia, aliisque locis occultis: et ita constitui, ut evitetur omnis aspectus Confessarii et Monialis. Ita iterum S. C. Congregatio.

Hic etiam præ oculis habendum, quod præscribit Concilium Provinciale Vercellense habitum 18 nov. 1849: *quum nonnullæ ex Monialibus quæ in stricta clausura non degunt, extra Monasterium aut puellarum scholis, aut infirmorum in nosocomiis servitio incumbant, quocumque illæ nomine donentur Monialium, aut Sororum, decernunt Præsules neminem Confessarium, etsi sit in Diœcesi probatus, ipsarum confessiones excipere debere, nisi ad id fuerit speciatim ab Episcopo deputatus.*

Q. 8. *Quid de Confessario complicem suum absolvente?*

R. Absolvere complicem *extra luxuriæ materiam* non est invalidum, si adsint omnia requisita, nempe verus dolor in pœnitente et jurisdictio in Confessario: siquidem nulla est lex prohibens: imo neque illicitum, si absit omnis periculosa occasio. Diximus *extra luxuriæ materiam;* nam Benedictus XIV, Constitutione *Sacramentum*, declaravit Confessarium carere jurisdictione ad absolvendum complicem suum (sive masculum sive fœminam) in peccato contra sextum Decalogi præceptum; eumque incurrere ipso facto excommunicationem reservatam, si illius *confessionem excipere audeat et ipsum absolvere, excepto articulo mortis, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, licet simplici.* Attamen Pontifex, ut conscientiarum tranquillitati consuleret, ita hæc per subsequentem Constitutionem *Apostolici muneris* temperavit, ut tunc quoque alius Sacerdos deesse censeatur, cum adest quidem, sed vocari nequit sine scandalo aut infamia. Quod si quis, hoc incommodo non urgente; vel eo quidem urgente, sed de industria non antea impedito, *opportuna scilicet adhibendo media, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque nullius infamia vel scandalo audiendæ,* complex in articulo mortis absolvere audeat, valide quidem absolvat, ne quis illius culpa pereat; pœnam tamen incurrat in priori Constitutione statutam.

Nomine autem peccati turpis huc venit omne peccatum *externum*, *grave*, *certum* et *formale* contra sextum Decalogi præceptum, uti habet Benedictina Constitutio: — 1 *externum;* quia ad reservationem inducendam non sufficit sola culpa interior etiam gravis; — 2 *grave*, quia hic non comprehenduntur peccata inhonestatis venialia, sive talia sint ex parvitate materiæ, sive ex defectu advertentiæ aut consensus; cum nulla sit obligatio manifestandi venialia. Attamen sufficit, si sit solus tactus vel colloquium obscœnum, modo ad mortale attingat, uti tenemus cum pluribus doctis contra Amort,

zione per i Confessori delle Monache in calc. Synodi Balbis Bertone. — Bambacari, *Esercizi spirituali per Monache.* Orvieto 1856. — Fusignano, *Esercizi spirituali alle monache.* — *Direttorio spirituale delle religiose.* Torino, Marietti 1844. — Leguay, *Operette varie intorno alle monache.* Paris. — P. Giovanni del SS. Sacramento. *Esercizi spirituali, avvento e quaresimale* ecc. *per monache.* Firenze 1856.

Scarpazza et nonnullos alios ; cum semper verificetur esse turpe atque grave peccatum ; — 3 *certum*, quia juxta communem sententiam non censentur Superiores reservare peccata dubia, nisi expresse declarent ; — 4 *formale*, id est, ut ex utraque parte complicitas sit mortalis et externata : unde non haberetur ista externa complicitas, puta siquis vi turpiter Confessarium tetigerit renuentem, esto forsan quod hic interne consenserit. Nihil tamen refert, si Confessarius uti complex non sit in Confessione a pœnitente cognitus, si verificetur se complicem vere esse, et Confessarius illum sciat, et audeat absolvere.

Hic autem notamus, quod si complex de peccato turpi fuit jampridem ab alio Confessario valide absolutus, et illud nunc iterum confiteatur Confessario complici uti materiam sufficientem, sed non necessariam, absolutio valet, si aliunde cætera necessaria non desint ; cessat enim omnino in hoc casu indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur jurisdictionem Confessario abstulisse (1). — Si vero nondum fuerit de eo peccato valide absolutus, absolutio certe irrita est etiam quoad alia peccata ; cum aut omnia, aut nullum remittat oportet. Idque inferimus ex Bulla *atque ideo absolutio nulla atque irrita omnino est (K)*.

ARTICULUS III — De confessarii dotibus et officiis.

Q. *Quænam sunt dotes Confessarii?*

R. Omnes Confessarii dotes eo respiciunt, ut recte exerceat quadruplex munus quo præditus est, nempe patris, medici, doctoris et judicis. Pater est Confessarius ; sit ergo charitate plenus, ut animos erigat pœnitentium. Medicus est ; malis ergo congruo remedio occurrat, ne contingat inopportune mederi. Doctor est ; custodiat ergo scientiam ac prudentia et exemplo præfulgeat, ne cæcus cæcis ducatum præstet. Judex est ; causæ igitur momenta fideliter cognoscat et fortis sit, ut jus legitimum dicat. Huc etiam venit modus, tempus, locus atque habitus, quo Confessarius debet Confessiones excipere, ut rite suo munere fungatur (2). Nobis tamen satis erit agere de præcipuis dotibus hisce versiculis comprehensis *(L)*.

Sit pius et fortis, patiens et amore repletus,
Sit doctus Confessor, prudens atque fidelis.

(1) Verum, si quis pudor maneat in Sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit etsi jam remissum, si quis honor Sacramento debitus, numquam in posterum complicis Confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis in directione talis pœnitentis facile subire potest, avertendi igitur sunt fideles quoad fieri potest, ne umquam imposterum, secluso necessitatis casu, illum adeant Confesarium, a quo semel sollicitati. — *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. IX, c. 14. — Gousset, etc.

(2) V. Synodus Novariensis ubi hæc omnia traduntur pag. 119 et 120. — Audisio *Lezioni di eloquenza*, par. 2ª; lez. 14. Hic duo notamus cum Careno (Esame XVII) : « 1 Oiganse las confesiones (quoad potest) no en pié, sino sentados, pues pertenece á la dignidad del Ministro de Jesucristo estar de esta manera. (Con. Prov. VI et VII) ; 2 Téngase presente que oir confesiones á hombres en puntos muy separados de la casa parroquial, en ciertas circunstancias de los penitentes, ó por ser forasteros, ó por ser de una conducta muy desarreglada, puede ser peligroso al Confesor.

§ I — *De pietate, fortitudine, patientia, charitate et scientia.*

Q. 1. *Quid de Confessarii pietate?*

R. Confessarii pietatem sic describit D. Carolus *(Instructione Confessariorum) : Confessarius ita sancte vivere studeat, ut pœnitentes non verbis solum, sed exemplis quoque ad virtutum officia erudire possit, neque ejus dicta a factis ullo modo dissentiant.* Hoc necessarium est tum ad Dei gloriam promovendam ; tum ad se ipsum a peccatorum occasione custodiendum ; tum ad proximos utiliter dirigendos. *Habeantur boni Confessarii* (ad rem ajebat Pius V), *et cito habebitur omnium Christianorum omnimoda reformatio !*

Cum vero dicimus Confessarii pietatem, non intelligimus solam habitualem et negativam, quæ consistit in nihil mali peragendo, vel in simplici statu gratiæ ; sed vere positivam, quæ nempe consistit in agendo bono positivè et ex animo, ut sic fideles sibi persuasum habeant, se tutam sequi viam, cum eam et sequantur eorum Directores. *Has tamen partes*, ait Alphonsus noster, *numquam assequetur Confessarius ille, cui oratio non est perfamiliaris, et meditatio quotidiana ; etenim alia via lucem et gratias huic tanto muneri... necessarias obtinere nemo potest.* Studeat præsertim, ut devotionem erga Sanctissimum Christi Cor in se et pœnitentibus foveat ; sic enim expresse allocutus est Christus ipse venerabilem Alacoque : *quicumque cor meum coluerint et late colendum curaverint, mira potientur arte peccatorum corda vel durissima emolliendi* (1).

Q. 2. *Quid de Confessarii fortitudine, patientia ac charitate?*

R. Ad 1 : Confessarii fortitudo in eo consistit, ut ipse, abjecto et conculcato quolibet humano respectu, dicat cuicumque pœnitenti, etiam Regi, cum Præcursore : *non licet tibi*, memor quod agit causam Dei et animarum (2). Unde docent unanimiter, si nolit a fortitudine excidere Confessarius, ne plausus sibi nobilium et matronarum exquirat ; ne existimationem in populo, aut pœnitentium copiam atque frequentiam appetat ; ne munera a pœnitentibus sibi oblata recipiat, quia *munera excæcant oculos sapientum* (3).

R. Ad 2 : Patientia est Confessario necessaria maxime cum quibusdam fastidiosis pœnitentibus, timidis, scrupulosis, rudibus, inurbanis, in narratione prolixis, vel sæpius recidivis, si eos lucrari velit. Impatiens omnia præcipitat, animabus est offendiculo, et exercite ostendit potius velle ab officio se liberare, quam illud recte implere. Hinc illud : *væ his, qui perdiderunt sustinentiam* (4)! E contrario qui patienter audit ac sustinet, dominatur sibi, nullo fastidio movetur, sanctum consilium init, ac salutare opus perficit, adeo verum est : *patientia opus perfectum habet* (5).

R. Ad 3 : Confessarius viscera charitatis induet, si meminerit cujus vices gerit : vocat D. Ambrosius Confessarios *vicarios amoris Christi :* 1 igitur Confessarius charitatem magnam præseferat in omnes excipiendo sive pau-

(1) De devotione SS. Cordis Jesu (et Mariæ) mira Gallifiet, Doureville, Boudrand, Liguori, Borgo, Fumel. Et maxime Opus, *Sui SS. Cuori di Gesù e Maria.* Roma 1849.

(2) *V.* Careno, *Delle regole* ecc. Es. XVI. (3) Deuter. 16.

(4) Eccl. 2. — *V.* Stapf, § 622. (5) Jac. 1.

peres sive divites; siquidem nulla apud Deum est acceptio personarum (1); 2 majorem charitatem ostendat in pœnitentem audiendo : caveat, ne se exhibeat impatientem, aut ostendat admiratione percelli de peccatis, quæ narrantur. Unde Apostolus: *fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris* (2); 3 maximam habeat charitatem in bene disponendo pœnitentem, efficiendo ut percipiat gravitatem peccatorum ac miseriam sui status : « me causa horror, *ajebat S. Alphonsus* (3), el obrar de algunos, que sin procurar la compuncion é iluminar á los penitentes, les despiden bruscamente con un *no puedo absolverte ;* ¿no es esto lo mismo que decir á un ciego anda, piérdete? » 4 studium veræ charitatis huc impendat, in adjuvando (si opus est) pœnitentem ad doloris actum efformandum : et si dispositus sit, opportunis correctionibus adhibitis, remediis suppeditatis, ac data congruenti satisfactione, eum absolvat. Quod si sit differenda absolutio, eum dulcibus verbis dimittat assignans diem, quo regredi debeat (4) *(M).*

Q. 3. *An in Confessario requiratur scientia* (5)?

R. Ut Confessarius recte ac utiliter ministerium suum exerceat, requiritur in eo scientia ; si enim est hujus Sacramenti judex, oportet ut cognoscat quousque ejus extendatur potestas; si medicus, diversas infirmitates, atque remediorum species scire debet ; si doctor, quæ danda consilia ; si minister, quomodo honor ac valor Sacramenti curandus. Graviter ergo peccant et in statu damnationis sunt tum illi Confessarii, qui sine sufficienti scientia huic ministerio se ingerunt (6); tum illi Superiores, qui tales Confessarios sine necessitate constituunt vel tolerant : contra utrosque sic merito exclamatur : *væ vobis duces cæci* (7).

Quapropter Ecclesiastici ne credant, quod satis idoneos ad illud se reddere possint sine diuturno studio ; toto cœlo errare dicendi sunt qui non erubescunt asserere, quod pro addiscenda Theologia Morali sufficiat vel tenere principia generalia, vel percurrere aliquam summulam ex tot iis, quæ in tantæ facultatis dedecus et præjudicium circumferuntur. Nemo ignorat Mo-

(1) Deuter. 1. (2) Gal. 6. (3) *V.* Tannoja, in ejus *Vita* l. III, c. 30.

(4) « Hæc est via (concludit S. Alphonsus), qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest charitate. Alioquin si ipsi in Confessarium incidant qui cum eis inclementer agat, a Confessione horrebunt, confiteri negligent et effrænate in perditionem ibunt. » — *V.* Liguori, *Opus Morale*, l. VI, n. 608.

(5) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXII. Hic obiter notamus necesse esse, ut praxis doctrinæ conformis sit, sunt enim aliqui valde difficiles ac rigidissimi, cum disputant; qui tamen dum operantur, nullum dimittunt inabsolutum in Tribunali pœnitentiæ, quantumvis recidivum. — *V.* Careno, *Delle regole* ecc. Es. XIII, circa finem.

(6) « Nec excusabit eum Episcopi approbatio, si *manifeste* se noverit inhabilem; approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed eam supponit. Dico *manifeste;* dum qui tantum dubitaret, bene potest, imo debet quiescere in sui superioris judicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. » *Praxis Conf.*

(7) Matth. 23. — Cæterum magna mercede compensabuntur studia et labores boni Confessarii; quia *de sui ipsius prædestinatione* (inquit S. Alphonsus) *ita securus est, qui se ad animarum salutem exercet et occupat, ut Jacobus perspicue id testetur sic dicens:* qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 629; *Homo Ap.* tr. XVI, n. 100; et *Praxis.*

ralem Theologiam et valde necessariám esse Reipublicæ christianæ, cum ab ea pendeat bonum regimen animarum; et esse valde extensam ac difficilem, tum quia respicit notitiam saltem generalem aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum quia tot diversas materias complectitur; tum quia magna ex parte constat tot legibus positivis, quæ sine gravi studio addisci nequeunt; tum demum quia innumeræ contingunt casuum circumstantiæ, ex quibus resolutionum pendet variatio; nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia. Ex quo patet hoc studium numquam intermitti debere; cum enim ex tot rebus inter se disparibus constet, multa quamvis memoriæ commissa, quia rarius contingunt, temporis progressu facile e mente decident: *et tale est ingenium nostrum, ut torpescat, si usus destituerit lectionis,* ait Augustinus (1). Hanc autem necessariam scientiam usus et experientia non supplent, sed juvant tantummodo.

Generatim talis ac tanta esse debet scientia in Confessario, qualis et quanta necessaria est ad hoc, ut prudens judicium ipse ferre possit in hoc foro. Debet ergo scire: 1 quæ peccata mortalia et venialia saltem ex genere suo; et species et circumstantias peccatorum necessario explicandas; 2 quæ spectant ad restitutionem bonorum spiritualium et temporalium; 3 casus reservatos: item excommunicationes, censuras et irregularitates saltem communiores; 4 matrimonii impedimenta et communes statuum obligationes; 5 quæ in pœnitente dispositiones et quæ remedia peccatis opportuna. Diximus *generatim;* nam pro praxi cum communi animadvertere juvat hæc speciatim. 1 sufficit, si Confessarius prædictas res ita mediocriter sciat, ut saltem bene intelligat quæ frequentius contingunt (quæ tamen pauca non sunt) et de aliis sciat dubitare; nam per dubitationem suspendit judicium, veritatem inquirit: *scientia summa non requiritur* (inquit Lacroix): *imo per accidens sæpe est minus utilis, quam mediocris conjuncta cum naturali judicio et praxi. Qui enim ita stabiliter omnia volunt revocare ad apices theologicos, sæpe se ipsos et alios implicant scrupulis aliisque difficultatibus;*—2 non semper eadem scientia in omnibus requiritur; sed major vel minor pro diversitate locorum et pœnitentium: sic major requiritur pro audiendis Episcopis, Sacerdotibus et Clericis, quam laicis et agricolis;—3 in dubiis magis implicatis non solum sunt consulendi alii viri docti et majoris experientiæ, debita venia; sed maxime Episcopus est audiendus, si tempus suppetat, ut securius procedatur (2).

An (quæres) *præter sccientiam Theologiæ moralis necessaria sit scientia Theologiæ asceticæ ac mysticæ?*—R. *Asceticæ* nomine hic intelligimus illam Theologiæ partem sane præstantem, quæ regulas suppeditat perducendi animas ad perfectionem per vias ordinarias: quæ quidem non in sola extirpa-

(1) *Quæst.* 120, *ex utroq. mix.* Quod quidem si valet de studiosis et ætate provectis, quid erit de illis qui dum viget ætas, dum nondum canis spargitur caput, antequam subeant morbi tristisque senectus, occupationes fastidiunt, novis semper solatiis student, studiosos vexant, perturbant, ut ignaviæ socios habeant; vel ita leviter doctrinæ attendunt, ut vix uno vel altero die permaneant in iis quæ didicerunt, quasi nempe agatur de scientia supervacanea, ad nostram populorumque salutem minime conducente?

(2) *V.* Liguori, *Operette varie;* domande che possono farsi ai Sacerdoti che vogliono prendere la Confessione: vid. Append. in fine hujusce voluminis. de hac re.

tione vitiorum, sed etiam in virtutum exercitio consistunt. Nomine vero Theologiæ *mysticæ* intelligimus scientiam, quæ de spirituali contemplatione agit, quæ nempe dirigit pœnitentes circa dona supernaturalia, extraordinaria ac quasi mysteriosa (ex quo nomen *mysticæ*), quibus aliquando a Deo donantur animæ nonnullæ.—Hoc posito, dicimus 1: non est dubitandum, quod Confessarius *asceticam* callere debeat; si enim est *medicus*, non solum debet cognoscere remedia pro sanandis morbis, sed etiam artes, quibus salus recuperata conservetur; si *pater*, non solum debet a filiis omne præjudicium removere, sed etiam omne bonum iisdem procurare. Hæc autem non consequetur, nisi aliquam etiam asceticæ scientiam habuerit: gravissimam sane daturus erit rationem Confessarius, qui animas sublimioris virtutis capaces negligit; 2 quod pertinet ad *mysticam* sunt qui illam ejusdemque tractatores, licet doctissimos, rident passim, aliquo modo accedentes ad Protestantes, inter quos vix credibile est quot injuriis mysticam ac mysticos prosecutus sit Moshemius, ut refert Bergier. Verum nedum spernenda, imo tamquam utilis, et necessaria hæc scientia habenda est; nam cum dentur animæ illis mysteriosis donis a Deo donatæ, requiritur in Confessario (aliqua saltem) notio in eadem scientia, ut erga pœnitentes suos etiam in his magistri, doctoris et patris officio fungatur *(N)*.

Q. 4. *An aliquando excusetur Confessarius minus idoneus?*

R. Excusatur Confessarius minus idoneus. si tamen satis idoneus, et adsit necessitas, quando nempe pœnitens aliter carere diu deberet Confessione, uti contingere solet in parvis oppidis, in triremibus, etc. Tunc est commune, quod si haberi nequeunt Sacerdotes valde docti, possunt deputari etiam minus docti, modo semper admoneantur de gravissima obligatione, qua tenentur, assidue studendi.

Quid (quæres) *de Confessione acta penes Confessarium ignarum?*—Vel bona fide eam egit pœnitens, si nempe nesciebat talem esse Confessarium: vel fide mala, si scienter ad Confessarium ignarum accessit. Si 1 Confessio probabilissime valida est, quia defectus scientiæ non tollit jurisdictionem, et vix contingere posse videtur, ut absolutio nulla sit hujus defectu; nam supposita materia legitima ac jurisdictione, ajunt communiter ex parte ministri satis esse quoad validitatem, ut peccata sub generali notione offensæ Dei cognoscat: attamen si agatur de difficili aliquo casu, ut securius incedat pœnitens, præstat ut illum docto iterum manifestet. Si 2, pœnitens, mortaliter peccat ac sacrilegus efficitur; quia scienter cooperatur peccato Confessarii, et malæ administrationi Sacramenti.

§ II—*De Confessarii prudentia.*

Q. 1. *An prudentia Confessario necessaria sit?*

R. Prudentia aliarum virtutum oculus est, quatenus omnes illuminat, dirigit ac perficit. Hanc autem Confessariis necessariam esse satis declarat Lateranense IV: *Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciatis; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat*

ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere (1). Confessarius autem prudentia maxime indiget in opiniones eligendo, in pœnitentem disponendo, corrigendo, docendo ac interrogando, habita ratione indolis, status, ac conditionis ipsius pœnitentis *(O)*.

An (quæres) *melius sit Confessario uti sententiis rigidioribus, an vero benignioribus?*—R. Si pœnitens ostendat se paratum ad sequendum quod est tutius, per se loquendo, tenetur Confessarius eum dirigere juxta sententias tutiores, etsi rigidiores appareant; cum id sit majoris perfectionis et meriti. Dicimus *per se loquendo;* quia aliquando nedum id sit tutius, imo contingit esse pluribus pœnitentibus periculosius, quia supra modum gravati exterrefiunt, totum pondus projiciendo: idcirco ad prudentiam Confessarii spectabit id attente perpendere.—Quod si non ita pœnitens paratum se sentiat, tunc ad sententias benigniores recurrere debet Confessarius (2), cum hac advertentia: ut caute inter sententias benigniores distinguantur illæ, quæ et speculative et in praxi vere probabiles sunt et pœnitentem inducunt ad vitandum peccatum, ab illis quæ licet speculative videantur probabiles; tamen in praxi sunt valde periculosæ, et pœnitentem potius inducunt ad peccatum, uti sunt in materia contra sextum quædam opiniones de tactibus et osculis, quædam affectiunculæ cor nimium occupantes, item aliæ in materia simoniæ atque justitiæ. Has Confessarius non debet sustinere in suo pœnitente, cum ad peccatum trahant; illas vero permittere, cum in illis sententiis nullum inveniatur periculum; nam homines ordinarie suavitate magis, quam severitate devinciuntur (3). En quo sensu benignum potius volumus Confessarium.

Q. 2. *An Confessarius debeat pœnitentem ignorantem monere?*

R. Vel pœnitens obligationes suas ignorat ex ignorantia vincibili et mortaliter culpabili; vel ex ignorantia invincibili et inculpabili. Si 1, Confessarius tenetur eum admonere: alias nec Sacramento, nec pœnitenti consuleret, cum hic sit plane indispositus. Si 2, adhuc obligatio viget correctionis, casu quo fructus speretur; tenetur enim Confessarius bono sui pœnitentis consulere, eum removendo etiam a malo materiali, quod cum semper quædam inordinatio sit, corrigendum est, si majus malum non timeatur. Quod si ex monitione fructus non speretur, tunc communis ac vera sententia (quam tuentur Anacletus, Antoine, Coninchius, Habert, Lugo, Palaus, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Suarez aliique innumeri contra paucos) docet Confessarium *per se loquendo* teneri monitionem omittere et pœnitentem relinquere in sua bona fide. *Mallem aliquando*, inquit S. Bernardus, *tacuisse et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem* (4). Ipsa ratio clamat de duobus malis minus esse per-

(1) *Decr.* Greg. l. V, t. XXXVIII *de pœn. et remiss.* c. 12 *omnis.*

(2) Etiam in dubio, an pœnitens sit paratus ad rigidiora, benigne agendum. Hinc Tridentinum (sess. 13, c. 1 de R.): *sæpe plus erga corrigendos agit benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus charitas, quam potestas.*

(3) *V.* Binet. *Qual sia il governo migliore?* Torino, Marietti. Hunc italice eleganter reddidit P. Bresciani e S. J. — It. *v.* Opus a Pio VI commendatum, cuitit. *La Lega della Teologia moderna colla filosofia ai danni della Chiesa di G. C. svelata* ecc. Novara, Tip. Miglio 1851, p. 31 et seqq. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.* n. 114.

(4) Serm. 42 in Cantica. —Et quamvis ipse Confessarius sit doctor; non ideo tamen semper

mittendum, ut evitetur majus: imo in nostro casu non permitteretur malum formale, sed materiale tantum, quod proprie malum non est, neque Deum offendit. Hinc si Confessarius noverit pœnitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si nullitatem manifestet, debet illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio. Item omittenda est monitio de restitutione facienda, si Confessarius prævideat quod pœnitens qui est in bona fide, non parebit. Attamen non facile judicandum quod pœnitens, cognita veritate, monitioni non obtemperabit. Quod si dubium sit, Confessarius pensare debet gradum timoris et spei, et eligere id quod judicat præponderare: dubio autem perseverante, monitio potius videtur omittenda, nam mala formalia potius evitanda sunt, quam materialia (1).—Diximus *per se loquendo;* nam excipe:

1. Quando omissa monitione, damnum redundaret in bonum commune; quia bonum publicum semper præferendum est bono privato. Nec obstat quod hic et nunc inutiliter fieri videatur; nam talis pœnitens, cum videat se a nemine absolvi, speratur fore ut emendetur aliqua vice. Hinc omnino monendi sunt Principes, Gubernatores, Episcopi, Parochi, Confessarii, qui officio suo desunt; nam ignorantia istorum difficulter erit invincibilis: et si erit, semper damnum afferret communitati; saltem ob scandalum, dum alii facile putant sibi licere, quod vident factitari a superioribus. Hac ratione docet laudatus Pontifex etiam eos esse monendos, qui Sacramenta frequentant, ne scilicet alii ab iis pravum sumant exemplum.

2. Quando pœnitens interroget: tunc Confessarius debet veritatem patefacere, non plus tamen respondendo quam a pœnitente interrogetur. Nec potest dissimulare; quia cum pœnitens jam incæperit laborare ignorantia vincibili, dissimulatio esset erroris approbatio (2).

3. Quando pœnitens etiamsi in principio non acquiescat, tamen quam cito monitioni obsecuturus prævideatur; fieri enim quandoque solet, ut pœnitens initio conturbatus animo, salutarem monitionem respuat, postea vero mente sedata, eamdem cum fructu recipiat. Si secus, erit expectandum tempus opportunius.

4. Quando pœnitens, tacente Confessario, in malo obfirmaretur cum scandalo aliorum; aut cum pœnitens in proxima versatur occasione peccatorum, quibus solitus fuit assentiri, ne scilicet in tali discrimine relinquatur.

5. Quando pœnitens ignoret necessaria necessitate medii; nam, iis licet

veritatem aperire debet, sed, ut loquitur Angelicus (2, 2, q. 43, a. 7) *secundum congruentiam temporis et personarum.* Et sic respondetur illis qui assertionem nostram dumtaxat extra Confessionem admittunt. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 610.

(1) Ipse Concina de correctione fraterna docet in dubio, an profutura sit an nocitura, eam omitti debere; quia dubius imprudenter operationi morali manum admoveret.

(2) « Si alguna vez (monet Auctor *Istruzione pei novelli confessori*, n. 94) el confesor es preguntado para saber si tal cosa es un pecado ó si el pecado es grave ó leve; responda francamente sí ó no segun la cuestion, cuando la cosa es clara. Si es dudosa ó probable, y la resolucion difícil, podrá esponer lo que se dice en *pro* y en *contra*, y en seguida decir su parecer. Pero con los escrupulosos y pusilánimes hable poco; y solo cuanto convenga para resolver la duda; y á veces será prudencia desviar la cuestion y no decir mas. » — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 609.

invincibiliter ignoratis, non est absolutionis capax, uti tradit Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime*.

Q. 3. *An Confessarius debeat pœnitentes interrogare?*

R. Affimative, si Confessarius deprehendat pœnitentes non integre confiteri sive quoad numerum, sive quoad species peccatorum, sive quoad circumstantias explicatu necessarias, uti sunt præcipue famuli, aurigæ, muliones, satellites, caupones et alii hujus generis, qui vitam solent ducere æternæ salutis negligentem, et procul a concionibus et Ecclesia (1). Nihil sane facilius est, quam pœnitentem absolvere postquam obiter ac generatim se de illa vel hac peccati specie incusavit; sed nihil damnabilius pro ipso pœnitente, qui in re præcepta, atque ad salutem necessaria deficit; nihil terribilius pro Confessario, qui illum deficere patitur, Sacramenti necessariam integritatem contemnit, ac perfunctorie rem adeo gravem prosequitur. Hinc Rituale: *si pœnitens numerum et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat: præsertim juniores utriusque sexus, vel alios de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant.* Quæ gravis interrogandi obligatio urget etiam quoad obligationes status ipsius pœnitentis, in quo quidem non pauci deficiunt Confessarii (2).

Cæterum hæc notamus pro praxi:

1. Rustici, qui putantur non satis examinati, non sunt dimittendi, ut melius se examinent, vix enim paratiores umquam redibunt: imo difficultate conscientiæ examinandæ territi non amplius accedent: ita agere P. Segneri dicit *errorem intollerabilem* (3). Advertat tamen Confessarius, se non teneri tam minute hos interrogare: interroget tantum de peccatis, in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate. Imo cum pœ-

(1) Careno *Delle regole* ecc. Es. XIV, sic urget Confessarios: « No ceseis, principalmente en parroquias rurales, de corregir el uso harto frecuente de acusarse en general, y casi en abstracto. Dirá, por ejemplo. *me he incomodado*: pero esplicaos mas, decid si la cólera ha sido grave ó leve, si habeis prorrumpido en maldiciones ó imprecaciones y que mal habeis deseado; si con deseos de venganza y cual sea esta; si le habeis insultado.... dirá: *he cometido un pecado deshonesto con otra persona;* pero decid que deshonestidad; cual era el estado de esta persona; si la indujisteis al pecado; si resultó escándalo para otros etc. »

(2) « Y aquí (ait Auctor *Istruzione pei novelli confessori* 85), no podemos menos de deplorar una estraña negligencia en que incurren muchos confesores jóvenes y aun ancianos que pasan y dejan pasar en silencio los deberes propios de su estado; y que como dice el proverbio son mas minuciosos en preguntar los pecados de César que exactos en inquirir los de Cárlos.... De esta culpable omision de parte de los confesores resulta tal vez en gran parte el mal espantoso que se vé en el mundo. Mientras que se acusan en la confesion de los robos, de los homicidios de las deshonestidades, los penitentes omiten y los confesores no preguntan las transgresiones de los deberes de cada estado y condicion. »

(3) *Il Confess. istruito*, c. 2. Sunt interrogandi percurrendo per Decalogi et Ecclesiæ præcepta; per peccata capitalia; per officia status. Item an periculis se exposuerint, an alios ad peccatum induxerint, etc. Et aliquando necesse est, ut etiam litteris excultos interrogemus: imo et vel ipsos Ecclesiasticos, si nempe sint conscientiæ parum meticulosæ, et peccata sua oscitanter, ac sine ullo pietatis sensu confiteantur. Hinc S. Alphonsus, *Praxis* nn. 48 et seqq. opportunas suggerit interrogationes Ecclesiasticis, Confessariis, Parochis et ipsis etiam Episcopis faciendas. — Quoad diversas interrogationes vid. *Appendix* in fine voluminis.

nitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio modo rudis), tunc Confessarius nihil aliud tenetur interrogare.

2. Nulla est obligatio interrogandi eos, qui videntur jam satis instructi, et diligentes in peccatis suis dicendis cum propriis circumstantiis; hoc enim inutile esset, ac molestum pœnitentibus.

3. Interrogationes aliæ ante Confessionem sunt faciendæ, ut sunt quæ respiciunt tempus ultimæ Confessionis, satisfactionis implementum, pœnitentis conditionem, etc.; sed istæ paucæ sint, ne pœnitens offendatur. Aliæ in ipsa Confessione, ut sunt quæ respiciunt, v. g. circumstantias, species ac numerum peccatorum, ne differendo Confessarius iis obliviscatur; sed istæ moderate sint, ne confusio ingeneretur. Aliæ demum fiant peracta confessione, uti si v. g. dubitetur aliquid essentiale fuisse omissum, vel an pœnitens sit rite dispositus; sed hoc debito modo fiat, ne dolor forte evanescat.

4. Quoad peccata luxuriæ magna cautela necessaria est, ne juniores præsertim doceantur ea, quæ salubriter ignorant. Unde si quid prudenter timeatur, melius est tacere ac permittere, ut aliquid integritati materiali desit. Confessarius interrogabit primum de cogitationibus, dein de desideriis, postea de verbis; in omnibus autem caute semper. Unde si in his pœnitentes videat innocentes, ne progrediatur: sin autem, ultro inquirat de tactibus ac de opere consummato. Aliquando tamen cum rudibus ab externis actibus incipiendum est, ut deveniatur facilius ad internos. Item juvat interrogare, an a sociis ad turpia fuerint sollicitati, an turpes tactus admiserint, etc.

Quomodo (inquires) *exquirendus numerus peccatorum a consuetudinario?*— Confessarius non debet esse nimis anxius in inquirendo peccatorum numero a consuetudinariis; quia sæpe est impossibile eumdem habere. Adde, quod isti pœnitentes plerique ad interrogationum importunitatem declinandam, solent divinando respondere, *centies*, *millies*. Quare melius tunc se geret, si diligenter moram consuetudinis exquirat: et pœnitentem interrogando de lapsibus plus minusve in die, in hebdomada, in mense, saltem in confuso numerum apprehendat. Est autem advertendum: quando pœnitens nesciens numerum certum suorum peccatorum, dicit se illa commisisse *aliquoties*, vel *sæpius*, vel puta *circiter* tria vel quatuor, hæ clausulæ non comprehendunt quemlibet numerum et excessum. Notat Voit, quod illud *aliquoties* se tantum extendit ad duo vel tria; illud *sæpius* ad quinque vel sex; illud vero *circiter* diversimode sese extendit, habita relatione ad numerum certum: nempe relate ad tria excessus modicus est unum, relate ad decem, sunt duo; relate ad triginta, tria; relate ad centum, decem, vel juxta alios quinque. Unde siquis v. g. confitetur se commisisse decem mortalia *circiter* vel *plus minus*, et postea certo recordetur ea fuisse duodecim, non ideo tenetur excessum hunc confiteri; nam omnia duodecim sunt directe remissa, quia in illo *circiter*, ex communi loquendi modo, includitur etiam numerus duodecimus. Aliter esset, si numerus esset excessivus, ut si dixisti: peccavi decies *circiter*, et vicies peccaveris: tunc teneris excessum aperire (1).

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tract. XVI, n. 120; et *Opus Mor.* l. VI, nn. 466 et 478.

Quid (quæres) *de illo qui notabiliter exaggeravit numerum suorum peccatorum? debetne errorem suum corrigere?* — Negative, si bona fide numerum istum notabiliter majorem expresserit; nam plene et integre satisfecit obligationi Confessionis; verus autem numerus in majori fuit comprehensus ac remissus.

Quid (dices) *si Confessarius certo sciat, aut prudenter suspicetur aliquod peccatum, quod pœnitens malitiose sileat?* — Vel Confessarius peccatum illud novit ex Sacramentali alterius confessione; vel extra confessionem, et ex certa scientia: v.g. si ipse furtum committentem aspexerit, vel blasphemantem audierit.

Si 1, non poterit specialiter pœnitentem de peccato illo interrogare sine expressa licentia alterius personæ ob periculum revelationis; vel nisi sint tales interrogationes, quæ communiter fieri soleant. Poterit tamen interrogare generatim, modo caveat, ne sit nimius in hisce interrogationibus repetendis ob dictum periculum. Quod si videat obstinate peccatum negari, alii dicunt nihilominus absolute dandam esse absolutionem; quia Confessarius non potest uti alterius confessionis notitia. Alii dicunt dandam esse quidem, sed sub conditione. Alii melius cum Croix, Suarez et Viva, etc., sentiunt eam nullimode dandam esse, sed aliquam orationem esse usurpandam ad eam occultandam: sic enim nec revelatur peccatum alterius, nec pœnitenti injuria fit, nec Sacramentum temere usurpatur; sed justa de causa ejus administratio legitime tegitur.

Si 2, de peccato interrogabit etiam specialiter, neque absolutionem impertietur, si neget; sed modo non adsit prudens dubium, an alteri jam fuerit confessus, an justam habeat tacendi causam. Neque obstat axioma: *credendum est pœnitenti tam pro se, quam contra se dicenti;* hoc enim valet in re dubia, non in re moraliter certa: moralis certitudo vera certitudo est. Ita Billuart, Concina, Layman, Lugo, Suarez aliique passim (1).

§ III — *De Confessarii fidelitate, seu de sigillo Sacramentali.*

En munus illud gravissimum, quo Confessarius obstringitur omni fidelitate curare, ne quid minimum manifestet Confessionis.

Q. 1. *Quonam jure oritur obligatio sigilli Sacramentalis?*

R. Oritur sigilli obligatio: 1 ex *jure naturali:* hoc jure tenetur quilibet servare famam proximi, non prodere secretum sibi commissum vel alteri promissum, et mendacium non proferre. At qui peccata in Confessione audita revelaret, famam proximi læderet, frangeret Religionem secreti tam promissi pœnitenti, quam sibi ab eodem commissi; ac mentiretur, pandens ut homo quod scivit ut Deus, id est ut Christi minister; 2 ex *jure divino:* quia Confessio (quæ utique est juris divini) sine secreto esset nimis odiosa, ideo moraliter impossibilis: qui autem præcipit finem, censetur etiam præcipere media ad ipsum; 3 ex *jure ecclesiastico:* nam in Lateranensi sub Innocentio III deponi jubetur Sacerdos, si peccata in Confessione audita manifestaverit: *qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit*

(1) Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 466 et 478. *Homo Apost.* tract. XVI, n. 120.

revelare, ajunt Patres Concilii, *non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum* (1).

Certum est obligationem sigilli: 1 esse strictissimam in omni casu et obligare, licet ex non usu *majus damnum pœnitenti sequatur*, ex decreto S. C. C. 1682 de mandato Innocentii XI; licet manifestatio ad gubernationem exteriorem deserviret, quin ullo modo pœnitens advertat, ex decreto Clementis VIII 1594; licet agatur de unius venialis revelatione; licet aliter integra Confessio fieri non possit, nempe si non possit aliter fieri Confessio, quin vox attollatur; licet agatur de vitanda morte nostra vel aliorum, licet periclitaretur totius Regni salus. Nam una semper ac suprema ratio urget, periculum videlicet homines a Confessione retrahendi; — 2 eamdem vigere etiam post mortem pœnitentis; nam quilibet etiam post mortem vult bene haberi; — 3 ejus violationem secum importare malitiam *sacrilegii*, quia est contra Sacramentum, et semper est grave; *infidelitatis gravis* contra onerosam promissionem servandi secretum, quæ intercedit ex parte pœnitentis, quantumvis tacita; *detractionis*, si peccatum jam non sit publicum.

An (quæres) *detur parvitas materiæ in sigilli violatione?*—Negative, quia materia etiam levissima hic includit totam rationem præcepti. Excipe si periculum revelationis sit parum vel nihil probabile; etenim si revelatio tunc forte sequeretur, veluti ex casu et per accidens subsequi censenda foret (*P*).

Q. 2. *Ex qua Confessione oritur obligatio sigilli Sacramentalis?*

R. Obligatio sigilli oritur ex omni et sola Confessione Sacramentali, quæ nempe dirigitur ad obtinendam peccatorum remissionem in Sacramento, et virtute clavium. Ex *omni*, quia tunc adest tota ratio præcepti: et *sola*, quia sola Confessio sacramentalis includit rationem hujus præcepti: idque valet, ut commune et certum est cum D. Thoma (2), etsi non sequatur absolutio sive ex parte pœnitentis, quia est indispositus; sive ex parte Confessarii, quia caret debita jurisdictione. Et hoc valet etiamsi pœnitens, antequam confiteatur, suas culpas committat Sacerdoti propter Confessionem imposterum ei faciendam; nam talis manifestatio est quædam inchoata Confessio, dum pœnitens tunc præmittat suam culparum manifestationem, ut citius postea Confessionem expediat. Qui vero de certo ficte Confessionem ageret, eamque dirigeret vel ad furandum vel ad Sacerdotem illudendum aut seducendum vel ad se conquerendum; cum ne inchoative quidem Sacramentaliter confiteretur, hoc jus non acquirit, etsi adhuc ex prudentia tacendum esset. Diximus *de certo*; nam in dubio semper præsumendum in favorem Confessionis, ne reddatur ullo modo odiosa.

Quid (dices) *si Confessio contigerit penes laicum?*—Si pœnitens eum uti laicum agnovit, Confessio sacramentalis non esset ex parte neque pœnitentis neque audientis, ideo nulla sigilli obligatio; cum non sit in potestate alicujus facere Sacramentale, quod ex natura sua tale non est. Si vero pœnitens eum non agnovit uti talem, tunc cum Confessio ex parte illius sit Sacramentalis, oritur sigillum.

(1) De pœn. et rem. c. 12 *omnis*. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 615.
(2) In 4, d. 21, q. 3, a 1.

Q. 3. *Quænam cadunt sub sigillo Sacramentali?*

R. Generale principium est cadere sub sigillo ea omnia, quæ cognoscuntur per Confessionem, et quorum revelatio potest Confessionem ipsam reddere odiosam. Hujus generis sunt: 1 *peccata omnia* pœnitentis tam mortalia quam venialia, tam futura quam præterita, tam occulta quam manifesta, modo in Confessione vere Sacramentali deposita sint: ideo frangeret sigillum Confessarius, qui aperiret aliquod Titii peccatum etiam veniale *in particulari;* cum materia sigilli parvitatem minime admittat. Dicimus *in particulari;* nam secus esset, prout dicunt Layman, Lugo, Salmanticenses, Sporer et Suarez, si diceret tantum pœnitentem sibi esse confessum unum veniale; quia quisquis ad Confessionem accedens censetur habere materiam sufficientem (1); 2 *peccatorum circumstantiæ,* quas pœnitentium interest taceri, etiamsi dictæ sint post absolutionem; 3 *peccatorum objecta:* v. g. siquis se confiteatur matrem suam odisse, quia adulterium commisit, quia fratrem noluit de furto corrigere: adulterium et furtum cadunt sub sigillo; 4 *peccata complicis,* etiam imprudenter manifestata: una ratio semper est, quod secus redderetur odiosa Confessio sacramentalis; 5 *pœnitentia imposita,* nisi sit minima, ea scilicet quæ plerumque solet imponi pro veniali levissimo (imo aliqui neque si agatur de minima, id permittunt; quia potuit tantum confiteri ad petendum consilium, ut dicunt); 6 *omnia,* quæ, attenta sæculi nequitia, pœnitentem irrisionibus exponunt, atque fideles a Sacramento avertere possunt (2).

An (quæres) *frangatur sigillum, si dicas, Titium tibi esse confessum?*— Regulariter negative; quisque enim confiteri solet; hoc tamen nonnunquam periculosum esse potest: imo si pœnitens verbo vel facto, v. g. clam accedendo, significaverit se nolle sciri, quod sit confessus, recte volunt Confessarium violare sigillum, si id diceret; quia pœnitens confitendo Confessario extraordinario, de facili veniret in suspicionem gravioris criminis.

Q. 4. *Quinam tenentur ad sigillum Sacramentale?*

R. Ad sigillum Sacramentale tenentur omnes, ad quos pervenit quomodocumque notitia Confessionis sacramentalis: qui nempe vel mediate vel immediate, licite vel illicite ex tali Confessione notitiam habent rei sub sigillo cadentis; secus semper redderetur Confessio odiosa. Tales sunt:

(1) Hoc tamen adhuc negant alii; quia potuisset confiteri jam remissa, vel tantum ad petendum consilium. — Quoad Confessariorum autem attestationes in causa beatificationis et Canonizationis vid. Benedictus XIV, *De Canonizat.* l. III, c. 6.

(2) Unde dicimus: — 1 defectus manifestati ad explicandam peccati rationem, v. g. si pœnitens dicat se sacros Ordines cum irregularitate suscepisse, quod sit spurius, etc. cadunt sub sigillo; quia id dictum est in ordine ad Confessionem; — 2 virtutes non cadunt sub sigillo, nisi inde sequatur gravamen pœnitentis vel aliorum, ut sequeretur si ex variis pœnitentibus Confessarius unum laudet, de aliis taceat; — 3 scrupulositas pœnitentis cadit sub sigillo, quia aliquo modo est materia Confessionis, et aliunde ex manifestatione gravamen pœnitentis haberetur; — 4 defectus naturales pœnitentis, v. g. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, claudus, etc. cadunt sub sigillo, si tamen Confessarius tales defectus ex declaratione pœnitentis noverit, seu quatenus fuerunt manifestati ad declaranda peccata; quia tunc cum Confessione connexionem habent; — 5 peccata commissa in ipsa Confessione, v. g. impatientiæ, contumeliæ in aliquem, etc. ordinarie cadunt sub sigillo; nam hæc semper redderent aliquo modo Confessionem odiosam. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 638, 642 etc.

1. Non tantum Confessarius, qui peccata pœnitentis audit; sed etiam Superior, cui se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia a reservato absolvendi; nam id ordinatur ad absolutionem. Item interpres, ut docent probabilius contra aliquos, qui censent hunc teneri quidem ad sigillum arctissimum, sed non ad Sacramentale.

2. Qui furtive, vel casu aliquid audit, licet inculpate, nisi pœnitens ipse ad majorem sui confusionem velit publice confiteri. Sic pariter tenentur adstantes, in quorum præsentia Confessio fit ex necessitate, v. g. in naufragio, vel conflictu. Item quibus aliquid sacrilege revelatum est, qui de hoc neque possunt inter se verba facere. Item laicus, qui pro Sacerdote a pœnitente habitus sit.

3. Doctor vel alius, qui cum venia pœnitentis a Confessario consulitur, saltem in sententia communiori et probabiliori, quam expresse docet D. Thomas (1). Ratio est quia consensus pœnitentis de tali consilio petendo facit quod consiliarius habeat talem notitiam non tantum ratione Confessionis; sed etiam quodammodo participet de actu clavium, cognoscendo causam pœnitentis et coadjuvando Sacerdotem in ordine ad Sacramenti consummationem; ideoque notitia quam habet, proveniat ratione Sacramenti jam inchoati (2).

4. Qui rogatus, puta a rude, ejus Confessionem scripsit; nam proxime concurrit ad Confessionem, estque tamquam medium, et canalis, qui nempe proxime influit. Non tamen (ut probabilius ac comunissime docent Elbel, Layman, Sotus, Suarez, Viva, etc.), ad sigillum tenetur qui chartam legit, ubi pœnitens scripsit peccata, quamvis eam manifestando gravissime peccet, proximum infamando; nam sigillum non contrahitur in præparatione ad Confessionem, sed tantum in ipsa Confessione actuali, aut proxime jam inchota, ut docent omnes cum D. Thoma. Excipe, si talis scriptura actu legatur, quo quis per eam confitetur Confessario præsenti; quia tunc revera legens habet notitiam Confessionis ex Confessione ipsa. Item cadit sub sigillo scriptura, si esset jam consignata Sacerdoti, ut eam legat pro Confessione: vel si postea in Confessionali relicta esset. Item si esset epistola ad Superiorem scripta pro obtinenda facultate reservatorum; nam petitio illa est quædam inchoata Confessio; quatenus ordinatur ad absolutionem obtinendam.

Pœnitens autem probabilius non tenetur, nisi secreto naturali relate ad res in Confessione sibi dictas a Confessario, si nempe earum revelatio possit quoquomodo Confessario irrisiones, aut damnum quodcumque afferre. Sigillum enim Sacramentale inductum est in favorem pœnitentium, non autem Confessariorum.

Q. 5. *An Confessario liceat aliquando uti scientia Confessionis?*

R. Confessario tunc tantum licet uti scientia Confessionis, quando adest

(1) In 4, d. 21, q. 3, a. 1.: et a. 2. ad 4.

(2) Non tenetur probabilius ad sigillum Sacramentale qui consulitur ab ipso pœnitente, si consulatur circa modum confessionem alteri faciendi, ut docent Suarez, Billuart, etc.; quia obligatio sigilli oritur ex sola confessione Sacramentali, in qua pœnitens manifestat peccata in ordine ad absolutionem: quaproter ob manifestationem peccati, quæ fit a pœnitente apud consiliarium, cum ipsa non fiat in actu confessionis, neque ad obtinendam ab ipso absolutionem, tenebitur quidem gravissime consiliarius ad secretum naturale, non autem ad sigillum sacramentale. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 649.

licentia pœnitentis. Rationem affert Angelicus: *potest pœnitens facere ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo; quod facit dum eum licentiat ad dicendum: et ideo si dicat, non frangit sigillum.* Hinc fatentur omnes Confessario nefas esse de pecatis sibi in Confessione revelatis extra Confessionem loqui etiam cum ipso pœnitente; quia id semper redderet Confessionem odiosam et pœnitenti ruborem afferret. Excipe, nisi ipse pœnitens licentiam tribuat; sigillum enim cum sit in favorem pœnitentis inductum, ipsius est illi cedere. Hæc tamen licentia esse debet 1 *formalis* et *expressa*, unde præsumpta, tacita, interpretativa, virtualis, etsi cederet in bonum pœnitentis, non sufficeret; 2 *libera* ac omnino *spontanea*, unde non sufficeret si esset vi, injuria, dolo, vel precibus importunis, aut metu reverentiali extorta; 3 *non revocata*, hanc enim pœnitens pro suo libito, etiam sine causa potest revocare. Ratio horum est, quia agitur de re admodum odiosa, in qua non ita facile licentia dari solet (1): quare pro praxi dicimus hac in re non licere eas opiniones sequi, quæ etsi sint probabiles; non est tamen certum, quod ex earum usu nullum sit pœnitenti gravamen obventurum: proximus enim jus certum possidet, ne occasione suæ Confessionis aliquod patiatur onus.

Hæc tamen pœnitentis licentia non est necessaria, ut Confessarius in actu Confessionis loqui possit cum ipso de culpis, quas in aliis Confessionibus ab eodem audivit; nam ad munus Judicis ac Medici, quo fungitur Confessarius, omnino pertinet recolere peccata Confessionum præcedentium, ad pœnitentem ipsum melius corrigendum. Discreta tamen sit hæc Confessarii locutio circa præterita pœnitentis, ne scilicet ipsum offendat. Item commune est licitum esse Confessario loqui de auditis in Confessione cum pœnitente statim post absolutionem, antequam ille discedat: quia licet Sacramentum sit completum, tamen judicium adhuc moraliter perseverat.

Poteritne (addes) *Confessarius aliquando in sui utilitatem notitia Confessionis uti sine licentia?* — Commune est contra Concina posse Confessarium uti notitia Confessionis ad se cautiorem reddendum in re familiari, ad socordiam suam excutiendam, ad diligentius invigilandum super gregem suum, ad mores proprios reformandos. Sed hæc debent concurrere: 1 ut nulla detur suspicio peccati auditi in Confessione; 2 ut nullum gravamen pœnitenti sit obventurum; 3 ut nullum odium, nec irreverentiæ periculum Sacramento immineat (2). Porro cum conditiones cohonestantes non facile

(1) Et ideo nonnisi urgente gravi necessitate a Confessario petenda est, et nonnisi quando potest præsumi quod lubenter consentiat pœnitens; constat enim ordinarie, Sacerdotem qui extra tribunal sua peccata pœnitenti revocat, et ei graviter molestum esse et confessionem ipsi reddere odiosam. Vid. infra de *Defectibus corrigendis*.

(2) Hinc dicunt (et videtur satis probabile) Aversa, Lugo, Tamburini, quod hisce remotis periculis, Confessarius ex Confessione sciens pollutam Ecclesiam, debet abstinere a celebrando. Item potest ex notitia Confessionis orare pro pœnitente, vel benignius erga ipsum se gerere; consulere libros et sapientes; rigorem temperare, ex Confessione unius dirigi ad alios interrogandos, etc.; nullam unquam tamen dando prioris Confessionis suspicionem. Hinc etiam ajunt, quod potest Confessarius sibi cavere ab aliquo damno sub aliquo pretextu, si ex Confessione cognoscit sibi parari insidias; si tamen revera nullimode possit ex Confessarii ipsius actionibus argumentum sumi, quod tali notitia utatur, nec sit gravamen pœnitentis. Item si pœnitens in-

simul et conjunctim haberi queant, nemini idcirco dubium est, quominus in omni casu Confessarius procedere debeat cautela maxima, et potius in sigilli Sacramentalis favorem quæstiones omnes resolvere.

Q. 6. *Quomodo violari potest sigillum Sacramentale?*

R. Dupliciter violatur sigillum Sacramentale: directe et indirecte. *Directe*, si expresse reveletur aliquid cognitum ex sola Confessione; *indirecte*, si quid fiat vel dicatur, ex quo quis cognoscere, vel suspicari possit peccatum pœnitentis, aut aliquem ejus vel aliorum defectum, aut quævis per Confessionem cognita, ex quibus pœnitenti vel aliis pudor, molestia, dedecus, damnum aut gravamen quodcumque evenire possit, etsi audiens hæc sciat aliunde; his enim omnibus Confessio redditur odiosa (1). Hac in re nulla cautela satis; et ideo imprudenter agit Confessarius ille, qui peccata in specie nominans dicit: *hæc ego audivi olim in Confessionibus;* etsi enim sigillum non violetur, laici tamen scandalizantur. Imo quandoque etiam periculum esse potest, ne ex circumstantiis peccati, personæ, loci, etc. et ipse pœnitens de facili ab ipsis auditoribus dignoscatur, prout aliquando probavit eventus non sine ingenti animarum detrimento ac fidelium scandalo. Hæc una sit semper consuetudo nostra, ut nihil, nihil omnino, neque anecdota ulla, imo nec ipsum nomen *Confessionis*, maxime si sit coram sæcularibus, in solatio nominemus (2).

dispositus minetur Confessarium ob negatam absolutionem, poterit Confessarius ab illo aufugere (modo suspicionem aliis non ingerat negatæ absolutionis); quia tunc minæ illæ non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam; sed peccatum in Confessione commissum, quod sigillo non gaudet. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 659.

(1) «Secretum Confessionis (ait *Gury*), indirecte violat: 1 Qui unum præ aliis quos audivit laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur; 2 Qui de peccato pœnitentis per solam Confessionem cognito loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant illud ex Confessione acceptum esse; 3 Qui dicit se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse; quia longa Confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem pœnitentis (nisi sciretur esse Confessionem generalem, aut a longo tempore resumptam, ita ut pœnitens hoc non ægre ferret). Item qui de Titio cognito ut fure dicit eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse; 4 Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem; quia est gravamen pro tali pœnitente; et alii possunt suspicari illud gravia peccata confessum esse, *a fortiori* si nimis vocem extollendo repeteret peccata pœnitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret. Hic etiam grave monitum sit pro Confessariis, ne videlicet permittant, ut adstantes nimis ad confessionale accedant; sunt malitiosi, qui Confessarii munus exercere vellent, cum tamen Confessarii non sint: proh quot inde dicteria ac scandala!» — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 655.

(2) Hunc casum narrant: Titia dixit *ego prima in tali Missione apud Joannem deposui peccata mea;* et aliquando post nescius hujus dicti Joannes dixit: *prima quam audivi in illa Missione fuit adultera.* Maritus Titiæ casu utriusque voces audivit et consociavit, et inde factum est, ut uxorem suam adulterio jam ream pugione confoderit.

Quid (dices) *si Confessarius necesse habeat consilii?* — Audiatur B. Leonardus (*Discorso mistico-morale*, § 30): «Respondo que por el cánon *Omnis utriusque de pœnit.* se concede: con tal que se haga con tal prudencia, que no pueda venirse jamás en conocimiento del penitente; pero ¿qué necesidad hay de decir, que el hecho os ha sucedido en la confesion? Esponedlo como si hubiese sucedido á otro, ó simplemente como si pudiese suceder; y donde hay muchos, como en una Mision, no lo espongais en público, y sí solo á aquel que juzgais mas idóneo para daros el consejo, absteniéndoos de ciertas espresiones indignas de salir de boca de un confesor, por ejemplo, el primer penitente que he confesado hoy, etc.; la primera mujer que confesé ayer, etc.; esta maña-

Quid (dices) *si Confessarius noverit ex Confessione aliquem solitum esse multa peccata vel tenuem dispositionem afferrè; poterit se celare, vel excusari ab eo audiendo?* — Si non habeat causam externam independentem a Confessione, negative; secus uteretur notitia Confessionis anteactæ, illamque pœnitenti redderet odiosam. Ideo erga hunc pœnitentem, vel similes, ita se gerere debet, ac se gereret erga alium, de quo numquam Confessionem excepisset.

Sed (quæres) *an violet sigillum Confessarius, qui asserit in aliquo loco gravia crimina committi?* — Communissima sententia cum Concina, Laymano, Lugo, Palao, Suarez, Viva aliisque dicit, quod si oppidum sit parvum, tunc certe violat sigillum, etsi crimina sint publica: nam licet personam non manifestet; cum tamen revelatio redundet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen pœnitentis, qui illius communitatis est membrum, quique, cum pauci sint incolæ, de facili notatur: et ideo ex tali revelatione redditur odiosa Confessio (1). Exulet ergo ab ore Confessarii verbum: *non satis domui suæ invigilat ille superior; non omnes quæ in hoc oppido confitentur, totidem sunt Susannæ; fode parietem et videbis* etc. Si vero oppidum sit amplum et crimina quæ audivit in Confessione sint etiam publica, tunc sigillum non violat (modo non det intelligere se illa audivisse in Confessione); nam peccata jam omnibus aliunde sunt nota: sic jure permittitur concionatoribus contra eadem publice insurgere, dummodo non dicant se ea scire ex Confessionibus, nec descendant ad circumstantias particulares (2).

Q. 7. *Quid Confessarius agere debet, si rogetur de peccato audito?*

R. Confessarius rogatus de peccato audito respondere debet: 1 indirecte objurgando interrogantem his vel similibus: *quænam interrogatio est, quam facis? miror vehementer te sic me alloqui!* 2 poterit etiam respondere directe, et dicere absolute etiam cum juramento, se nescire. Rationem affert Angelicus: *homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; et ideo absque*

na me ha sucedido un caso horrendo en la confesion, etc.; un jóven que me hizo una confesion general en tal lugar; un noble que se me presentó en tal mision, etc.; al que se me acusa de tales pecados acostumbro darle tal penitencia; la primera que he confesado en este año era una adúltera, etc.; entre tantos que he confesado, solo dos ó tres he hallado con pecado venial, etc. ¿No veis por ventura, que si no pintais el original de vuestro penitente, sacais de él una copia tal, que fácilmente podrá ser reconocida?»

(1) «Dubium restat, quandonam oppidum dicatur parvum, et quandonam magnum. Ego sic dicerem, sicut aliorum etiam cœpi consilium, ut dici possit *hic regnat blasphemia*, requireretur ut oppidum constaret saltem tribus millibus personis circiter; sed minus si tantum diceretur: *hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur in specie. Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam (quod tamen esset etiam publicum), meo judicio requiritur, ut oppidum sit valde populo frequens, e. g. sex aut septem millibus animarum. Si concionator vero haberet notitiam peccatorum extra Confessionem, potest majori libertate loqui; sed pariter cautione utendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis, qui ei confessi sunt.» Ita Liguori, *Homo Ap.* tract. XVI, n. 158; et *Opus Mor.* l. VI, n. 654.

(2) *Cap.* si Sacerd. *de off. jud. ord.* Ita etiam licet Confessario alicujus communitatis, concionando loqui in communi de defectibus, quæ communiter in similibus communitatibus committi solunt, aut possunt. At non possunt Missionarii peccata graviora in Confessione audita in genere Parocho revelare, ut magis invigilet ex decreto S. C. Congr. 18 nov. 1681.

læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus (1). Quod si Confessarius interrogetur, an dederit absolutionem, respondere potest: *functus sum officio meo.* Vel erit melius huic ac similibus interrogationibus dicere exprobrando: *suntne interrogationes faciendæ?* ut sic omnem suspicionem auferat denegatæ absolutionis. Quod tenet, etsi agatur de publico peccatore.

Quid (dices) *si Confessarius requiratur de schedula Confessionis a studiosis, aulicis, etc., poteritne eam exhibere etiam non absolutis?* — En verba S. Alphonsi: «diversæ adsunt sententiæ, sed communior et probabilior cum Laymano, Roncaglia, Croix, Sporer, Elbel, Holzman, etc. (contra Bonacinam et Lugo) ita distinguit: si schedula loquitur de sola Confessione, illa non debet negari; quia si negaretur, ex una parte revelaretur pœnitentis indispositio: ex alia si concederetur, non jam testificaretur absolutio data, sed tantum Confessio facta, quæ jam revera facta est (2). Secus autem, si Confessarius deberet scribere schedulam, quod pœnitens sit absolutus; quia tunc non obstat sigillum, sed mendacium, quod est juxta omnes intrinsece malum, et in nullo casu ideo dicendum (unde talem schedulam non faciat, sed pro omnibus scribat: *audivi N.;* vel *N. confessus est mihi*). Attamen si schedulæ essent jam impressæ, et ibi assereretur jam absolutio data (quod a Prælatis permitti numquam deberet), tunc mihi videtur probabile cum aliis quos consuli, licite posse eam præberi etiam non absolutis, saltem cum palam eam petunt (3); quia tunc Confessarius nec dicit nec scribit aliquod mendacium, sed tantum facit illam actionem materialem præbendi schedulam, quam cæteroquin negare non potest, quin ipsam pœnitentis indispositionem manifestet (4).»

Quid (inquies) *si Confessarius actu quo Missam celebrat, interrogetur a serviente, utrum hostiam ponere debeat pro Communione pœnitentis vix antea confessi, quem Confessarius bene meminit dimisisse inabsolutum?* — Ad declinandum quodcumque revelationis periculum respondere debet: *interroga ipsum, an velit communicare.* Hoc generatim observandum est, maxime, quando agitur de paucis confessis, ad præcavendam omnem revelationem.

Corollarium. — *De electione Confessarii et Directoris.*

Q. 1. *Quid notandum circa electionem Confessarii et Directoris?*

R. Si sermo sit de Confessarii electione ad simplicem Confessionem et Sacramentalem absolutionem valide habendam, quilibet approbatus eligi poterit, cum id satis sit ad jurisdictionem exercendam valide; quamquam semper curandum sit, ut Confessio nostra apud illum expleatur, qui doctri-

(1) In 4, d. 21, q. 3, a. 1. — Hoc autem tenet, etiamsi rogetur tamquam Dei Minister, prout dicunt Croix, Layman, Suarez et Vasquez: imo etiamsi requiratur ad respondendum sine æquivocatione. Nam in primo casu semper verum est Confessarium nescire ullo modo peccatum scientia, qua possit uti ad respondendum; in secundo semper respondet sine æquivocatione, nempe sine illo æquivoco, quod prohibetur. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 646.

(2) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLI. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 639.

(3) Quod valet, etsi pœnitens se tantum præsentet Confessario, quin ei confiteatur.

(4) *Homo Apost.* tract. XVI, n. 162.

na et pietate præstat. Verum si agatur de eligendo Confessario, qui simul Directoris munus exerceat, qui scilicet animam ducat in difficili, sed valde pretiosa via devotionis, tunc omni studio ac sollicitudine opus est (agitur enim de ea re in qua non erratur sine periculo æternæ salutis); etenim Directori omnes animi nostri sinus, latebræ, propensiones aperire debemus, quod quidem non semper debemus, quoties alio Confessario confitemur. Quare in Directoris electione hæc præ oculis habenda: — 1 curandum, ut pœnitens *unum eligat inter mille,* prout ait P. Avila: imo *unum inter decem millia,* prout dicit Salesius. Si tamen vivat in communitate, ne anxius sit, quem ei dedit superior, ipse est: ei totus ipse se committat; — 2 in tali electione præ oculis habendas esse doctrinam, pietatem ac experientiam: siquidem in doctrina veritas, in pietate profectus, in experientia autem prudentia atque inde securitas. Ubi agatur de prælatione facienda, ea est concedenda experto; experientia enim est rerum magistra. Inter doctum vero et pium, concedenda erit docto; pietas enim suppleri potest a pœnitente non item doctrina, nisi agatur de mediocriter docto; quo in casu præferendus est pius ob deceptionis periculum; — 3 Directorem semel electum non ita facile esse mutandum; secus enim agere inconstantiæ signum esset atque superbia: *Confessarius non est variandus sine gravi ratione,* ait Salesius (1).

Q. 2. *Quænam sunt optimi Directoris dotes?*

R. Animarum Director oportet ut sit super omnes alios Confessarios: 1 *doctus* et *expertus* in discernendo spiritus, in suggerendo media ad perfectionem, et in animas adjuvando quoad ea omnia, quæ in arduo sanctitatis curriculo occurrere solent: unde si cæteris Confessariis sufficit aliqualis notitia asceticæ Theologiæ, quoad ipsum requiritur maxima (2); 2 *pius* et *humilis,* tum ut exemplo doceat, quod verbis insinuat; tum ut auxilium postulet a Deo in tempore opportuno; *nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum* laborat *qui* ædificat *eam* (3). Sciat qui alios dirigit, et ipse pro se ipso directione opus habere, etsi enim unus sit magister noster, nempe Deus; vult tamen Deus omnes homines nonnisi per idoneos ministros dirigere: hinc licet Christus Saulo immediate spectandum se dederit, attamen ipsum ad Ananiam misit, qui diceret quod illum oporteret facere (4); 3 *prudens* et *cautus,* maxime si res sit cum mulieribus; non ideo terat tempus ad inania, vana vel temporalia divertendo; videat ne dicteriis causam tribuat, et quod pejus est, ne devotio quæ spiritu cœpit, desinat in carnalem. Ad rem S. Alphonsus: *ipse regulariter in confessionario sit potius rigidus, quam suavis cum mulieribus junioribus, nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in Ecclesia, omnemque familiaritatem devitet; abstineat a recipiendis munusculis; et præcipue ad illorum domus numquam accedat, uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat, et magnam adhibeat diligentiam in audiendis*

(1) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. ult. n. 43; et *Praxis Conf.*

(2) Huc faciunt Liguori, *Praxis Conf.* — Sales, *Lettere spirituali.* — S. Teresa, *Opere.* — Castelvere, *Direttorio* ecc. — Scaramelli, *Direttorio ascetico e mistico.* — Olier, *Spirito di un direttore di anime* ecc.

(3) Ps. 126, v. 1.

(4) Act. 9.

illis; unde januam apertam relinquat, sedeat in loco ubi possit videri ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis numquam defigat (1) *(Q).*

Q. 3. *An in directione spirituali permittendum sit, ut etiam aliorum consilium pœnitens possit quærere?*

R. Beatus Joannes a Cruce appellat tyrannum Confessarium, qui licentiam alios Confessarios consulendi denegat pœnitentibus; cum hæc et aliquando utilis et aliquando necessaria sit. Imo aliquando præstat, ut Confessarius ipse pœnitentes suos excitet ad consilium aliorum expostulandum, ut sic vel dubia, si quæ sint, omnino tollantur; vel in suscepta devotionis methodo fiant firmiores; vel saltem illius æquitatem et intentionis rectitudinem videant. — Quod *monitum* maxime curare debent Parochi, qui in locis remotis atque campestribus morantur; non pauci enim suorum Parochianorum erubescunt ipsis certa graviora peccata aperire; cumque aliunde non eis sit facilis occasio alium Confessarium inveniendi, ideo Parocho confitentur quidem, sed sacrilege, ea scilicet peccata reticentes (2). Præstat ergo, ut interdum aliquos Confessarios ignotos accersant, et curent ut omnes ad eos libere accedant, nec ipsi Confessiones tunc audiant (3), caute etiam matribus insinuando, ut hac de re omnem filiis suis libertatem linquant. Isti autem extraordinarii Confessarii pœnitentes, de quibus justa potest esse suspicio (uti sunt rudes, mulieres, pueri) paterne interrogent, utrum anteactæ vitæ scrupulum habeant, eos animando ad omnia aperienda. Hac via solent liberari plures animæ a sacrilegiis.

ARTICULUS IV — De defectibus a confessario corrigendis ac de sollicitatione.

Defectus corrigendi vel sunt circa valorem Sacramenti; vel sunt circa integritatem Confessionis; vel sunt circa restitutionis obligationem.

Q. 1. *Quid de Confessario, si erravit circa valorem Sacramenti, ut si absolutionem non protulit, vel si eam dedit carens jurisdictione?*

R. Distinguendum est: vel erravit inculpabiliter, vel culpabiliter.

(1) Liguori, *Praxis Conf.*; et *Homo Ap.* tr. ult. n. 54. — P. Gaetano, *L' uomo apostolico*, c. 27: riflessioni pel Confessore in qualità di Direttore.

(2) « Recorriendo los paises (*S. Alphonsus* pro sacris Missionibus) suplicaba á los Párrocos y los Confesores del lugar (guardándose, sin embargo, de obligarles á ello por medio de los Obispos), que por algun tiempo se abstuviesen de oir confesiones. Acostumbraba decir, que el que por vergüenza ha hecho un sacrilegio con el propio Confesor una vez, fácilmente lo hará de nuevo, aun en tiempo de Mision, porque entonces tendrá mayor vergüenza en confesarse; y que las mujeres, especialmente las que hacen profesion de vida devota, para no dar motivo de desconfianza á sus directores, si estos están sentados en el confesonario, difícilmente se acercan á los Misioneros. » *V.* Tannoja, *Della vita ed istituto di S. Alfonso Maria De-Liguori*, l. II, c. 52. Torino, Marietti 1857.

(3) Hoc monitum omnes etiam aliarum communitatum Superiores curare debent: sic ut neque nimia facilitate latior peccatorum via aperiatur, neque nimia difficultate sacrilegiorum detur occasio: qui tamen pro aliqua communitate vocantur Confessarii, necesse est, ut Dei amore flagrent, communitatis spiritum possideant, et ejus regulas plurimi faciant. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.* nn. 178 et 201: « Teniendo en cuenta los sacrilegios que en lugares pequeños se cometen por vergüenza (ita in vita S. Alphonsi), y considerando el escaso número de Confesores que ha-

Si 1, conveniunt omnes Confessarium non teneri cum gravi incommodo honoris, famæ aut bonorum pœnitentem admonere de defectu commisso; nam cum ipse non sit in culpa ratione administrationis Sacramenti, non tenetur ad monendum, nisi generali lege charitatis; sed charitas non obligat cum gravi incommodo. Excipe 1 si pœnitens esset in periculo mortis, vel in periculo non amplius se confitendi; tunc enim omni modo salus æterna proximi curanda est; 2 si Confessarius sit Parochus: cum enim iste ex justitia teneatur curam gerere ac bono studere animarum suarum, videtur etiam ex justitia teneri ad reparandum grave damnum spirituale a se ipso iisdem parochianis etiam sine sua culpa illatum.

Si 2, non desunt qui adhuc Confessarium liberant ab onere defectum suum emendandi. Nos tamen dicimus cum Sporer, Viva aliisque eumdem tunc teneri, et quidem sub levi, si illius culpa levis sit: sub gravi, si defecerit graviter. Quamvis enim Confessarius in hypothesi onus audiendi Confessiones susceperit ex charitate; postquam tamen audivit, tenetur ex officio, vel ex quasi-contractu cum pœnitente inito rite eidem ministrare Sacramentum. Si ergo Confessarius Pœnitentiam invalide administravit sua culpa, tenetur de errore pœnitentem admonere: hoc tamen intellige pro modo culpæ; nam excusatur Confessarius ab hac obligatione, si inde resultet damnum nimium præponderans.

Cæterum in omni casu, de quocumque errore corrigendo agatur, Confessarius semper primo tenetur petere licentiam a pœnitente, *si permittas* etc.; secus esset sigillum violare, quod quidem in nullo casu sine licentia licet. Hinc etiam deducitur, quod si ex monitione gravis prævideretur offensio in pœnitente futura, probabilius tunc Confessarius non tenetur monitionem facere: imo debet eam omittere, ne sigillum quomodocumque lædat (1).

Q. 2. *Quid si Confessarius erraverit circa integritatem Confessionis?*

R. Si Confessarius in hoc culpabiliter erravit, quod negative se habuit, id est neglexit interrogare de speciebus et numero peccatorum, non tenetur errorem reparare, nisi intra ipsam Confessionem, si nempe pœnitens apud ipsum Confessarium redierit; nam obligatio faciendi Confessionem integram afficit directe pœnitentem, non vero Confessarium, qui licet in Confessione teneatur interrogare de speciebus et numero peccatorum, ut efformet judicium rectum de statu causæ; finito tamen judicio, cessat in eo omnis hujusmodi obligatio. — Si vero culpabiliter in hoc erravit, quod positive pœnitentem induxit, dicendo v. g. non opportere explicare aliter numerum, species aut circumstantias peccatorum, tenetur errorem reparare etiam extra Confessionem, prævia pœnitentis licentia; nam ex jure naturali quisque de-

bia en las parroquias rurales, quiso que en la próxima Pascua se cambiasen entre los vecinos las respectivas parroquias en que solian confesar (l. III, c. 13).» Et in ejus Notificatione ad Clerum anno 1764 habet: «Se recomienda de nuevo una vez al mes un confesor forastero en la parroquia.»

(1) Item gravissimis Theologis videtur probabile, quod si pœnitens vel jam alteri se iterum confessus sit (cum tunc certo moraliter præsumatur justificatus); vel Eucharistiam susceperit (nam ex D. Thoma Eucharistia cum attritione et bona fide suscepta primam gratiam confert per accidens), tunc non tenetur Confessarius cum gravi incommodo eum monere de nullitate primæ Confessionis, etsi id evenerit Confessarii ipsius culpa. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 360; l. VI, n. 319.

bet tollere causam mali, quam positive et voluntarie posuit. Hoc tamen intellige, modo sine gravi suo damno et scandalo cæterorum id possit; sicuti enim damnum grave excusat pœnitentem ab integritate Confessionis, ita etiam excusare debet Confessarium. Dicimus *culpabiliter;* si enim id fecerit fide bona, aut si levis tantum negligentiæ sit reus, non tenebitur monere extra Confessionem; quia id sine incommodo et rubore facere non potest. Et aliunde hic error regulariter nulli nocet (1).

Q. 3. *Quid si Confessarius erravit circa restitutionis obligationem?*

R. Vel Confessarius in hoc erravit, quod de restitutionis obligatione pœnitentem non monuerit, vel in hoc erravit, quod positive restitutionem impediverit, pœnitentem nempe absolute deobligando.

Si Confessarius in hoc erravit, quod de restitutionis obligatione cum pœnitente siluerit, videndum erit an inculpabiliter id egerit, an vero id egerit culpabiliter. Si 1, non tenetur cum gravi incommodo pœnitentem monere, quia non est in culpa; tenebitur tamen cum incommodo aliquali, petita licentia, ipsum monere; quiâ charitas obligat quemcumque ad reparandum grave damnum proximi sui, si cum levi incommodo potest. Si 2, patet Confessarium ad monitionem teneri pro culpæ gravitate: quod si monitionem omittat, sunt qui docent Confessarium ipsum ad restitutionem teneri, si Parochus sit, non vero si simplex Confessarius; nam ille quidem, non vero iste obligatur ex officio proprio impedire, quominus subditi sui damnum aliis inferant. Nos tamen cum sententia communissima (quam tuentur Cabassutius, Concina, Croix, Sanchez et Suarez) dicimus etiam in hoc casu Confessarium, sive delegatus et simplex sit, sive Parochus, ad restitutionem non teneri; nam Confessarius non tenetur, nisi curare bonum spirituale suorum pœnitentium; et quidem si sit Confessarius simplex, ex sola charitate; si Parochus, etiam ex justitia (2).

Si vero in hoc erravit, quod a gravi restitutione pœnitentem deobligaverit (vel etiam obligaverit, cum non esset obstrictus), tunc si ita se gessit cum sua culpa gravi, omnes dicunt Confessarium teneri ad monitionem pœnitenti faciendam etiam cum gravi incommodo, vel intra Confessionem, si brevi pœnitens sit rediturus; vel extra Confessionem (petita venia), si non redeat. Alias (si id non agat, vel id amplius agere non possit, quia pœnitens mortuus est, vel si agat tardius, id est postquam pœnitens factus sit impotens ad restitutionem) restituere tenebitur ipse Confessarius, in hypothesi nempe qua pœnitens si fuisset prius admonitus, restituisset. Sane in hoc casu Confessarius injusto suo consilio fuisset causa immediata, actualis, effi-

(1) Idem dicunt casu quo Confessarius oblitus sit pœnitentiam imponere; nihil enim deficit valori Sacramenti.

(2) Adde, quod ad inducendam in aliquo obligationem restitutionis requiritur positivus influxus in damnum aliorum, sive Confessarius sit delegatus et simplex, sive sit Parochus; et etiamsi eorum silentium, de quo agitur, culpabile sit; nam silere non est positive influere. Neque dicas, quod etiam non manifestans et mutus tenentur de restitutione, quando non loquuntur, cum debeant: nam hoc tunc tantum valet, quando manifestatio fieri debet non quidem ex sola ipsa charitate (ex cujus violatione nulla oritur obligatio restituendi), sed etiam ex justitia. Porro hic non est casus; quia Confessarius nulla speciali justitiæ lege adstringitur erga extraneum, ut teneatur curare hac manifestatione illius temporale bonum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 621.

cax et directa damni proximo illati. — Si vero ita se gessit absque sua culpa gravi, sed ex levi negligentia tantum, tenebitur monere pœnitentem cum incommodo tantum levi; quia pro modo rei debet esse obligatio. Quod si admonere non possit, vel pœnitentem inveniat inhabilem ad restituendum, non ipse tenebitur Confessarius restituere, cum non deliquerit graviter contra justitiam (1).

Q. 4. *Quid intelligitur nomine sollicitationis?*

R. Sollicitationis vocabulo in Sacramento Pœnitentiæ intelligitur *invitatio, incitatio, provocatio ad res venereas facta a Confessario sub datis clausulis.* Infandum scelus est, quo Confessarius et gravem Sacramento injuriam irrogat, eo abutens ad rem adeo turpem, et lethale pœnitenti infert damnum, ei pro medicina venenum porrigens. Imo recte advertit Elbel, Parochum in hoc delinquentem contra justitiam specialiter peccare; cum ex justitia vi officii sui graviter teneatur oves suas verbo et exemplo pascere.— Hic autem habemus quatuor Constitutiones summorum Pontificum: 1ª est Pauli IV; 2ª Pii IV; 3ª Gregorii XV; 4.ª Benedicti XIV; quæ ultima incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, quæque confirmat omnes Constitutiones omniaque Decreta hac de re, mandans *omnibus Inquisitoribus et locorum universi orbis Ordinariis*, ut inquirant et procedant contra omnes Sacerdotes (tamquam contra suspectos de hæresi) cujuscumque dignitatis sint, conditionis et præeminentiæ, si suos pœnitentes ad turpia sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habuerint, sive litteris, sive nutibus, sive tactu, uti sunt oscula, amplexus impudici, aliaque signa libidinosa et amatoria, quibus uti solent amantes ad alliciendam aliquam personam ad sui amorem inhonestum.

Nihil refert sollicitatus fœmina sit, an vir; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus (2). Quod valet sive quis mulierem tentet ad hoc, ut inducat aliam ad secum peccandum, ut habet Bulla Gregorii: sive ut ipsa cum alio peccet, ut ait Bulla Benedicti. Hi omnes denuntiandi sunt ex citatis Bullis, etsi longum tempus a sollicitatione effluxerit: et de hac obligatione pœnitentes monendi sunt, licet non prævideantur obtemperaturi; cum de communi bono agatur (3). — Gravi autem culpæ correspondet gravis pœna. Nam ex Decreto Benedicti XIV 5 aug. 1745 sollicitantes præter suspensionem ab executione Ordinis, et privationem beneficiorum ac digni-

(1) Quod si Confessarius leve incommodum culpabiliter vitet et suæ obligationi non faciat satis, communius et verius docent tunc ipsum sub gravi de restitutione teneri.

(2) Si sollicitans sit laicus qui simulet se Confessionem audire, adhuc denuntiandus est ex Decreto S. Inquisitionis. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 688. Hic notandum: Alexander VII hanc damnavit sub n. 7 propositionem: *modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

(3) Cæterum etiam independenter a Pontificiis Constitutionibus, ille qui scit Sacerdotem vel Clericum turpiter vivere, aut ad turpia sollicitare, tenetur (naturali nempe lege) illum Episcopo denuntiare; agitur enim de avertendis gravissimis malis in ruinam delinquentis, in perniciem animarum, et in Religionis dedecus vergentibus. Attamen cavendum, ne fides temere adhibeatur mulierculis Sacerdotes in ipsomet tribunali accusantibus; non semel enim visæ sunt quæ ex invidia, odio, zelotypia aliave causa perversa Clericos prorsus innocentes sic atrociter calumniatæ fuerint. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XVI, n. 180.

tatum (quæ tamen pœnæ non incurruntur, nisi post sententiam, cum privent jure acquisito), incurrunt sollicitatores etiam perpetuam inhabilitatem ad ipsam Missam celebrandam (1).

Ex Synodo autem Novariensi reservatur *execrandum Confessarii pœnitentem ad turpia sollicitantis crimen in actu, vel prætextu, vel occasione Confessionis.* Item reservantur *quicumque obscœni actus inter Confessarium et filiam spiritualem seu Confessionis.* Eadem Synodus ad peccatum hoc præcavendum statuit: 1 ut Confessio mulierum non alibi excipiatur præterquam ad crates sedis Confessionalis, neque ante solis ortum, vel post occasum: crates autem confessionarii velatæ sint, et sedes ipsæ confessionales in loco patenti; 2 ut quoties mulier ratione infirmitatis domi audienda est, sive decumbat in lecto sive non, pateant quoad potest, cubiculi fores et aliæ debitæ serventur cautelæ, ac decenti in loco fiat (2); 3 si quis sæcularis vel regularis Sacerdos, nulla cogente necessitate, mulieres audire præsumpserit extra dictam sedem, suspensionem a Confessionibus audiendis ipso facto incurrit (*pag.* 120) (3).

Q. 5. *Quænam clausulæ Constitutionum Apostolicarum hac de re?*

R. Sunt quatuor, quæ sequuntur, clausulæ quoad sollicitationem:

1. Sollicitatio, tunc habet locum *in actu sacramentalis Confessionis,* quando Confessarius, incæpta Confessione, apponit media, quibus postea sollicitat. Nec refert quod ponat medium apparenter indifferens, si tamen postea cognoscatur appositum ad sollicitandum, uti esset imponere mulieri, ut eum domi expectet: vel eam interrogare ubi habitet, an sola ibi moretur, et postea Confessarius illuc se conferat et eam sollicitet.

2. *Immediate ante vel immediate post:* hoc stricte intelligendum est, prout communius docent, ita ut nullum intervallum intercedat inter sollicitationem et Confessionem. Sic qui mulierem ante pedes genuflexam ad confitendum, sollicitat (etsi nondum se crucis signo munierit), dicitur *sollicitare immediate ante;* licet Confessio postea non sequatur. Qui vero statim finita Confessione, ducit v. g. puerum in cubiculum et sollicitat, dicitur sollicitare *immediate post.*

3. *Occasione, vel prætextu Confessionis, etiam Confessione non secuta.* Occasio dicitur de Confessione vere petita, uti esset si Confessarius rogatus ad

(1) Ad hanc inhabilitatem incurrendam requiritur sententia criminis declaratoria, si eam non possit reus exequi sine infamia ex dictis tom. I, ubi *de lege pœnali.* Item videtur posse affirmari, quod probabiliter ab ea incurrenda excusat ignorantia invincibilis; quia hæc inhabilitas habet rationem pœnæ, et quidem pœnæ extraordinariæ (imo generatim refert Panzuti, *De Pœnitentia*, ad n. 380, illam inhabilitatem esse ferendæ sententiæ ex declaratione sacræ Pœnitentiariæ 10 februarii 1785: quod iterum declaravit 22 martii 1832). *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 705.

(2) Videant etiam Ecclesiastici, nisi impellens necessitas aliter suadeat, ne fœminis ægrotis caput, pedes aut venarum pulsum attingant, ut videant quomodo se habeant: res enim periculosa est, saltem indecora.

(3) Majoris periculi causa non statim solet ab Episcopis una cum facultate audiendi viros, facultas tribui auscultandi mulieres in Confessione; sed majorem requirunt in subjecto experientiam, gravitatem, ætatem, etc. « S. Alfonso se regia, no segun la edad, sino segun las costumbres: tantos años mas ó menos, decia, no hacen hábil ó inhábil; hay confesores viejos que, aunque decrépitos, no merecen ejercer tal cargo; al contrario, los hay que, aunque jóvenes, lo merecen muy bien. » Tannoja, in ejus vita.

Confessionem, divertat et sollicitet, esto nondum ipse sederit, nec mulier fuerit genuflexa. Item est probabilius, si ob fragilitatem in Confessione auditam, mulierem ipsam in via sollicitet: impulsus enim provenit ab ipsa Confessione. Item denuntiari debet Confessarius, qui rogatus a fœmina ut ejus Confessionem excipiat, eam nunc sollicitat. An autem debeat denuntiari Confessarius, qui ob peccatum auditum a pœnitente, postea accedit domum ejus ad ibi eam sollicitandam, vel ipsam litteris sollicitat? Negant Navarrus, Trullenchus, Salmanticenses, etc., quia tunc (dicunt) Confessarius non utitur occasione Confessionis, sed tantum notitia in Confessione habita. Sed probabilius certe affirmant Roncaglia, Concina, Mazzotta, Potestas, Bordonius et Lezana, quia revera tunc jam occasione Confessionis sollicitat, cum sollicitatio impulsum habeat a Confessione (1).

Prætextus vero *Confessionis* est de Confessione quæ fingitur: hinc denuntiandus est Confessarius qui ex pravo fine ficte incitat mulierem ad Confessionem, et deinde illam sollicitat. Secus vero qui licentiam a Superiore peteret ut in domum mulieris se conferat prætextu confessionis, sed finis esset simpliciter eundi ad eam tentandam, ut dicunt Salmanticenses, Roncaglia, Bordonius et Tancredus, quia tunc Confessionis prætextus non est respectu pœnitentis, sed Superioris. Item probabilius non est denuntiandus Confessarius qui cum pœnitente convenit, ut se infirmam simulet, et prætextu confessionis ad se eum advocet; quia non est quod tunc fiat sollicitatio prætextu confessionis, sed sub tali prætextu executioni mandatur eorum indigna conventio; adeoque prætextus non inservit ad sollicitandum, sed ad domesticis illudendum, ne de malo suspicentur. Aliter dicendum est, si Confessarius mulierem sollicitasset, licet extra Confessionem; sed illa repugnante ob timorem ne videretur, Confessarius ei insinuaret, ut se simulet ægrotam et tali prætextu illum ad se advocet; quia tunc recte verificatur, quod prætextus Confessionis sit motivum quo ille ad sollicitandum pergat, et consensum mulieris obtineat. Ita etiam puto denuntiandum fore Confessarium vocatum a matre ad audiendam Confessionem filiæ, et ipse ad cubiculum accedat cum pravo fine ad alloquendam puellam de confessione, nempe eam interrogando, an velit confiteri, vel dicendo se advocatum fuisse ad audiendam ejus confessionem, et deinde sollicitet; quia tunc etiam sollicitaret prætextu confessionis.

4. *Vel extra occasionem Confessionis in confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione ibidem confessionem audiendi.* Ex Decreto sacræ Inquisitionis 11 febr. 1661, quod interpretatur et explicat Bullam Gregorii, colligitur quod simulatio Confessionis, ut sit denuntiandus Confessarius, debet intervenire, etsi sollicitatio fiat in confessionali. Attamen dicunt, quod ex alio S. I. Decreto ab auctoribus relato, adhuc debet denuntiari Confessarius ille, qui sine simulatione Confessionis aut sollicitat aut tractat de turpibus in confessionali; in eo enim præcipitur denuntiatio omnium illorum, *qui abusi sunt Sacramento Pœnitentiæ, Confessionem seu confessionarium adhibentes ad fines inhonestos.*—Si tamen sollicitatio non contingat in confessionario, sed in alio loco ad Confessionem

(1) *V.* Liguori, *Homo Apost.* tr. XVI, n. 168; et *Opus Mor.* l. VI, n. 678.

electo, tunc requiritur confessionis simulatio, quæ habetur, quando Confessarius ita se gerit seu efficit, ut merito credi possit ipsum actu audire confessionem.

Quid (inquies) *si sollicitatio sit ad peccata non turpia, v. g. ad furtum?*—Sententia communissima et probabilior negat adesse tunc obligationem denuntiandi; nullibi enim habetur tale præceptum (1).

Quid (dices) *si Confessarius sollicitans fuerit vel jam emendatus, vel judicatus ac punitus, vel defunctus?*—Etsi emendatus certo sit Confessarius, tamen absolute probabilius putamus, ipsum adhuc denuntiandum; nam Pontifices non magis intendunt sollicitantis emendationem, quam ejus punitionem ad damnum Ecclesiæ reparandum, et fidelium scandalum. Hinc constituerunt denuntiationem esse faciendam, nulla etiam præmissa correptione fraterna. —Item si jam judicatus atque punitus fuit, casu quo agatur de nova sollicitatione, viget adhuc profecto obligatio, uti patet. Imo etsi agatur de eadem, adhuc longe probabilior est sententia affirmativa; nam mulier non eximitur ab obligatione denuntiandi, quia alia persona denuntiavit; cum obligatio hæc afficiat unamquamque personam, sive sint sive non alii denuntiantes.— Si defunctus, negatur probabilius adesse tale onus; nam tunc cessat omnino totus legis finis. Excipe si agatur de hæretico formali, qui ex legis præscripto esset denuntiandus etiam post mortem ad reparandum damnum aliis irrogatum.

Si pœnitens sollicitet Confessarium, non est denuntiandus; leges pœnales non sunt extendendæ de casu ad casum. Imo oriretur gravis suspicio revelationis sigilli, si Confessarius pœnitentem denuntiaret.

Q. 6. *Quinam tenentur ad denuntiationem?*

R. Præter ipsos sollicitatos (etiamsi impuberes, modo rationis sint compotes) tenentur ad denuntiationem cæteri omnes, qui sollicitationem certo sciunt, etsi sub secreto naturali; cum agatur de reparando damno communi: secus si agatur de secreto consilii, nam propalatio hujus secreti semper vergeret contra publicum bonum (2). Imo omes qui sollicitationi consenserunt, ut ait Benedictus XIV: neque necesse est, ut quis ideo dicat suam turpitudinem, neque de hoc potest interrogari.—Tenentur autem ad eam cito faciendam Inquisitoribus vel Ordinariis locorum, et nequeunt sacramentaliter absolvi, nisi prius denuntient. Ubi vero aliquod adsit impedimentum, quominus ea cito fieri possit, veluti si Ministri Tribunalis longe distent, vel adsit necessitas communicandi ad vitandum scandalum, qui ea tenentur, debent esse parati ad illam faciendam quamprimum poterunt, etiamsi juridice nequeant denuntiationem probare; vel crimen occultum sit, vel a longo tempore commissum: alias peccant graviter, et incurrunt excommunicationem reservatam. Nemo tamen tenetur se ipsum denuntiare, ideoque neque pœnitentem a se ipso sollicitatum de denuntiandi obligatione monere; id

(1) Communissime scilicet tradunt Constitutiones Pontificias de sollicitatione loquentes esse omnes intelligendas de sollicitatione ad res venereas. Et licet in Bulla Gregoriana occurrat vocabulum *illicitos*, *et inhonestos tractatus*; censent tamen, et patet ex contextu, utrumque nomen significare eamdem materiam. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 684.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 698.

enim natura refugit. Si tamen sponte compareat, gaudebit beneficio sponte comparentium, id est salutaribus tantum monitis ac pœnitentiis punietur, nisi fortejam fuerit ab aliis denuntiatus ; quia tunc pœna tantummodo imminueretur (1).

Diximus: *ad eam cito faciendam,* id est intra mensem ex Decreto S. Inquisitionis 18 martii 1677. Cæterum facta denuntiatione, licet post mensem, cessat reservatio ; et ideo a quolibet Confessario pœnitens absolvi potest: ita S. Pœnitentiaria 22 martii 1832. Forma autem juridica et ordinaria pro denuntiationibus peragendis hæc est, ut semper adeantur Ordinarii locorum vel Inquisitores, et ibi publici Notarii opera assumatur. Sed pro quibusdam casibus peculiaribus, ut si persona sollicitata induci nequit ad denuntiationem tali forma peragendam, quia vel timet vel rubore afficitur ; tunc ex Indulto S. Inquisitionis, annuente Pontifice, facta est facultas Episcopis et Inquisitoribus delegandi ad denuntiationes excipiendas quemcumque Confessarium, qui bene instruatur et juramentum emittat *de silentio servando, et fideliter sibi munus commissum exercendo* (2) *(R).*

Q. 7. *Quid sentiendum est de dubiis sollicitationibus?*

R. Confessarius non sit nimis festinus in imponendo pœnitenti onus denuntiationis ; unde in dubio an illa fuerit vel ne sollicitatio, tale onus ne injungat, tum quia semper in partem meliorem accipienda sunt ; tum quia in dubio nemo privandus est fama, quam possidet. Excipe 1 si accedant indicia vehementia de vera sollicitatione; quia hæc licet evidentiam non producant, fundant tamen certitudinem moralem: ut esset probabilius, si Confessarius in Confessione, aut immediate post, vel occasione aut prætextu Confessionis, vel extra occasionem Confessionis in Confessionali, aut in alio loco ad Confessionem audiendam electo, simulando tamen Confessionem, dicat: *tecum nuberem, si essem sæcularis ;* 2 si verba de se præseferant sollicitationem, nempe sint nimis excitativa ad venerem, et solum dubitetur, an Confessarius ad malum finem ea protulerit; præsumptio enim desumitur ex communiter contingentibus. Esset si v. g. dicat: *veniam in domum tuum et promitte mihi facere quod voluero ;* vel *expecta me hodie domi tuæ, quia habeo tecum loqui ;* vel *veni sola in domum meam,* etc., et inde veniendo revera locum habeat sollicitatio; nam esto quod ea verba de se indifferentia, at per actus subsequentes jam satis determinatur, qua mente fuerint pronuntiata. Idem est si dicat mulieri nihil mali esse in mutuis amoribus (vulgo *enamoramientos),* et postea domum veniens mulierem sollicitet ; nam per ea verba prolata sat patefecit suam pravam intentionem (3).

(1) S. Congr. 24 nov. 1624. — *V.* Benedictus XIV, *de Syn Diœc.* l. VI, c. 11.

(2) Qui modus traditur in Synodo Novariensi postrema, pag. 312.

(3) *Petrus solatii causa magnetismum cum Cajo suo Confessario exercet tum erga viros tum erga mulieres ; adestne complicitas in peccato turpi inter Petrum et Cajum, adeo ut hic nequeat illum valide absolvere?* — R. Etsi magnetismi exercitium sit valde periculosum et plerumque inducat ad peccatum contra sextum ; attamen hoc non est absolute et per se ; ac proinde est quidem graviter improbandus Cajus, at eo ipso non est censendus complex cum Petro de peccato turpi, nisi revera magnetismum exercendo simul una contra sextum peccaverint: quod ex interrogationibus dignosci potest.

Si Confessarius laudet mulierem confitentem de pulchritudine, est denuntiandus ; si tamen ex

Hic operæ pretium est declarationes datas a S. Congregatione Suprema circam Bullam Gregorii XV, et a Benedicto XIV confirmatas, afferre sic relatas a cardinali Albitio (1): «cum me instante, fuissent proposita in Suprema (Inquisitione Romana) infrascripta dubia, facto per Qualificatores accurato eorum examine, in infrascriptam devenerunt sententiam, quam eadem S. Congregatio Supremæ et Universalis Inquisitionis approbavit, et servari mandavit 11 februarii 1661.

1. An sit denuntiandus Confessarius, qui dat pœnitenti chartam in Confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat. *Domini Qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem;*—2 an Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus. *Censuerunt incidere, et Confessarium esse denuntiandum rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt;*—3 an Confessarius sollicitando propter parvitatem materiæ sit denuntiandus. *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, et si daretur, in re præsenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem* (2);—4 an Confessarius qui fœminam in Confessionario dicentem se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a Confessione dissuadet, sit denuntiandus. *Si sollicitatio fiat extra locum Confessionis, et absque prætextu Confessionis, censuerunt, negativam opinionem esse probabilem: secus si in Confessionario, seu in loco Confessionis;*—5 an Sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in Confessione pœnitentem, sit denuntiandus. *Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem;*—6 an interpres, si sollicitet in Confessione pœnitentem, sit denuntiandus. *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate* (3);—

modo loquendi vel aliis circumstantiis dignoscatur id fieri ex pravo affectu; secus si ex imprudentia vel animi levitate. Item ex circumstantiis videndum, an importet veram sollicitationem si Confessarius dicat mulieri: *memento mei, quia ex toto corde te diligo.*

Esset autem denuntiandus si diceret pœnitenti: *dic mihi quanti me amas?* aut: *sentis in te eas tentationes erga me, quas ego experior erga te?* aut: *vellem te semper videre et esse juxta te;* aut: *tua causa somnum pravum passum sum;* aut: *ingrata mihi es, quia non me amas.* Idem videtur dicendum, si Confessarius exhibeat et aperiat pœnitenti suum amorem, exigendo amoris repromissionem; cum enim non conveniat Confessario ita loqui, et hujusmodi loquendi modi magis communiter pro alliciendo ad amorem lascivum usurpentur: non est sufficiens ratio in praxi (ait Roncaglia) credendi Confessarium exprimere voluisse amorem honestum seu spiritualem. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIV, nn. 180 et 181; et *Op. Mor.* l. VI, n. 704.

(1) In Opere, *De inconstantia in fine*, c. 38, nn. 65 et seqq. Cæterum si neque apud Confessarium possit induci pœnitens ad denuntiandum, recurratur ad S. Sedem, organo Pœnitentiariæ, quæ aliquando, ut refert Mazzota, in casu magnæ verecundiæ et panici timoris ab hoc onere dispensavit, dando nihilominus Confessario facultatem absolvendi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 699.

(2) Id intelligunt, si actus sit plene deliberatus, et insuper si ex circumstantiis certe conjiciatur, Sacerdotem levi illo actu animum habere ulterius progrediendi.—Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 683.

(3) Etsi ex Bulla Gregorii, quam præsentes declarationes interpretantur, non sit denuntiandus Sacerdos interpres; est tamen denuntiandus ex alio Decreto ejusdem S. I. in quo habetur denuntiandos esse omnes de hæresi suspectos inter quos enumerantur illi, *que abusan del Sacramento de la Penitencia, valiéndose de la confesion ó del Confesonario para fines deshonestos.* etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n, 690.

7 an mandans Confessario, ut in Confessione sollicitet, sit denuntiandus. *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate* (1);—8 an quando Confessarius et pœnitens invicem se sollicitant, Confessarius sit denuntiandus. *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem;* —9 an Confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus. *Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem* (2);—10 an Confessarius incidat in pœnas Constitutionis Apostolicæ contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, sit denuntiandus, et si denuntiandus, possit ab Inquisitoribus puniri. *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem;*—11 an Confessarius, qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos sit denuntiandus. *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem;*—12 an Confessarius, si laudet pœnitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus. *Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravæ intentionis redoleat, negativam esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem;*—13 an sit denuntiandus Confessarius qui propter sollicitationem alterius abjuravit (3). *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum; quod etiam fuit resolutum die* 26 *julii* 1628;—14 an quis teneatur denuntiare Confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis. *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate;*—15 an sit denuntiandus Confessarius, qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium, non simulando Confessionem. *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate* (4).—16 an sit denuntiandus Confessarius, qui audiens Confessionem dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse. *Idem responderunt quod ad duodecimum.*»

Hactenus ex cardinali Albitio. Hæc autem omnia et singula decreta Benedictus XIV in Bulla *Sacramentum*, confirmavit his verbis: «Plura subinde a Congregatione ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die 11 mensis februarii anno Domini 1661 prodierunt decreta... Nos itaque... omnia et singula decreta prædicta... apostolica Auctoritate, tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.»

(1) Ex Bulla Benedictina certum est esse denuntiandum Confessarium ipsum, qui sollicitaret pœnitentem ad peccandum cum alio.

(2) Hoc tamen intelligunt, si revera fieri possit, quin periclitetur pœnitentium fama, quod valde timendum est, si ipsi pœnitentes tantum sollicitaverint, nec mutua fuerit sollicitatio, id est si Confessarius primo sollicitatus et ipse postea non sollicitet: ut esset v. g. si pœnitens turpiter tangat Confessarium, qui nihil dicat omnino, etsi libenter id permittat. Erit complicitas, erit consensus; non tamen talis, ut pœnitens sine sui diffamatione denuntiet.

(3) Id est qui ob aliam præcedentem sollicitationem comparuit coram Inquisitore et abjuravit, nempe hæresim detestavit; cum enim abjuratio sit detestatio hæresis, aliquis in tantum adjurare debebat, in quantum erat hæreticus vel de hæresi suspectus: et talis habebatur sollicitator, qui ideo debebat adjurare saltem ad cautelam; et si suspicio de hæresi erat levis, dicebat adjurare *de levi;* si vehemens, abjurare *de vehementi.* Diana, vol. v, *de potest Inquisitorum.*

(4) Ita censuerunt interpretando Bullam Gregorii; sed ex alio Decreto relato supra q. 5, n. 4, esset talis Confessarius denunciandus.

CAPUT QUINTUM

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTI EFFECTIBUS (1).

Q. *Quotnam sunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Pœnitentia hos habet effectus, qui sequenti versiculo includuntur:

Abluit, absolvit, sanat, corroborat, ornat.

Nempe abluit culpam; absolvit ab æterna pœna; sanat animæ vulnera; roborat gratiæ auxiliis; tandem ornat virtutibus ac meritis. Videlicet effectus sunt: 1 *remissio omnium peccatorum* tum quoad reatum et imputationem, tum quoad pœnam æternam, et totalis eorum deletio ab anima etiam quoad rem et naturam ipsam peccati: hic enim est hujusce institutionis scopus ac ratio. Peccata autem semel remissa non amplius reviviscunt; *sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (2); 2 *collatio gratiæ* tum *sanctificantis*, cum peccata remitti nequeant sine illius infusione, qua nempe efficimur amici Dei; tum *Sacramentalis*, propriæ nempe huic Sacramento, quæ nempe nos roborat ad perseverandum; 3 *reviviscentia virtutum et meritorum*. Ac *primo* certum est, virtutes infusas ob peccatum deperditas restitui per pœnitentiam, cum hæ sint proprietates gratiæ habitualis: hinc paterfamilias resipiscenti filio jubet reddi stolam primam et annulum et calceamenta (3), id est gratias et virtutes infusas, ut interpretantur Patres. *Secundo* certum pariter est, merita seu bona opera per peccatum *mortificata* per pœnitentiam reviviscere; legitur enim in Scripturis: *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* (4), at noceret, si merita anteacta non reviviscerent. Hinc D. Ambrosius: *vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit* (5).

Diximus *opera mortificata*, quæ nempe facta fuerunt in gratia, quæque desierunt meritoria esse per lapsum in peccatum; nam certe non reviviscunt *opera mortua*, quæ scilicet licet in se bona, non merentur tamen; cum hæc ea sint, quæ sunt facta in statu peccati: porro cum numquam vitam habuerint, nequeunt reviviscere. — Item notamus: hic non est sermo de *operibus vivis*, quæ non indigent reviviscere; cum hæc ea opera sint, quæ facta sunt in statu gratiæ, nullo peccato subsequente. Multo minus de operibus *mortiferis:* hæc enim sunt ipsa peccata, quæ potius per pœnitentiam destruuntur.

Hic ultimo præstat in mentem revocare, Pœnitentiam in ipsum bonum societatis plurimum conferre: unde si non esset in præcepto, ea adhuc fre-

(1) *V. Billuart* in hac tractatione, de qua fuse agit.

(2) Rom. 11. (3) Luc. 15. (4) Ezech. 30.

(5) L. II *in Luc.* In quonam autem gradu merita reviviscant, non conveniunt; tenet Billuart cum D. Thoma ea reviviscere gradu proportionato pœnitentiæ intensitati. Hoc videtur conformius Tridentino; cum dicat: *quod unusquisque recipiat justitiam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem* (sess. 6, c. 7).

quenter suscipienda esset. Ipsa enim (experientia teste, et ipsis fatentibus adversariis) veluti aqua flammas remorsus extinguit; errores veluti nebulas ventus dissipat. Bona in corde semina jacit; malis occurrit; dubia resolvit; resolutiones roborat; pacem familiarum tuetur; bonum societatis promovet. Omnes uno verbo ad propria munia alacriter obeunda edocet, sustinet, impellit (1).

DISPUTATIO SECUNDA

DE EXTREMA-UNCTIONE.

Q. 1. *Quid est Extrema-Unctio?*

R. Extrema-Unctio definitur: *Sacramentum N. L. ex olei benedicti Unctione et Sacerdotis oratione constans, a Christo D. N. institutum, per quod homini Christiano graviter infirmo salus animæ confertur, et etiam sanitas corporis, si saluti animæ expedierit.* Diversis autem nominibus donari solet: præcipue dicitur: 1 *Extrema-Unctio;* tum quia infirmis in extremo vitæ periculo administratur; tum quia, cum multæ sint in Religione unctiones sacræ, hæc revera est omnium earum postrema; 2 *Unctio Infirmorum, Sacramentum exeuntium;* quia ex Tridentino hæc unctio *facienda est infirmis illis præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti esse videantur;* 3 *Oleum sanctum;* quia ejus materia in oleo sita est, quod Ecclesiæ precibus ac benedictionibus consecratur.

Calvinus Extremam-Unctionem vocabat *Sacramentum fictitium et histrionicam hypocrisim.* Lutherus eam inter Scholasticorum figmenta amandabat; magistrorum vestigiis inhærentes idem docent Protestantes. Sed de fide catholica est, Extremam-Unctionem esse verum novæ Legis Sacramentum.

Prob. 1. Ex Scriptura. S. Jacobus sic habet: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei* (2). Jam vero: Sacramentum novæ Legis ve-

(1) Qui effectus sane mirabiles, si nonnumquam desiderantur, non est Sacramenti defectu; sed vel ministrantium vel suscipientium: 1 obicem ponit Confessarius, si sine ullo pietatis sensu hoc officium agat; quo tamen nihil Deo carius, nihil pœnitenti et sibi ipsi utilius. Huc porro facit genuina ministerii existimatio, orationis fervor, intentionis rectitudo atque sensuum custodia. Vid. *Il Sacerdote santificato*, Lettera prima, §§ 105 et seqq.; — 2 deficiunt pœnitentes illi, qui nulla ferme oratione, fere nullo conscientiæ examine, nec peccatorum turpitudinis consideratione præmissa, jam satis dispositi inveniuntur, sicque exomologesis tempus sine ulla recollectione, vel etiam confabulando expectant: hic maxime peccant juvenes. Quo fit, ut distracti Confessarium adeant, atque sine ullo doloris sensu Confessionem exsolvant. *V.* Careno, *Delle regole* ecc. Esam. I.

(2) Ep. c. 5. *Oratio fidei* dicitur, tum quia hoc Sacramentum fidem exigit, ut suscipiatur cum fructu; tum quia innititur Ecclesiæ fidei. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 106.

rum et proprie dictum est *ritus sensibilis, a Christo institutus, habens vim gratiæ conferendæ;* atqui ex Scriptura istas conditiones in se complectitur Extrema-Unctio: 1 est ritus sensibilis; talis est unctio olei, et oratio eidem adjuncta: *orent super eum ungentes eum oleo;* 2 vim habet gratiæ conferendæ; quia remittit quidquid infirmo superest peccati: *et si in peccatis sit, remittentur ei;* 3 a Christo fuit instituta; nam ipse solus potuit certis elementis et certis verbis alligare gratiæ vim (1).

2. Ex Patribus. Chrysostomus sæculo IV ajebat: *neque Sacerdotes tantum, quum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt; nam infirmatur quis* etc. (2). Sæculo V Cyrillus Alexandrinus nitebatur hac de causa fideles avertere a superstitione ad salutem (3). Sæculo VI Gregorius M. fuse prosequebatur quæ hujus Sacramenti administrationem spectant (4).

3. Ex Ecclesiæ universalis præscriptione; nam Ecclesia universa semper et ubique tenuit Extremam-Unctionem esse verum Sacramentum, uti patet ex antiquioribus Latinorum et Græcorum Ritualibus: imo ex sectis omnibus antiquis, quæ adhuc illam agnoscunt et servant. Hinc Tridentinum: *siquis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino Nostro institutum et a beato Jacobo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit* (5). — Tot argumentis persuasi non pauci moderni protestantes, uti Leibnitius, Ammon et alii, prout refert clarissimus Perrone, hunc ritum et laudibus commendant et inter Sacramenta recensent.

Notandum autem: unctiones licet multæ, omnes tamen unum constituunt Sacramentum; quia omnes unam habent terminationem, medelæ scilicet interioris et spiritualis (6).

Q. 2. *An Extrema-Unctio sit necessaria et sub gravi sumenda?*

R. Duæ sunt sententiæ. Prima communis et satis probabilis negat cum Estio, Navarro, Palao, Salmanticensibus, Sylvio, Suarez et Tamburini adesse gravem obligationem; tum quia certo non constat de præcepto, cum auctores illud Jacobi intelligant de consilio; tum quia infirmus aliis mediis potest sibi providere. His adhæret D. Thomas (7).—Verum secunda sententia etiam probabilis, quæ omnino suadenda nobis apparet, contrarium docet cum S. Bonaventura, Habert, Concina, Merbesio, Roncaglia et Soto; nam infirmus licet possit aliis mediis se munire, absolute loquendo; attamen negari certo nequit, quod in eo statu et ipse nimis debilis est, ut bonis actibus mentis suæ sibi prospicere possit; et dæmonis insidiæ sunt vehementiores.

(1) Docent Layman, Suarez et alii illam a Christo institutam post resurrectionem.

(2) L. III *de Sacerdotio.* (3) De adorat. *in spir. et verit.* l. VI.

(4) L. Sacramentorum. (5) Sess. 14, can. 1.

(6) Utrum autem quælibet unctio suam gratiam partialem conferat, affirmant multi cum Soto; quia quælibet forma habet suam gratiam sanctificantem. Negat D. Thomas (*Suppl. q.* 30, *a.* 1) dicendo totam gratiam non conferri, nisi in ultima unctione; nulla enim partialis unctio per se Sacramentum est, et ideo nihil confert, quousque cum debita forma compleatur unctio ultima. Utraque sententia est probabilis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 607.

(7) In 4, d. 23, q. 1, a. 1.

Unde videtur se exponere gravi salutis periculo qui robur illud, ideo institutum, negligit suscipere.

Omnes tamen conveniunt, quod per accidens potest esse grave peccatum Extremam-Unctionem non suscipere. Hoc evenire poterit: 1 ratione peculiaris necessitatis moralis, uti si infirmus sit in peccato mortali, nec possit rite suscipere Pœnitentiam, quia v. g. est voce orbatus; 2 ratione scandali, ut si omittendo susceptionem, grave scandalum sit oriturum, aliis suspicantibus infirmum esse incredulum; 3 ratione contemptus, dicente Tridentino: *nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere esse potest* (1).

Q. 3. *Quinam sunt effectus Extremæ-Unctionis?*

R. Tridentinum definivit: *siquis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmum: sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit* (2). Sunt ergo effectus:—1 *Gratiæ collatio*, quæ primario sanat animam, ut ait Florentinum. Unde patet hanc esse gratiam vivorum; neque enim mortuus sanatur: est nempe gratiæ sanctificantis augmentum, tribuens etiam jus ad gratias speciales, pro tentationibus videlicet superandis in eo difficillimo vitæ exitu;—2 *peccatorum remissio:* sed primario quoad reliquias peccatorum, uti communius et probabilius docent Thomistæ; quia primario hoc Sacramentum non est ad peccata delenda institutum. Hinc B. Jacobus dicit: *et si in peccatis sit* (3);—3 *infirmi alleviatio:* quæ quidem tam de corporali, quam de spirituali alleviatione accipitur, ut idem Tridentinum docet. Sed quoad corporis alleviationem, hæc tantum contingit, cum animæ expedit; nam hoc Sacramentum ad spiritualem utilitatem fuit institutum; et ideo patet quare pauci sanitatem recuperent, quia non expedit: porro ex Angelico *ratio operans numquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem.* Hinc versus:

Ungor in extremis, ut fiat gratia major,
Et morbus levior; et mea pœna minor.

Synodus Novariensis jubet, ut Parochi populo explanent hos præstantissimos effectus; et evellant a quorumdam animo funestum illud præjudicium, quo putant sibi quam cito moriendum, si Extrema-Unctione muniantur (4).

Q. 4. *Quænam est materia remota Extremæ-Unctionis?*

R. Materia remota est *oleum ex olivis expressum, et speciali benedictione ab Episcopo consecratum:* quod ex Clemente VIII singulis annis in Cœna Domini renovandum est, veteri exusto (5).

(1) Utrum vero qui sciens et volens negligit hoc Sacramentum, dicendus sit illud contemnere, communius et probabilius negatur. Nam ille tantum dicendus est ex negligentia contemnere, qui illud negligit, quia floccifacit; non vero qui illud simpliciter recusat, vel ob quamdam repugnantiam, vel quia putat non esse de præcepto. (2) Sess. 14, hic can. 5.

(3) Peccata tamen remittit per consequens; quia si in anima ea reperiantur, non possunt abstergi ipsorum reliquiæ (nempe imbecillitas interna, horror mortis, pronitas ad malum, etc.) quin prius remittantur peccata ipsa.

(4) *V.* Scotti, *Catechismo medico*, ubi contra medicum Frank veritatem catholicam valide pro more suo doctissimus Episcopus propugnat.

(5) Item vid. Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXI. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 610.

1. Quod sit *oleum*, constat ex Apostoli verbis: *ungentes eum oleo:* et quidem *ex olivis* expressum; quia ex communi usu nomine *olei* hoc tantum intelligitur. Hinc Gregorius M. in *Sacramentario*, et Eugenius IV in Decreto Fidei ad Armenos expresse nominant *oleum olivarum*. Debet autem esse *purum*, id est sine alia liquoris admixtione; idque saltem ex præcepto Ecclesiastico, ut docet Benedictus XIV (1).

2. Quod oleum debeat *ab Episcopo benedici*, probatur ex iis Tridentini verbis: *intellexit Ecclesia materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum:* et ita semper veneranda antiquitas tenuit. Utrum vero hæc benedictio sit de necessitate Sacramenti, communissime affirmant cum D. Thoma; Concilium enim in hoc est dogmatice locutum. Et ita declaratum fuit a Paulo V 13 jan. 1611; et a S. C. Officii, confirmante Gregorio XVI 14 sept. 1842 (2).

3. Quod oleum debeat benedici *speciali benedictione*, id est in ordine ad Extremam-Unctionem, tenendum est cum Bellarmino. Sicut enim Chrismatis benedictione deputatur materia pro Confirmatione; ita benedictione olei infirmorum deputatur materia Extremæ-Unctionis. Unde contraria sententia, quod nempe possit valide dari Sacramentum hoc cum oleo Confirmationis vel Cathecumenorum, in praxi non est probabilis, nisi in casu necessitatis, in qua Sacramentum est ministrandum sub conditione, et postea repetendum, si habeatur verum oleum infirmorum, uti præscripsit S. Carolus (3).—Si intra annum oleum benedictum deficiat, neque aliud simile haberi possit, ex Rituali fas erit eidem adjungere etiam oleum non benedictum, *dummodo sit in minori quantitate, quam vetus* (4).

Q. 5. *Quænam est materia proxima Extremæ-Unctionis?*

R. Cum proxima Sacramentorum materia sit applicatio materiæ remotæ, cumque oleum benedictum infirmis applicetur per unctionem, patet hanc unctionem esse materiam proximam Extremæ-Unctionis. Hæc autem unctio ex Decreto Eugenii IV facienda est in septem corporis partibus, nempe in *oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum vel locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum: in renibus propter delectationem ibi vigentem.* Ad renes autem quod attinet, ait Rituale: *renum unctio in mulieribus honestatis*

(1) *De Syn.* l. VIII. — « Hay muchas anécdotas dignas de referirse, pasadas entre dos doctores célebres (en el colegio de Oxfort) Pusey y Palmer. Uno de estos, habiendo un dia ido á auxiliar á una pobre vieja que se estaba muriendo, se puso á recitar el lugar de S. Jaime sobre la Estrema-Uncion. Pero no traia consigo el Oleo santo, por no estar en uso entre los anglicanos. La viejecita, habiendo oido el texto en lengua vulgar, dijo al doctor: ¿ teneis el óleo ?— no. Pero el texto dice, repuso ella, que se necesita el *óleo* y la *plegaria*. Y así confundió al famoso doctor, que se fué á su casa á meditar el texto. » *Civ. Catt.* ser. 2ª, v. 1, p. 283.

(2) Ex delegatione tamen R. Pontificis ea benedictio fieri potest etiam a simplici Sacerdote, ut sentiunt omnes ex decreto Clementis VIII. Et in orientali Ecclesia mos viget a mille et amplius annis, ut ipsimet Presbyteri cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum benedicant.

(3) *Act. Med. Eccl.* p. 4.

(4) Quæ adjunctio pluries iterari potest, quamvis consideratis omnibus adjunctionibus sit major quantitas olei non benedicti, modo tamen ea in unaquaque adjunctione sit minor. Ita S. C. C. 25 sept. 1682; et Pius VI, 1 apr. 1794, referente Bouvier.

gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest (hodie in omni casu et quoad omnes omittitur). Quod si quis careat aliqua parte, quæ inungi debeat, *pars loco illi proxima inungatur. Dum Sacerdos paria membra inungit, caveat ne formam prius absolvat, quam ambo perunxerit. Manus quæ aliis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur* (ob reverentiam consecrationis). *Si dum inungitur, infirmus moriatur, ne ultra procedat; si dubitat, inungat sub conditione, si vivit.* Rituale R.

Quomodo (quæres) *fieri debet hæc unctio?*—Ex Rituali R. unctio fieri debet, intincto pollice in Oleo sancto, in formam crucis, aptando crucem et verba in unctione cujuscumque partis semper a dextera incipiendo. Pars linita abstergi debet ab ipso Sacerdote (vel alio ministro si est in Sacris) gossypio, quod postea comburendum est, ac cineres in sacrarium projiciendæ. —Certum est non esse de necessitate Sacramenti neque immediatum manus contactum : quare, peste grassante, ad unctionem potest adhiberi virgula oleo inuncta. Neque unctionem renum, neque pedum (etsi pedes ex præscripto sint inungendi); nam pedes cadere possunt sub sensu tactus; renes autem sub aliis quinque sensibus, qui ex D. Thoma *sunt uti principia agendi, ita principia peccandi.* Item neque geminam unctionem in geminis partibus; cum jam satis per unius partis unctionem fomes peccatorum indicetur : unde urgente necessitate, nempe si adsit periculum infectionis, vel si infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc. Item neque ordinem Ritualis servare in sensus inungendo; cum inversio non impediat Sacramenti significationem.

Sed unctiones simplices quinque sensuum communius et tutius sunt de Sacramenti necessitate, uti docent D. Thoma, D. Bonaventura, Bellarminus, Suarez, etc. Sic enim colligitur ex usu Ecclesiæ, et communi sensu Doctorum: unde nonnisi in necessitate, ac sub conditione, adhiberi debet una unctio in aliquo sensu magis obvio, et consultius in capite (id est in fronte); nam omnium sensuum nervi descendunt e capite. Tunc autem dicit Tournely sufficere si dicatur: *indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus*, uti habet Rituale parisiense; sed alii requirunt ut exprimantur quinque sensus, nempe: *quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti.* Sed melius erit dicere: *per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum;* præmittendo verbum *deliquisti*, quia si proferatur in fine, et interim æger moriatur, nullum est Sacramentum. Si autem æger supervivat, merito ait Croix repetendas unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas (1) *(S)*.

Q. 6. *Quænam est forma Extremæ-Unctionis?*

R. Forma Extremæ-Unctionis est *deprecativa* in utraque Ecclesia: hanc autem sic pronuntiare debet Sacerdos actu, quo diversas peragit unctiones ex præscripto Ritualis R.: *per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum,* dum unguntur oculi; per *auditum*, dum unguntur aures; et sic de cæteris.—Ver-

(1) *V.* Benedictus XIV, *de Syn. Diœc.* l. VIII, c. 3.

bum *deliquisti* est de essentia; quia hic remissio peccatorum est unus ex effectibus. Illud *sanctam* non est; cum in Tridentino et Florentino non exprimatur. Imo longe probabilius et longe communius nec ista alia: *per suam piissimam misericordiam,* ut docent Layman, Roncaglia, etc.; nam eo ipso quod dicit Sacerdos, *indulgeat tibi Deus*, jam orat divinam Misericordiam. Sed omnes conveniunt ea omittere mortale esse; cum sit contra usum Ecclesiæ in re gravi (1).

Q. 7. *Quisnam est Minister Extremæ-Unctionis?*

R. Solus ac quilibet Sacerdos potest Unctionem valide conferre:

Diximus 1 *solus Sacerdos*; nam S. Jacobus ait: *inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum:* atqui *Presbyterorum Ecclesiæ* nomine non possunt intelligi nisi Sacerdotes. Firmatur ex Patribus, ex omnibus Ritualibus et constanti et universali praxi: quod est contra Basnagium et Launojum qui a Diaconis, imo a laicis hoc Sacramentum administratum fuisse contendunt. Si quæ autem aliquando unctiones narrantur factæ a laicis, illæ erant devotionis causa frequentatæ, non sacramentales, uti probant eruditi (2): unde nil mirum, si ideo etiam pueri illo oleo ungebantur ad corporalem salutem (3). Hinc Tridentinum: *siquis dixerit Presbyteros Ecclesiæ quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit* (4).

Diximus 2 *quilibet Sacerdos:* hinc etiam Sacerdos excommunicatus; quia, quum non sit institutum hoc Sacramentum per modum judicii uti Pœnitentia, sufficit ad illius collationem potestas Ordinis.

Diximus 3 *valide conferre potest;* nam licite hoc Sacramentum non a quolibet Sacerdote, sed a proprio tantum Pastore ministratur, ut ait Tridentinum. Imo Regulares illud sine licentia ministrantes incurrunt excommunicationem papalem ac reservatam (5). Si tamen Parochus absit (et ejus Vicarius), aut non velit, tunc quilibet in necessitate Sacerdos potest illud administrare; imo ex charitate debet sub gravi vel sub levi juxta ægroti necessitatem, et rationem scandali quod adesse possit in administrationem recusando (6).—Unus tantum in Ecclesia latina est adhibendus Sacerdos, ne graviter delinquatur contra vigentem disciplinam. Unde illud Jacobi: *inducat Presbyteros*, sic est accipiendum, quod ad solos Sacerdotes, non ad alios non Sacerdotes sit recurrendum. Qui vero ungit, debet etiam verba proferre: cum tamen omnes unctiones suam habeant formam, valet Sacramentum si tot sint Sacerdotes quot fiunt unctiones: sic Græci tres vel septem Sacerdotes vocant.

An (quæres) *sit mortale unctionem dare sine vestibus sacris, stola ac superpelliceo; vel preces omittere; vel cætera præscripta negligere?*—R. Ad

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 711.
(2) S. Thomas, Suppl. q. 31, a. 1. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 722.
(3) *V.* Renaudotius. (4) Sess. 14, h. t. can. 5. (5) *Clem.* 1 de privileg.
(6) *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. VIII, c. 4. — Et probabilius idem currit, si Parochus sit suspensus, vel excommunicatus: ex Suarez.

1: Si non urgeat necessitas, certum est vestes sacras, stolam ac superpelliceum omittere grave esse; nam in administratione hujus Sacramenti servanda sunt sub gravi, quando servari possunt, omnia præscripta in Rituali; cum id exigat illius reverentia (1); — ad 2: omittere preces præscriptas ante vel post faciendas ab ipso Sacerdote, non est peccatum, si id fiat in necessitate; cum Rituale R. dicat infirmum esse statim tunc inungendum; et dein si supervivat, esse continuandas omissas preces. Secus peccatum esset grave; cum agatur de re gravi (2); — ad 3: Unctionem ministrare sine lumine extra necessitatem, vel sine ministro, vel omissis crucibus, est veniale juxta plures (3). Hic autem notandum S. Rituum Congregationem prohibuisse Extremam-Unctionem solemniter gestare ac deferre ad modum Viatici.

Q. 8. *Quisnam est subjectum Extremæ-Unctionis?*

R. Subjectum Extremæ-Unctionis est solus *homo baptizatus, infirmus, qui peccati capax aliquando fuerit.* Dicitur 1 *baptizatus*, quia Baptisma est janua omnium Sacramentorum; attamen etiam statim post Baptismum graviter infirmo ea dari potest tum ad corroborandum infirmum contra tentationes, tum ad auferendum teporem ad bonum, ac pronitatem ad malum; 2 *infirmus*, dicente S. Jacobo: *infirmatur quis in vobis?* Et quidem non omnis infirmus, sed solum graviter; vox enim græca, quam scriptor latinus vertit *infirmatur*, significat morbum gravem, ut linguæ græcæ peritis compertum est. Hinc Concilium Florentinum dicit esse dandam *infirmo, de cujus morte timetur;* 3 *qui peccati capax aliquando fuerit;* alioquin frustra adhiberentur verba illa: *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti.*

Quid (inquies) *si Unctio conferatur homini sano, vel infirmo quidem, sed morbo laboranti minime gravi?* — Si conferatur sano, tenendum est cum communi Sacramentum esse invalidum; tum quia Jacobus expresse ait: *infirmatus quis in vobis?* omnes autem hunc textum de vera infirmitate corporis intelligunt; tum quia in Tridentino Concilio legimus: *declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam.* Idem est ex sententia communiori, si morbus non sit gravis: 1 quia ex Eugenio IV *hoc Sacramentum dari non debet, nisi infirmo, de cujus morte timetur:* ubi verbum *non debet,* non tantum præceptum, sed veram etiam importat necessitatem; cum declaret subjectum Sacramenti; 2 quia finis hujus Unctionis ex Tridentino in eo consistit, ut *ea finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio, munire valeat* (4).

Q. 9. *An puero sit danda Extrema-Unctio?*

R. Si puer nondum sit sufficienti rationis usu donatus, sententia com-

(1) Imo, etiam urgente necessitate, id volunt tenere nonnulli, dicentes reverentiam Sacramenti præferendam esse cuilibet utilitati privatæ. Alii tamen, hoc non obstante, probabiliter contrarium docent; quia casu quo vestes sacræ deessent, et infirmus jam moreretur, non præsumitur Christus voluisse infirmum in ultimo vitæ agone pugnantem tanto bono privari ob solum vestium sacrarum defectum.

(2) Est probabilius quod orationes recitandæ ab adstantibus sint tantum de consilio.

(3) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVII, n. 13.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 712 et seqq. — Perrone, *De Extrema-Unctione* nn. 43 et seqq.

munis et vera negat eidem posse Unctionem administrari, dicente Rituali R.: *debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui ad usum rationis pervenerint.* Sane ex Angelico: *pueris non competit forma hujus Sacramenti, eo quod non peccaverunt per visum et auditum, ut in forma exprimitur* (1). Secus esset, si puer habeat usum rationis, ut communius et probabilius dicunt, etsi adhuc non sit Communionis capax. Id docet Benedictus XIV approbans Rituale argentinense, in quo expresse declaratur, non esse denegandam eam *pueris septennibus, ac iis, in quibus malitia supplet ætatem, etsi ad septennium non pervenerint* (2). — Quod si dubium sit, an puer habeat rationis usum, Parochus interrogabit parentes, ut dubium deponat: et si adhuc deponi nequeat, probabilius docent ipsum ungendum esse sub conditione, *si es capax;* quia sic ex una parte satis salvatur reverentia Sacramento debita, ex altera non privatur puer fructu tam salutari, si forte sit capax (3).

Quid (dices) *de muliere laborante in partu?* — Si hæc mulier doloribus laboret communibus et ordinariis, non debet dari Unctio-Extrema, etiamsi prima vice pariat, aut alias fuerit in vitæ periculo; tunc enim non laborat infirmitate periculosa. Sic in Concilio Mediolanensi II præscriptum est; neque enim illa dolorum acerbitas est infirmitas, sed effectus naturalis partus (4). Secus esset, si laboret doloribus extraordinariis; tunc debet inungi, cum jam infirmitas periculosa sit, et adsit verum mortis periculum.

Quid (addes) *de amentibus et phreneticis? De infirmis sensibus destitutis, vel ebriis? De impœnitentibus, excommunicatis, vulneratis in rixa? De mutis surdis et cæcis a nativitate? De capite plectendis vel prælium aut periculosam navigationem inituris ac senibus?*

R. Ad 1: *Amentes,* si perpetuo tales sint, judicantur incapaces Extremæ-Unctionis; cum æquiparentur pueris (5). Secus vero, si aut delirent tantummodo, aut Sacramentum petierint mente sana, aut lucida haberent intervalla; cum tunc forma Sacramenti ipsis bene conveniat. In dubio ungendi erunt sub conditione. *Phreneticos* dicimus paritate rationis ungendos, ac ubi resistant, tenendos, et etiam ligandos, ut tollatur irreverentiæ periculum.

R. Ad 2: *Infirmi sensibus destituti,* si pii animi significationem dederint, aut christiane vixerint, ut probabile sit eos Unctionem petituros, si mente valerent, ungendi sunt. Idem est de *infirmis in ebrietate,* nisi positive constet eos esse in mortali.

R. Ad 3: *Impœnitentibus notoriis,* et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et *excommunicatis* Unctio neganda est. Idem est de *vulneratis in rixa,* nisi præsumantur conteri (6).

(1) Suppl. q. 32, a. 4.

(2) *De Syn Diœc.* l. VII, c. 21

(3) Synodus Novariensis hoc confirmat.

(4) *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. VIII, c. 6.

(5) Æquiparantur, at non sunt: ideo amentes, si ætate jam matura moriuntur, non sunt sepeliendi more infantium, Rituale enim loquitur de parvulis in re et veritate, cum nominet *corpuscula* etc.

(6) Hac de re recole quæ supra dicta sunt quoad *moribundos.*

R. Ad 4: *Muti, surdi* et *cæci simul a nativitate* ungendi; nam etsi exterius per organa peccare nequiverint, potuerùnt peccare voluntate. Ita cum D. Thoma et D. Carolo Borromæo communiter contra Croix.

R. Ad 5: *Capite plectendis*, vel *prælium* aut *periculosam navigationem inituris* non est danda Unctio; nam actu nulla corporis infirmitate laborant. Est ad differentiam illorum, qui difficilem Chirurgi operationem sunt subituri; quibus Unctio est donanda, cum actu morbo intrinseco laborent ac periculoso. Item Unctio est danda *senio deficientibus* cum judicio medicorum virium debilitas sit vera infirmitas. Et ita præscripsit S. Carolus. Item danda est *veneno infectis;* cum ipsi vere jam sint graviter infirmi (1).

Q. 10. *Quænam dispositio requiritur ad Extremam-Unctionem?*

R. Si infirmus adhuc rationis sit compos, ex generali Ecclesiæ consuetudine, Extremæ-Unctioni Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ præmittenda sunt. Imo si infirmus est in mortali, pœnitentia est de necessitate, cum Unctio gratiam supponat; si tamen tempus et infirmi ejusdem conditio aliud requirant, poterit Unctio administrari etiam ante Viaticum; cum *consuetudo præmittendi Viaticum non sit recepta saltem sub gravi obligatione,* referente Benedicto XIV (2). Item requiritur intentio vel expressa, vel tacita vel præsumpta Unctionem suscipiendi. — Cæteræ dispositiones uti vivæ fidei, firmæ spei, perfectæ subjectionis, etc. sunt ad uberiorem fructum percipiendum.

Q. 11. *Quandonam infirmo tradenda est Extrema-Unctio?*

R. Aliquando dari debet Extrema-Unctio et aliquando dari potest:

1. *Dari debet,* cum urget periculum mortis proximæ; quia ex Conciliis subjectum hujus Unctionis est infirmus, *de cujus morte timetur.* Tunc vero non est expectandum ultimum vitæ momentum, dicente Catechismo R.: *gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Ratio est, quia alioquin privaretur infirmus uberiori fructu, quem certo reciperet, si adhuc sui compos Sacramentum susciperet; item spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni; et forte etiam corporis sanitate si tempore congruo datum fuisset. Licet enim hoc Sacramentum (si expediat) operetur etiam salutem corporalem, non tamen per modum miraculi eam operatur; sed via quodammodo ordinaria, nempe causas naturales adjuvando.

2. *Dari potest* valide et licite *statim ac prudenter judicatur* infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximæ, uti docent Coninchius, Layman, Palaus, Salmanticenses, Suarez, Tournely et alii; nam tunc jam est timor mortis. Id clarius firmat Benedictus XIV, dum Bulla *Ex quo* ait: *ne Sacramentum Extremæ-Unctionis ministretur bene valentibus, sed iis dumtaxat, qui gravi morbo laborant.* Unde recte dicit Castropalaus: *quoties Viaticum infirmis ministratur, statim et ministrari Unctionem posse et expedire; quia jam censetur infirmitas grave periculum vitæ inducere. Diximus statim ac prudenter judicatur;* nam in dubio, an infirmitas sit periculosa necne (nisi adsit vera probabilitas), non erit Unctio administranda; cum præceptum sit, *ne aliis, quam vita periclitantibus ministretur.*

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 712, et 732. (2) *V. De Syn. Diœc.* l. VII, c. 23.

An (quæres) *Extrema-Unctio possit iterum infirmo ministrari?* — R. Si agitur de diversa infirmitate, fatentur omnes, Extremam-Unctionem posse iterum infirmo ministrari; quia characterem non imprimit: *cum hoc Sacramentum ordinetur ad sanandum, toties iterari potest, quoties infirmitas iteratur,* ait Angelicus (1). Si sermo sit de eadem infirmitate Rituale præcipit: *in eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.* Unde deducitur quod in morbo diuturno, qualis solet esse ethica et hydropisis, si post Unctionem infirmus certo manserit in eodem periculo mortis, non poterit iterum ungi. Diximus *certo;* nam si positive dubitetur, an morbi status mutatus sit, v. g. si per notabile tempus, puta per mensem, infirmus se melius habuisset, tunc ex Benedicto XIV standum magis erit pro iteratione. Quia id ex una parte magis videtur conformari cum veteri Ecclesiæ disciplina; ex altera novum subsidium infirmo suppeditat (2).

Q. 12. *Quid si infirmus mortis timore abhorreat ab Unctione?*

R. Quoad Sacramentum ipsum suadendum abhorrenti infirmo, nedum illud mortem afferat, imo conferre ad salutem ipsam corporalem, si animæ expediat, ac tempore congruo suscipiatur. Quoad mortis vero timorem, motivis opportunis excitandus est ad divinæ voluntatis conformationem: quod nempe statutum sit omnibus hominibus *semel mori*, quod mortuus sit Jesus et Maria, etc. (3).

Synodus Novariensis circa Extremam-Unctionem notat præcipue: 1 ut extra necessitatem Oleum sanctum semper ab Ecclesia parochiali suscipiatur; 2 ut quotannis Oleum renovetur, vetere combusto in lampade Ss. Sacramenti: exustoque gossipio, ejus cineres in sacrarium projiciendo (*pag.* 137) (4).

(1) L. IV contra Gent. c. 73. (2) *De Syn. Diœc.* l. VII, c. 23.

(3) *V.* Pinamonti, *Il Direttore* ecc. — Lalement, *I santi desiderii della morte.* — *Il Sacerdote provveduto al letto del moribondo* ecc. « Etiamsi Christianum de instante morte haud trepidare oporteat, sensus tamen plerumque non ex nostro arbitrio pendet. Unde quantum ad eos, qui de imminenti morte contremiscunt, absit omnis judicii temeritas. Sæpe equidem sub hoc nimio mortis horrore sensus terrenus, vel conscientia multis sceleribus saucia ta latet. Ast interdum metus iste ex timida hominum indole, ex turbata phantasia, ex scrupulositate vel ex erroneis conceptibus descendit, ita ut in medio sensuum tumultu piissima mens deprehendatur. » *Stapf.*

(4) *V. Appendix* in fine vol. ubi nonnullæ decisiones circa præsentem materiam; V. *Extrema-Unctio.*

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 348.

Sententiam de attritione solide ac fuse tuetur Opus, *Dell' attrizione quasi materia, e parte del Sacramento della Penitenza secondo la dottrina del Concilio di Trento* ecc. di mons. Conte Giuseppe Benaglia, vol II, Mil. Wilmant 1846. Observat inter cætera, illud *diligere incipiunt*, quod opponunt adversarii, non inveniri in Tridentino, nisi *sess.* 6, ubi agit Concilium de justificatione in genere. Non vero *sess.* 14, ubi agit de Pœnitentia uti est Sacramentum: et in qua sessione tantum ait, se daturum esse *pleniorem et exactiorem definitionem.* — Adde illa verba desumpta esse ab Angelico (3 p. q. 85, a. 5), ubi sermo est de justificatione extra Sacramentum; in Sacramento porro facilior esse debet se justificandi via.

«En el capítulo 5, (*audiatur Cattolico*, Giornale Religioso, etc. Vol. XXVIII), ubi laudatum opus sic in parte contractum habetur), se adelanta el autor á probar que la novedad imputada á su doctrina, es mas bien imputable á la doctrina contraria.

«El P. Cárlos de la Asuncion en su libro *De contritione* escrito bajo el pseudónimo de *Giomano Filileta* ha reunido hasta cien nombres de impugnadores; pero como observa Platel profesor en la universidad de Donai, sin citar una sola sílaba, para evitar el peligro de ser convicto de falsedad; como le sucedió en otro opúsculo *sobre la probabilidad*, donde habia ingerido textos mutilados ó alterados, extraidos de un libro puesto en el índice y condenado á las llamas.» «Las cartas provinciales de Pascal.»

«Al contrario Pinthencau en su libro *De attritionis sufficientia* (segun Lacroix) nos presenta un catálago de cien autores, citando sus palabras y lugares, los cuales desde el año 1200 en adelante han estado por la suficiencia de la atricion pura, entre ellos cuéntanse Guillermo de Paris, Dionisio y Ludolfo cartujos, Gerson, Tostado, Torquemada, Durando, Capreolo, Adriano que despues fué papa, Ferrario, Eckio, S. Vicente Ferrer, S. Bernardino de Sena, S. Antonio arzobispo de Florencia, Sto. Tomas de Villanueva arzobispo de Valencia, añadiendo á estos, otros diez y nueve teólogos, que asistieron al Concilio de Trento. Le Dent en su obra *De attritione*, (segun el mismo Lacroix) enumera los autores de antes del concilio de Trento, y en otro escrito, *Responsio ad Xenium*, aquellos que despues de dicho concilio estuvieron por la doctrina de la suficiencia. Finalmente Gormaz (segun el citado Lacroix) pone por órden alfabético, citando las palabras y lugares, ciento sesenta autores posteriores al concilio de Trento, que siguen la doc-

trina mencionada, entre los cuales se cuentan dos papas, ocho cardenales, comprendido en ellos S. Cárlos, seis obispos, seis concilios particulares, seis catecismos de edicion autorizada. Añádanse á estos el decreto de Graciano, la inquisicion general de España, y la facultad de París.

«Quien quisiere conocer las calificaciones aplicadas á esta doctrina por varios autores, hallaria que Sporer (segun el mismo Lacroix) la titula, doctrina de casi todos los autores; Platel, la *de los mas*, despues del concilio de Trento; Puteano y Becano, la *comun de todos;* Gonet, la de *casi todos los Tomistas;* Bosco, la de la *mayor parte de los Escotistas:* de Amici y Esparza, la llaman *puesta fuera de duda:* Arsdekin profesor de teologia en Lovaina, *la tan segura que no puede ofrecer ya dudas;* Tanaro, *la bastante cierta;* Rada, Salas y Viva, *la moralmente cierta;* Suarez, Lessio, Reynaldo, Fernandez, Diana, Martinon, Perez, Mendoza, Castropalao, Dicassillo, la *absolutamente cierta:* De Lugo y Bosco, *la comun y cierta;* Filliucci, Oropega, Sterinx, Francolino, la *cierta en la práctica;* Aversa, la *segura* despues del concilio de Trento; Gormaz, la *práctica é indudablemente cierta;* Estrix y Cardenas, la *cierta* y *completamente segura;* Leandro del SS. Sacramento, Serafin de la Concepcion, Pablo Palacio, la *certísima;* Buena esperanza y Arriaga, la *casi de fe;* Moya, la de fe; Stoz, *cierta segun la fe católica;* Medina, Ledesma, Belarmino, Requesta, Fagundez, Abelly, Sanchez, Pasqualigo y otros con Moya dicen, que *ha sido definida por el concilio de Trento;* Binsfeld, que *ha sido aprobada por dicho concilio;* Silvestre de Pieras, la llama, *doctrina de los santos y especialmente de Sto. Tomás;* Gabriel de S. Vicente y Merazzi, la *doctrina del sentido comun de los católicos;* Cano y Pedro de S. José, la *doctrina del sentir comun de la Iglesia;* Henriquez y Rhodez, *doctrina que desde entonces era temeridad y error el negar;* el cardenal Brancato hasta califica de herética la doctrina contraria. Buenaesperanza sostiene que es *cuasi herética* esta última, con aprobacion del maestro del sacro palacio, junto con otras teses que fueron dedicadas al Papa. Estas dos calificaciones le parecen á nuestro autor demasiado atrevidas, y por otra parte tienen tan pocos defensores que seria cuando menos imprudente adherirse á ellas.

«Si este concurso de extrínseca autoridad no basta á formar un convencimiento razonable, ¿dónde podrá ir á buscarse? Algunos de los mismos adversarios, entre los cuales se cuentan Juvenin, Berti, Gazzaniga y otros nos incitan á decidirnos, puesto que han manifestado tener muy poca confianza en su causa con la infidelidad de sus citas, de lo cual nuestro autor ha ofrecido mas de una prueba.» — *V.* Muzzarelli, *Buon uso della logica in materia di Religione*, opusc. 1: pensieri negli scritti di religione: post medium.

Objicies: *peccator non potest ad Deum converti, nisi per charitatem formalem et actualem; atqui talis charitas non est in attritione.* — Utique peccator non potest ad Deum converti nisi per charitatem formalem et actualem extra Sacramentum; quia sicut per peccatum actuale et formale, quod est Deum contemnere, homo a Deo ipso avertitur; ita per amorem formalem et actualem debet ad ipsum converti, si in ejus amicitiam se cupit restitui. Sed aliud est de peccatorum remissione intra Sacramentum: nam cum Sacra-

mentum habeat virtutem delendi peccatum, et nequeat producere hunc effectum, nisi per infusionem gratiæ, quæ est ipsa charitas habitualis; sufficit ad gratiam obtinendam, ut peccator per attritionem sit dispositus ad Sacramentum recipiendum, virtute cujus etiam sine charitate actuali convertitur ad Deum; sicuti per charitatem actualem converteretur ad Deum extra Sacramentum.

Nonne (addes) *aliquod saltem principium dilectionis requirit Tridentinum ad omnem justificationem? Ergo etiam ad Pœnitentiam.*—Requirit utique; cum declaret, quod peccatores *dum ad justificationem disponuntur, Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* Sed qualis est iste amor inchoatus? *principium amoris*, sicut loquitur Concilium? hoc non negamus: nempe Tridentinum non requirit actum, quo perfecte diligamus, sed quo incipiamus perfecte diligere; atqui incipimus perfecte diligere per actum cujuscumque virtutis, quo Deum ut finem ultimum nobis concupiscimus: unde sicuti *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*, non quod ille timor sit sapientia, sed quia ducit et disponit ad sapientiam, ita actus omnis virtutis dicitur esse initium perfectæ dilectionis; hinc de actu timoris expresse dicitur *Eccli.* 25, v. 16: *timor Dei initium dilectionis ejus.* Et idem est de spe beatitudinis. Hoc manifeste significat *Tridentinum* ibidem: addens nos debere incipere diligere Deum, non dicit tanquam summum bonum in se, sed tamquam *omnis justitiæ fontem*, id est, gratiæ nobis dandæ, sicque diligimus Deum ut bonum nobis, et disponimur ad diligendum ut in se bonum: hinc S. Thomas (1, 2, q. 40, a. 7) ait: *Ex hoc, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare;* ergo cum omnis attritio nostra sit spes vel fundetur in spe, etiam est actus quo incipimus diligere Deum. Notat card. Pallavicini *(Storia del concilio di Trento* l. VII), quod Patres aliqui contendebant, ut iis verbis *diligere incipiunt*, adderentur hæc alia: *per actum charitatis.* Concilium autem restitit et voluit, ut non aliud poneretur, quam illud *diligere incipiunt.* Quare? nisi quia judicavit ad justificationem in Sacramento non requiri charitatem *formalem et actualem* prædominantem et super omnia.

Quidnam (quæres) *fluere potest ad praxim pro Confessario hæc controversia?*—Plurimum fluit; nam si actus pœnitentis sunt materia proxima Sacramenti, et si in actus pœnitentis debet inquirere Confessarius, ut certus fiat de eorum existentia ad absolutionem; debebit profecto inquirere in ipsam contritionem: ac proinde qualitates, elementa ac naturam ejus perspicere, ut integritati Sacramenti prospiciat. Ex quo patet quam diversa via tenenda ab utriusque opinionis auctoribus. *Contritionista*, si suis principiis velit esse conformis, attente perpendere debet non solum, an dolor de peccatis conjungatur in pœnitente cum fide et spe veniæ; sed etiam an ille oriatur ab amore Dei saltem initiali, et quidem proveniente a charitate prædominante et super omnia: quæ inspectio difficilis est, et anxietatibus plena et Confessario et pœnitenti, maxime rudi. *Attritionista* e contrario non aliud debet inquirere, nisi an adsit dolor proveniens a fidei motivo, et cum spe veniæ

conjunctus, quæ duo facillime inquiruntur, tum a Confessario pœnitentem interrogando; tum a pœnitente in se ipsum reflectendo. His semel admissis, jam sponte sua et per se necessario præsumitur, et sequitur aliquis Dei amor inchoativus quin ultra inquiramus ex quo motivo proveniat; nam ex hoc, quod per aliquem speramus bona, jam ipsum diligere incipimus. Esto quod etiam ipsa contritio sit curanda; attamen non de necessitate Sacramenti, unde si non adest, nec inquietare nec inquietari debemus; et tanto minus pœnitentem ut indispositum rejicere.

(B) Pag. 349.

Quam autem facile de attritione ad contritionem progrediatur, exemplo probat S. Alphonsus (*Praxis Confessarii*, c. 1, n. 10): «Post debitas correctiones, sive monitiones, præstat, ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi. Quocirca monitos esse volo Confessarios, perpaucos esse illos pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli Confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulas ne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus doloris actus): *te pœnitet ex corde omnium peccatorum?* et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Aliud est bonorum Confessariorum institutum; hi enim in primis elaborant, ut pœnitentes (sermo est de iis, qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos præparant, v. g.: *Fili mi, ubi nunc esse deberes et in æternum? in inferno! Ah in illo igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam æternitatem! Igitur te pœnitet Deum offendisse, propter infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis si quis diceret: *se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum.* Sed opus habet, ut dicat: *se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum.* Post curet, ut eliciatur actus Contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinitum bonum. Nullam illius rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam ejus Eja ergo, quia offendisti Deum bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœnitet? Detestare et odio habe super omnia mala omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam promptus es millies mori, quam hæc in posterum committere?*»

(C) Pag. 354.

Circa Confessionis sacramentalis divinam institutionem atque utilitatem vel ipsos inimicos appellamus. Sic inter Protestantes Leibnitius, *Syst. Theol.* habet: *mandatum* (a Deo) *est ut qui mundatus esse vult, se Sacerdoti ostendat, peccataque confiteatur... totum autem hoc institutum divina Sapientia dignum esse negari non potest; et si quid aliud, hoc certe in christiana Religione*

præclarum et laudabile est, quod et Sinenses ac Japonenses sunt admirati. Nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem præstat, ut adeo putem pium, gravem et prudentem Confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem. Renanus ait: *quid per Deum immortalem utilius habere potest Ecclesia ad continendam disciplinam, quid commodius, quam privatam istam Confessionem ad populum in necessariis erudiendum?* Hoc evenit, quod sublata sacramentali Confessione, Norimberga civitas miserit ad Cæsarem legationem, per quam cives illi petebant, ut Cæsar Imperatorio jure Confessionem auricularem indiceret; ajebant enim se usu et more intellexisse Rempublicam suam, postquam Confessio cessaverat, vitiis contra justitiam et alias virtutes scaturire, quæ illis antea fuerunt ignota. Et lutheranus Wizel ajebat: «Witemberg con todos sus distritos da ahora grandes gritos de: la confesion, la confesion!... Yo soy de parecer que el diablo os confiese en mi lugar; ¿y qué buenas confesiones se pueden hacer? Se hace exactamente esto, como lo practica ya esta secta en ódio de la Iglesia, sin órden, sin respeto, sin devocion... Algunos por ódio que tienen á la confesion se abstienen de todos los Sacramentos; otros no hacen mas que ir á ver el Párroco y le piden la absolucion, sin confesarse, como se puede suponer; se han (dicen ellos, confesado con el mismo Dios, y todo esto sin contricion ni arrepentimiento. ¿Y cómo podrán arrepentirse estos tales, si todos los dias se les está predicando que Dios no nos imputa los pecados, que estos solo pierden á los que no tienen fe, que Cristo satisfizo por todos, y que por consiguiente de nada sirven las buenas obras? Se hicieron grabar estampas de Jesucristo llevando grandes sacos llenos de pecados. Bravo, hermanos; bravo! dáos prisa, cargadle bien y mucho; pues tiene buenas espaldas el Señor que llevará vuestra carga; sí... pero para descargarse en un lugar seguro, donde la hallaréis un dia con vosotros mismos sepultada en el abismo de la eternidad.

Vel ipse Volterius, *Dictionnaire Phil.* art. *Confession*, ait: «La confesion es casi tan antigua como la sociedad civil. Los antiguos acostumbraban confesarse en todos los misterios de Grecia, de Egipto y de Samotracia. Se lee en la vida de Marco Aurelio, que cuando él determinó agregarse á los misterios de Eleusina, se confesó con el Gerofante, por mas que él fuese quien entre los vivientes necesitaba menos de confesion.» Et *Annales de l'Empire* vol. 1: «Los enemigos de la Iglesia romana que se han levantado contra una institucion tan saludable, manifiestan que han quitado al hombre lo que mayormente puede servirle de freno á sus delitos.» Rousseau, *Emilio* l. IV: «de cuántas restituciones y reparaciones no es causa la confesion entre los cristianos?» Marmontel, *Mémoires:* «Y cuán saludable preservativo es para las costumbres de la adolescencia el hábito de ir á confesarse todos los meses!»

V. Scheffmacher, *Lettere* ecc.—Tonso, *Quaresimale*, predica: la Confessione, con note.—Valle, *Sulla Confessione auricolare contro l'opusc. Desanctis.* —Negri, *Errori di L. Desanctis sul dogma della Confessione.*—Casaccia, *Il trionfo della Confessione auricolare sul saggio dogmatico-storico di L. Desanctis* ecc.—Erculei, *Trattato filosofico-storico-dogmatico intorno alla Con-*

fessione sacramentale, più volgarmente auricolare. Roma 1850.—Vincenzi, *La Confessione vocale de'peccati praticata nella Sinagoga antica, e innalzata a Sacramento da G. C. nella Chiesa cristiana. Con append. intorno alla Confessione degli antichi Pagani*, ecc. Trattato storico-archeologico-apologetico. Roma 1850.—Wiseman, *Conferenze* ecc., Conf. x.—Scotti, *Teoremi* ecc., Teor. III, p. 2.—Bergier, *Dizionario*, V. Confessione.—Martinet, *Soluzione di grandi problemi;* item *Sveglia del popolo.*—De-Maistre, *Del Papa,* l. III, c. 3.—Ségur, *Risposte brevi* ecc.—Tassoni, *La Religione dimostrata,* ecc. t. III, c. 36.—*Contesa sul Dogma della Confessione* (Torino, Collez. dei buoni libri).—Torricelli, *Dissertazioni,* v. VIII.—Gaume, *Catechismo di perseveranza* par. 2.—Muzzarelli, *Il buon uso della logica,* Opusc. XIII.—Guillois, *Le Dogme de la Confession.* Paris.—Ventura, *La ragione filosofica e la ragione cattolica;* vol. III, p. 1 e 2: la confessione, l'eucaristia e l'eternità delle pene nei loro rapporti colla ragione, colla natura umana e colla religione. Milano 1857.—*Errori del protestantismo svelati ai popoli della compagna* dal P. Secondo Franco, Firenze 1857.

(D) Pag. 382.

Quoad satisfactionem sacramentalem injungendam audiatur *B. Leonardo* in suo *Discorso mistico-morale* §§ 27 et 28: «Entre las cosas necesarias que no debe ignorar el confesor para hacerse irreprensible en su ministerio, es una el saber distribuir las penitencias, proporcionadas á quien se humilla á sus piés en actitud penitente. El S. Concilio de Trento (sess. 14, c. VIII) advierte á los confesores que tengan mucho cuidado en no dar penitenciasmuy lijeras para pecados gravísimos; y exige que la penitencia que impongan, tenga alguna proporcion con el pecado que se escucha y con el pecador que se acusa. Seria de seguro una penitencia lijerísima el dar un *Padre nuestro y Ave Maria* por un número no corto de adulterios ú otros pecados impúdicos; ó bien un *Miserere* á quien ha causado grave daño al prójimo, ya sea en sus bienes, ya en su honra; pues de ello se seguiria el desórden que señala el mismo Concilio, esto es, que los hombres perderian el debido horror á los pecados, creyéndolos leves en demasía, y los cometerian mucho mayores. No deben, pues, las penitencias ser sobrado lijeras con relacion al pecado, así como tampoco han de ser pesadas respecto al pecador, á fin de que no sean vencidas sus débiles fuerzas por su peso desproporcionado. De ahí se sigue que la penitencia que haya de imponerse, ha de pesarse mucho por parte del Confesor, y debe cuidarse de no dar la misma á todos, como hacen aquellos médicos que para todos los males recetan una misma medicina. El Santo Concilio dice, que los consejeros de las penitencias saludables, deben ser el Espíritu del Señor y la prudencia de su ministro. ¿Cómo, pues, se dan algunas tan inconsideradamente?

«Guárdense mucho ciertos confesores imprudentes, si es que los haya, de imponer penitencias estravagantes é indiscretas. Entiendo decir por penitencias *estravagantes*, todas aquellas que son ajenas de la costumbre seguida por la Iglesia, y de la práctica comun de los buenos y sabios confesores.

Para hallar alguna luz en esta materia, que por otra parte se deja completamente al arbitrio del ministro de este divino Sacramento, no encuentro regla mas cierta ni de mayor autoridad, que seguir la costumbre de la sagrada Penitenciaria, la cual para pecados ocultos, aunque sean muy graves, no determina otras penitencias mas, que oraciones, ayunos, limosnas, si pueden hacerse, y frecuencia de Sacramentos, como puede observarse por las respuestas de la misma. Y por ser la sagrada Penitenciaria Tribunal apostólico, el cual por su instituto mira al foro de la conciencia, debe tenerse por norma por todos los Confesores para proceder en este mismo foro. Con esta regla evitarán igualmente el otro escollo de dar penitencias *indiscretas*, como lo seria, por ejemplo, el imponer á las personas de servicio la obligacion de oir tantas Misas ó hacer otras cosas por las cuales quedase defraudado el servicio de los amos: á una mujer embarazada ó que cria, el ayunar durante muchos dias: á una doncella, el ir á visitar una iglesia lejana y solitaria: á una mujer casada el hacer ciertas austeridades corporales que puedan disgustar ó dar que sospechar al marido, ó bien otras semejantes que no son proporcionadas á la persona á quien se imponen, porque no se considera el tiempo, el lugar, la edad, el estado, y las fuerzas de la misma.»

«*Cuáles serán, pues, las penitencias que habrán de imponerse?*—A mí me parece que despues de la regla comun de escogerlas tales, que se opongan á los pecados cometidos, como la limosna á los avaros, á los sensuales alguna pena que moleste los sentidos, y otras semejantes; generalmente hablando serán las mejores aquellas que además de la penalidad que en sí llevan en espiacion de los pecados pasados, tengan la cualidad de preservar al penitente de los pecados futuros. Por lo tanto, si el pecador es reincidente, será bueno que la penitencia dure por algun tiempo: *Nedum ad vulnus curandum, sed etiam ad cicatricem sanandam,* como dice el Crisóstomo (*Hom.* II, *in Ps.* 50); porque se consigue mejor curar el vicio, renovando la aplicacion del remedio oportuno. Así vemos que tal es la costumbre de la sagrada Penitenciaria, en no dar penitencias que duren muchos años, como no sea en casos muy raros, pero sí que duren algunos dias y aun meses, segun sea la necesidad de los penitentes.

«Para venir á la práctica, luego que el Confesor habrá oido la serie de pecados espuestos por el penitente, debe hacerle una breve pero ferviente exhortacion, poniéndole á la vista la gravedad de sus culpas, y segun aconseja S. Carlos, citando los cánones penitenciales y dándole noticia de las asperísimas penitencias, que antiguamente se imponian por uno solo de los pecados que él ha cometido, le añadirá en términos de benevolencia: Es cierto que merecerias una penitencia muy grande, pero yo me contento con que hagas una mas llevadera: y de este modo procurará con palabras amorosas á disponerlo á que la acepte de buena voluntad. Las penitencias mas propias, segun mi modo de entender (escepto en los casos estraordinarios), podrán ser las siguientes, no todas á la vez por supuesto, sino en ciertos casos la una, en ciertos la otra; alguna vez dos ó mas de ellas juntas, segun sea la cualidad de las personas y las necesidades particulares de cada una.

«1. Suponiendo que el penitente haya cometido muchos pecados graves,

le aprovechará bastante que se le imponga la penitencia de rezar una parte de *Rosario* por ocho ó quince dias, encargándole lo haga con espíritu de compuncion, rogando á la santísima Vírgen, que le obtenga el perdon de sus pasadas culpas, y la gracia de no volver á cometerlas en adelante. Y si ha sido consuetudinario y hace confesion general por necesidad, ó por haber callado pecados por vergüenza, ó por otras causas semejantes, podrá alargarse dicha penitencia por dos ó tres meses poco mas ó menos, segun sea la calidad de la mala costumbre contraida, sucediendo muy amenudo en estos casos, que el penitente se vaya acostumbrando á rezar el Rosario todos los dias, y no lo deje luego en toda su vida con gran provecho de su alma.

2. « Que todas las mañanas y al acostarse reze tres *Ave-Marias* en honor de la pureza inmaculada de Maria Santísima, haciendo además un acto de contricion con propósito firme, al levantarse, de no pecar en todo el dia, y al acostarse, de no pecar en aquella noche, prescribiéndole que las reze de rodillas ó en otra posicion incómoda. Esta penitencia saludable puede imponerse á todos universalmente, siendo un preservativo eficacísimo para curar las almas de sus hábitos viciosos; y quisiera que me oyeran todos los Confesores para suplicarles que la impongan á sus penitentes por aquel período de tiempo que juzgaren necesario, y obtendrán de ello notable provecho, conforme me lo acredita una larga esperiencia.

3. «Que oiga tantas Misas, con tal que esto no le impida el cumplir con sus obligaciones, como he indicado mas arriba; encargándole que las oiga en dias de fiesta ó cuando le sea mas cómodo.

4. «Que todos los dias por la mañana haga el acto de *ofrecimiento* que empieza: *Eterno Dios;* ú otro ejercicio cristiano, que comprenda los actos de fe, esperanza y caridad, y que por la noche haga el exámen de conciencia, determinando el tiempo que deberá emplear en estos ejercicios.

5. «Que cada dia, durante cierto tiempo, reze cinco *Padre nuestro* y *Ave Maria* á las llagas de Jesucristo; deteniéndose de una á otra en considerar la pasion del Señor. Que *visite* tantas veces alguna iglesia de particular devocion. Que *lea,* si sabe, por algun tiempo un libro devoto.

« Todas estas penitencias pueden imponerse á todo penitente, cualquiera que sea su clase y condicion, advirtiéndole que si en alguno de los dias señalados se olvidase de cumplirla, no tenga por ello escrúpulo, pudiendo suplirla en otro dia; y si por algun accidente no le viniese bien hacerla, no crea que comete con ello una culpa grave. De este modo no queda ligada la conciencia del penitente, aunque se prolongue su curacion de que tiene suma necesidad.

« Otras penitencias hay que ordinariamente se prescriben á ciertas personas de algun estado particular, v. g. á un eclesiástico ú otra persona inteligente, el *meditar* por media hora durante algunos dias sobre alguna máxima eterna. A quien tiene buena complexion, y ningun impedimento, el *ayunar* los sábados por tiempo determinado. A un gefe de familia que haga *rezar el Rosario* cada noche á todos los de la misma. A un blasfemo que haga tantas *cruces* en el suelo con la lengua. A quien esté dado á la bebida, que deje el *vino* por tantos dias, ó lo beba con agua. A ciertas personas rús-

ticas aprovechan ciertas penitencias que les causen mas impresion, por ejemplo el rezar algunos *Padre nuestro* y *Ave-Maria*, sobre una sepultura, considerando que tal vez muy pronto han de morir; teniéndose empero siempre presente la observacion hecha al principio, esto es, que el Confesor ha de poner mucho cuidado en no dar penitencias estravagantes é indiscretas que alejen á los penitentes del Santísimo Sacramento, y deshonren el sagrado Ministerio.»

Ex omnibus his deducere est, quam imprudenter se gerant, qui imponunt satisfactiones magnas, vel ad longum tempus aut etiam pro tota vita duraturas, etsi forte prævideant pœnitentes non esse eas impleturos. Putant videlicet se posse peccatores indispositos, qui sunt vel in proxima peccandi occasione, vel recidivi, a peccatis suis curare, istas graves satisfactiones imponendo. Sed experientia docet, tales pœnitentes acceptare quidem prædictas satisfactiones, ut absolutionem carpant; verum eas postea non implere, misere cito ruere in easdem culpas, et satisfactionum gravitate deterritos a Confessione abhorrere; sicque in peccatis suis omnino tabescere. Ad rem Chrysostomus: *multos recensere possem in extrema mala deductos, quod ab eis pœna peccatis par exposceretur. Neque enim temere ad peccatorum modum oportet et pœnam adhibere; sed peccatum propositum explorandum est. Ne dum quod scissum est, consuere vis, deteriorem scissuram facias: ne dum lapsum emendare studes, majorem ruinam pares.* De Sacerdotio, l. II.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. V, n. 510.

(E) Pag. 385.

Ecclesiæ disciplina circa pœnitentiam publicam, quæ olim pro gravioribus itemque publicis criminibus imponebatur, ut communiter tradunt eruditi, in tres veluti epochas dividi potest. (Sunt tamen qui censent, quod etiam pro delictis occultis gravioribus imponebatur publica pœnitentia. *V.* Liguori, *Risposta apologetica sulla Comunione frequente:* et AA. infra citandos).

1ª A tempore Apostolorum protrahitur usque ad Montanum versus dimidium sæculi II; et hæc mitissima erat ita, ut fere statim omnis pœnitentia remitteretur. Quod patet exemplo Apostoli, qui incestuosum restituit publicæ communioni paulo post excommunicationem.

2ª Producitur usque ad Novatum et Novatianum circa finem sæculi III. Disciplina primitus erat, ut reconciliatio usque ad vitæ finem differretur; dein mitigata fuit, atque adeo, ut illam indulgentiam exprobrarent vel ipsi hæretici: ex quo factum est, ut iterum evaserit austera. Ab eo tempore incipit 3ª epocha, in qua et distincti pœnitentium gradus, *flentium*, *audientium*, *prostratorum* et *consistentium* inducti sunt; et gravioribus criminibus sua pœnitentia assignata, quæ quidem ex tunc *canonica* seu *cæremonialis* dicta fuit. (*V.* Storia della Chiesa della sua fondazione sino al Pontificato di Gregorio XVI. Torino Marietti 1843: pagg. 158 et seqq. *liber parvæ molis, sed non parvæ eruditionis.*—Wiseman, *Conferenze* ecc. Conf. XII.—Salzano, *Storia Eccl.* l. V).

Unde accurate loquendo triplex est pœnitentia distinguenda: 1 *sacramentalis*, quæ a Christo præcepta est, et semper est de necessitate; 2 *publica*, quæ omnibus publicis criminibus imponebatur, quæque ab ipsa Apostolorum ætate sub aliquo respectu viguit; 3 *canonica*, quæ nonnisi sæculo tertio labente inducta est; neque tamen pro omnibus peccatoribus, neque pro omnibus delictis: ea enim erat maxime ad coërcendam idololatriam, mœchiam atque homicidium.—*V.* Natalis Alexander. *Dissert.* III *in sæc.* III.—Petavius, *in l.* VIII *de Pœnit.*—P. Perrone, *de Pœnit.* nn. 209 et seqq.—Muzzarelli, *Buon uso della logica*, Opusc. x. *Storia eccles.* § 8.

Pœnitentiæ canonicæ, quæ olim imponebantur, nunc omni carent auctoritate; cum jam a sæculo IV in Oriente, in Occidente vero a sæculo VII obsoleverint. Quia tamen valde proficuum esse potest pœnitentibus, ut facilius inducantur ad majorem pœnitentiam acceptandam, et fortius a peccatis absterreantur, eis indicare hasce pœnitentias pro aliquibus criminibus præscriptas, ut monent Catechismus R., D. Carolus et D. Antoninus: ideo operæ pretium duximus principaliores hac de re Canones referre.

Circa I Præceptum.

1. Qui a fide desciverit, pœnitentiam aget *annis decem;*—2 Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit *annis septem;*—3 Respiciens futura in astrolabio, pœnitens erit *annis duobus;*—4 Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit *duos annos;*—5 Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit *annos quinque.*

Circa II Præceptum.

1. Quicumque sciens pejeraverit, 40 *dies* in pane et aqua, et *septem* sequentes *annos* pœniteat, et numquam sit sine pœnitentia, et numquam in testimonium recipiatur et post hæc communionem percipiat;—2 Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget *annos decem;*—3 Si quis Deum vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ *diebus dominicis septem*, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus *feriis sextis* in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus dominicis *tres aut duos aut unum pauperem* pascat, si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiæ ingressus interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura;—4 Qui votum simplex violaverit pœniteat *tribus annis.*

Circa III Præceptum.

1. Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, pœnitentiam aget *tres dies* in pane et aqua; — 2 Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget *dies viginti* in pane et aqua; — 3 Qui in Quadragesima jejunia violaverit, pro uno die pœnitentiam aget *dies septem;* — 4 In

Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non *communicet;* ac præterea a carne abstineat.

Circa IV Præceptum.

1. Qui parentibus maledixerit, *quadraginta dies* pœnitens sit in pane et aqua; — 2 Qui parentes injuria affecerit, *tres annos;* — 3 Qui percusserit, *annos septem;* — 4 Si quis contra Episcopum, Pastorem et patrem suum insurrexerit, in Monasterio *omnibus diebus* vitæ suæ pœnitentiam aget; — 5 Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit vel irriserit, pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane et aqua.

Circa V Præceptum.

1. Qui Presbyterum occiderit, pœniteat 12 *annis;* — 2 Siquis patrem, aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne et vino, dum vixerit; jejunet *secunda,* et *quarta* et *sexta feria;* — 3 Si quis hominem occiderit, ad *januam Ecclesiæ* semper erit, et in obitu Communionem recipiet; — 4 Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit, pœnitentiam aget 40 *dies* in pane et aqua, cum septem sequentibus annis; — 5 Si quæ mulier abortum fecerit, pœnitentiam aget *annos tres;* si nolens, *Quadragesimas tres;* — 6 Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget *dies* 40 in pane et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore *dies totidem.* Deinde pœnitens erit *tres annos* per legitimas ferias; tres præterea Quadragesimas in anno observabit; — 7 Qui sceleris occultandi causa filium necavit, pœnitentiam aget *annos decem;* — 8 Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necaverit, pœnitentiam aget *annos tres;* — 9 Siquis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget *unum annum* per legitimas ferias; — 10 Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, *triduo* pœnitentiam aget in pane et qua.

Circa VI Præceptum.

1. Si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit *tres annos*; — 2 Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, pœnitentiam aget 20 *dies;* — 3 Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40 *dies;* — 4 Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, *perpetuam pœnitentiam* aget; — 5 Qui incestum fecerit (non ita enormem) pœnitens erit *duodecim annos;* — 6 Qui Monialem violaverit, pœnitens sit *annos decem;* — 7 Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget *annos tres;* — 8 Si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere *duodecim annos.* Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando 12 *annos* pœniteat, et postea *Monasterium intret,* tota vita sua moraturus ibidem; — 9 Pro adulterio *septennii* et *decennii*

pœnitentia imponitur. Pro osculo seu amplexu impudico *triginta dierum* pœnitentia statuitur.

Circa VII Præceptum.

1 Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget *unum annum*; —2 Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili vel thesauro; vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit *annos septem;* —3 Qui decimam sibi retinuerit aut dare neglexerit, *quadruplum* restituet, et pœnitentiam aget *dies* 20 pane et aqua; —4 Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget *annis tribus* et *uno* in pane et aqua.

Circa VIII Præceptum.

1 Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit *annos quinque;* —2 Falsarius in pane et aqua pœnitentiam agat *quamdiu vivit;* —3 Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit *dies septem* in pane et aqua.

Circa IX et X Præceptum.

1 Rem alienam nefarie concupiscens avarusque, pœnitens erit *tribus annis;* —2 Siquis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitens erit *annos septem;* si Presbyter, *quinque;* si diaconus vel monachus, *tres;* si clericus aut laicus, *duos.*

(F) Pag. 393.

Pontas exemplo explicat differentiam inter Indulgentiam *per modum suffragii* et Indulgentiam *per modum absolutionis*. «Lex vult e carceribus emancipare duos subditos detentos, quorum unus in proprio dominio, alter Bizantii. Quomodo primo libertatem donabit? Hoc fiet ejus propria et suprema auctoritate, pronuncians gratiam *per modum absolutionis*, absque auxilio et concursu potestatis extraneæ. Sed pari modo nequit alterum liberare, quia non potest suam Jurisdictionem exercere extra limites suæ ditionis absque consensu Principis, sub cujus Imperio et Dominatu moratur in carcere. Non potest igitur ultimum in libertatem vindicare, *nisi per modum suffragii*, intercedendo pro eo apud Sultanum, cujus est captivus, vel mancipium, et solvendo ejus redemptionem. *In hoc distinguitur Indulgentia* (per modum absolutionis) *a modo juvandi per suffragia, quod hic privata auctoritate fieri possit, non illa*, subdit clarissimus Sylvius.

Ita pariter se gerit Ecclesia in largiendis Indulgentiis; respectu enim vivorum fidelium, qui proprie sunt ejus subditi, his applicat *per modum absolutionis:* et ob hac rationem Martinus V concedens Indulgentiam in terminatione Concilii Constantiensis, *dicit se absolutionem concedere*, ut iisdem verbis Sylvii utamur, addentis hanc esse locutionem eamdem sancti Thomæ: *et beatus Thomas q.* 27, *art.* 2 *docet, quod Indulgentiam facere, sit remittere*

pœnam cum potestate jurisdictionis. Verum respectu Defunctorum, qui in Purgatorio detinentur, eos respicit tamquam extra suam jurisdictionem et potestatem, sicut declarat Gelasius I in quodam Canone decreti Gratiani: ob hoc non applicat illis Indulgentias, nisi per modum suffragii, orando Deum, ut dignetur per suam infinitam misericordiam suscipere, et acceptare satisfactiones superaffluentes Jesu Christi, et Sanctorum pro solutione pœnarum, quarum sunt divinæ Justitiæ debitores.

(G) Pag. 397.

A. *Quæstiones de Indulgentiis:*

1. Indulgentia, quam Episcopus absolute concedit facienti tale opus, durat etiam post ejus mortem, sed ejus successor non potest eidem operi de novo addere Indulgentiam, ut ideo ea dupla sit. Potest tamen id Archiepiscopus, nempe tribuere Indulgentiam pro eodem ipso opere, pro quo jam eam Episcopus suffraganeus elargitus est.

2. Episcopus solis subditis tribuit Indulgentiam; attamen si ea concessa sit tali cruci, altari, vel Ecclesiæ, etc. etiam non subditi illa loca aut cruces visitantes Indulgentiam lucrabuntur. Est commune.

3. Vicarius generalis Episcopi sine speciali Episcopi sui delegatione non potest Indulgentias conferre. Ita communissime. Neque Vicarius capitularis.

4. Se prosternere coram R. Pontifice solemniter benedicente, vel Episcopo de facultate Papalem benedictionem largiente, etsi id opus non sit pœnabile, est tamen sufficiens ad Indulgentiam, etiam plenariam; quia id valde confert ad obsequium exhibendum erga Ecclesiam, atque ad reverentiam erga Pontificem: hic porro finis oculis fidei gravis est. — Item quando Indulgentia omnibus generatim conceditur, quamvis opus præscriptum sit pro singulis quid parvi, non ideo tamen erit insufficiens; quia totum simul inspiciendum est. Talis est plenaria Indulgentia concessa pro recitantibus quinque *Pater* et *Ave* ad hæreticorum conversionem etc.

5. Si defectus causæ casu nullam faciat Indulgentiam, adhuc valent privilegia si quæ eidem adnexa; quia eorum concessio a superioris voluntate solummodo pendet. Ita omnes docent.

6. Tridentinum *(sess. 22, c. 9)* præscribit, ut Indulgentiæ ac cæteræ gratiæ spirituales ab apostolica Sede concessæ examinentur ab Ordinariis; adhibitis duobus de Capitulo et solum per ipsos debitis temporibus publicentur. Hæc dispositio quoad adhibendos Canonicos in Gallia non est in usu (neque apud nos). Sed Episcopi non permittunt Indulgentias publicari, neque facultates exerceri Romæ obtentas, nisi certi facti sint de earum authenticitate. Quæ præscriptio laudatur a Benedicto XIV, *De Syn. Diæc.* l. XIII, c. 18.

7. Indulgentia non cessat per cessationem causæ, ob quam ea primitus data est. Est communis sensus Theologorum ac Canonistarum penes Ferraris, *Bibl. Can.* etc. V. Indulgentia, a. 3, n. 54.

8. Quando conceditur Indulgentia ei, qui tale opus egerit per mensem, mensis debet esse usualis, non dimidium unius et dimidium alterius.

9. An opera, quæ jam aliunde fieri debent præcepto vel voto, ad Indulgentiam inserviant, quin repetantur, si hæc eadem sint, quæ in Indulgentiæ concessione præscribuntur, responde negative, si agatur de Jubilæo ex Benedicto XIV, *Notificatione* LIII et Bulla *Inter præteritas* anno 1749. Imo idem videtur dicendum si agatur de aliis Indulgentiis; nam opera præscripta sunt *onerosæ conditiones;* si porro illa jam fiunt alia necessitate, in eis nihil est onerosi quoad Indulgentiam. In praxi igitur opera illa repetenda sunt, cum agitur de Indulgentia lucranda. Verum etiam quando ex præcepto vel voto ea ponuntur, præstat ut habeatur intentio Indulgentiam lucrandi, si quæ forte adest. — Cæterum hoc non valet pro operibus in Congregationibus vel Communitatibus præscriptis, quæ cum per se non obligent sub culpa, neque propterea sint in præcepto, ideo bene inserviunt pro Indulgentiis.

10. Potest quis plures Indulgentias plenarias successive lucrari eodem die, si tamen opera præscripta ad unumquemque repetat; excipitur *Confessio,* quæ sufficit, si facta octiduo ante; et *Communio,* quæ etsi una sit, valet pro omnibus Indulgentiis plenariis eo die currentibus, ut ex quodam Decreto tradit Bouvier: ideo magis, quia tunc Communio habenda est non ut opus præscriptum, sed ut conditio tantum. *Gury.*

11. Qui alicui Congregationi nomen dederunt, si omittant opera injuncta per diem, non peccant, imo participant de piis operibus quæ in illa fiunt; non tamen acquirunt Indulgentias certis temporibus concessas; quia hæc concessio est sub conditione illarum operarum. *Bouvier.*

B. *Quæstiones de Jubilæo.*

Quæstiones de Jubilæo præcipuas in unum congessit Benedictus XIV, Const. *Convocatis*, et maxime *Inter præteritas* 1749, 3 dec. Nos nonnulla hic referimus pro praxi; nam juxta illas res est resolvenda, nisi sit derogatum per posteriores Bullas: hinc cum die 16 febr. 1852 propositum fuerit dubium, *an in Jubilæo tum ordinario tum extraordinario servandæ sint omnes regulæ a Benedicto XIV traditæ, quibus non adversatur Bulla Jubilæi,* responsum fuit a S. C. Indulgentiarum, *affirmative.*

1. Proposito dubio circa *Communionem paschalem,* an satis esset etiam ad lucrandum Jubilæum, sic respondit S. C. R. Vicario capitulari mediolanensi 6 martii 1847, ut videre est in *Amico Cattolico* v. XIII: «A la duda propuesta sobre si con la *Comunion pascual* se puede cumplir con la Comunion que se halla prescrita para ganar el Jubileo, esta sagrada Congregacion de Obispos y Regulares responde *negativamente,* advirtiéndole que Su Santidad no ha creido conveniente acceder á la súplica de varios Obispos, quienes imploraban que con una sola comunion se pudiese satisfacer al precepto pascual y á la obligacion impuesta para ganar el Jubileo. — Para que se desvanezca toda duda relativamente á los ayunos, la misma sagrada Congregacion en virtud de facultades especiales permite que en esa ciudad pueda tener su efecto el Jubileo, no obstante la coincidencia de la Cuaresma, y por consiguiente que con los ayunos hechos en la Cuaresma se cumpla con los del Jubileo; en la inteligencia, que en los tres dias de ayuno para ganar el Jubileo no se haga uso de manjares ya prohibidos, pero que sin em-

bargo son permitidos en la Cuaresma actual por especial indulto pontificio. Es cuanto debo decir á V. para su buen gobierno, mientras estoy rogando á Dios le conceda toda suerte de prosperidades.»

2. Jubilæi facultate non gaudent qui parati non sunt ad illud lucrandum, et ad operibus præscriptis satisfaciendum. *Benedictus XIV.*

3. Per clausulam *ad beneplacitum nostrum et Sedis apostolicæ*, non cessant Indulgentiæ morte Pontificis; secus si tantum dicatur *ad beneplacitum nostrum.* Et circa suspensionem Indulgentiarum, quando in Indulto Jubilæi dicitur, *omnes et singulæ,* etiam plenariæ Indulgentiæ suspendantur. Ita *Benedictus XIV.*

4. Qui habens veram intentionem lucrandi Jubilæi fuit absolutus a censuris, aut dispensatus in voto, non reincidit, si ille postea, mutata voluntate, Jubilæum non lucretur, etiam culpabiliter. *Benedictus XIV.*—An autem qui hoc agit cum culpabili negligentia, peccet mortaliter, disputant.

5. Facultatibus Jubilæi semel tantum quis gaudere potest; sed Indulgentias, qui opera præscripta repetit, utique pluries lucrari potest. Excipe nisi illa Indulgentia concessa sit visitantibus præscriptis diebus aliquam Ecclesiam; tunc unica tantum Indulgentia acquiritur. *Benedictus XIV.*

6. Ad *Jubilæum majus,* omnino in alterutra hebdomada omnia opera præscripta perfici debent; tum quia talis est usus; tum quia talis videtur semper esse Indulti sensus: imo Ecclesiarum visitatio uno die est perficienda; sufficit tamen si ea fiat etiam *a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum,* uti dicitur in Bulla. Probabilissimum tamen est Confessionem et Communionem posse fieri tam in prima quam in Dominica immediate sequenti. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 537. — Quoad Jubilæum autem minus (nisi aliud exprimatur) satis est, si opera fiant decurrente toto Jubilæi concesso tempore, etiam ipsa Ecclesiarum visitatio; ita Pius Papa IX in Jubilæo concesso 20 nov. anno 1846, post suam videlicet ad Pontificatum exaltationem.

7. In Bulla Jubilæi solet præscribi visitatio plurium Ecclesiarum ejusdem civitatis aut loci; sed plurimis in locis unica est Ecclesia. An in hoc casu Episcopus possit visitationem cæterarum Ecclesiarum in aliud opus pium commutare; vel etiam Capellam, altare, crucem aliumque pium locum Ecclesiarum loco visitandum designare? — S. C. I. decrevit *supplicandum a Sanctissimo, ut per decretum generale facultatem tribuat Ordinariis unicam Ecclesiam visitandi quot sunt Ecclesiæ pro acquisitione Jubilæi visitandæ:* facta relatione Pio Pp. IX 15 martii 1852, Sanctitas Sua relationem approbavit, et concessionem præcepit publicari per generale Decretum, quod factum est.

8. Si Confessio nulla sit ex defectu doloris etiam inculpabiliter, probabilius non aufertur reservatio, nec censura; nam cum Pontifex concedit illas facultates, ut fideles Jubilæum lucrentur, non præsumitur illam concedere iis, qui nequeunt cum tali Confessione Jubilæum lucrari. *Liguori.*

9. Qui rite confessus est tempore Jubilæi, sed oblitus est confiteri reservata, etiam eo tempore transacto, a quocumque Confessario potest absolvi; ratio quia vi Jubilæi jam acquisivit jus ea facultate gaudendi. Idem dicunt

probabiliter ac communius de votorum commutatione. *Liguori.*

10. Recte advertunt communiter, quod pro commutatione votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit causa illa communis, ob quam Pontifex motus est ad Jubilæum indicendum. *Liguori.*

11. Communius et probabilius potest absolvi a reservatis qui peccat in Jubilæi confidentiam; quia non limitanda facultas sine limitatione concessa. Ita *Liguori.*

12. Communis est sententia facultatem in Jubilæo concessam absolvendi a Papalibus intelligi etiam de Episcopalibus. Et licet hæretici non possint absolvi, possunt tamen eorum fautores, et legentes vel imprimentes libros de hæresi tractantes, et etiam blasphemi hæreticales; quia talia peccata non sunt proprie hæresis formalis. Item publici Clericorum percussores, etc. Numquam tamen tollitur obligatio satisfaciendi læso. *Liguori.*

13. Ad Jubilæum lucrandum Regulares possunt confiteri apud quemcumque Sacerdotem approbatum etiam sæcularem, ut declaravit Gregorius XIII, et Alexander VII. Sed ut Moniales illum eligant, debet Confessarius etiam esse approbatus pro Monialibus, ex Benedicto XIV. *Liguori.*

14. Qui confitens inculpabiliter obliviscitur peccati mortalis, non tenetur iterum confiteri ad lucrandum Jubilæum; quia illius Confessio fuit Sacramentalis, et est in gratia. Tantum est illi obligatio suo tempore illud Ecclesiæ clavibus subjiciendi. *Bouvier.*

15. Siquis post Confessionem labitur in mortali, licet non teneatur iterare visitationes, tenetur tamen iterum confiteri, nec sufficit conteri, si velit lucrare Jubilæum. Ita *Benedictus XIV.*

16. «El que debe hacer la Comunion pascual y ganar el Jubileo casi en un mismo tiempo, ¿estará obligado á confesarse dos veces? A nosotros nos parece que bastará una sola confesion hecha en atencion al Jubileo; porque una de dos, ó se conoce reo de pecado mortal ó no. En el primer caso basta que se confiese para el Jubileo sin obligacion de confesarse para la Comunion. En el segundo caso habiéndose ya reconciliado por medio de la confesion del Jubileo, claro está que no debe confesarse para cumplir con la Comunion pascual; puesto que entonces nada implica el que comulgue la primera vez para ganar la Indulgencia, y la segunda para satisfacer al precepto de la Comunion pascual.—¿Seria lo mismo si no se hubiese confesado de un año? Seguramente que sí, con tal que creyera prudentemente no haber cometido ningun pecado mortal desde su última confesion; pues como hemos demostrado ya mas arriba, el precepto de la confesion anual no obliga á quien solamente se siente en conciencia de pecado venial. Pero si se tratare de un fiel que ha cometido alguna culpa grave, dirémos de él lo que diriamos de un enfermo que se ha dispensado de emplear los remedios prescritos, con motivo de hallarse restablecida su salud antes que llegara á hacer uso de ellos; y entonces el concilio Lateranense cesa de tener aplicacion. — Otra cosa dirémos de la Comunion de lo que decimos de la Confession: no se puede con una sola Comunion satisfacer al deber pascual y á la condicion prescrita por el Jubileo; pues como enseña Benedicto XIV, no puede servir para la Indulgencia una obra que está prescrita bajo otro título, y á diferencia

del precepto de la Confesion, que solamente obliga á aquellos que se sienten con conciencia de pecado mortal, el de la Comunion obliga á todos los fieles. Por esto, en el año 1826 monseñor de Quélen, arzobispo de Paris, habiendo consultado á la santa Sede sobre esta cuestion, tuvo por respuesta: *que la Comunion pascual y la Comunion del Jubileo, son dos obligaciones diversas á las que no se puede satisfacer con un solo acto.* » Ita *Gousset.*

17. Si Bulla non determinat tempus orandi, oratio etiam brevissima sufficit, ut *unum Pater* et *Ave.* Si vero dicat orandum per aliquod temporis spatium requiruntur saltem *quinque Pater* et *Ave,* vel aliud simile. Pro visitatione autem Ecclesiæ præscripta sufficit orare ante ostium, sub vestibulo, item in sacrario, si tamen præ hominum multitudine, Ecclesiam nequeas ingredi; idem dicunt, si ores ante ostium Ecclesiæ, quando illud est clausum. Ita plures graves auctores cum *Suarez, Lugo, Croix,* etc.

18. Pueri, senes, operarii, infirmi et alii qui non obligantur jejunio Ecclesiastico; tenentur tamen jejunare, si velint lucrari Jubilæum: vel petant commutationem. Idem dic de aliis operibus. *Bouvier.*

19. Eleemosyna pro Jubilæo non debet esse jam debita, puta si quis ea legato jam teneatur dare pauperi eleemosynam. *Benedictus* XIV. Nomine autem eleemosynæ in Jubilæo non intelligitur spiritualis, sed corporalis. Non autem necesse est, ut tribuatur pecunia, sed sufficit alia res appretiabilis, ut vestis, panis, etc. Si eleemosyna imponitur in subsidium alicujus piæ operæ, debet esse pro uniuscujusque viribus; si sit tantum ad exercendam misericordiam, tunc sufficit quæcumque parva summa. *Bouvier.*

20. Confessarius potest in Jubilæo commutare votum illius, qui vovit de non petenda commutatione alicujus voti; quia privati non est Ecclesiæ potestatem limitare. Imo hac ratione sunt qui volunt hoc votum suapte natura nullum esse. *Bouvier.*

21. Non prius absolvendus pœnitens a censuris, quam parti læsi satisfecerit: quod si hic et nunc nequeat, juret se satisfacturum quam primum poterit. *Benedictus* XIV. Cæterum hac de re vide *De Censuris,* ubi *de absolutione.*

22. Tempore Jubilæi Anni sancti manent suspensæ facultates Regularium absolvendi a casibus Bullæ *Cœnæ* et reservatis sedi Apostolicæ, et vota commutandi, sive sint concessæ intuitu Indulgentiarum, sive ob alias causas. Ita *Benedictus* XIV.

23. *An data ampla facultate absolvendi ab omnibus omnino censuris, etiam a contentis in Bulla* Cœnæ, *in Jubilæo, possit etiam deduci facultas absolvendi ab hæresi ad extrinsecum deducta, de qua in dicta Bulla mentio fit?*—Negative: «*cum hujusmodi facultas expresse semper nominari debeat nec umquam vigore cujusvis verborum amplitudinis concessa dici possit; quemadmodum statutum fuit a decessore Nostro Alexandro VII in decreto, quod in Congregatione S. Inquisit. coram se habita condidit:* Ss Dominus N. Alexander papa VII sub die 23 martii 1656 inhærendo declarationibus alias a Prædecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, et ne circa id in posterum ullo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresis præ cæteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem ab-

solvendi ab hæresi in Jubilæis vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi (1).» Ita *Benedictus* XIV Bulla *Inter præteritas*, § IX (2).

24. *Cum datur facultas commutandi opera præscripta in alia, id non necessario fit in Confessione et a Confessario qui audit confitentem; sed potest fieri extra et ab alio idoneo, modo sit Confessarius, ut declaratur in Bulla Indulgentiarum Gregorii XIII.—Excipe semper vota, quæ nonnisi intra Confessionem commutantur ex Benedicto XIV.—Item irregularitas nonnisi in Confessione dispensatur. Dispensatur autem modo in Rituali præscripto, et post datam absolutionem a peccatis.* Liguori, *Opus. Mor.* l. VI, n. 534, ad 15.

25 *Confessarius eligendus tempore Jubilæi debet esse approbatus ab Ordinario loci, seu ubi ipsa fit Confessio; non autem ab Ordinario pœnitentis.* Ita S. C. C. et Bulla.

26. *Confessarius approbatus limitate pro solis viris, non potest tempore Jubilæi eligi a mulieribus. Ita Confessarius approbatus pro solis rusticis, non potest eligi a civibus. Sic approbatus pro uno tantum loco, non potest eligi extra illum locum.* S. C. C. ad Episc. Abulensem 1593.

27. Est regula universim hac de re accepta : *quod non est in Bulla, non potest esse in praxi.* Attamen (ait L. Ferraris, *Bibl.* V. Jubilæum, art. 1). «Bullæ Jubilæi quoad ea, quæ favores continent, sunt latissime interpretandæ, quantum patitur proprietas verborum, nisi in particulari casu vel materia, communis praxis vel stylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat.—Quoad ea autem, quæ gravamen, seu odium continent, sunt stricte interpretandæ, quantum patitur verborum proprietas, nisi in particulari casu, stylus, et praxis Curiæ Romanæ, seu aliqua peculiaris ratio laxiorem interpretationem persuadeat; *arg. cap. Odia* 15 *de Regulis Juris* in 6, ibi : *Odia restringi et favores convenit ampliari.* Sic Suarez, Henriquez, Sanctarell, cum Gobat *hoc loc. cap.* 5, *numer.* 24 *et sequent.* Viva *de Jubilæo quæst.* La Croix (*lib. III h. l. numer.* 1395 et alii passim. Hinc latissime sunt interpretandæ quoad concessionem Indulgentiæ, electionem Confessarii, absolutionem, commutationem operum, vel votorum, etc. quia sunt favores. Stricte autem sunt interpretandæ quoad obligationem ad certa opera, suspensionem Indulgentiarum et facultatum, quia sunt gravamina. Bellegambe, *Ench. de Jub.* p. 1, sect. 1, quæst. 6, Ita *Viva, Sa, Croix*, etc.»

(1) Licet nequeant absolvi hæretici, absolvi tamen possunt proferentes blasphemiam hæreticalem, et fautores et receptatores hæreticorum; nec non legentes, retinentes vel imprimentes libros hæreticos; nam hæc crimina esto concurrant, non proprie tamen sunt hæresis formalis. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 537.

(2) Pius papa IX in Jubilæo anni 1851 et 1854 facultatem tribuit absolvendi «de todos los pecados, escesos, crímenes y delitos por graves y enormes que sean, aunque reservados en forma especial á los ordinarios de los lugares, y á la Sede apostólica cuya absolucion en otras ocasiones no se tendria por concedida por un semejante indulto general.» Dubitatum fuit an per hæc verba possit etiam abvolvi ab hæresi; interrogata anno 1854 S. Pœnitentiaria, respondit *affirmative, juxta mentem;* unde patet per laudata Pontificis verba hæresis satis indicari in forma æquipollenti.

28. Quando dicitur : *commutatio votorum fiat dispensando,* principaliter debet attendi ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit exorbitanter minor, nempe ut materia voti transferatur in aliam materiam non rigorose æqualem, sed mixtam cum aliqua dispensatione, seu capacem alicujus moderatæ inæqualitatis inter primam materiam et secundam subrogatam. Secus si dicatur ; *dispensatio fiat commutando.* Facultas autem dispensandi non includitur in facultate commutandi. *Benedictus XIV.*

29. Commutatio operum injunctorum non potest fieri ad opus aliunde debitum. Nec Jubilæum acquiritur per opus jam debitum, ut si quis ex legato jam teneatur dare eleemosynam pauperi, et hanc tantum tribuat.—Et commutatio fieri debet in opera ejusdem naturæ ac qualitatis, cum potest. *Benedictus XIV.*—Et hæc commutatio fit a quolibet Confessario approbato.

30. Opera facta in peccato valent, modo fiant animo exhibendi honorem Deo, non autem ex fine vano ; et modo ultimum opus impleatur in gratia. *Benedictus XIV*, loco citato.

31. Per Jubilæum non datur facultas neque dispensandi ab aliquo matrimonii licet jam contracti impedimento, etsi occulto ; neque incapaces habiles reddendi ad aliquod Beneficium obtinendum ; neque incestuosos conjuges collapsos a jure petendi in pristinum jus restituendi. Ita omnes.

32. Vota *simpliciter pœnalia*, quæ scilicet emittuntur in pœnam alicujus delicti jam perpetrati, utique commutantur. Sed vota *pœnalia præservantia,* quæ emittuntur in futuro, ut nempe timore rei promissæ retrahatur promittens ab aliquo delicto committendo, commutari prohibentur. Excipe nisi commutatio fiat in opus aliud pœnale, quod magis vel æque ad præservandum conducit ; tunc enim habetur æquivalens, neque alterius jus violatur. *V. Edictum* card. Morozzo, 20 martii 1825 ; et Bouvier.

33. Opera omnia injuncta legitimo impedimento detentis valide commutantur ; si excipias orationem, Confessionem atque Communionem. Item et Communionis pro pueris ad illam nondum admissis, legitime fit commutatio ex Bulla Benedictina.

34. Itinerantibus prorogari possunt opera injuncta usque ad reditum, nec tenetur quis suum iter differre, si commode nequit : ita Lugo, Holzman, cum Liguori.—Peregrini autem usu inductum est, ut lucrentur Jubilæum loco ubi opera implent.

35. Qui dat eleemosynam distribuendam, si postea culpa alterius non distribuatur vel nonnisi post Jubilæum, affirmant Sa, Lesana, etc. ipsum lucrari Jubilæum, quia quantum in se est, opus præscriptum præstitit. Certe ille non fraudatur qui dedit ficto pauperi. *V.* Liguori.

36. Orationes in Jubilæo præscriptæ cum socio alternatim recitari possunt, ut praxis se habet. Ita *Resolutio Casuum* sub auspic. *Benedicti XIV.*

37. Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœnitenti, potest, transacto Jubilæo, ipsum absolvere eadem facultate ab omnibus reservatis etc. tum quia judicium jam inchoatum est, tum quia peccata reservata jam submissa sunt habenti facultatem. Quid si alia reservata commissa sint post transactum Jubilæum ? Alii affirmant adhuc posse absolvi ; quia aliter non lucraretur Jubilæum, prout a Pontifice datum est. Sed alii negant, quia

jurisdictio Confessarii prorogatur tantummodo quoad jam commissa, non autem ad nova reservata extenditur. *Ferraris.*

38. Qui in prima hebdomada lucratus est Jubilæum, si secunda hebdomada iterum incidit in reservata, potestne iterum absolvi? Affirmant multi, etsi opera injuncta non repetat, quamvis bis non possit lucrari Jubilæum ; cum favores conveniat ampliari. Verba autem Bullæ *pro hac vice tantum* non referuntur ad actum absolvendi, sed ad tempus Jubilæi, id est pro tempore hujus Jubilæi tantum. Alii tamen negant, et referunt declarationem Clementis VIII datam anno 1620. Ita *Resol. Casuum* sub auspic. *Benedicti XIV.* Item conformatur Bullæ *Inter præteritas*, n. 84. *V. Bouvier.*

39. Qui etiam culpabiliter opera injuncta omisit, si currat ultima Jubilæi dies, et vere ipsum pœniteat, ac velit Jubilæum lucrari, Confessarius poterit illi tempus prorogare. Ratio est, quia posita retractatione, impedimentum illud non est amplius voluntarium, ideoque potest Confessarius illi providere tamquam legitime impedito ; cum adhuc id faciat tempore habili, id est nondum tempore Jubilæi transacto. Ita *Scarpazza.*

40. An lucretur Jubilæum, et possit absolvi et dispensari qui confitetur in loco, ubi Jubilæum vel jam consummatum, vel nondum promulgatum est, si cætera opera rite perficiat? Negat Pontas, qui ait id esse contra intentionem Pontificis. Sed alii communiter affirmant, quia facultas pœnitenti facta est eligendi, quemcumque voluerit Confessarium, cum hac unica clausula : *ut sit approbatus pro eo loco, ubi Confessio fit.* Imo pro certo habet Scarpazza, opera præscripta ubicumque locorum adimpleri posse, si excipiatur Ecclesiarum visitatio ; cum hæc una tantum determinata sit in Bulla concessionis. Vid *Bouvier.* Imo ipsa visitatio pro impeditis potest commutari : sic moniales, carcerati, infirmi hujus operis commutationem habent a Confessario. Ita *Bullæ.*

41. Qui confitetur vigilia ipsius Jubilæi jam potest lucrari Indulgentiam plenariam Jubilæo adnexam, cum taliter acta Confessio sufficiat ad Indulgentiam ex Indulto Pii VII, 12 junii 1822. Imo talis Confessio etiam pro ipso Jubilæo sufficit, si facta sit in vigilia a primis vesperis, tum quia in Jubilæo Urbis ita constanter servatur, uti patet ex Bulla Benedicti XIV *Peregrinantes;* tum quia Jubilæi tempus (uti rite observat Minderer, *De Indulgentiis*) ; ad instar maximi festi et solemnitatis haberi solet, quæ juxta Ecclesiæ ritum a primis vesperis præcedentis diei celebratur. Ita in Nota ad Gury, editio Veronensis, 1851.

42. «Los Confesores pueden dispensar de la irregularidad oculta proveniente de la violacion de las censuras, ya sea para poder ejercer las funciones sagradas ó para recibir algun órden superior. Pero esta es la sola irregularidad que pueden quitar en ocasion de Jubileo. Están facultados para conmutar los votos simples, á escepcion del voto de castidad perpetua y del voto de entrar en religion. Pueden tambien conmutar estos dos últimos votos en todos los casos, en que la reserva fuese devuelta al ordinario (quando autem devolvatur, vid. in Tractatu de voto). Queda esceptuado asimismo el voto hecho á favor de un tercero, á menos que no haya sido todavía aceptado; los confesores no pueden conmutarlo.» Ita *Gousset.*

V. Bouvier, *Des Indulgences.*—Collet, *Traité du Jubilé.*—Moroni, *Centum responsa centum quæsitis.* Mediolani anno 1682.—Et nostra Appendix in fine vol. V. Indulgentia.—Benedictus XIV, *Notificationibus* IV et LIII.

(H) Pag. 401.

Ex tradita Sacramenti Pœnitentiæ forma, patet ipsam esse indicativam et non deprecativam, vel imperativam. De imperativa nulla quæstio; cum nullibi legatur usurpata, ut omnes fatentur. De deprecativa quæstio magna est: alii et quidem graves AA. probant ex plurimis documentis hanc formam in Ecclesia latina obtinuisse usque ad annum 1200; et etiam nunc in græca Ecclesia obtinere. Ita Martin, Morinus, Tournely, Vitassius. Alii e contra id negant: imo communissime Theologi morales, inter quos Suarez cum D. Thoma, contendunt formam deprecatoriam esse prorsus invalidam, si nempe dicatur *absolvat te Deus;* cum Christus hoc Sacramentum instituendo expresse indixerit, ut Sacerdotes tamquam judices sententiam proferrent. (*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 480. Perrone, *De pœnitentia*, § 218). Verum quidquid sit, hodie ex Florentini ac Tridentini decretis certum est, debitam formam esse *indicativam*. Et ideo Sacerdotes vere dimittunt peccata; et data absolutione, plenam consequitur pœnitens peccatorum remissionem.

Opponunt hæretici: esto, quod Deus remittendo peccata et reatum tollat; adhuc tamen ea in anima remanent re et natura, licet sine imputatione, quasi nempe tecta et cooperta velamine a gratia Christi: *omnis persona simul peccatrix est, dum justus est,* inquiebat Lutherus: *Deus vult peccata tollere quoad remissionem culpæ et quoad ipsam vim peccati; non quoad rem seu naturam peccati.* Ejus autem discipulus Melancthon addebat: *semper* (etiam post acceptum reconciliationis beneficium) *manet umbraculum amplectens nos et tegens nostras sordes.* Tandem concinebat cum ipsis vaferrimus ille Jansenistarum vexillarius Michaël Bajus inquiens: *in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotis solum liberat a reatu.*—R. Hisce nil absurdius: sane vi absolutionis Sacramentalis anima nostra consequitur justificationem; atqui justificatio cum *re et natura peccati* esse non potest: necessarii enim justificationis effectus ex Scriptura et Tridentino sunt, ut abluatur peccatum, ut peccator sanctificetur, super nivem dealbetur, et fiat Deo dilectus, cohæres Christi, perinde ac si numquam peccasset, ut uno verbo nihil in eo amplius sit, quod Deo displiceat; qui effectus conciliari non possunt cum re et natura peccati, etiamsi hoc careat reatu sive imputatione. *Quælibet gratia gratum faciens,* ait Angelicus, *delet omnem culpam mortalem, quia simul stare cum ea non potest. Gratia sanctificans per se ita peccatum expellit,* addit Contensonius, *ut repugnet utrumque in eodem subjecto sociari.* Revera quomodo sociari poterunt in eodem subjecto gratia Christi et natura peccati? quomodo esse potest cum ejusdem animæ pulchritudine illud Melancthonianum *umbraculum amplectens* eam? et *tegens sordes* ejus? Huc facit etiam quod de justificatione in Baptismo declaravit Tridentinum.

Si ita est, quomodo (inquies) intelligenda erunt illa verba: *beati quorum*

remissæ sunt iniquitates; et quorum tecta sunt peccata?—Bellarminus hanc difficultatem appellat *argutiam Kemnitii Calviniani,* eamque refellit dicens, coram Deo *tegere peccata* et *peccata delere* et *abluere*, ita ut amplius non sint neque imputatione neque re et natura, esse unum et idem; nam Deo non potest aliquid *tegi*, nisi penitus deleatur: *omnia enim nuda sunt et aperta oculis ejus.* Hinc Augustinus in allatum Psalmum: *non sic intelligatis quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant.*

(I) Pag. 413.

Non adest (ait S. Alphonsus, *Praxis Conf.* n. 228) *charitatis opus magis Deo acceptum magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare. Nam tempore mortis (a qua uniuscujusque æterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum debiliores. Deus ut manifestaret quantum gratam habeat assistentiam moribundis præstitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit Angelos religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.* Operæ etiam pretium putamus hæc salutaria monita Parocho tribuere, quæ legere est in libro: *Regole per la direzione delle anime ad uso dei Parochi, dettate dal servo di Dio G. B. Derossi* ecc. Torino 1847, tip. Castellazzo: «Procure visitar con frecuencia á los enfermos, especialmente si son tísicos é infectados de otras enfermedades asquerosas, v. g. de llagas, porque siendo los tales, las mas de las veces, jóvenes y que tienen el perfecto uso de los sentidos, se hallan en peligro mas próximo de ser tentados y de caer en una total postracion, haciéndoseles insoportable la enfermedad y aun su propia persona. Si se le llama por la noche para asistir á algun enfermo, no difiera ir por la mañana, en la incertidumbre de no encontrarlo vivo, ó en estado de no poder ya confesarse, diciendo con el venerable M. de Avila: *Puede que Dios quiera que la conversion de aquella alma se verifique con la intervencion de mi industria.* Llegado que haya á la casa del enfermo, especialmente si es moribundo, no se entretenga allí en conversaciones no necesarias con los demás de la casa, ni canse al enfermo con largas y frecuentes arengas; pero de cuando en cuando haga que dirija á Dios pocas, pero fervorosas aspiraciones, y en los intérvalos, ruegue para hacerle alcanzar la palma de la victoria en aquellos terribles momentos; pues quien quiere desempeñar debidamente este cargo, conviene mucho que obre de esta manera.» Neque id Parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet; sed omnium etiam Sacerdotum.—*V.* Audisio, *Lez. d'Eloq.* p. 2, lez. XVII.—Pavone. *Spicilegio* ecc. nn. 297 et seqq.—Liguori, *Ho. Ap.* tract. ult. nn. 46 et 47; it. *Appen.* II, § 4, it. *Praxis Confess.* nn. 105-276 et seqq. agit quomodo se gerere debeat generatim Confessarius cum moribundis; nn. 230 et seqq. plura suggerit Sacerdoti assistenti; nn. 238 et seqq. remedia adversus tentationes enumerat; nn. 265 et seqq. monita aperit circa ultima Sacramenta; et nn. 277 et seqq. agit de agone et aliis mortis signis.—*Rituale Romano spiegato* proposto dal card. Delfino Patriarca d'Aquileja etc.—Abrate, *Lo spirito del Parroco.*

Duo hic quæruntur ad praxim maxime spectantia, quoad modum agendi cum moribundis in administratione Sacramentorum.

Utique totum hominem hocce ministerium requirit et patientiam et longanimitatem; qua in re ajebat Salesius: *se logra el martirio, no solo confesando á Dios delante de los hombres, si que tambien confesando á los hombres delante de Dios.* Magnum revera pondus est; at Dominus est, qui nos cum pondere nostro portat; quique in ultima die cum venerit, centuplum reddet fideli donorum suorum dispensatori; est enim Christus Dominus pius Samaritanus, qui vulneribus sauciatum nostræ curæ committit, inquiens: *curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.* Sit ergo nostra charitas universalis, ut nulla fiat exceptio personarum; compatiens, considerantes quod eadem nos indigemus; generosa, ut liberaliter demus quod nobis elargitus est Deus; provida, ut et futura mala præcaveat; laboriosa et fortis, ut non obruatur magnitudine difficultatum. Et sane charitas Christi, dicente Apostolo I *ad Cor.* II, patiens est, non est ambitiosa, omnia sustinet, etc. *S. Alfonso para animarse á la trabajosa tarea del tribunal de la Penitencia, se decia con frecuencia aquellas palabras de san Agustin:* animam salvasti, animam tuam liberasti; ita Gaume.

(N) Pag. 441.

Primo: quod pertinet ad scientiam in genere spectatam, duo extrema sunt præcavenda:—1 illorum *temeritas*, qui dum audiunt ad Confessionem satis esse scientiam mediocrem, sibi blandiuntur quasi talem possideant; quia temporibus illis aliqualem studio curam dedere; ast nunc vix ac ne vix quidem libros aperiunt, casus examinant et deleta ad memoriam revocant: heu quot confessarii, ait Roncaglia, quot Parochi ratione ignorantiæ in continuo peccati mortalis statu vitam transigunt!—2 illorum *timiditas*, qui ut se a Confessionibus audiendis liberent, continuo adducunt propriam insufficientiam: ista, ait Salesius, est malitiosa humilitas et inventus amoris proprii ad propriam tegendam socordiam; nam quisque mediocris potest se aptum reddere, si singulis diebus parum attendat et nulla sit dies sine linea; in fine enim quod parum videbatur, totum erit; porro si potest, et debet in tanta populorum necessitate. *V.* Careno, *Esame* XVII.—Plures deficiunt in ordine rerum, non in ipsis rebus. «El cardenal de Cheverus (✠ 1836) era de parecer que el desórden en emplear el dia ocasiona necesariamente la pérdida, hace que se falte á muchos deberes, é indica un carácter débil, incapaz de domi-

nar las variaciones del gusto y los caprichos del humor. Al contrario, él juzgaba que la vida cristiana es esencialmente una vida regulada; que el buen órden, que preside á todos los momentos del dia, y lo ejecuta todo á su tiempo y lugar es un manantial de paz, de calma y de felicidad para aquellos que son testigos de ello; y una garantía del cumplimiento de todos los deberes. ¡Gran advertencia aun para el que ocupa un lugar distinguido! El órden acorta el camino y arregla todos los negocios.—El mencionado Cardenal se levantó siempre muy de mañana, en el estío á las cuatro, en el invierno á las cuatro y media, para atender á sus ejercicios de piedad en el silencio de la paz, sin alguna turbacion esterior. A las seis celebraba; y despues de haber dado gracias, estudiaba la sagrada Escritura, leyendo todos los dias dos capítulos del antiguo Testamento y dos del nuevo en latin, francés, griego é inglés; á menudo, cuando sus ocupaciones se lo permitian, estudiaba tambien el texto hebreo. Y él atribuia á esta práctica observada fielmente el conocimiento que poseía de la divinas Escrituras. Las mismas materias leidas así en cuatro idiomas se le imprimian profundamente en el espíritu y en el corazon, tanto mas que las estudiaba no por vana curiosidad de saber, sino con aquella disposicion de piedad, de religioso recogimiento y de respeto á la palabra de Dios, que toca el alma, la penetra é imprime en ella la verdad santa. ¡Oh qué fruto para el que hiciese otro tanto, aun en una sola lengua, pero con las notas del P. Scio! Cada dia una piedra y el edificio se levanta y se perfecciona.»

Secundo: quod speciatim pertinet ad asceticam, audiendus Auctor operis *Instruccion para los nuevos Confesores,* qui ait: «es una notable omision del Confesor, sino atiende al estudio de buenos libros, y no se prepara así á satisfacer, consolar y resolver los casos de varios penitentes que se presentan; aun los mas espirituales, los cuales con frecuencia flojos y débiles en la luz interior que los guiaba, acuden al Confesor pidiendo ayuda, consejo, direccion, claridad, que él por la voluntaria ineptitud no sabe dar, ni quiere habilitarse para darla con la lectura de buenos libros de teología moral y mística etc.» Quod magis currit de Confessario communitatum, si velit, ut exulat tepiditas, et succrescentes regularum violationes gravissimis peccatis locum non faciant; sed ut jugiter servetur ordo atque crescat perfectio.—Hic consulendi Bergier, *Dizionario,* ecc. V. *Teologia mistica.*—Scaramelli, *Direttorio ascetico;* it. *mistico.*—Liguori, *Praxis Confessariorum.*—S. Bonaventura, *Iter mentis ad Deum.—Civiltà Catt.* ser. 3.ª, vol. 1: *L'ascetismo e la civiltà.*—Item quæ diximus *de contemplatione.*—Molineri, *Ragioni apologetiche d'insegnamento ecclesiastico.* Torino 1849, pag. 31.

(O) Pag. 442.

Duo maxime sunt quæ bonus Confessarius debet agere, si velit ut pœnitentes rite disponantur, libenter correctiones ac monitiones accipiant ac congrua remedia suscipiant: nempe sese accommodare studeat tum eorum indoli, tum eorum conditioni; pro diverso enim personarum statu, et diversi modi adhibendi sunt.

1. Curare debet, ut sese quoad potest diversæ pœnitentium indoli accom-

modet. Sculptor (audiatur *Stapf*, § 626) ut pulchram statuam efformet, materiæ qualitatem prævie perpectam tenere debet. Item fere de spirituali Directore obtinet. Hinc ut eorum, quos ad christianam perfectionem formaturus est, indolem magis perspiciat, quædam de potissimis temperamentis subjicio. Ex recepto plerumque more distinguitur temperamentum *melancholicum*, *phlegmaticum*, *sanguineum* et *cholericum*. Et quamvis hæc in singulis mixta reperiantur, unum tamen illorum prædominari solet.

Itaque homines *melancholici* suapte indole sunt mente defixi, ruminatores, propriæ opinionis tenaces, proni ad suspiciones et temeraria judicia, taciturni, solitudinis amantes, difficiles ad pandenda cordis secreta, parum grati pro acceptis beneficiis, parci in laudando, lenti ad conferenda in alios obsequia, etc.—Quare ut spiritualis Director vitia huic indoli inhærentia successive resecet, talibus suavem semper, affabilem, sincerum et amore plenum se præbeat; instet ut internas turbas et molestias suas ipsi candide fateantur; abstrahat eos a nimia solitudine, eosque ad convenientes labores, præsertim ad opera et obsequia misericordiæ adigat.

« *Phlegmatici* frigidi sunt, difficillime effervescunt, vel si quid boni cæperunt, ab illo mox iterum desistunt; sunt insuper angusti pectoris, proni ad pavores et diffidentias, immunes quidem ab affectuum improborum vehementia, sed pari modo etiam inertes ad exercitium pietatis.—Horum regimen sat multis difficultatibus subjacet, siquidem somnolenti et socordes quales sunt loco, vix moveri possunt, et naturali suo pondere quantocius iterum opprimuntur. Pessimum est, quod pacem et affectuum suorum malitiam virtuti suæ adscribentes, ad perfectionem parum sibi deesse opinentur; dum vero acriter reprehenduntur, animum abjiciunt et desperant. Unde suaviter quidem, vi tamen non intermissa urgeri debent, ut aliqua saltem pietatis et mortificationis exercitia in usum deducant. Cave tamen, ne igni, ubi gliscere videtur, multa ligna simul imponas; alias enim modica pietatis scintilla penitus extinguetur. Tales igitur excitandi quidem, et novis identidem stimulis urgendi sunt; ita tamen, ut congenitæ illorum inertiæ in rebus saltem non graviter præceptis aliquatenus indulgeas.

« *Sanguinei* generatim leves et inconstantes, animi relaxationibus, deliciis ac vitæ molliori inhiant; faciles sunt ad amorem, ad jungendas amicitias, seque aliorum genio absque difficultate accommodare sciunt; attamen eadem facilitate, ubi amicus recentior se offert, priorem deserunt. Sunt insuper profusi in vanitates, fabulas, res novas; contra a solitudine, ab omni rigore et studio pœnitentiæ summopere abhorrent.—Etiam erga hos Confessarius, ne forte in ipso limine terreantur, sese nequaquam austerum vel difficilem, sed potius benignum et amicabilem gerat; virtutem ipsis tamquam plenam solatii et internæ tranquillitatis, imo superatis initiis, omni expectatione faciliorem depingat. Illorum attentio sæpius dirigatur ad gaudia cœlestia. Tum vero suaviter urgeri debent, ut dimissis vanitatibus, amicitiis et periculosis conversationibus, mores graviores induant. SS. Sacramenta pie frequentent, historias Sanctorum aliosque devotos libros legant; demum inducantur, ut voluntarie a rebus etiam licitis sibi temperent, opera quædam pœnitentiæ obeant, etc.

«*Cholerici* impetuosi sunt, proni ad aggrediendas res magnas; ast magna simul arrogantia et ambitione tenentur; unde se resque suas extollere propriis innixi viribus, aliis contradicere, reliquorum gesta vituperare, et omnis correptionis impatientes esse solent.—Ad hanc indolem feliciter edomandam forti manu magnoque labore opus est: ubi vero disciplina sanctior semel subacta fuit, ad majores in virtute progressus insigniter adaptantur. Quapropter ut horum *interiora* rite disponantur, oportet eos frequenter considerare, et continuo ob oculos habere humilitatem et mansuetudinem Salvatoris Nostri, ut ex tanto exemplo impatientias suas et animi superbientis pruritum compescere enitantur. Si defectum aliquem commiserint, urgendi sunt, ut non sibi irasci, non consternari, non animum deponere; sed semet humiliare, de propriis viribus diffidere, atque ferventibus precibus ad Deum recurrere assuescant. Ad *exteriora* quod attinet, inhibeantur ne extra casum necessitatis de semetipsis umquam sermonem ingerant, vel propriam opinionem mordacius propugnent; discant potius, dimissa in rebus adiaphoris sua sententia, alienæ acquiescere, atque in loquendo æque ac agendo naturæ impetum refrænare. Antequam gravius negotium ordiantur, viri prudentis consilium adhibeant; opera pœnitentiæ iisdem caute, et cum justo semper moderamine concedantur; et generatim Directorem meminisse decet, talibus frænum potius, quam calcar necessarium esse. Quod si reprehendendi videantur, id ne ferventiori zelo fiat, sed mansuete, suaviter et cum debita judicii maturitate, ut moderationem, quæ ipsis toties inculcanda venit, ex ipso quoque magistri exemplo discant.

«Quia tamen hæc temperamentorum genera in pœnitentibus plerumque mixta inveniuntur, Director ita hucusque dictis instet, ut præcipuam semper rationem *qualitatis prædominantis* habeat. Quem in finem sæpe secum revolvat, qualem pœnitens se hucusque exhibuerit, quidquid considerata ipsius indole ad perficiendam ejusdem virtutem præ reliquis opportunum videatur.»

2. Diversimode se gerere debet cum personis diversæ conditionis: de his fuse Liguori in sua celebri *Praxi Conf.*: nos de præcipuis agemus.

Primo quoad pueros curet Confessarius in principio, ut ex seipsis confiteantur peccata, quorum memores sunt; post ipse interroget, sed caute ac gradatim. Si est dubie dispositus (ut si in actu Confessionis non maneret compositus, manibus jocaretur, etc.) tunc absolvatur sub conditione, cum est in periculo mortis, aut in obligatione implendi præceptum paschale. Imo probabiliter plures dicunt, quod puer dubie dispositus semper absolvi potest (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, ne careat diu gratia Sacramenti. Semper autem curandum, ut puer eliciat actuum doloris modo ipsi proprio: v. g. *amasne Deum, qui est Dominus tuus tam magnus et tam bonus qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult; et tu spera, quod propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet te pœnitere: quid dicis? pœnitet te nunc eum offendisse etc.? Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis quod infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti? Deus meus, nunquam amplius volo te offendere etc.* Pœnitentia autem his pueris injungenda levis sit, quantum fie-

ri potest; et curandum, ut quantocius impleatur, alioquin aut eam oblivis-centur aut omittent. Curet etiam Confessarius pueris insinuare devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie Rosarium, et ter *Ave* mane et sero, hanc precem adjungendo: *Mater mea, libera me a peccato mortali.* (Liguori, *Praxis Conf.*, n. 91.)

Hic etiam videatur Opus, *De Confessionibus adolescentulorum excipiendis, auctore Rusconio, Bononiæ* 1818.—Auctor agit 1 de eorum Confessionis integritate curanda, removendo causas ob quas adolescentes peccata reticent, quæ sunt: *negligentia*, videris enim aliquos tibi eam recitare cantilenam, quam a pueritia edocti fuerunt, eaque finita, silere; ideoque tales excitas, ut rem quam agunt, adeo momentosam considerent; *ignorantia*, quam tamen culpabilem esse ipsa vox naturæ judicabit; vox autem naturæ est pudor, trepidatio, tristitia; hinc quære, an talia sine rubore admiserint, an delegerint tenebras, an tristitia et trepidatio successerint, etc.; *malitia*, sunt enim qui reticent, ne corrigantur, ne cogantur occasiones deserere, ne dimittantur inabsoluti; oportet igitur excitare eorum fidem, eos graviter alloqui de Deo, de anima quam perdunt, ut salutariter concutiantur: demum *erubescentia cum metu*, quæ facit ut peccata carnis reticeant: in hisce rebus sit maxima cautela; si enim vobis non quærentibus, plerique sacrilege reticebunt, quærentibus intemperanter, ediscent quod ignorare debuissent. Si adolescens appareat timoratus, ut non sit dubitandum de ejus ingenuitate, ne interrogetur de hisce turpitudinibus; secus utique, sed suggestive et gradatim ac semper caste: incidi non semel, ait, in pueros, qui cum experiri vellent, an actus a Confessariis explicati plurimum afferrent voluptatis, impurissimi facti sunt: de his porro quis reddet rationem apud Deum? Sat igitur sit in primis petere, an quidquam admiserint malitiosum, et turpe de quo puderet, et quod vererentur ne majoribus innotesceret, an cum sodalibus miscentes sermones, aliquid perceperint quod narrare non audeant, an colludentes quid egerint in corpore non verecundum; an sordidis cogitationibus vexari soleant, etc. Si adolescens peccavit in se unum tantum mollitie, censeo non perquirendos modos, quia vel referuntur ad unam speciem, vel sine Sacramenti dedecore et pœnitentis periculo discriminari non possunt: duo quærantur, an agitaret mente turpitudines et desideria cum aliis et cum quibus personis; et an peccatum ad finem usque perduxerit, si tamen puber sit aut valde pubertati proximus: hanc ultimam interrogationem, si non intelligat, clarioribus vocibus non utendum. Si adolescentuli fateantur se mollitie peccasse cum aliis ejusdem sexus, insuper interrogandi, si quid deterius fecerint, cujus illos magis pudeat, quodque videatur eis aliud genus peccati; si negent, consistendum; si affirment, sensim progrediendum. Si impudice peccaverunt cum fœminis, cum confessi fuerint actus mollitiei (de quibus dumtaxat se accusare solent), de cæteris perquam caute interrogandi, num egerint deterius? negantibus, acquiescendum; affirmantibus, num denudaverint corpora, se ad invicem conjunxerint, quid fecerint, in quid peccando desierint? Denique si in venerea effusos perspexeris, erunt de brutalitate etiam interrogandi: an quidquam mali egerint cum belluis? si affirmant, explicent etc. Cæterum motiva prius sunt indicanda ad erubescentiam

vincendam, nempe peccata declarata remitti, et æterno-silentio sepeliri, non declarata nec remitti, sed coram toto mundo esse in ultimo die publicanda, sacrilegia quæ inde sequerentur, etc.

Agit 2 de dolore excitando in quo plerumque adolescentes deficiunt, tum ex *defectu ætatis*, et ideo patienter sic adjuvandi: *scisne, fili, te habere patrem in cœlis? qui est omnium Dominus, qui te amat, te vult beatum facere? et en quem tu offendisti; ipsum qui pro te venit in mundum, passus, crucifixus, etc.*; tum ex *indolis improbitate* et *levitate mentis*, et ideo excitandi per considerationem mali quod patrarunt, pœnæ quam meruerunt, boni quod sancta Confessione consequentur, amoris quo illos diligit Deus; tum ex causa *præsumptionis* vel *desperationis:* in primo casu terrendi, in secundo confortandi; tum ex *habituali indevotione*, unde fit ut pietatis opera fastidiant; a qua sunt amovendi, et ideo jubeantur preces, breviores tamen, crebri divini amoris effectus, templi visitatio, Missæ quotidiana auditio, levis abstinentia in Virginis honorem, Eucharistiæ frequens susceptio, lectio perbrevis libri devoti, etc. — Agit 3 de occasionibus proximis auferendis, de otio fugiendo, de tentationibus superandis, de remediis suggerendis, virtutibus promovendis, satisfactionibus injungendis; in quibus omnibus Confessarius debet se accommodari ætati, propensioni, indoli, conditionibus ac necessitatibus adolescentulorum. Ubi notanda: 1 non expedire ut ipsi dimittantur si indispositi, sed præstat omni studio curare ut disponantur in præsens; quod si bene id non obtinuerit, opportunis datis præceptis, ac confortatis, in propinquiorem diem remittantur; 2 cautius, brevius sunt interrogandæ puellæ, quæ cum non possint audire nisi ad crates, atque ideo nequeat dignoscere Confessarius in qua ætate sint, præstat ut prius de hac interrogentur, ne contingat, ut peccata edoceantur, quæ sunt a peccatis amovendæ.

Quod pueros hæc etiam habet Lhomond, *Método per confessare i fanciulli:* «Conviene hacerles pronunciar puntualmente las fórmulas que preceden la acusacion sacramental. En nombre del Padre etc. Bendecidme, Padre. Yo pecador me confieso á Dios etc. El mejor partido á este propósito es que el Confesor diga al niño: *haz como yo,* y él sea el primero en hacer estos actos. Si el niño se ha confesado otras veces, se le pregunta si ha cumplido la penitencia impuesta, y despues se añade: hijo mio, dí tus pecados, dilos todos y Dios que es bueno te los perdonará. Luego, mientras se esplica por sí mismo, conviene escucharlo y contentarse con hacerle aclarar por cada pecado, cuantas veces á poca diferencia lo ha cometido cada dia, cada semana ó cada mes. Si el niño duda, anímesele diciéndole: *¿quieres que te ayude?* Conviene examinarlo especialmente sobre los preceptos de Dios y de la Iglesia: *¿los sabes?* y mientras los va recitando: *¿has omitido las oraciones de mañana ó tarde?* si responde que sí, incítesele á proferir ésta acusacion: *Padre, me acuso de haber descuidado las oraciones tantas veces.....* Y así si prosigue sobre los otros mandamientos. Importa hacerle repetir la fórmula: *Padre, me acuso...* para acostumbrarle á acusarse por sí mismo; lo que hará pronto, si se le hace repetir cada acusacion en particular. Acabada la confesion mándesele concluir la *Confesion,* diciéndola el Confesor con él, si el penitente no la sabe muy bien.

«Es ventajoso que el Confesor en sus exhortaciones use el estilo interrogativo, diciendo por ejemplo: hijo ¿quién te ha criado? Dios. ¿Porqué te ha criado? Y despues de la respuesta se continue: Ya ves, hijo, que solo eres al mundo para servir á Dios. ¿Pero has servido á este buen Dios cuando decias mentiras, cuando desobedecias? Dejadle responder á cada pregunta, y luego añádase: Para alcanzar la vida eterna es necesario servir á Dios; el que no le sirve va al infierno. Ea pues: ¿tú ya no quieres dejar mas las oraciones? ¿no dirás mas mentiras? Trás esto impongásele una ligera penitencia, los tres actos de fe, esperanza y caridad, que se encuentran en el catecismo, y tres padre nuestro. Se le manda decir el acto de contricion, cuidando que lo diga bien, y se le da la bendicion pronunciando sobre sí las palabras *Indulgentiam* etc. (algunos Rituales traen una fórmula particular de bendicion para los niños que no se hallan en estado de ser absueltos). El Confesor instruya con frecuencia á los niños sobre los tres misterios de la Santísima Trinidad, Encarnacion y Redencion, si teme que no los sepan. Los habitue á hacer frecuentes actos de fe, esperanza y caridad; les diga donde los hallarán en el catecismo, é impongáselos alguna que otra vez por penitencia. Para preservarles del pecado mortal, y sobre todo de malos hábitos, conviene inculcarles, que no vayan con los malos, preguntarles si los compañeros que tienen son buenos, modestos en los juegos, si hacen alguna cosa que no quieren que no sea vista, exhortarles á que por su parte sean de buenas costumbres, que se guarden de todo acto que les disgustare el que otros lo viesen. Para inspirarles la piedad conviene hablarles con efusion del corazon sobre la bondad de Dios, diciendo por ejemplo: Nuestro buen Dios te ama; ¿lo dudas tal vez? ¿Quién es el que te ha criado? ¿Quién es el que te proporciona todos los dias lo necesario para el sustento? Cuando se preguntan sobre el misterio de la Encarnacion se dirá: Por ti el Hijo de Dios se hizo hombre, por ti murió en cruz. ¡Cuánto te ama! ¿Y tú no querrás amarle con todo el corazon? pues bien; por la mañana luego que te dispiertes haz la señal de la cruz, y dí: Dios mio, os doy mi corazon, y os pido la bendicion por todo este dia.»—Et quoad interrogationes circa luxuriam: «Yo me contento con preguntar á un niño si ha observado exactamente la modestia, si los compañeros que tiene son prudentes, les recomiendo mucho la decencia en sus juegos y en todo lugar. A lo mas preguntaria á un niño si ha tenido malos pensamientos. Si me responde que sí, me guardaré cautamente de especificárselos: pero le preguntaré: ¿y qué pensabas, hijo? Si me responde, que pensaba vengarse ó hacer algun desprecio de sus compañeros, me contentaré con esto. Si se tantea por otra parte, mas bien se pierde que se gana.» *(V. Append.* in fine voluminis quoad præcipuas interrogationes).

Ad rem etiam faciunt quæ habet *Specchio del clero:* «Los mas de los niños no saben lo que es pecado, ó por lo menos tienen de él nociones falsas é incompletas. Tendrán por pecado mortal faltas ligerísimas, frioleras, y entretanto no harán el menor caso de faltas verdaderamente graves. Los padres, y con frecuencia los mismos catequistas, dan orígen á estos errores, diciéndoles sin restricion, que los niños desobedientes, mentirosos, etc. irán al infierno; el jurar es un gran pecado, etc. El Confesor debe ser solícito en rec-

tificar estas ideas, instruyendo á los niños de un modo acomodado á su entendimiento, 1.° que es pecado; 2.° que no todos los pecados merecen el infierno: para esto podrá servirse de la acusacion que ellos hacen; si un niño por ejemplo, se confiesa de haber dicho una mentira, de haber desobedecido, de haber arrojado una piedra al perro del vecino, el Confesor cuando le haya dicho que es malo el mentir, y el desobedecer á los padres, le preguntará porqué arrojó la piedra al perro, advirtiéndole que puede suceder que no haya pecado en esto. Para ayudarle á decir el motivo que le movió á aquella accion, podrá añadir: ¿No quieres bien á tu vecino...? ¿Por ventura ha causado algun daño á ti ó á tu familia? ¿Tal vez arrojaste aquella piedra por estar resentido de él ó de sus hijos? ¿Y con esto tú has sido ocasion de que ellos dijesen contra ti malas palabras, blasfemias ú otras cosas? etc. Si halla que haya habido alguno de estos motivos, le manifestará como él ha obrado por ódio ó venganza, y le avisará que esto es lo que mas desagrada á Dios, y que en adelante al hacer el exámen debe tener cuidado en buscar el porqué ha hecho lo que él piensa ser malo, y declararlo en la Confesion. Las mismas preguntas podrá hacerle respeto á las mentiras y desobediencias de que se ha acusado; y descubrirá que tal vez provienen del mal ánimo hácia sus hermanos, porque cree que son mas amados que él; tal vez por amor al juego á que es aficionado; muchas veces por el poco respeto que tiene á sus padres.»

Secundo quoad carcere detentum: Istruzione ai novelli Confessori: 1 «Procure ganarle para Dios, principalmente si fuese un hombre facineroso y de espíritu indócil, y como sucede frecuentemente mal cristiano. Y si aun no se le hubiesen tomado del todo las declaraciones, adviértale, que por la esperanza de salir libre, ó por temor de que no se descubra su delito, no calle cosa alguna en la Confesion. Antes de empezar la Confesion insista en persuadir al reo la grandísima obligacion del sigilo, y si conviene, esplíquese largamente sobre este punto; 2 evite el hablar, tanto antes como despues de la Confesion, con los jueces ó ministros criminales, para no dar sospecha, bien que mal fundada, de que habla de Confesion, cuyo mal pensamiento fácilmente puede venir á una persona grosera. 3. Si el reo en el acto de confesarse quisiere hablar de su supuesta innocencia, disuádale diestramente, é incítele á decir sus pecados, los cuales solamente pertenecen á la Confesion; y mas bien prométale escucharle sobre esto despues, si quiere; mas no se encargue de tratar con los jueces, si la caridad unida con la prudencia no lo exigiese, etc.» 4 item studeat ut odia deponat, blasphemias vitet, quoad potest, otium fugiat, oret, et omnia pro peccatis patienter sustineat. Cætera vid. de Obligationibus, ubi *de accusatore, reo, judice ac testibus.* Quomodo autem dirigendi capite damnati, vid. Liguori, *Praxis Confessarii,* ubi plurima ad rem, et egregie pro more suo docet sanctissimus et doctissimus Moralista.

Tertio quoad adolescentes statum electuros. Monet Alphonsus noster in *Praxi* etc. n. 90: «non audeat Confessarius statum eligendum adolescenti determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari: quod ut facilius consequatur, tria ei suggerat, orationis frequentiam, finis rectitudinem, et consilii petitionem. Cæterum maxime circa tria quæstio instituipotest; nempe circa statum

matrimonialem, religiosum et ecclesiasticum. Quoad 1, hunc statum suadeat illis, qui sunt incontinentes et nolunt remedia adhibere ad se continendum; illis autem prohibeat qui vellent nubere cum dedecore familiæ: cætera *de matrimonio*. Quoad 2, vid. *de obligationibus*, *de obligatione filiorum*, ubi dictum est: si finis sit bonus, Religio disciplinata, adolescens aptus, nec obstet legitimum impedimentum, Confessarius sine gravi culpa non potest dissuadere qui vult fieri religiosus; etsi prudenter agat aliquando, si executionem differat ad melius experiendum, an resolutio sit firma; præsertim si noverit adolescentem esse volubilem, aut si ejus deliberatio sit facta tempore Exercitiorum, nam in his occasionibus quædam concipiuntur proposita, quæ postmodum, primo fervore transacto, deficiunt. Quoad 3, hæc iterum habet S. Alphonsus: si aliquis adolescens vellet suscipere statum Presbyteri sæcularis, non sit facilis Confessarius ad annuendum, sine longa et probata experientia recti finis et scientiæ vel sufficientis capacitatis. Sacerdotes quidem sæculares habent eamdem, imo majorem obligationem quam religiosi: et contra remanent in eisdem sæculi periculis. Unde ut quis bonus evadat Sacerdos in sæculo (in quo raro, ne dicam rarissime, boni inveniuntur) oportet, quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab *otio*, a *pravis sociis* et *deditam orationi* et *Sacramentorum frequentiæ* (sed quis est hic, et laudabimus?); alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis, præsertim si hoc faciat, ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere.» Hic vid. quæ diximus *de obligationib.* tum *de Parochis*, n. 4, q. 5; tum *de obligat. Clericorum inferiorum*, q. 4. Item *de Ordine*, ubi *de requisitis ad Ordinationem*.

Quarto quoad mulieres vult Liguori (*Praxis Conf.* n. 119), ut Confessarius summe cautus sit, ac cum junioribus potius rigidus quam suavis: in Confessione non ostendat eas agnoscere; aliquæ enim, quæ religiosæ haberi volunt, aliquando advertentes, se cognosci a Confessario, non faciunt Confessionem integram. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum e Confessario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Item caveat toto cœlo ab omni periculosa comitate cum illis, atque ideo ne utatur locutionibus nimiæ familiaritatis, uti esset adhibere pronomen *tu*, quod merito Novariensis Episcopus prohibuit (*Lit. ad Clerum*, ut videre est in Kalend. 1852). Item, ait Gaume: «Jamás debes usar alguna espresion que esprese ternura, y mientras sin peligro puedes decir *caro hijo* á un jóven, por prudencia debes abstenerte de decir *cara hija* á las personas de diverso sexo.» Item advertat quod ait S. C. Ep. 21 junii 1620: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram* (cuando haya necesidad como por ejemplo en tiempo pascual ó de misiones, deben encenderse las lámparas para que la Iglesia esté bien clara: ita Careno ex Conc. Prov. I et VI). «Deinde (addit S. Alphonsus) Confessarius non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset: oh! qualis miseria est cernere tot Confessarios, qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *beatas* et cum postea vident ad se accedere homines aut fœminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis et molestiis, qui ægre domos et negotia sua

relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo: *Habeo aliud quod agam; ite ad alios.* Unde fit ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis et sine Deo. Hoc non est audire Confessiones, ut Deo placeamus; sed potius ut genio serviamus. Quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri Confessarii illi, qui hoc modo suum ministerium exercent.»

Tria adhuc notamus cum Sancto nostro: 1 Confessarius non sit facilis permittere puellis, ut capillos præcidant, et aliquem induant habitum religiosum; sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in virtutibus fixius defigantur, ne contingat, ut postea habitum dimittentes nuptias ineant cum scandalo loci et malo exemplo aliarum; 2 ne iis indulgeat ut a viris doceantur legere et tanto minus scribere: quot puellæ simplices, quia sic didicerunt legere, animæ jacturam luxere! hæc si non proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa; 3 ne concedat fœminis juvenibus, ut vagent, Ecclesias visitando, neque ut in Ecclesia morentur plusquam est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eos moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo.

Quinto quoad conjugatos. Experientia constat multos conjugatos peccata in usu conjugii admissa non declarare, nisi interrogentur. Confessarius autem eos sic interrogare potest circa ea, quæ inter conjuges permittuntur: *Habesne aliquid contra conscientiam tuam?* Si dicat se nihil habere, et satis instructus ac timoratus appareat, non necesse erit ulterius progredi. Si vero sit rudis, aut sinceritas ejus suspecta videatur, insistere debet Confessarius; inquiret an debitum comparti suæ denegaverit: si has voces non intelligeret, discere posset Confessarius: *denegastine actum, quod fit ad prolem habendam?* Si respondeat se denegasse, sciendum est ob quam rationem: et tunc judicabitur ex dictis, an peccatum sit mortale, veniale, vel nullum. Generatim exquiret, an alia fecerit inhonesta contra sanctitatem matrimonii: si pœnitens fateatur se aliquid fecisse, expedit ut ipse dicat quid fecerit, ne forte doceatur quod ignorat; nec statim ac leviter arguendus erit de peccato mortali. Et S. Alphonsus ait: interrogentur uxores, an viros debito matrimoniali defraudaverint; plerumque de hoc interrogandæ; quia sæpe ob hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observant sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrænati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utatur, v. g.: *Es obediens tuo viro etiam in rebus ad matrimonium spectantibus? aut habes forsan aliquem scrupulum qui te mordet circa matrimonium?* sed hæc interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus quæ vitam spiritualem profitentur. *Praxis Ligoriana*, et *Ho. Apost.* tract. ult. n. 22. — It vid. *De matrimonio,* ubi *De debito conjugali.*

Sexto quoad devotos. Confessarius ducat pœnitentes ad perfectionem per gradus et ordinate, ut prius nempe discant operari recta intentione, et actiones ordinarias rite peragere, quam alta meditentur; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati æquo animo, quam de adversis velint gaudere. Et maxime id insinuet, veram perfectionem non tam sitam esse in multis operibus, quæ sint supererogationis, quam in rite

peragendo opera ordinaria, et quæ sunt status proprii, id est ut bene orent: refectionem quo par est, sumant; charitatem habeant, et studiose adimpleant quæ sunt propriæ conditionis. Postea gradum faciat ad cætera, quæ sunt uti ex S. Alphonso notat Gousset: «1 poner toda la confianza en Dios y desconfiar absolutamente de sí; no inquietarse despues de haber faltado, humillarse pronto, recorriendo á Dios con un acto de contricion y de propósito firme; despues conviene tranquilizarse; 2 evitar cualquiera pecado con propósito deliberado; desprenderse mas y mas de los bienes del mundo, de los placeres aun lícitos; huir las cosas inútiles, y la familiaridad con las personas de diverso sexo, aun cuando sean verdaderamente piadosas; 3 gozar interiormente, ó á lo menos resignarse perfectamente cuando se es despreciado; 4 obedecer á las reglas, á los superiores, á su director espiritual con prontitud, puntualidad y de buena gana: 5 pensar constantemente en la presencia de Dios, y referirlo todo á él: 6 tener una devocion particular á S. José, al Angel custodio y principalmente á la santísimia Vírgen: es moralmente imposible, dice S. Alfonso, que una alma adelante mucho en la perfeccion sin una devocion tierna y especial á la Madre de Dios: 7 hacer en cuanto sea posible un dia de retiro cada mes, y un retiro de varios dias cada año. A estos medios añádase la oracion mental, la mortificacion y la frecuencia de Sacramentos: sin estos últimos medios, los primeros no son eficaces, ni duran mucho tiempo.»

1. *Oratio mentalis:* ab initio non plusquam mediæ horæ spatium assignet: crescente vero spiritu, plus minusve augebit. Notet Confessarius, quod initio quo se anima tradit vitæ spirituali, solet Deus illam allicere spiritualibus quibusdam luminibus, lacrymis et aliis sensibilibus consolationibus; sed elapso aliquo tempore, solet intercidere hanc venam, ut eorum probet fidelitatem, et eas ad majorem perfectionem attollat. Invigilet igitur Confessarius ad tales confortandas animas, ne orationem ideo omittant aut Communiones. Quoad cætera vid. *De virtute Religionis,* ubi *de meditat. et contemplatione.*

2. *Mortificatio:* absolute asserere, ait S. Alphonsus, mortificationes externas nil aut parum prodesse, maximus error est. Director tamen curet, ut sit modus in illis concedendis, maxime in primo devotionis actu; generatim non concedat, nisi requisitus; et concedat minus quam postulatur. Cæterum, ut bene ait Gousset cum S. Alphonso: «las mortificaciones mas útiles y menos peligrosas son las mortificaciones *negativas* ó *privativas*. La misma obediencia ordinariamente hablando, no es necesaria para ejercitarlas. He aquí algunas: abstenerse de ver ó escuchar cosas curiosas, hablar poco, contentarse con las viandas que no son de nuestro gusto, ó mal aderezadas, apartarse del fuego en invierno, escoger las cosas mas viles, alegrarse cuando falta alguna cosa aunque necesaria: en esto consiste la virtud de la pobreza, segun aquel dicho de S. Bernardo: *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor paupertatis.* No lamentarse de las incomodidades de la estacion, de los desprecios, contradicciones, persecuciones, penas ó enfermedades. Es una locura, dice santa Teresa, creer que Dios admita en su amistad á las personas amantes de sus comodidades.» *V.* Tract. *de restitutione,* ubi *de suicidio.*

3. *Sacramentorum frequentia:* quod spectat ad Confessionem, expedit ut devoti generaliter de suis peccatis confiteantur, si tamen adhuc id non fecerint, nec agatur de scrupulosis; quoad Confessionem vero ordinariam, quædam anima delicatioris conscientiæ consuevere quotidie confiteri; sed generatim sufficit personis spiritualibus, præsertim scrupulosis, semel aut ad summum bis confiteri in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis aliqua gravaretur culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi, dicunt innixi D. Ambrosio et Salesio (in quadam epistola), quod non ideo omittere debet Communionem; nam ex Tridentino ad remissionem venialium sunt alia quoque media, ut est actus contritionis et amoris. Et sapiens quidam Director dicebat, quod aliquando longe est fructuosius pro quibusdam timoratis se disponere ad Communionem suis actibus, quam cum ipsa Confessione; et multoties evenit quod tunc anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiæ et humilitatis. Quoad cætera vid. *De Eucharistia,* ubi de Communione frequenti; et *de Virtute Religionis*, ubi de devotione.

Tandem quoad devotionem nonnullarum personarum faciunt ea verba Salvatore in sua *Instructione* (§ 15, part. 1): «La devocion, segun la doctrina de Sto. Tomás y de todos los Padres y Teólogos, no es otra cosa que un ánimo pronto y deseoso de hacer lo que agrada á Dios; y ninguna cosa es tan segura de agradar á Dios, y ninguna lleva una señal tan marcada de la divina voluntad, como el cumplimiento de la ley divina y de los deberes y cargos del propio estado. ¿Y quién no sabe que entre las cargas y deberes de las esposas el mas principal es el soportar los fastidios y molestias del marido y de los hijos? Vosotras estais contentas cuando lograis estar muchas horas en la Iglesia; y quizás las mas de las veces charlando con las amigas, y aun, lo que es peor, murmurando de esta y de aquella, y no teneis escrúpulo de haber abandonado la familia contra vuestro deber. Os parece haber llegado á la cima de la perfeccion con cuatro suspiros hácia el cielo, con cuatro lágrimas, con cuatro golpes de pecho, etc. Si ambicionais ser verdaderamente devotas (y esto seria una ambicion santa), reflexionad lo que padeció Jesus y acordaos de la extrema pobreza en que quiso nacer, vivir, y morir; pensad en los desprecios que sufrió, en las injurias, villanías, calumnias, azotes, etc., etc., y luego decid: ¿se pueden comparar las injurias que yo recibo de mi marido, las charlas de las vecinas, las molestias de los hijos, con las calumnias, los azotes, las espinas, los clavos y la cruz de Jesucristo? ¿puedo yo pecadora ponerme en comparacion con mi Dios crucificado por mí? Y con todo, Cristo para entrar en el cielo tuvo que pasar por una vida de trabajos; ¿y yo pretenderé entrar en él por una vida de comodidades y á mi gusto? Con estos sentimientos animaos á padecer y sufrir las cargas de vuestro estado. Si así lo hiciereis, estad persuadidas que seréis mas devotas que aquellas beatas, que se vanaglorian de haber asistido á cuatro ó cinco misas en una mañana, de haber comulgado tres ó cuatro veces en una semana, y despues, Dios nos libre que les toquen un cabello, que les digan una palabra picante, ó que las desprecien. ¡Pobrecitas! ¡cuán engañadas van! devotas sí, lo son, pero no de Dios; lo son del capricho, de la soberbia y del demonio.»

Absit tamen, ut talia nos proferentes iis subscribamus (vel forte etiam ecclesiasticis) qui pasim et publice devotionem, devotas, ac devotarum directores mordent; quia in personis spiritualibus aliquid semper humani est. Vident festucam in oculo fratris sui, et trabem in oculo suo non vident; si adeo flagrant zelo animarum, cur toti sunt in otiando, in detrahendo, aliorumque defectus per plateas et in circulis propalando, augendo? studeant potius genuinam devotionem edocere verbo, exemplo et opere. Cæterum caveamus omnes qui ecclesiastico ministerio mancipati sumus, ne mundus de nobis illud proferat (Galat. 5.) *quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.*

(P) Pag. 447.

«Es cosa inaudita *(dice S. Juan Climaco mil doscientos años ha)*, que los pecados acusados en el tribunal de la penitencia hayan sido revelados. Así lo dispone Dios, para que los pecadores no se aparten de la confesion, ni queden privados de la única esperanza de salvacion que les queda. Los doce siglos posteriores á S. Juan Climaco han confirmado la verdad de sus palabras con los hechos. Por desgracia se ha visto á muchos Sacerdotes católicos olvidar la santidad de su estado, marcharse con gravísimos escándalos, rebelarse contra la Iglesia, apostatar de la fe; pero no puede citarse uno solo, que haya violado el sigilo sacramental. Los mismos Lutero, Zwinglio, Carlostadio, Ecolampadio, que confesaron antes de abolir la confesion y de combatir su práctica perpetua en la Iglesia Romana, ¿podrian ser convencidos de una sola de tales revelaciones? Ni siquiera el delirio mental, que se declara en algunas enfermedades, y la locura que suelen hacer revelar tantos secretos, se ha oido á decir jamás que hayan ocasionado alguna de estas revelaciones. ¡Gran prueba de la vigilancia de la divina Providencia sobre su obra!» Ita *Amico Cattolico*, vol. VI, pag. 296.

«Las legislaciones civiles confirmaron regularmente con su silencio esta sagrada é imprescriptible norma eclesiástica. Solo forman una escandalosa escepcion los códigos ó reglamentos de Prusia, Hannover, Sajonia y Hesse electoral, imponiendo una denuncia al Confesor, dirigida principalmente en el caso de peligro público, ó de impedir un delito. (*V.* Parmemder, *Kirchenrecht*, t. II, pag. 212 et 213, nota 45). Desvío singular, que no podria aplicarse, sino se supiese que los protestantes y algunos católicos indignos de este nombre quieren á la Iglesia y sus instituciones sujetas á los intereses del Estado.» Ita Nardi, *Elementi di diritto eccles.* § 352.—Hasta algunos protestantes han hecho justicia en este asunto; en 1813 en los Estados-Unidos de América ante un tribunal protestante se agitó esta causa: habian sido hurtados algunos objetos, los cuales fueron restituidos á su dueño por el Párroco católico el Sr. Kohlman: la autoridad civil, informada del suceso, llama á juicio al párroco obligándole á denunciar á los culpables. El párroco declara con nobleza y firmeza que si en cualidad de ciudadano está pronto á declarar lo que interesa al órden público, como á depositario de los secretos de las conciencias nada puede decir: una revelacion de este género acarrearia el

ódio y la aversion sobre su ministerio, y la mancha de la traicion sobre su deber. El abogado general sostiene que está obligado, porque la seguridad pública lo requiere; pero el abogado defensor protestante niega tal obligacion; por último, el jurado tambien protestante pronuncia el fallo: el párroco no está obligado en modo alguno á tal revelacion, porque (dice) querer escudriñar la conciencia de un sacerdote depositario de las confianzas de sus penitentes, seria lo mismo que privar á los católicos de sus Sacramentos.» *Chronique Religieuse*, t. I.

Sed præ cæteris audiendus Guillois, *Le dogme de la Confession*, Paris 1850: «Y aun cuando despues de tantos siglos el secreto de la Confesion hubiese sido una que otra vez violado, ¿qué consecuencia se podria deducir de esto? ¿qué prueba contra un gran número de buenos ciudadanos un delito aislado? Desde que Jesucristo elevó la Confesion á la dignidad de Sacramento, se cuentan á millones los confesores; pues bien: sobre este número inmenso, si dos ó tres hubiesen violado el silencio, ¿qué se quiere deducir de ello? tú podrás decir: yo tengo todo el derecho de creer que cualquiera que sea el ministro á cuyos piés me echo, ¿abusará de la confianza que pongo en él? ¿este razonamiento es conforme á la lógica? ¿qué se diria del que discurriese así? hay médicos ignorantes y pérfidos, luego cualquier médico, al cual me dirija, me hará traicion: hay abogados de mala fe, luego yo no debo fiarme de ninguno de ellos: hay magistrados venales, sin integridad, luego yo no puedo sin ser tachado de imprudente recorrer á algun magistrado. Tal seria nuestro caso.

«Pero no, no se citará uno solo, que en este punto haya propiamente faltado á su deber: por lo que con energía y verdad el abate Bonnevie se dirigia á los pretendidos espíritus fuertes, diciéndoles: rabiosos pregoneros, abrid los archivos de vuestras calumnias, mostrad las colecciones de vuestras anécdotas, manosead el pantano de vuestro libertinaje, nosotros os desafiamos á citar un solo ejemplo de infidelidad á esta gran ley del silencio; este silencio ha sido respetado por los vuestros, ¡oh impíos! De S. Ambrosio, cuenta Paolino en su vida (c. 10), que solia derramar muchas lágrimas al oir las confesiones, esforzando á los penitentes á llorar con él; pero conservaba un profundo silencio acerca lo que con ellos habia pasado: *causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur*. La conducta de S. Ambroso es la de todos los sacerdotes que han ejercitado y ejercitan el ministerio de la Confesion.

«El abate Houlbert, párroco irreprensible y celoso, fué encarcelado por no haber querido firmar la constitucion civil del Clero; no se desmayó; pero el temor de la muerte, con que se le amenazaba á cada instante, hace tal impresion en su espíritu, que se vuelve loco. Fué conducido al hospital de Mans donde murió sobre el año 1830: un dia fueron á verle algunos jóvenes, los cuales despues de haber conversado con él sobre diversos objetos, diestramente pasaron en hablar de la Confesion: V. ha confesado en otro tiempo, díganos pues alguna cosa de lo que oyó. Al instante el abate se pone furioso: Vdes. son unos impíos, responde, Vdes. son infames: ¿venir á preguntarme sobre la Confesion? jamás se habla de esto: retírense Vdes. Y fué

preciso que se retirasen, tan grande era la furia, que le asaltó. Otro dia fué á visitarle uno de sus antiguos penitentes: ¿No me conoce V.? le preguntó: yo me confesaba con V..... Desgraciado, gritó luego, salga V. de aquí, V. me habla de Confesion: no, no, jamás es permitido hablar de esto: salga, salga V.

«Y lo mas maravilloso es, que en la famosa revolucion, en la que se presenciaron tantos delitos, jamás se oyó que un sacerdote apóstata revelase el secreto de la penitencia. Benardière, antiguo párroco de Evron, no solamente renunció á su estado, sino que entregado á la borrachera, á las deshonestidades y á las comilonas, llevaba una vida de demonio; palabras las mas impías, blasfemias las mas execrandas salian de su boca; pero apenas se hablaba de Confesion, se apoderaba de él un profundo silencio, quedando pensativo y triste. Un dia que sus compañeros de crápulas le vieron embriagado, le instaron de varios modos á que refiriese alguna cosa de las muchas confesiones que habia oido cuando era sacerdote; pero no fué posible arrancarle una sola palabra, al momento se marchó encendido de cólera, y tartamudeando entre sí iba repitiendo: no son estas cosas para decirse. ¿Y no es esto prodigioso? ¿no hay aquí el dedo de Dios? — Hasta el dia de hoy la historia solo menciona tres hombres, que han tenido que escoger entre la revelacion del secreto y la muerte; pues bien, ¿que han escogido? la muerte. El primero es S. Juan Nepomuceno, martirizado en 1383; el segundo el P. Garnet, que los mismos protestantes llaman el grande Jesuita, muerto en 1606, porque no quiso descubrir una conjuracion violando el secreto de la Confesion: el tercero Juan Sarcander párroco en la diócesis de Olmutz, á quien mataron en 1620 principalmente por su constancia en mantener el secreto de la Confesion Sacramental.

(Q) Pag. 455.

Ad Theologiam mysticam quod attinet (cui quidem Director animarum studere debet) notatu digna sunt hæc verba *vener. Luis de la Puente:* «la piedad y la grandeza de la Teología mística se funda en la rigorosa verdad de la Teologia escolástica: citaré solamente al angélico Doctor Sto. Tomás, porque él solo vale por diez mil testimonios, y su doctrina es cierta, segura y muy perfecta, y con la verdad de la Teología escolástica escribe muchos pensamientos y pareceres propios de la mística; porque ambas son hermanas y en las dos fué eminente este Sto. Doctor» *(Meditazioni, p.* 1ª *introduz).*

Quæres: *quid de collationibus spiritualibus* (vulgo *conferencias), quæ haberi solent cum pœnitentibus extra Confessionem ab animarum Directoribus?* — R. Res adeo periculosa est, si habeantur cum mulieribus, ut generatim loquendo auctores id non audiant approbare; cum familiaritatem plus æquo foveant, et familiaritas grande periculum. Et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæsionis. Dicebat ven. P. Sertorius Caputus, diabolum ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio uti prætextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam. — Et Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Eccles.* c. 15, a. 5, ad

rem habet: « Como si no fuese bastante peligrosa la sola Confesion de las mujeres, algunos confesores creen merecer el nombre de escelentes directores y figurar como hombres espirituales, añadiendo las conferencias. No temen en admitir á pláticas particulares en las propias habitaciones á ciertas devotas, que pronto atraen sobre sí mismas y sobre el confesor el dictado de ridículo y se hacen sospechosos á los ojos de todos. No conocen cuan perniciosa y reprobable sea esta práctica. Bajo pretesto de cultivar el espíritu, lo disipan ó á lo menos lo relajan. La ternura que así cultivan y que parece espiritual, bien pronto se hace carnal: *Sæpe videtur esse charitas, et est magis carnalitas (De Imit. Christi* lib. I, c. 15). El amor de Jesucristo se apaga á proporcion que se fomenta el amor del Confesor. Se falsifica la devocion precisamente cuando se pretende perfeccionarla. Si aun pareciese no haber peligro por parte del Confesor, lo habrá fácilmente por parte de los penitentes: sobre este particular es demasiado sabida la debilidad de las mujeres. Digamos, pues, que tales personas son falsas devotas y malos directores. De S. Felipe Neri se lee, que no hablaba de buena gana de cosas espirituales con los espirituales. S. Agustin y S. Buenaventura deploran varios casos sucedidos en sus respectivos tiempos entre personas espirituales, que habiendo empezado á tratarse y amarse en el espíritu no acabaron con el espíritu. Estas conferencias pueden llamarse mas bien familiaridades peligrosas. Se puede dirigir muy bien un alma, sin entrar en discursos privados fuera de los tribunales de penitencia, donde Dios asiste y se comunica mas fácilmente. La máxima de los Santos y de los Sacerdotes prudentes siempre ha sido la de no dar oidos á los penitentes sino en los confesonarios.» Vid. etiam Abrate, *Lo spirito del Parroco*, v. IV, tit. 36.

Imo in ipsa Confessione sit brevis et rigidus sermo cum mulieribus: *lubricum negotium cum fœminis* (inquit Bussæus) *longiora miscere colloquia cum ingenti periculo, vix minimum lucri. Ne fidat, ne fidat mulieris ingenio; cunctorum enim una malorum fœmina principium. Dum venereas culpas et fœminarum Confessiones audit, a quibus periculum, commendet se Deo, B. Virgini, tutelari Angelo, castisque angelicis cogitationibus imbecillem animum muniat. (V.* Istruzione pe' novelli Confessori, p. 1, nn. 122 et 326) —Et Abrate: «el confesonario, que es aquel augusto tribunal donde se administra la justicia divina, por cierto no debe servir para otro fin, que para la espiacion de los delitos y para la seguridad de la vida eterna, y no para las conversaciones y charlas, ni para los consejos domésticos ó cualesquiera otro negocio terreno; por esto procura que la confesion sea lo mas breve que sea posible, empleando en ella siempre palabras graves y llenas de santa uncion, evitando escrupulosamente todo sonido de voz que huela á dulzura, y todo trato que indique una familiaridad muy peligrosa: aquí la serpiente envidiosa esconde sus lazos para coger, aquí con hablar mucho se confunden fácilmente las ideas, y se pervierten los afectos: *persæpe amorem sanctum sequitur non sancta dilectio* (S. Hieron. in cap. 2, Ep. ad Tit.); y aun los Confesores y penitentes fuera de sí llegan á mudar la misma gracia en daño propio: *Dei gratiam transferentes in luxuriam.*» (Ep. cath. b. Judæ 4.)

Diximus *generatim loquendo;* non enim negamus hanc regulam habere posse suam exceptionem, cum nempe mulier consilio ac directione indiget, nec possit adire confessionale; et hoc maxime si res sit cum Monialibus, quibuscum cautelæ majores esse solent. Hoc commendat S. Theresia; et S. Franciscus Salesius plures devotas etiam litteris in via perfectionis optime dirigebat. Qua tamen in re hæc observentur: 1 ut litteræ non mittantur nisi ad responsionem, et quando aliter suppleri omnino non potest; 2 ut illæ graves omnino sint et paucis conceptæ verbis; 3 ut supponantur illas esse ab Episcopo, imo et a publico legendas; et revera vix ac ne vix quidem hac de re secretum servatur: de amica in amicam ad omnes pervenit notitia litterarum a Confessario ad talem devotam missarum; hic evenit quod de aqua pluviali, quæ de una in aliam tegulam cadens decidit in canalem, de canali in terram, de terra venit in plateam. Concludamus cum B. Leonardo, qui hoc sibi proposuerat: «No trataré con mujeres, sino por obediencia y suma necesidad, ó para ayudarlas á salvar el alma, y aun esto con gran cautela; no miraré su rostro, á lo menos atentamente: y tratando con personas de distincion, procuraré distraerme, teniendo algun buen pensamiento, como cuando se trata con personas apestadas, ó que pueden apestar, se tiene en la mano algun perfume, y volviendo los ojos á otra parte haré de manera que no cause admiracion. A este fin jamás visitaré á las personas espirituales sino en ocasion de grave enfermedad; y en tiempo de mision no se permitirá á las mujeres entrar en nuestros aposentos, ni se hablará con alguna de ellas fuera del confesonario, sino en algun caso inevitable, y aun entonces, en lugar público y patente.» Hac in re nulla cautela satis, ne aliis scandalum inferamus, nobis ruinam; principiis obstemus, ne sero medicina paretur: huc enim faciunt versus celeb. Gagliuffi:

Parvus sæpe hostis fatalia damna minatur.
Sic tinea egregias abdita rodit opes;
Sic mus est magnæ cæca ruina ratis;
Sic infert subitam perfida gutta necem;
Sic ruit antiquum prima favilla nemus.

(R) Pag. 462.

Bulla Gregorii XV 1622 præcipit denuntiandos *omnes Sacerdotes tam sæculares quam regulares, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis Confessionis, sive ante sive post immediate, seu occasione vel prætextu Confessionis, etiam Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.*

Bulla autem Benedicti XIV anno 1741 habet: *Meminerint omnes et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti teneri se, ac obligari suos pœnitentes; quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, sedulo monere*

juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi locorum Ordinariis personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit sive non, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne pœnitentibus quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam, ad effectum perducentes deliquentem, indicaverint competenti judici vel saltem se, cum primum poterint, delaturos spondeant ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur, quæcumque persona quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, præterquam a nobis nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam nobis et succesoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

Advertunt Salmanticenses id intelligi de suasione efficaci, et casu, quo suasio ante executionem denuntiationis efficaciter non revocetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, nn. 673 et seqq.—*Homo Ap.* tr. XIV, nn. 166 et seqq.

Canonicus pœnitentiarius Andriensis Ecclesiæ, Marianus Cocco, tria sequentia dubia a S. Pœnitentiaria solvenda postulat, nempe: 1 An virtute Bullæ *Cruciatæ* absolvi possit qui complicem suum absolvit in peccato turpi, non obstante Decreto Benedicti XIV? 2 an Confessarius sollicitans ipso facto incurrat in privationem, seu inhabilitationem ad celebrationem Missæ? 3 an qui non denuntiaverit infra mensem hæreticum, possit, denuntiatione secuta, a quolibet absolvi?

R. Sacra Pœnitentiaria, perpensis mature propositis dubiis, respondendum censuit: — Ad 1, Confessarium ab Ordinario loci approbatum, atque a pœnitente electum, posse vi Bullæ *Cruciatæ* hucusque editæ eumdem absolvere ab omnibus casibus apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ* contentis, atque etiam in publicis, excepta tantum hæresi formali et externa, quamvis occulta. Hæc autem absolutio pro solo foro conscientiæ valet; atque impendi potest pro iis tantum vicibus, quæ in eadem Bulla exprimuntur. Clausula vero in Bulla Benedicti XIV incipiente: *Sacramentum Pœnitentiæ* etc. apposita, respicit dumtaxat ipsos Confessarios, ne vi facultatum Jubilæi, aut Bullæ *Cruciatæ* arbitrentur sibi attributam facultatem absolvendi complices. Super quibus immota perstat laudati Pontificis Constitutio; — ad 2, Pœnam perpetuæ inhabilitationis ad Sacrificii Missæ celebrationem a Benedicto XIV contra Sacerdotes sollicitantes ad turpia inflictam, non

incurri in foro conscientiæ, nisi post juridicam denuntiationem et condemnationem; — ad 3. Facta denuntiatione, licet post tempus ab ecclesiastica lege præscriptum, cessare reservationem, et casum cum adnexa censura absolvi posse a quocumque Confessario.

Datum Romæ 22 martii 1832.

(S) Pag. 470.

Circa modum administrandi Extremam-Unctionem quædam adnotamus pro iis qui novi illam conferunt, cum D. Carolo, Catalani et Baruffaldi.

1. Incipit unctio *ab oculis* et merito, cum oculi sint custodes sensuum et fenestræ animæ, per quas intrat diabolus. Ut commode inungantur, debent claudi, et unctio fieri super ambas palpebras. Si claudi non possint, unctio fiat *in superciliis, juxta angulos oculorum*, ut habet perantiquum Rituale Catanlanense.

2. Veniunt *aures,* quæ unguntur in lobulo vel ima auricola; non in helice vel alveolo ejusdem, idque ut facilius tergi possit.

3. *Nares;* ungantur narices foris, quæ sunt nasi alæ laterales, ad evitandam sternutationem, quæ aliter faciendo facile oriretur.

4. *Os, compressis labiis;* hic una debet esse unctio, atque ideo sunt labia unienda ut facilius fieri possit; sed si hoc non posset obtineri, satis erit, ut labium inferius vel superius ungatur; sunt tamen qui adhuc utramque inungunt.

5. *Manus;* fit unctio in media palma utriusque manus, vel in alia parte viciniori, si aliter non possit, interius tamen; nam in exteriori manus parte soli Sacerdotes et Episcopi ungi debent.

6. *Pedes;* fit unctio ad metatarsum (vulgo *en la planta del pié*); juxta S. Carolum fit in *plantis*, quia nimirum iis utimur ad ambulandum. Cæterum satis erit si ea pars ungatur pedum, quæ commode potest; nec refert, si ambo ungi non possint causa morbi, vel difficultatis, vel quia unus est obtruncatus; nam hæc unctio est tantum pars integrans.

Bambacium pro unctione deferatur ab ipso Parocho; nam sæpe isto carent pauperes; partitur autem in sex partes juxta sex unctiones abstergendas: quælibet inservit pro utroque membro inuncto; unus floccus reponatur post quamlibet unctionem et alter assumatur. Parochus autem digitum pollicem quo unxit, medulla panis bene fricat, et aqua abluit in aliquo vase ad id parato, tum manutergio abstergit; ablutionem autem aquæ cum micis et floccis bambacii ad abstergendum adhibitis refert in sacrarium. Aliqui tamen solent hæc omnia ad comburendum tradere in ipsa domo infirmi; vel solum ad sacrarium deferre bambacium aut stuppam perunctam; quo in casu caveant, ne illam reponant in bursa in qua portatur vas Olei Sancti: aliam bursam habeant, ne primam maculent. Cætera in Rituali romano.

TRACTATUS UNDECIMUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS.

DISPUTATIO UNICA.

PRÆLUDIUM.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

Q. 1. *Quid est Hierarchia ecclesiastica?*

R. Nomen *Hierarchiæ* græcum est, et latine significat *sacrum Principatum:* sic autem merito vocatur Ordo ecclesiasticus, cum totus situs sit in ordine supernaturali, et circa officia sacra versetur. Hierarchia ecclesiastica definiri solet *potestas pluribus gradibus distributa, a Christo Domino instituta, ac suis Apostolis et eorum successoribus tributa, ut Ecclesiam regerent et divina Religionis mysteria in ea celebrarent ac distribuerent.* — Dicitur 1 *potestas;* quia nullus verus Principatus sine potestate; 2 *pluribus gradibus distributa,* ut indicetur in ea diversos esse Ordines; 3 *a Christo Domino suis Apostolis et eorum successoribus tributa;* hæc enim potestas, cum Ecclesiæ regimen directe respiciat, tota repeti debet ab ipso Ecclesiæ fundatore. Apostolis autem primo data fuit, a quibus manat in cæteros Ecclesiæ Prælatos ad finem usque mundi; 4 *ut Ecclesiam regerent* etc. ut indicetur Hierarchiæ objectum.

Post Wicleffum docuerunt protestantes nullam divino jure distinctionem esse inter sacros ministros et laicos; cum ex populi delegatione tantum quisque habeat, ut sit minister. Sed de fide est, quod in Ecclesia adsit hierarchia divina ordinatione instituta, ita ut sacri ministri a laicis jure divino distinguantur. Id probat Apostolus, sumpta comparatione humani corporis: *corpus non est unum membrum, sed multa...; quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* Ita Christus providit Ecclesiæ suæ de variis Ministrorum gradibus: *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores... numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores* (1)? — Hinc Tridenti-

(1) I Corinth. 12. — De *Hierarchia, v.* Bellarminus, Habert, Tournely; et Liguori, *Opera dogmatica,* sess. XXIII, c. 4, n. 23. — Antiquissimum est hoc vocabulum in Ecclesia, et valde fami-

num ait: *si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit* (1). Et sane Christus non omnibus, sed solis Apostolis Eucharisticum Sacrificium conficiendi potestatem dedit et per illos in eorumdem successores derivaturam; item solos Apostolos alloquitur, dum eos ad prædicandum mittit (2); præterea Apostoli seipsos dicunt ministros a Spiritu Sancto vocatos. Idque confirmat constans et perpetua traditio Ecclesiæ, cujus quidem fidem faciunt Tertullianus, Origenes, Epiphanius, Chrysostomus, etc. uti probat card. Bellarminus, adeo ut nemo unquam ad sacrum Ministerium assumptus fuerit, qui prius ad id non esset legitime sacratus (3).

Q. 2. *Quotuplex est Hierarchia ecclesiastica?*

R. Ecclesiastica Hierarchia duplex est: *Ordinis* et *Jurisdictionis*. Illa respicit Sacramentorum administrationem, et dicitur *potestas valide conficiendi Sacramenta;* hæc respicit spirituale fidelium regimen, et appellatur *potestas regendi subditos*. Audiatur Angelicus: *duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur...; potestas autem jurisdictionalis est quæ confertur ex simplici injunctione hominis* (4).

Gradus Hierarchiæ Ordinis tot sunt, quot sunt Ordines ipsi in Ecclesia instituti (5). Gradus autem Hierarchiæ jurisdictionis præsenti Ecclesiæ disciplina enumerantur: 1 S. Pontifex; 2 Cardinales et Legati; 3 Patriarchæ ac Primatus, Metropolitæ et Archiepiscopi; 4 Episcopi, Coadjutores Episcoporum et Prælati inferiores; 5 Vicarii Episcoporum generales: 6 Vicarii capitulares; 7 Capitula Canonicorum; 8 Vicarii foranei, in quibusdam saltem Diœcesibus; 9 Parochi; 10 cæteri Ecclesiastici omnes. —Diximus *præsenti Ecclesiæ disciplina;* nam licet ipsa catholica fides doceat, nonnullos Hierarchiæ gradus fuisse institutos divino jure, uti ex Tridentino liquet; non possumus tamen dubitare, quin Ecclesia, accepta a Christo potestate, habita ratione temporis et circumstantiarum, potuerit gradus alios inferiores inducere, inductos extinguere, vel alios iisdem substituere: revera sic eam fecisse tradunt passim eruditi (6).

liare S. Gregorio M. et Dionysio Areopagitæ, Apostoli discipulo; si tamen liber certe vetustissimus, *De cœlesti et ecclesiastica Hierarchia* est ab ipso conscriptus: quod in dubium vocatur; cum in eo specialis fiat mentio et templorum nostrorum ornatus et monachorum institutionis et cathecumenorum exercitationis: quæ tunc temporis haud obtinere potuisse patet.

(1) Sess. 23, can. 6.— *V.* Scotti, *Teoremi*, ecc. Il Sacerdozio delle nuova Legge, ed il buon numero di coloro che lo abbracciano, sono molto conducenti alla felicità dei popoli. — It. *Saggio elementare di diritto pubblico eccles.* l. II, p. 3, c. 2.

(2) Matth. 26; et ult.; Marc. ult.; Joan. 26.

(3) *De Clericis*, c. 1. — Clerus duplex est: *Regularis* et *Sæcularis*. Spectant ad primum Monachi et Regulares; qui tamen, qua tales, ad Hierarchiam nonnisi ratione privilegiorum pertinent. Referuntur ad alterum Clerici omnes, qui neque Monachorum neque Regularium jure censentur.

(4) 2, 2, q. 39, a. 3. (5) Hos vid. ubi *de Ordinum numero*.

(6) Hac de re v. quæ in *Inst. canonici Juris* tradita a nobis sunt *disp.* 1.

CAPUT PRIMUM

DE ORDINIS NATURA, INSTITUTIONE ET ORDINUM NUMERO.

Q. 1. *Quid est Ordo?*

R. Ordo seu sacra Ordinatio, definiri solet: *ritus sacer seu Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, quo ordinato traditur potestas spiritualis:* et addunt communiter uti in dictis verbis implicite contentum, *in ordine ad Eucharistiam.* Quatenus dicitur *ritus sacer* omnes gradus complectitur, seu eos etiam Ordines, quibus ex plurimorum sententia Sacramenti ratio non convenit: quatenus vero dicitur *Sacramentum*, eos Ordines tantum designat, quibus dignitas Sacramenti convenit. Dicitur autem *quo Ordinato traditur potestas* etc.: quæ verba locum obtinent differentiæ, qua Sacramentum Ordinis a cæteris discriminatur. Fit autem peculiaris mentio Eucharistiæ; quia omnia ministeria in Ecclesia ideo maxime communicantur, ut digne Eucharistia conficiatur atque suscipiatur.

Protestantes omnes, anglicanis exceptis, negant Ordinem esse Sacramentum; iis enim illud effatum commune est, *omnes Christianos esse æqualiter Sacerdotes.* Quamquam ad evitandam confusionem, nemo Sacerdotio perfungi debeat juxta illos, nisi a potestate civili ad id specialiter deputetur: quæ quidem deputatio sicuti dari, ita et denuo auferri potest. Verum fides catholica docet Ordinem esse verum N. L. Sacramentum a Christo Domino institutum. Sane Sacramentum *est signum sensibile, divinitus institutum, vim habens gratiæ conferendæ;* atqui hæc tria conveniunt Ordini:—1 signum sensibile; quia confertur per manuum impositionem et orationem. Sic enim legitur Ordinatos fuisse septem Diaconos: *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus* (1);—2 divina institutio; dicitur enim: *dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum et Barnabam...; tunc... imponentes eis manus dimiserunt illos* (2);—3 vis gratiæ conferendæ; ait enim Paulus ad Timotheum agens de ipsius ordinatione: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam;* iterum ad eumdem: *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* (3). Quare Tridentinum: *siquis dixerit Ordinem seu sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum, anathema sit* (4). Id firmat traditio Patrum, præsertim Gregorii Nissæni, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, ut videre est penes Perrone. Id probat Conciliorum auctoritas, ut sunt concilia generalia Chalcedonense et Nicænum II. Tandem hoc tuentur sectæ omnes et antiquissimæ, et recentiores ante protestantes existentes, ut videre est penes Morinum et Bossuetum (5).

(1) Act. 6. (2) Act. 13. (3) I Tim. 4; et II Tim. 1.
(4) Sess. 23, c. 3. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 735 et seqq.
(5) *V.* Klee, *Storia del dogmi.* — Bergier, *Dizionario*, V. Ordinazione.

Dices: *Christus cum Apostolos ordinavit, non adhibuit manuum impositionem. Præterea Paulus dicit Timotheo gratiam datam fuisse per prophetiam, sed gratia prophetiæ est gratia gratis data, nempe miraculorum et prophetiæ, non gratia sanctificans.*—R. Non omnia, quæ Christus gessit, scripta sunt: cumque præterea Christus *potestate excellentiæ*, ut vocant, præditus esset, potuit sine ritu exteriori gratiam Ordinationis conferre. Dummodo constet ipsum instituisse Ordinationis Sacramentum, satis est; id autem novimus fecisse tum auctoritate Pauli, tum universa traditione. Neque obstat textus Paulinus: non enim dicitur data gratia *ad prophetiam*, sed *per prophetiam*, id est per revelationem: quia nempe Paulus interiori Spiritus Sancti inspiratione aut revelatione inductus est ad cooptandum Timotheum in ordinem pastorum.

Q. 2. *Quandonam Ordo fuit institutus?*

R. Ordo institutus fuit in ultima Cœna; nam tunc Christus instituit Sacerdotes et Episcopos per verba: *hoc facite in meam commemorationem* (1). Hæc enim proferens, Apostolis facultatem communicavit idem quod ipse peregerat, faciendi; eamdem scilicet victimam, suum Corpus et Sanguinem offerendi: sicut autem ejusdem victimæ oblatores esse non poterant, quin eidem Sacerdotio associarentur, neque offerre sicut ipse, nisi eodem ac ipse Sacerdotio consecrati, ideo per ea verba Christus Apostolos *novi Testamenti Sacerdotes constituit.*

Neque obstat, quod ad alios Ordines Christus Jesus Apostolos non primitus ordinaverit; in Sacerdotio enim eminenter continentur cæteri, cum omnes ipsum respiciant; quod bene ipse agere potuit, potestate excellentiæ qua pollebat, eos nempe simul ad universos Ordines promovendo, relinquens ut ipsi cæteros ad eos gradatim assumerent.

Q. 3. *Quot sunt numero Ordines?*

R. Novatores multiplicem Ordinum numerum negant; sed contra illos definivit Tridentinum (2): *siquis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines et majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.* Idque merito, ut enim disserit idem Concilium: *cum divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent* (3). — Porro in Ecclesia latina numero septem recensentur: *Presbyteratus*, *Diaconatus*, *Subdiaconatus*, *Acolytatus*, *Exorcistatus*, *Lectoratus* et *Ostiariatus*; quos omnes memorat Tridentinum subdens ab ipso Ecclesiæ initio eos cognitos fuisse. Et constat ex veteribus monumentis, eos singulos jam memorasse sæculo III Cornelium papam, et sæculo IV Concilium carthaginiense IV; de iisdem præterea sæpissime loquuntur Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Hieronymus, Augustinus, etc. In Ecclesia vero græca multis ab hinc sæculis qua-

(1) Sess. 23, can. 1.

(2) Sess. 23, can. 2. — *V.* etiam Bulla *Auctorem fidei*, prop. 55, ubi doctrina Synodi Pistoriensis, qua novatorum et maxime Calvini convicia in minores Ordines renovantur, a Pio VI proscripta est.

(3) Sess. 23, c. 2.

tuor tantum sunt Ordines, nempe *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus* et *Lectoratus*. Utrum vero plures olim ipsa habuerit, disputant eruditi (1).

Septem Ordines sic dividuntur in latina Ecclesia, ut tres primi *majores* et *sacri*, quia propius accedunt ad Eucharistiam, finem omnium Ordinum; cæteri e converso *minores* et *non sacri* appellentur. Hujus numeri ac distributionis rationem sic congruentem assignat Angelicus (2): distinctio Ordinis accipitur secundum relationem ad Eucharistiam, prout conficitur seu consecratur, distribuitur et suscipitur. Unde vel agitur de ea consecranda, et datur ad hoc *Sacerdotium;* vel de ea distribuenda in Sacerdotis absentia, aut de proxima materia ad eum tradenda, et hoc pertinet ad *Diaconum:* vel de præparandis vasis sacris, ut in iis materia recipiatur, et pertinet ad *Subdiaconum:* vel de ipsa materia præsentanda, et pertinet ad *Acolytum* (3). — Quod vero pertinet ad *susceptores,* ii mundi esse debent; arcendi sunt ergo omnes immundi. Horum autem triplex genus: alii, qui nolunt fidem suscipere uti infideles, quibus est claudenda Ecclesia; et hoc pertinet ad *Ostiarios:* alii, qui susceperunt fidem, sed nondum sunt sufficienter instructi, uti sunt cathecumini; et his datur *Lector:* alii, qui instructi quidem sunt, sed a dæmone detinentur, uti energumeni; et his dantur *Exorcistæ.*

Q. 4. *An singuli Ordines sint Sacramentum?*

R. De *Sacerdotio* nemo Catholicorum potest dubitare, quin sit verum Sacramentum; nam id de fide est a Tridentino definitum. De *Diaconatu* vero, licet non sit de fide expresse esse Sacramentum; certum est tamen, quod veram Sacramenti rationem participet. Occurrunt sane in eo omnia ad Sacramentum requisita: 1 signum sensibile, nempe manuum impositio; 2 divina institutio, definiente eodem Tridentino (4): *siquis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit:* ubi nomine *ministrorum* saltem Diaconi sunt intelligendi; 3 gratiæ collatio, et hanc significant illa verba ad candidatum: *accipe Spiritum Sanctum.*

Quod vero pertinet ad *alios Ordines*, adhuc Sacramenta esse probabiliter affirmat S. Thomas (5); cum unicuique Ordini sua sit assignata materia ac forma: in hujus tamen sententia omnes Ordines unum semper Sacramentum constituerent in ratione finis; cum singuli sint ordinati ad unum Missæ sacrificium. Attamen nobis est probabilius, aliis Ordinibus Sacramenti dignitatem non convenire; desunt enim in illis substantialia: ac 1 deest *signum sensibile*, quod in Ordine nihil aliud est in sententia probabiliori, quam impositio manuum: cum illius tantum fiat mentio in sacris Litteris et illa tantum græci utantur; 2 *institutio divina*, quæ legitur neque in Scripturis neque in Traditione; 3 *gratiæ collatio*, cum nulla adsit forma illius productiva, sed sola occurrat mentio potestatis tributæ.

(1) *V.* Chardon, *Storia de' Sacramenti.* Opus celebratum. — Billuart, *De Ordine.*
(2) Suppl. q. 37, a. 2. (3) Sess. 23, can. 6. (4) Sess. 23, can. 6.
(5) Suppl. q. 37, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 736.

ARTICULUS I — De tonsura et ordinibus minoribus.

Q. 1. *Quid est Tonsura* (1)?

R. Tonsura est primus gradus ad Ordines; ideo vulgo dicitur *prima Tonsura*. Definitur: *ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus baptizatus et confirmatus tonsione capillorum in Clerum adsciscitur*. Dicitur: 1 *ritus sacer*, quia sacræ quædam cæremoniæ adhibentur pro illius collatione; 2 *ab Ecclesia institutus*, non enim est divinæ institutionis. Tradit autem Catechismus romanus eam ex Apostolis derivare; et Gregorius Turonensis illam ad D. Petrum refert; sed hoc alii negant, cum non sit verisimile, quod Christiani illo persecutionis tempore voluerint aliquo signo externo et patenti notari; 3 *quo laicus* etc., sic et subjectum et effectus tonsuræ indicantur.

Tonsura in probabiliori sententia non est Ordo; cum officium non importet circa altaris ministerium; sed præparatio ad Ordines, nam de foro Ecclesiæ facit: quia tamen habet relationem ad Ordines et de illis participat, ideo tonsura etiam illicite data irrevocabiliter data est, nec iterari potest, uti pluries declaravit S. C. C. penes Fagnanum. Illius autem effectus sunt: 1 quod candidatus Clero adscribitur, et Clerici nomen assumit; 2 quod gaudet privilegiis Clericorum: nempe *fori*, quo a sæculari jurisdictione eximitur; *immunitatis* quo a tributis liberatur; *competentiæ*, quo nequeat obæratus in carcerem detrudi, neque honesta sustentatione privari; *canonis*, quo ipsum percutientes sint excommunicati (2). Ferme tamen ubique hodie solum privilegium canonis remanet; cum cæteris per Concordata derogatum sit; 3 quod disponitur ad Ordines; 4 quod sit ecclesiasticorum Beneficiorum capax *(A)*.

Cum novum statum assumant Tonsurati, novos mores induere debent in melius: *assumptio religiosi nominis sponsio est devotionis*, ait Salvianus (3). Hinc eos monet pontificale R., ut imposterum *habitu honesto, bonisque moribus atque operibus Deo placere studeant*.

Q. 2. *Quid de Ordinibus minoribus?*

R. Ordines minores quatuor numerantur: nempe *Ostiariatus*, *Lectoratus*, *Exorcistatus* et *Acolytatus*.

Ostiariatus est *primus Ordo inter minores, quo Ordinato confertur potestas aperiendi et claudendi januas Ecclesiæ, et admittendi dignos, atque excludendi indignos*. Ejus materia remota sunt claves Ecclesiæ; proxima est ipsa clavium a candidato physice tangendarum traditio. Forma sita est in verbis in tali traditione prolatis.

Lectoratus est *secundus Ordo inter minores, quo Ordinato confertur potestas legendi extra Missam, in Ecclesia tamen, Scripturas sanctas, et populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei*. Liber ergo sacrarum Scripturarum est materia remota; illius traditio facta ab Ordinante, et a candidato

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 734. — Clericatus, *De Ordine.* — Antonelli, *De juribus et oneribus Clericorum*. Romæ 1690. — Savoy, *Introduz. al Sacerdozio.* — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, l. II, c. 37.

(2) *V.* Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, Opuscol. XIX.

(3) L. ad Eccl. cat.

physice tangenda, est proxima. In istius vero traditione verba prolata constituunt formam.

Exorcistatus est *tertius Ordo quo Ordinato confertur spiritualis potestas imponendi manus super energumenos, et invocandi super eos nomen Domini ad compescendos dæmones, eosque ab humano corpore expellendos.* Rituale R., ubi exorcismi scripti sunt, constituit (ex Constitutione *Sollicitudini* Benedicti XIV) materiam remotam; ejus traditio, proximam; verba traditionis, formam. Exorcismi hodie solis reservantur Sacerdotibus: imo neque ipsi sine licentia Episcopi eos agere possunt intra Italiam et adjacentes Insulas ex Benedicto XIV Encyclica 5 julii 1750. Et merito quidem propter abusus inde facile orituros (1).

Acolytatus est *ultimus inter minores Ordines, quo Ordinato confertur potestas accendendi Ecclesiæ luminaria, ferendi candelabrum accensum ad altare, parandi urceolos cum vino et aqua pro Missæ sacrificio, et ministrandi Diacono et Subdiacono in Missa solemni.* Urceoli vacui, et candelabrum cum cereo extincto sunt materia remota; proxima, eorum traditio. Forma sunt verba traditionis (2).

ARTICULUS II — De ordinibus majoribus.

Q. 1. *Quid est Subdiaconatus, et quæ ejus officia?*

R. Ad 1: Subdiaconatus est primus Ordo inter majores. Ad hanc dignitatem communiter tenent ipsum elevatum fuisse apud Latinos ab Innocentio III in fine sæculi XII, cum primitus inter minores Ordines connumeraretur. Est autem Subdiaconatus *Ordo, quo Ordinato tribuitur spiritualis potestas præparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, legendi Epistolam, et inserviendi Diacono in solemni Missæ sacrificio.* Materia remota est calix vacuus cum patena item vacua, et liber epistolarum. Traditio utriusque est materia proxima. Forma sunt verba in traditione prolata (3).

R. Ad 2: Officia Subdiaconorum propria sunt: 1 Diacono in altaris ministerio ministrare; 2 vinum, panem, lintea et cætera ad Sacrificium præparare; 3 epistolam in Missa solemni cum manipulo cantare; 4 aquam in calicem fundere: item patenam elevatam tenere; pacem in chorum deferre: crucem in processionibus portare, etc. uti ex institutione hujus Ordinis constat et ex Pontificali.

Q. 2. *Quid Diaconatus, et quæ ejus officia?*

(1) *V.* Scotti, *Dissertazione sulla scarsezza degli energumeni.* — Stapf, § 579 habet: « *Sed cur talia non etiam nostro tempore contingunt?* Generatim responderi potest: *non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Attamen non incongrue illud reponimus, quod vir quidam ingeniosus ait: *auceps, quo certius aviculas irretiat, quantum potest se abscondit.* Nostræ ætati, quæ tantopere de ingeniorum cultura et perspicacia gloriatur, nihil est perniciosius *infidelitate;* ast hæc ipsa infidelitas subverteretur, si dæmon, prout olim, ita et nunc homines vi tam aperta impeteret. »

(2) Quoad hos Ordines *v. Enchiridion* Novariensis Diœcesis.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 805 et 739. — Calix et patena probabiliter debent esse consecrata; nam cum officium Subdiaconi sit tantum circa vasa, ut sit sacrum, vasa sacra esse debent.

R. Ad 1: Diaconatus (græce *ministerium*) est *Ordo, quo traditur Ordinato potestas spiritualis proxime inserviendi Episcopo, vel Presbytero sacra facienti, et canendi Evangelium in Missa solemni.* Licet probabilius sit, solam manuum impositionem esse illius materiam, ideoque et verba tunc prolata formam constituere; tum quia in Scripturis (1) illius tantum fit mentio; tum quia in ea tantum tribuitur Spiritus Sanctus, nempe gratia Sacramenti; tum quia hæc una reperitur apud Græcos; adhuc tamen probabile est, etiam libri traditionem esse de essentia, sicuti et verba in illa traditione prolata; cum omnia æqualiter videantur præcipi. Quare pro praxi concludimus, utramque esse adhibendam; cum agatur de Sacramentis. Et si quidpiam ex istis fuerit omissum, sub conditione Ordinationem iterandam esse, ut sacra Concilii Congregatio declaravit, teste Benedicto XIV (2).

R. Ad 2: Primis sæculis Diaconi Episcopum comitabantur in itineribus, in Conciliis, et in Ordinationibus ei assistebant: item eidem sicuti et Sacerdoti solemniter celebranti inserviebant. Nunc ex Pontificali R. *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare:* 1 *ministrare ad altare*, id est Sacerdoti solemniter celebranti patenam cum hostia et calicem cum vino porrigere, Evangelium solemniter canere, vasa sacra Eucharistiam continentia extrahere e Sacrario et reponere; item Eucharistiam distribuere, sed tantum ut minister extraordinarius; 2 *baptizare* publice, item ut minister extraordinarius; 3 *prædicare,* sed intelligitur ex Episcopi tantum delegatione.

Q. 3. *Quid est Presbyteratus?*

R. Presbyteratus, seu Sacerdotium, est *Ordo, quo candidato traditur potestas spiritualis tum consecrandi et ministrandi Corpus et Sanguinem Christi, tum remittendi et retinendi peccata fidelium.* Triplex in hujus Ordinis collatione occurrit manuum impositio: in prima Episcopus utramque manum super caput cujuslibet ordinandi imponit nihil dicens: postea tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras super ordinandos extensas, solo orante Episcopo: demum post Communionem Episcopus ambas manus super caput singulorum imponit dicens: *accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris* etc. Item præter manuum impositionem occurrit etiam traditio instrumentorum, nempe calicis cum vino, et patenæ cum hostia; hinc quæritur quænam sit materia et forma Presbyteratus. Alii cum Fagnano et Soto contendunt materiam esse solam traditionem instrumentorum, et formam verba prolata in eorum traditione: nam in decreto Eugenii IV ad Armenos horum tantum mentio habetur: sed hæc sententia communiter non est recepta. Alii volunt materiam essentialem esse et traditionem instrumentorum cum sua forma, et tertiam manuum impositionem item cum respondenti forma; nam per traditionem instrumentorum datur potestas sacrificandi, per tertiam manuum impositionem potestas absolvendi: ita Bellarminus et alii, et quidem probabiliter. Sed probabilius docent Concina, Tournely, S. Bonaventura cum Martene, Becano, Menardo etc. materiam essentialem esse solummodo secundam manuum impositionem: *secundam;* prima enim certo non est de essentia, cum nulla ei correspondeat forma: item commune est

(1) Act. 6. (2) *De Synodo Diœcesana*, l. VIII, c. 10.

neque essentialem esse tertiam, tum quia non fuit in usu apud Latinos per XII priora sæcula; tum quia jam Sacerdotium collatum est, siquidem noviter ordinati Presbyteri cum Episcopo jam concelebrarunt. Restat ergo secunda, nempe cum Episcopus extendit manus simul cum Presbyteris, ut patet ex Tridentino: *ministri Extremæ-Unctionis sunt aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii,* hoc est quæ fit ab Episcopo cum Presbyteris assistentibus (1). Quod autem porrectio instrumentorum non sit de essentia, patet: 1 quia in Scripturis de illa nulla mentio; 2 quia Græci sola manuum impositione ordinant; at quod est de essentia, apud omnes obtinere debet; 3 quia instrumentorum traditio apud ipsos Latinos non ante sæculum VIII, vel IX invecta sit, uti ex doctissimo Martene observat Benedictus XIV (2). Nec obstat, quod Eugenius IV in Decreto ad Armenos porrectionem instrumentorum assignaverit tantum cum relativa forma; nam, ut sapienter respondent Benedictus laudatus cum Becano, Menardo et Morino, Eugenius ibi fuit locutus de materia et forma tantum integrali, quam intendit tradere Armenis, qui optabant aggregari Ecclesiæ latinæ; et ideo non fuit opus eis assignare impositionem manuum, cum illi juxta ritum Græcorum quo prius ordinabantur, jam eam adhibebant (3).

Juxta hanc tertiam sententiam, quæ ex intrinsecis fundamentis (speculative tamen loquendo) probabilior mihi videtur, discrepant auctores in assignanda forma; alii enim illam dicunt esse verba quæ proferuntur in traditione calicis et patenæ: *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo* etc.; quia manet moralis connexio inter manuum impositionem et prædictam formam traditionis instrumentorum. Verum forte probabilius alii dicunt formam esse orationem quæ in secunda manuum impositione dicitur ab Episcopo; verba autem, *accipe Spiritum Sanctum,* etc. quæ dicuntur in tertia impositione esse tantum declarativa et confirmativa rei peractæ, nempe Spiritus Sancti jam collati in secunda impositione. — Dictum est, *speculative loquendo* tertiam sententiam esse probabiliorem, nam cum secunda sit etiam probabilis, hæc in praxi omnino sequenda est. Quare Ordinatio facta sine secunda manuum impositione (item vel sine instrumentorum, etiam unius tantum, tactu) tota iteranda est, ut declaravit etiam S. C. C. penes Benedictum XIV. Si vero Ordinatio facta fuerit sine tertia manuum impositione, hæc tantum supplenda est (4). *(B).*

Quænam (quæres) *sunt officia Presbyterorum?* — Sunt hæc præcipua ex ipso Pontificali R.: *offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare:*

(1) Sess. 14, c. 3. (2) *De Syn. Diœc.* l. VIII, c. 10.

(3) Gregorius IX, cap. *Presbyter de Sacram. non iterandis* ait: *Presbyter et Diaconus cum ordinantur, manus impositionem, tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto, recipiant.* Dicitur *ritu ab Apostolis introducto,* non quasi ipsi illum ritum instituerint, sed quia acceptum a Domino praxi executi sunt, ait Bellarminus (*De Ordine,* c. 9). Dicitur *tactu corporali,* ex quo infertur tactum in traditione et acceptione materiæ Ordinis debere esse physicum, et non sufficere moralem, puta per approximationem manus ad ipsa instrumenta, sed ipsa non tangendo. Attamen non refert, quod tactus sit mediatus, modo tamen physicus, puta si tangantur instrumenta manu obvoluta strophiolo; semper enim dicitur tactus physicus et corporalis. — *V.* Giraldi, *Expositio juris Pont.* — Alasia, *De Ordine,* c. 4. (4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 749.

1 *offerre*, et est primarium munus: *omnis Pontifex*, ait Apostolus, *ad offerendum munera et hostias constituitur* (1); 2 *benedicere* tum personis tum rebus: hoc privilegium in Sacerdotibus omnibus semper agnitum fuit; 3 *præesse*, Presbyteri enim sunt in adjumentum Episcoporum, ad christianam plebem regendam; 4 *prædicare*, neque enim sine verbi Dei ministerio potest Sacerdos plebem regere; 4 *baptizare*, ad filios nempe Deo gignendos: item et cætera Sacramenta administrare, exceptis Confirmatione et Ordine. Quatuor tamen posteriora hodie ut legitime ac solemniter fiant, assignatio personarum, vel superioris consensus requiritur.

Q. 4. *Quid est Episcopatus?*

R. Episcopatus, quia una cum Presbyteratu sub uno Sacerdotii nomine continetur, *est Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas specialis confirmandi, ordinandi, de fide judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes*. Hinc patet duplicem in Episcopis esse potestatem: *Ordinis*, qua baptizatos confirmare possunt et ministros sacros ordinare; *Jurisdictionis*, qua sibi concreditam Ecclesiam gubernare valeant: utraque autem est a jure divino juxta illud: *attendite vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2). De fide est Episcopos esse Presbyteris superiores (3); Ecclesia enim Aërium id negantem hæreticum habuit, et illius errorem Epiphanius appellat *supra hominum captum furiosum et immanem* (4), idque contra alios novatores Tridentinum definivit (5); hoc enim præter Waldenses et Wicleffitas negant presbyteriani de Calviniano grege. S. Thomas vult Episcopatum esse tantum Presbyteratus extensionem, ita ut huic tantum superaddatur quædam nova destinatio ad certa particularia officia, quibus Presbyteri nullo modo idonei sunt. Verum sententia communior, imo *nunc temporis communis et omnino tenenda*, uti ait cl. P. Perrone, docet ipsum esse Ordinem a Presbyteratu distinctum; cum in eo distinctus character tradatur seu specialis potestas; et distincta habeatur tum materia, tum forma.

Dubitari nequit, quin manuum impositio, quæ fit a consecrante Episcopo, cum dicit: *accipe Spiritum Sanctum*, et quæ dein ab ipso continuatur post brevem orationem, necessariam materiam constituat; verbaque tunc ab eo prolata, necessariam formam. Patet tum ex exemplo Apostolorum (6), tum ex omnium Ecclesiarum antiquissima praxi. — At concursus, manuum impositio et verba duorum assistentium Episcoporum pertinere non videntur

(1) Hebr. 8. (2) Act. 20.

(3) Quod si prima ætate Episcopi et Presbyteri nomen nonnumquam et primi et secundi ordinis Sacerdotibus commune fuit, ut notat D. Chrysostomus (*Homilia I in Epistola ad Philipp.*); non tamen communis fuit gradus in se spectatus, ut omnia perantiqua monumenta testantur. Vid. S. Clemens, *Epist. I ad Corinth.* c. 8; S. Ignatius, *Ep. ad Magnesianos*, c. 6; Clemens Alexandrinus, *Homilia VI*; Cyprianus, *Epist. XXVI*, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, c. 755. — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, etc. l. I, c. 1: de plenitudine Sacerdotii in Episcopatu, etc.

(4) Hær. 75.

(5) Sess. 23, can. 7. — An vero Episcopi *jure divino* sint Presbyteris superiores. Concilium non dixit; cum tamen argumenta quibus Episcoporum præstantia super Presbyteros adstruitur, eamdem e jure divino descendere probent, idcirco id si non de fide, certum tamen habemus.

(6) Act. 13; et 1 ad Tim. 4.

ad essentiam; unus enim Episcopus plenam habet Ordinis potestatem: sicque pluries sancta Sedes dispensavit, ut unus tantum adhiberetur: et in Pontificali unus dicitur consecrator, alii solum assistentes. Pariter impositio libri Evangeliorum super cervicem et scapulas consecrandi, non est essentialis; cum nulla ei forma respondeat. Item neque quæ fit unctio capitis et manuum; cum numquam apud Græcos extiterit. Neque traditio baculi, annuli et libri Evangelii; cum hæc tantum effectum Ordinationis significent, et jam dicatur ordinatus Episcopus in Pontificali romano (1).

An (quæres) *liceat Episcopatum appetere?* — R. Apostolus habet: *siquis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (2): ubi animadvertere est, Apostolum non jam docere bonum esse hoc desiderium: sed opus quod desideratur, bonum esse in se. Et Angelicus in hæc verba ita scribit (3): *si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum temporalium, erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit præsumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. Verum quia prout est episcopalis actus, habet jam gradus celsitudinem, præsuptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.* Id ipsum docet Benedictus XIV Bulla *Inclytum* (4).

CAPUT SECUNDUM

DE MINISTRORUM ECCLESIÆ INSTITUTIONE, ET ORDINATIONIS MINISTRO.

Q. 1. *Quid statuendum de ministrorum Ecclesiæ institutione* (5)?

R. Ministrorum Ecclesiæ institutio seu creatio tria maxime continet, nempe *electionem*, et est designatio certæ personæ ad munus Ecclesiasticum; *Ordinationem* et est sacra cæremonia, qua certo ritu electus consecratur; *missionem* seu *vocationem*, et est ille actus, qui jurisdictionem tribuit ac re ipsa pastorem facit. Porro Wiclephitæ et Hussitæ, cum soli pii ac predestinati esse possint juxta ipsos veri pastores, ideo docent solius Dei esse illos eligere, cum prædestinatos et pios ipse solus sciat. Lutherani vero et Calvinistæ cæterique novatores de necessitate electionem et vocationem ministrorum ad universam Ecclesiam, id est ad populum et clerum spectare volunt; imo et ipsam Ordinationem, quatenus pastores nomine totius cleri et populi super novis pastoribus manus imponunt. Verum nos cum Catholicis dicimus:

1 Etiam impii et non prædestinati possunt esse veri Ecclesiæ ministri: patet exemplo ipsius Christi qui Judam elegit, quem constat non fuisse prædestinatum; idque passim tradunt Patres, ut Origenes (6), Chrysostomus (7), Augustinus (8), Bernardus (9), etc. Et Wiclephus et Huss contrarium docentes in Concilio generali constantiensi damnati fuerunt; — 2 vocatio seu mis-

(1) *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. XIII, c. 13. — Devoti, *Instit. can.* h. t.
(2) Tim. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 804. (3) 2, 2, q. 185, a. 1.
(4) *De obligationibus Episcoporum* præcipius vid. tom. I *De obligat.* h. t.
(5) Huc respicit Breve Pii IX 9 maji 1853. — *V. Civ. Catt.* v. II. ser. 2ª: lo scisma Goano.
(6) Hom. IV in l. *Judic.* (7) Hom ult. in Epist. ad Hebr.
(8) L. II, c. 4 contra Parm. (9) L. LXVI in Cantica.

sio ministrorum ad populum non pertinet; non enim ecclesiastica jurisdictio est in ipso fidelium cœtu. Neque sane omnibus fidelibus dixit Christus: *pasce oves meas; ego mitto vos; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; hoc facite in meam commemorationem;* etc.; sed hæc dicta sunt Apostolis tantum (ac primo S. Pontifici) et illorum sucessoribus. Idque firmatur ex apostolica consuetudine; nam Apostoli et Episcopi, non vero populus, constituebant per civitates Presbyteros (1): *reliqui te Cretæ*, ait apostolus Paulus ad Titum, *ut constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi* (2). At si populus non potest pastores mittere, tanto minus eos consecrare;—3 jus eligendi pastores non convenit populo jure divino. Constat ex Scripturis; Apostolus ait de hac dignitate: *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (3); atqui Aaron a solo Moyse fuit electus in pontificem, sine ullo consensu vel consilio multitudinis. Et Christus ait Apostolis: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* at si Apostoli eadem potestate et ratione, qua Christus, misi sunt, sine ullo suffragio multitudinis possunt deputare pastores: Christus namque sine ullo vel consilio vel suffragio multitudinis Apostolos primum duodecim, ac dein septuaginta duos discipulos elegit (4). Et revera quod ita egerint Apostoli vel ex eo constat, quod Episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes et infideles: quod etiam factum legimus post ætatem Apostolorum, ut pluribus exemplis probat Bellarminus. Idque firmatur ex Conciliis: sic Laodicenum I can. 13 habet: *non esse permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi.* Et Nicænum II, can. 3 dicit: *omnem electionem, quæ fit a Magistratibus Episcopi vel Presbyteri vel Diaconi, irritam manere.*

Unde si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniventia vel concessione Pontificum et Episcoporum, qui tamen semper sibi retinuerunt perversæ electionis rescindendæ auctoritatem. Qua in re en initium, progressum et finem: primo, Apostolicis temporibus, insciente populo, pastores eligebantur; dein cœpit populus adhiberi ad testimonium de vita et moribus eligendi: *præsunt,* ait Tertullianus, *probati quinque seniores, honorem istum non precio sed testimonio adepti* (5). Postea paulatim cœpti sunt ii ordinari, quos populus postulasset: unde suis temporibus S. Leo populis tribuebat vota, id est desideria et testimonia; Clericis autem electionem (6). Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet; sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, et apparuit ejus rei confusio et indignitas, sublata est populo electio et postulatio, solumque ei relictum est testimonium vitæ et morum. Absit ergo ut ideo Pontifices aliquid de jure alieno usurpaverint, ut jactant homines in Sedem apostolicam male animati, sed potius repetere jus suum, quod Ecclesia sollicitudo et ratio temporum repetere cogebat (7).

Dices: Actorum 1 non soli Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Mathiam et Barnabam, ut ex his Deus unum ad ministerium sacrum assumeret. Et Cy-

(1) Act. 14. (2) Ad Tit. 1.
(3) Hebr. 5. (4) Joann. 20.
(5) Apol. c. 39 (6) Ep. 87.
(7) *V.* Devoti, *Inst. can.* l. I. Sed maxime Bellarminus, *De Clericis*, l. I. c. 2. — Thomasinus *Vet. et novæ Eccl. discipl.* p. 2, l. II. — Scheffmacher, *Lettere.*

prianus aperte scribit: *de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur* (1).—R. Ad 1: cum D. Chrysostomo: quod tunc universa elegerit Ecclesia, factum est ex concessione Petri, non ex necessitate: *Quid? an non licebat ipsi Petro eligere? licebat et quidem maxime; verum id non fecit, ne cui videretur gratificari* (2). Præterea illa non tam electio fuit, quam postulatio quædam, adde ab exemplo uno non deducitur aliquid esse de jure divino.—Ad 2: Cyprianus in citato loco non vult dicere descendere a jure divino, ut Prælatus a populo eligatur, sed ab exemplis divinis; sic enim loquitur narrando tria exempla Scripturarum Ordinationis habitæ coram populo, nempe Eleazari, Mathiæ et septem Diaconorum; at exempla simpliciter non faciunt jus divinum, sed divina præcepta. Vel etiam dici potest, quod Cyprianus hoc tantum tribuit populo, ut ferat testimonium de vita et moribus ordinandorum, quod etiam nunc servat Ecclesia: scribit nempe populum habere potestatem eligendi et suffragium ferendi, quia potest dicere, si quid novit boni vel mali de ordinando, et sic testimonio suo efficere, ut eligatur vel non eligatur. Talem esse ejus mentem patet; quia dicit debere in Ecclesia eligi pastorem, quomodo Scriptura docet fuisse electum Eleazarum (3); at Scriptura dicit Eleazarum electum a Moyse, et nihil tribuit populo, nisi coram eo fuisse Eleazarum electum *(C)*.

Q. 2. *Quisnam est Minister Ordinationis?*

R. Qui valide ordinat vel *ordinarius* dicitur Minister, vel *extraordinarius*, prout vel vi officii sui, vel ex commissione ordinat. Qui vero ordinat etiam licite, dicitur Minister *legitimus*, et est qui ordinariam vel delegatam habet in ordinandum auctoritatem (4). Hoc posito:

Dicimus 1: De fide est, solum Episcopum esse *ordinarium Ordinis Ministrum;* nam soli Episcopo sacra Scriptura ac constans traditio hanc auctoritatem attribuunt: 1 Scriptura; quinam primos septem Diaconos, jubente Spiritu Sancto, a multitudine fidelium segregatos consecrarunt? Apostoli (5). Quinam per singulas Ecclesias, prima illa nascentis Catholicismi ætate Presbyteros constituisse leguntur? Paulus et Barnabas (6). Quis per manuum impositionem Timotheum ordinavit? Apostolus Paulus (7); 2 constans traditio; in omnibus enim tam Latinorum quam Græcorum Ritualibus Ordinationis ministerium solis semper adscribitur Episcopis, ut videre est penes eruditos. Hinc celebre illud D. Hieronymi (8): *quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Hinc in Concilio Nicæno nullæ declaratæ sunt Ordinationes Colluthi simplicis sacerdotis, qui Episcopos et Sacerdotes ordinare ausus est. Hinc merito Tridentinum ait (9): *siquis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, irritos esse, aut eos qui nec ab ecclesiastica et canoni-*

(1) L. 1, Epist. 4. (2) In Act. Apost. (3) Num. 20.
(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 761 et seqq. (5) Act. 6.
(6) Act. 14. (7) II Timoth. 4.
(8) Ep. ad Evagrium. (9) Sess. 23, can. 7.

ca potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit. — Attamen si Episcopus sit electus, confirmatus, sed nondum consecratus, tunc, possessione adepta, potest quidem concedere licentiam subditis suis, ut ab alio Episcopo ordinentur; cum id sit de potestate jurisdictionis. Non potest tamen ipse per se valide ordinare, uti communiter ac recte docent cum D. Thoma; quia ordinare est de sola Ordinis potestate.

Dicimus 2: Licet omnes Catholici consentiant solum Episcopum esse ordinarium ministrum Ordinationis; non eadem tamen est doctrinæ consensio, ubi quæritur de *ministro extraordinario*. Aliqui contendunt non tantum Ordines minores, sed etiam Diaconatum et Presbyteratum a simplici Sacerdote conferri posse ex romani Pontificis delegatione. Hac in re dicimus: — 1 Pontificem præbere posse simplici Sacerdoti facultatem conferendi Tonsuram et Ordines minores; cum isti in sententia probabiliori sint tantum ecclesiasticæ institutionis, vel certo nullam conferant directam circa Christi Corpus potestatem; — 2 non posse id agere relate ad Presbyteratum; cum sit ministerium excellentissimum, quod a solo Principe Ecclesiæ supremam facultatem habente, ut est Episcopus, debet proficisci: ita communiter et recte; neque sane ullo historiæ exemplo contrarium probari potest (1); — 3 totam controversiam reduci ad Diaconatum et Subdiaconatum: afirmant aliqui de utroque ex Indulto concesso ab Innocentio VIII an. 1489 Abbatibus cisterciensibus. Alii negant absolute cum D. Thoma contendentes laudatum Indultum dubium esse. Alli denique probabiliter distinguunt Diaconatum inter et Subdiaconatum: negant quoad primum; quia ejus ministerium est immediate ad Corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo; affirmant vero quoad secundum; ideo quia non habet relationem tam immediatam ad Christum (2).

Dicimus 3: *Minister legitimus* sacræ Ordinationis appellatur qui non solum valide, sed etiam licite Ordines confert (3). Qua in re certum est Ordinationes factas a quovis Episcopo consecrato, licet sit hæreticus, degradatus, simoniacus, censuratus et irregularis, validas esse; nam Sacramenti valor a probitate ministri non pendet: et hoc firmat praxis Ecclesiæ, quæ semper uti validas recepit hæreticorum et schismaticorum Ordinationes, et ab istis ordinatos ad fidem redeuntes reordinari numquam jussit: sic a Nicæno I novatiani et ariani; ab Ephesino messaliani, a Constantinopolitano II monothelitæ cum propriis Ordinibus recepti fuerunt (4). — Ut tamen Ordinationes

(1) Contrarii in errorem inducti sunt, ex eo quod antiquitus de consensu Episcopi poterant Chorepiscopi sacerdotes ordinare; Chorepiscopos autem tenent non fuisse, nisi simplices Presbyteros. Sed hoc falsum est; constat enim, ut Bellarminus et cæteri probant, Chorepiscopos sæpe veros fuisse Episcopos, sed suffraganeos, qui ab Episcopo civitatis dependebant. — Nec obstat, quod Apostolus (*I ad Tim.* 4) dicat Timotheum ordinatum *per impositionem manus Presbyterii*; hoc enim nomine Paulus voluit indicare Episcopos, non simplices Presbyteros, ut patet ex Epist II, c. 1, ad eumdem Timotheum, ubi de hac ipsa Ordinatione ait: *per impositionem manuum mearum.*

(2) *V.* Billuart. (3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 756-768 et seqq.

(4) Hoc tamen ita accipiendum est, si omnia substantialia serventur. Ex qua parte dicimus, Ordinationes anglicanas nullas esse; tum quia legitime dubitatur de validitate Ordinationis Parker et Barlowe primorum Episcoporum; tum maxime quia forma Pontificalis [illegible] auctо-

sint etiam licitæ (quod communiter dicunt intelligi etiam de prima Tonsura) necesse est, ut a proprio Episcopo suscipiantur, vel ab alio de illius licentia: *si secus fiat*, ait Tridentinum (1), *ordinans a collatione Ordinum per annum; et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Q. 3. *Quisnam est proprius Episcopus, quoad Ordines nempe legitime seu licite etiam suscipiendos?*

R. Ille est, cujus jurisdictioni quisque subjicitur: idque ex quadruplici capite contingere potest, nempe ratione vel *originis* vel *domicilii* vel *Beneficii ecclesiastici* vel *familiaritatis* seu *famulatus*. Hac de re Innocentius papa XII anno 1694 Bullam edidit valde celebrem, quæ incipit *Speculatores*, quamque refert Croix (2).

1. Ex Bulla Innocentiana, ut quis licite ordinetur *ratione originis*, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, v. g. occasione mercaturæ, legationis, officii, itineris, vel alterius temporalis moræ: quo in casu non fortuita nativitas, sed erit attendenda vera et naturalis patris origo; id est locus, in quo pater domicilium habet (3). Quid vero si filius sit illegitimus vel expositus vel infidelis baptizatus? Si 1, attenditur origo matris; si 2, locus in quo fuit expositus; si 3, locus in quo Baptisma recepit. Ita Paulus III Constitutione *cupientes*.

2. Ut quis licite ordinetur *ratione domicilii*, requiritur vel decennalis habitatio, vel translatio majoris partis bonorum in eum locum, et successiva permanentia per aliquod tempus: quod alii volunt esse triennium; alii vero id relinquunt arbitrio Ordinarii illius loci, in quem translata est major bonorum pars. Et in utroque casu semper requiritur, ut ordinandus jurejurando affirmet, se vere et realiter habere animum perpetuo ibidem manendi: ita Bulla Innocentiana. Qui vero relicto domicilio proprio, contrahit domicilium in loco originis, ordinandus erit ab Episcopo loci originarii, cum testimonialibus tamen Episcopi prioris domicilii. Quod si habeat domicilia diversa, poterit ab utriuslibet Episcopo ordinari; quia utrique Episcopo subditus est ratione domicilii, modo in iis æqualiter, licet non mathematice, habitet. Ita S. C. Congregatio.

3. Ut quis licite ordinetur ratione Beneficii, requiritur: 1 ut Beneficium pacifice ab eo possideatur, quodcumque illud sit, sive simplex sive duplex, sive jurispatronatus sive liberæ collationis, sive etiam Coadjutoria canonicalis, modo ordinandus habeat titulum; 2 ut non fuerit obtentum in fraudem Episcopi originis vel domicilii. Et quamvis valde sit probabile, quod Episcopus ideo alicui possit Beneficium conferre, ut ordinet, quia utitur ju-

ritate *Regis et Parlamenti* essentialiter fuit immutata. — *V.* Tournely, *De Ordine*. — Salzano, *Lezioni di diritto* ecc. vol. III, lez. 11.

(1) Sess. 23, c. 8 de R. — Hic autem notamus: Ordinum omnibus et ubique conferendorum potestate gaudet R. Pontifex ob summam suam in totam Ecclesiam jurisdictionem. In quo illud cum Benedicto XIV, Const. *In postremo* advertimus: qui ab ipso R. Pontifice minorem Ordinem susceperit, eum majorem licite suscipere non posse ab alio, nisi ab eodem Pontifice venia facta.

(2) Ejus porro tenori hic maxime inhæremus. — Item præstat videre Thomasinum, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars 2, l. I.

(3) S. C. C. 15 febr. 1704.

re suo; alii tamen id non admittunt, ajunt enim in hoc fraudem includi; 3 ut detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam vitæ sustentationem. Dicitur *per se*, ut indicetur, non posse suppleri per adjectionem patrimonii. Taxa autem sustentationis erit quæ viget in loco Beneficii, si illud sit residentiale; secus quæ viget in loco domicilii (1); 4 ut ante Ordinum susceptionem exhibeantur ordinanti litteræ testimoniales Episcopi tam originis, quam domicilii super Ordinandi natalibus, ætate, moribus et vita. Et cum tali ordinando, ut verius dicunt, Episcopus Beneficii potest dispensare super interstitiis; nam cum iste ordinandus jam sit subditus Episcopi Beneficii quoad Ordines, fit etiam talis quoad cætera omnia ad Ordines ipsos pertinentia. — Si autem plura quis habeat Beneficia in Diœcesibus diversis, iste potest ordinari a quolibet illorum Episcoporum, modo adsint conditiones jam supra numeratæ. Ita communiter; tunc enim verificatur clausula, scilicet *ratione Beneficii*.

4. Ut quis licite ordinetur *ratione famulatus*, requiritur: 1 ut per integrum moraliter triennium Episcopus eum in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, quamvis triennium fuerit incæptum ante ejus promotionem ad Episcopatum; 2 ut ei Episcopus Beneficium ad sustentationem sufficiens, quacumque fraude cessante, saltem intra terminum unius mensis a die factæ Ordinationis, reipsa conferat. Quamquam ex S. C. Congregatione potest eum ordinare etiam ad titulum patrimonii vel pensionis, si suæ Ecclesiæ utilitas vel necessitas id expostulet; 3 ut litteræ testimoniales natalis, ætatis, etc, exhibeantur proprii Prælati originis et domicilii. Cæterum licitum est ordinando unum Ordinem recipere ab Episcopo originis, alium ab Episcopo domicilii vel Beneficii, modo non fiat in fraudem. Ita Tridentinum (2), Innocentius XII (3), et S. C. Congregatio (4).

Nomine autem *familiarium* Episcopi intelliguntur qui Episcopo famulantur, et vivunt ejusdem expensis, etsi in ejus ædibus non habitent, modo degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope. Secus si distent per decem leucas, ut docent aliqui, vel per duas *dietas* juxta alios, idest iter duorum dierum. Imo nomine *familiarium* volunt etiam ipsos famulos famulorum intelligi, modo absit fraus: nempe modo Episcopus non permittat familiares suos habere multos alios sub se, ut possit eos ordinare, et modo omnes expensis propriis alat; tunc enim uti veri Episcopi famuli reputantur.

Q. 4. *An quis possit licite ordinari ab Episcopo alieno tantum sub spe, quod Episcopus proprius ratam habebit Ordinationem?*

R. Affirmant nonnulli, si inter Episcopum ordinantem et proprium magna amicitia intercedat. Sed verius negatur; nam Tridentinum ad tollendos

(1) An autem a tali taxa sint detrahenda Missarum onera, id *relinquitur arbitrio et conscientiæ Ordinarii*, ut refert definitum Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. XII, c. 9; et *Notificatione* XVI. —*V.* infra ubi de *Titulo*.

(2) Sess. 23, c. 6.

(3) Bulla citata, § 6.

(4) *An* (quæres) *Episcopi titulares, qui non habent nec populum nec Clerum, possint licite ordinare familiares suos?* — R. Negative: non possunt *absque expresso consensu Prælati proprii, et si id agere præsumpserint, ipsi ab exercitio Pontificalium per annum; taliter vero promoti ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.* Ita Tridentinum (sess. 14, c. 3).

errores et dissidia, aperte exigit licentiam expressam Ordinarii proprii (1). Item est probabilius, non posse Episcopum dispensare ad irregularitate vel alio canonico impedimento alienum subditum, qui ipsi dimissus fuit, ut eum ordinet; tum quia privilegia non extenduntur extra casum expressum; tum quia in disparatis non fit illatio, quando facultas data non est necessario cum alio connexa. Aliter esset, si quis fuerit dimissus ad Subdiaconatum, et Minores nondum susceperit, item neque Confirmationem: tunc et Confirmatio et Minores conferri poterunt; quia in majori necessario includitur minus, quando agitur de re in eodem genere (2).

CAPUT TERTIUM

DE ORDINATIONIS SUBJECTO.

Q. 1. *Quid requiritur ad validam Ordinationem in subjecto?*

R. Tria requiruntur: Baptismus, sexus masculinus et intentio.

1. *Baptismus:* nulla enim Sacramenta possunt valide suscipi sine Baptismo, qui est janua omnium Sacramentorum.

2. *Sexus masculinus: mulieres in Ecclesiis taceant*, ait Apostolus (3). Jam vero si mulieribus ne loqui quidem in Ecclesia permissum est, quanto minus licebit valide Ordines suscipere! Constat etiam ex consensu universalis Ecclesiæ, quæ jampridem damnavit Montanistas et alios hæreticos, qui fœminas ad SS. Ordines promovebant. Unde Epiphanius (4): *apud veræ Religionis cultores nulla umquam mulier Sacerdotio functa est.* Constat etiam et habetur definitum in jure (5). Sane *per Sacramentum Ordinis significatur et confertur aliqua eminentia gradus, quæ non habet locum in muliere*, ut ait Angelicus (6); cum mulier sit in statu dependentiæ *(D)*.

3. *Intentio, si de adultis sit sermo:* neque enim gratia est tribuenda non petenti, cum eam potest petere. Diximus *si de adultis sit sermo;* nam quamvis nonnulli contendant infantes invalide ordinari, contrarium tamen alii verius et communiter affirmant cum D. Thoma: qui docet *valide suscipi etiam ante usum rationis* omnia Sacramenta, quæ non requirunt actum suscipientis, sed solummodo in eis datur aliqua potestas spiritualis, ut sunt Baptismus, Confirmatio et Ordo (7).

Q. 2. *Quid requiritur ad licitam Ordinationem in subjecto?*

(1) Cæterum Episcopus proprius bene poterit ratam habere talem Ordinationem sine recursu ad Pontificem; cum possit ipse per se ordinatum liberare a suspensione Ordinis suscepti, ut docet Tridentinum. *Sess.* 14, c. 3.

(2) Quoad Regularium Ordinatione *v.* tomum I: *de statu religioso.*

(3) I Cor. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 781.

(4) Hæresi 94. (5) C. *Nova* de pœn. et rem.

(6) Suppl. q. 39, a. 1.

(7) Putat tamen Angelicus non posse pueros ante rationis usum valide suscipere Episcopatum (*Quod. l XXXIX art.* 2); quia per O dinem hunc contrahitur quoddam matrimonium spirituale cum Ecclesia, ad quod requiritur consensus contrahentium. Verum neque quoad Episcopatum alii id admittunt: nam cura pastoralis subsequitur characterem, qui jam independenter a consensu imprimitur; cum character non actum, sed potestatem ad actum solummodo tribuat.

R. Varia requiruntur ad Ordinem non solum valide, sed etiam licite suscipiendum. Alia intimius animam ordinandi afficiunt, *ut divina vocatio, intentio recta, probitas vitæ* et *animus clericandi*. Alia exterius in ipso requiruntur, ut *Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, ætas, scientia, titulus, Exercitia spiritualia, Ordinatio per gradus, et inmunitas a censura et irregularitate.* Alia potius ipsius Ordinationis modum spectant, ut *interstitia, tempus, locus, Communio* ac *legitimus Episcopus* (1).

N. 1.—Divina vocatio, intentio recta, probitas, animus clericandi.

Q. 1. *Quid de divina vocatione ad Ordines?*

R. Divina vocatio ad Ordines definitur: *actus providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis eligit ad ministerium ecclesiasticum; eosque congruis dotibus præparat ad ejusdem ministerii officia digne et laudabiliter obeunda.* Vocationis necessitatem gravem sic docet Apostolus (2): *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aäron.* Docet Christus, cum sic Apostolos alloquitur (3): *non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* imo et ipse Christus *non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu* (4). Docet et *Ordinis sublimitas*, et *muneris sanctitas* et *oneris gravitas.* Hinc Doctorum sensus est, non vocatum esse veluti membrum e suo loco dimotum, quod aliquomodo adhuc servire potest; sed imperfecte nimis, ac nonnisi cum deformitate: qui proinde magno damnationis periculo se exponit (5).

Ordinaria divinæ vocationis signa duo sunt præcipua: 1 est singularis quædam ad statum hunc propensio; hæc enim si dulcis, si constans, si fortis, nonnisi ab Auctore naturæ esse potest, qui omnia disponit, nihil frustra moliendo; 2 est initium virtutum, quæ Ecclesiastico sunt propriæ, ut ardens charitas, sacrorum studium, castitatis amor, rerum divinarum cura, quam perbelle describit Hieronymus in suo Nepotiano adhuc Clerico: *erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, si vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si rasa luculenta, et in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita, non minus, non majus negligebat officium.*

Principaliora autem media ad probandum, an vocationis spiritus a Deo sit, sunt: 1 Oratio, dicente Scriptura (6): *qui quærit, invenit.* Unde cum reali Psalmista frequenter ad Deum est inclamandum (7): *notam fac mihi viam, in qua ambulem;* 2 Consilium; ait enim Sapiens: *sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis; astutus omnia agit cum consilio* (8). Expe-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 783. — Tannoja, *Vita di S. Alfonso* ecc. Torino, Marietti, 1857, lib. III, c. 28: scienza e bontà ricercata da Alfonso ne' giovani Ordinandi, e sua condotta co' novelli Sacerdoti. — Benedictus XIV, *Notificationibus* II, XXIII, XXVI XLII, LVI et LXXII, ubi plurima eruditissime more suo. — Quoad requisita *v.* Synodus Novariensis pagg. 143, 346 et seqq. — Sed maxime Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, ubi res tota amplissime discutitur.

(2) Hebr. 5. (3) Joann. 15.

(4) Hebr. 5. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 802.

(5) *V.* Habert et Concina, *Tract. de Ordine.*

(6) Luc. 11.

(7) Ps. 142. (8) Eccli 32; et Prov. 13.

rientia sane constat, neminem sibi sufficere, quantumvis prudentem ac doctum. Unde Chrysostomus: *licet mirum in modum sis sapiens, et perspicias quæ oportet; attamen homo es, et consiliario tibi opus est: solius Dei est nullo indigere consiliario* (1). Verum ut consilium sit sine pœnitentia, omnia nude pio, docto, et prudenti consiliario sunt aperienda: quot inveniuntur, maxime juvenes, qui amant decipi, qui consilia cupientes sibi placentia, quæ magis sunt aperienda, cooperiunt, tacent, dimidiant! vel nimis faciles, atque ignaros consiliarios quæritant (2)!

Q. 2. *An requiratur recta intentio seu finis in Ordinis susceptione?*

R. Si nulla actio bona esse potest, quæ non fiat bono fine, id fortius dicendum, ubi agitur de re tam gravi, qualis est Sacerdotalis status electio. Porro hic finis principalis et immediatus paucis ab Apostolo describitur (3): *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Mortaliter ergo peccat qui principaliter sacræ militiæ petit adscribi ob fines humanos, quasi sine curis victurus, cum ad curas pervenerit (4).

Q. 3. *An ad Ordines requiratur probitas vitæ?*

R. Probitas vitæ non solum requiritur in actuali Ordinis sacri susceptione, cum sit Sacramentum vivorum; sed multo ante, nam status clericalis status perfectionis est, non pœnitentiæ. Unde ajebat D. Bernardus: *nos in monasteriis omnes recipimus spe meliorandi; in Clero autem viros probatos deligi oportet, non probandos* (5). Sed quomodo dignosci poterit, utrum ordinandi tali sint probitate præditi? Olim Archidiaconi partes et munus erat eorum doctrinam et indolem explorare: etiam hodie petitur ab Archidiacono, dum sacra Ordinatio peragitur, utrum ordinandos satis idoneos arbitretur: quod ipse affirmat; sed hæc fiunt, ut ritus antiquitatis servetur; etenim neminem latet ordinandorum ingenia ac mores ab Archidiacono nullo pacto cognosci. Quare Tridentinum, servato veteri ritu, novam disciplinam invexit, jussitque promulgari in Ecclesia (nempe domicilii) illorum nomina, qui Ordines exquirunt (6); atque per prudentes viros peritos divinæ legis ac in

(1) Hom. 9 *de laudibus Pauli.*

(2) Episcopus Falcoja cuidam, qui cum ipso conquerebatur, eo quod initum consilium ab Alphonso Liguori fundandi suam Congregationem approbaverat, ita respondit: «V. sabe bien que la obligacion del Padre espiritual no se entiende á dar vocaciones: es propio de la divina Providencia que hizo los nichos en el paraiso para colocar en ellos las estatuas que se trabajan en la tierra, y que en la tierra ha dispuesto tantas oficinas y las ha colocado de tal modo que sean trabajadas en ellas sus altísimas disposiciones, las estatuas racionales que han de ser colocadas en aquella galería de bienaventurados. Y para que toda la afluencia no sea en una sola oficina, él mismo dispone que uno se aplique á una, y otro á otra. Por lo que el Padre espiritual no debe hacer mas que aprobar ó reprobar las vocaciones: así cuando el alma se entrega á Dios y á su divina palabra: *qui vos audit, me audit*, debe creer que no se engaña. Podria engañarla el Padre espiritual, podréis decirme. Pero yo respondo que la bondad y fidelidad de Dios no deja de comunicar sus luces á los que ha puesto en el mundo para iluminar á los demás; de lo contrario, ¿qué seguridad tendriamos de acertar su voluntad divina? *V. Della Vita ed Istituto di S. Alfonso M. de Liguori*, ecc. Libri IV del P. Antonio M. Tannoja, l. I, c. 29. Marietti, Torino, 1857.

(3) Hebr. 5. — *V.* Liguori, *Homo Apost.* Append. III, n. 45.

(4) *V.* Clary, *Lo spirito, ed i principali doveri del Sacerdote*, Omel. 2 et 3.

(5) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 801. — Savoy, *Doveri* etc., tom. I de Oblig. Cleric.

(6) Hoc Synodus Novariensis præcipit etiam cum agitur de habitu, et prima tonsura suscipien-

ecclesiasticis sanctionibus exercitatos diligenter investigari et examinari ordinandorum *genus*, si legitime nati; *personam*, si liberi sint neque irregulares, neque malo fine ducti; *ætatem*, si canonica sit, quod quidem legitimis attestationibus comprobatur; *institutionem*, si nempe habeant ut honeste vivant; *mores*, si tanto ministerio respondeant; *doctrinam*, si talis ut sufficiat ad Ordinem cui sunt promovendi; et *fidem*, si in ea bene fundati, ut alios edocere valeant (1).

Q. 4. *An ad Ordines suscipiendos requiratur animus clericandi?*

R. Cum status clericalis stabilis sit, ex se habet, ut qui eum suscipit, teneat permanenter; atque ideo, ut habeat animum clericandi. Hinc Tridentinum loquendo de Tonsura (quod dicendum est a fortiori de Ordinibus) requirit expresse hunc animum (2).

Sed hic quæstio est, *utrum peccet graviter suscipiens Ordinem cum voluntate implendi quidem onera ei adnexa, sed non ascendendi ad superiorem?* — R. Affirmandum, si iste habeat Beneficium Ordinem sacrum requirens, ut Beneficium curatum; quia committeret gravem inordinationem. Si aliud Beneficium habeat, recte ait Layman, eum graviter non peccare: imo probabiliter per se ne venialiter quidem; nam Concilium non requirit, nisi intentionem præstandi Deo fidelem cultum. Adde quemlibet Ordinem ex se ideo conferri, ut ordinatus Deo inserviat, proprium munus exercendo (3).

N. 2. — Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, ætas, scientia, titulus, Exercitia spiritualia, Ordinatio per gradum, immunitas a censura et irregularitate.

Q. 1. *An ad suscipiendos Ordines requiratur Confirmatio?*

R. Affirmative: *prima Tonsura,* ait Tridentinum, *non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint* (4). Communissime docent id obligare tantum sub levi; cum materia levis sit, et Concilium simpliciter impe-

da. Quæ proclamatio etiam in festis suppressis fieri potest; cum hæc suppressio nihil immutaverit quoad ecclesiasticas functiones peragendas in Ecclesia.

(1) Clarius hic in re triplex examen seu scrutinium distingui potest: *scrutinium prælim inare*, quod fit mense ante Ordinationem ad dignoscenda nomina ordinandorum et indaganda eorum moralitate; *scrutinium verum*, quod fit paulo ante, in quo repelluntur indigni, ac digni admittuntur; tandem *scrutinium formæ*, quod fit in Ordinationis initio, ut vestigium habeatur veteræ disciplinæ (Tridentinum, *sess.* 23, *cap.* 5 *et* 7 *de Ref.*) — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXII. — Abelly, *Episcopalis sollicitudinis enchiridion.* — Nardi, *Elementi di diritto eccles.* § 367. — Pichler *Jus canonicum.*

(2) Sess. 23, c. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 785. — Qui initiatus in Minoribus uxorem ducit non peccat graviter; imo neque venialiter per se loquendo, si habeat causam, v. g. ad sedandas inimicitias, aut tentationes carnis, vel subveniendum fœminæ pauperi. Attamen qui certus est de sua vocatione ad statum ecclesiasticum videat, ne se committat in malo statu, ab illo recedens.

(3) Qui tamen tonsuram susciperet animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad sæculum; probabilius non excusaretur a mortali: quia sic agere fraudem appellat Tridentinum. Revera iste graviter defraudaret Ecclesiam, abutendo nempe suis ministeriis ad fines temporales. — Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 113; l. VI, n. 784.

(4) Sess. 23, c. 4. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 886.

ret aliud non addendo: et valet de omnibus Ordinibus exemplo Apostolorum, qui nonnisi in Pentecoste fuerunt confirmati. At nullus hodie ad Ordines admittitur ante Confirmationem.

Q. 2. *An ad Ordines sit necessarium Ordinis suscepti exercitium?*

R. Cum consecratio ad aliquam actionem detur propter actionem ipsam; ideo congruum est, ut susceptus jam Ordo exerceatur antequam suscipiatur novus. Id Tridentinum præscribit, et quidem ut in propria Ecclesia Ordo exerceatur (1). Attamen nisi strictum præceptum detur ab Episcopo, non erit lethalis culpa omissio hujusmodi exercitii, ut docent Salmanticenses; cum sequentia verba Concilii potius habeantur uti consultiva, quam uti præceptiva: *in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant.* Imo nullum peccatum, si agatur de Ordinibus minoribus, quorum exercitium obsolevit.

Q. 3. *Quænam ætas ad Ordines requiritur* (2)?

R. Pro prima Tonsura requiritur saltem septennium ex Benedicto XIV, Bulla *Inter sollicitas.* Ubi tamen viget § 15 Instructionis Benedictinæ requiruntur 13 anni completi, nisi agatur de arctatis. Pro Minoribus nulla est præscripta ætas; usus tamen est, prout ait idem Pontifex, ut ii conferantur ab anno 7 ad 14. Pro Subdiaconatu statuitur annus 22. Pro Diaconatu 23. Pro Sacerdotio 25 ex Tridentino (3). Pro Episcopatu requiritur annus 30 completus: si Galliam excipias, pro qua indultum est, ut sufficiat annus 27.— Annus incæptus, si Episcopatum excipias, habetur pro completo, ut declaravit S. C. C. Est autem annus computandus non a Baptismate, sed a nativitate ex eadem Congregatione (4). Dispensare super ætate reservatur S. Pontifici, qui nonnisi pro Sacerdotio id indulgere solet, justa semper accedente causa, quæ judicio Episcopi relinquitur definienda.

Si Episcopus ante legitimam ætatem sine dispensatione ordinaret, esset a collatione Ordinum suspendendus (5); imo si ageretur de prima tonsura, esset ipso jure per annum ab illius collatione suspensus (6). Quod vero pertinet ad ordinatum, scienter sic Ordines recipiens, ipso facto perpetuam incurrit suspensionem Papæ reservatam, vel Episcopo, si sit occulta. Et si ea durante, in suscepto Ordine ministrare præsumpserit, incurrit etiam irregularitatem (7). Non item vero, si ad alium Ordinem ascenderit, ut ex S. C. C. tradit Benedictus XIV (8).

(1) Sess. 23, c. 11 et 13. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 801.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 799; et *Opera Dogmatica,* sess. 23, n. 57, ubi ait: *antiguamente para los Sacerdotes se exigia la edad de* 30 *años, para los Diáconos la de* 25, *para los Obispos la de* 50 *segun las Constit. Ap.* l. II, c. 1 *bien que para los Obispos no se exigió despues mas que la edad de* 30 *años.* — *V.* Thomasinus, *Vetus et nova Eccl.* etc. l. II, c. 67.

(3) Sess. 23, c. 22 etc. Et c. *cum in cunctis* 7 de elect.

(4) Neque verius potest excludi dies, qui superest in anno bissextili; nam anni computandi sunt juxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ recte statuit de quatuor in quatuor annos addi unum diem propter horas, quæ in quolibet anno supersunt. Probabilius autem est, non posse quempiam ordinari mane illius diei, in cujus vespera complet ætatem requisitam; nam mane non potest dici revera ætatem illam attigisse: sic v. g. pro Subdiaconatu ætas debet esse annus 22 incæptus, unde qui annum 21 non vere complevit, minime potest dici annum 22 attigisse.

(5) Ex c. 13 *de temp. ord.*

(6) Ex c. *finali* eod. tit. in 6.°

(7) Extrav. *Cum ex Sacrorum* etc.

(8) *De Syn. Diœc.* l. XII, c. 3.

Q. 4. *Quænam scientia ad Ordines requiritur* (1)?

R. Tridentinum pro initiandis ad Tonsuram requirit, ut *edocti fuerint rudimenta fidei, et sciant legere et scribere.* Pro initiandis ad Minores, *ut linguam latinam intelligant.* Pro Subdiaconis et Diaconis requirit, *ut sint litteris, et in iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.* Pro Sacerdotibus *ut ipsi ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur* (2). Ubi verba *ad administranda Sacramenta* non tantum indicant ea sciri debere, quæ ad Sacrificium et Eucharistiæ administrationem, Baptismum et Extremam-Unctionem pertinent, quorum sunt ministri; sed ea etiam quæ ad Pœnitentiam spectant. Debent enim presbyterandi scire universaliora principia moralia, quibus solvere valeant dubia occurrentia in necessitatis casu: ac specialiter scire quando, quomodo, et qua ratione possint absolvi moribundi: secus non videntur posse a gravi culpa excusari. Et hæc est doctrina Angelici (3), S. Caroli (4), ac Benedicti XIV (5).

Tandem pro Episcopo requiritur ex Tridentino (6), quod *scientia hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere: ideoque antea in universitate studiorum magister sive doctor, aut licentiatus in S. Theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.* Episcopi autem nominati Italiæ et Insularum adjacentium pro examine et Ordinatione Romam petunt (7).

Q. 5. *Quid de titulo ad Ordines?*

R. 1: Titulus ad Ordines definitur: *jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam, pro honesta Clerici sustentatione.* A pluribus œcumenicis jampridem Conciliis, novissime a Tridentino titulus est inductus: tum ne clerici defectu sustentationis mendicare cogantur vel quid sordidum exercere; tum ut liberius spiritualibus vacent, quin temporalium sollicitudine distrahantur (8). (Ubi viget § 14 Instructionis Benedictinæ ut in Sabaudiæ Regno, ad Tonsuram requiritur titulus: aliis vero in locis titulus necessarius est pro solis Ordinibus sacris). Quæ lex adeo firma est, ut Cleri-

(1) *V.* Liguori *Opus Mor.* l. VI, n. 792; et maxime *Homo Ap.* tr. VII, n. 52.

(2) Sess. 23, c. 4, 11, 13 et 14. (3) In 4, d. 24, q. 1, a. 3.

(4) Conc. Med. V. (5) *Notificationibus* XXXII et XLII. (6) Sess. 22, c. 2.

(7) *V.* Fagnanus, c. *Nisi cum prid.* n. 63 *de renunt.* Tria hic observanda sunt: — 1 licet Episcopus possit ordinare qui doctrinam a Tridentino requisitam habent: non ideo tamen prohibetur, ut majorem a suis subditis exigat. Quod quidem laudabiliter passim fit ab Episcopis, maxime hisce nostris temporibus; Concilium enim sua lege voluit tantummodo modum imponere: ne illitterati promoveantur; — 2 recte advertunt, rigorosius esse examinandos Subdiaconos; nam Clerici semel constituti in Ordine subdiaconali, cum ecclesiastico ministerio perpetuo detineantur, una vel altera vice opus erit, ut ad altiora ascendere permittantur; vel si non permittantur homines erunt, ut ita dicam, nec laici nec clerici, extra locum, in difficili positi, atque in desperationem quasi conjecti; — 3 commune est ex ipso Angelico (*Suppl.* q. 36, a. 2) pro Regularibus minorem scientiam requiri; quia illi de se ordinantur tantum ad chori et altaris servitium. Aliter tamen esset, si Regulares ad omnia sacerdotalia officia deputentur, ut hodie passim fit.

(8) Sess. 21, c. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 813. — Regulares ordinantur *titulo paupertatis,* quam solemniter profitentur; et vi professionis hujusmodi sustentari debent statim ac professi sunt ex bonis communibus Ordinis ex Const. Pii V, *Romanus.*

cus scienter ordinatus sine titulo incurrat suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti, et quidem ipso facto ex Benedictina Constitutione: quod valet ex S. C. C. etsi titulus adsit, sed fictus; quia titulus *fictus* et *nullus* sunt verba synonima. Ad Episcopum autem sic ordinantem quod attinet, si sit in culpa, mortaliter peccat: et ex eadem Constitutione est per annum a collatione Ordinum ac usu Pontificalium suspendendus. Imo sic ordinatum Clericum, si indigeat, tenetur Episcopus alere de propriis, donec titulum ei obtinuerit (1). Si vero Episcopus rem examinatoribus remiserit, qui mala fide titulum probaverint, ipsi pro rata tenentur ad ordinati sustentationem (2).—Insuper notandum, quod si titulus quo quis suscepit unum Ordinem pereat etiam casu, is non potest ad superiorem Ordinem ascendere sine novo titulo. At si casu perierit titulus, sed amplius ad alium Ordinem sit ascensurus ordinatus, qui aliunde habeat unde honeste vivere possit, non esset cur inquietari deberet.

R. 2: Titulus ad Ordines quadruplex distingui potest, nempe *Beneficii, capellaniæ laicalis, pensionis ecclesiasticæ* et *patrimonii*.

1. Ut Beneficium serviat pro titulo hæc jure requiruntur: 1 ut Beneficium sit verum ac proprie dictum; alioquin ecclesiasticum non esset, prout requirit Tridentinum; 2 ut canonice et pacifice possideatur: secus actu non inserviret ad sustentationem; 3 ut sit perpetuum, uti status clericalis perpetuus est; 4 ut ejus reditus annuus sit ad taxam Synodalem, ita ut sufficiat ad honestam vitæ sustentationem. Pro Novariensi Diœcesi taxa est summa libellarum 240 monetæ novæ pedemontanæ, omnibus detractis sumptibus atque oneribus pecuniæ tam ab ipsa Beneficii fundatione quam a civili potestate impositis; imo centum et viginti libellæ liberæ omnino esse debent etiam ab omni Missarum onere (*pag.* 145) (3).

2. Ut Capellania laicalis ad titulum sufficiat, et induat quasi naturam Beneficii, necesse est, ut a patrono expresse et legali forma in Curia episcopali recognita detur in titulum, cum obligatione illam non repetendi, donec Clericus alium titulum procuraverit.

3. Idem de pensione ecclesiastica currit, quod de capellania laicali dictum est: nempe ubi rite et debitis formis fulciatur in Curia cognitis, æquiparatur Beneficio. Quod autem de pensione ecclesiastica idem currit de legatis

(1) C. *Cum secundum* de præb. (2) Glossa in c. *Cum secundum.*

(3) Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XII, c. 9, quærit: an onera Missarum sint omnino detrahenda ad titulum: respondit id a S. Congregatione judicio et conscientiæ Episcoporum esse relictum, *qui spectatis locorum et personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuant, vel etiam in Synodo per modum legis decernant, an onera Missarum sint vel non detrahenda e reditibus Beneficii. V.* etiam *Notificatio* XXVI, n. 6. — It *v.* De Legibus ubi *de derogatione.*

En regula ad videndum, utrum titulus sit ad taxam præfixam: quoad reditus fundorum qui semper variant, computatio fit (a peritis tamen) habita ratione redituum unius novennii; quoad onera Missarum vero, pro qualibet imposita Missa, detrahitur moneta una nova pedemontana (*un franco*) etiamsi agatur de festivis; festivæ autem in genere 70 numerari solent: hoc porro modo, detractione facta, videndum qui reditus remanent. Si vero defectus Beneficii sit modicus, licite quis ordinatur; secus si sit notabilis; notabilem autem merito esse censet Viva defectum quintæ partis. Qui actu possidet Beneficium, sed reditus exigere non possit usquedum Sacerdos, bene posset ordinari Subdiaconus et Diaconus juxta Barbosam et Garciam. — Liguori *Op. Mor.* l. VI, nn. 815-816.

piis. Si vero Beneficium, pensio ecclesiastica, vel legatum pium non sufficiat, fieri potest supplementum ut pertingat ad taxam 120 libellarum absque onere.

4. Quoad patrimonium, ex Tridentino ii solum hoc titulo ordinari possunt, *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum.* Patrimonium autem debet esse: 1 perpetuum ex dictis; 2 fundatum in reditu certo, fixo ac libero (1), et hypotheca munitum (si fundetur ex toto vel ex parte in aliqua domo, debet esse fructifera, id est talis ut ratione locorum possit locari, et insuper ab incendio assecurata); 3 in Curia episcopali approbatum, atque ad taxam Synodalem conflatum: pro Diœcesi Novariensi debet esse annuarum libellarum 240 monetæ novæ pedemontanæ, oneribus cujusque generis detractis (*pag.* 146). Idem dicendum est de pensione laicali. Pensio laicalis sicut et patrimonium potest etiam constitui sub clausula *donec Clericus consequatur alia bona;* sed tamen prior titulus non extinguitur, donec novus in illius locum ab Episcopo subrogetur.

Patrimonium ecclesiasticum potest etiam constitui in censu redimibili, modo Episcopus provideat casu redemptionis, ut pecunia in alio reditu certo impendatur (2). Item potest constitui tam in Montibus (3), quam in syngraphis nominativis debiti publici, si tamen hypothecæ supponantur; nam et census et loca Montium et singraphæ istæ veniunt nomine immobilium (4).

Si quis vero ordinetur titulo patrimonii sibi donati; sed clam data fide de eodem restituendo post Ordinationem, tunc si donator verum non habebat animum donandi, Clericus tenetur patrimonium restituere; cum ex donatione ficta nullum jus acquisierit. Et ideo ex Constitutione *Romanus Pontifex* S. Pii V incurrit suspensionem, utpote ordinatus sine vero titulo. Si vero donator verum habebat animum donandi, tunc Clericus nullam pœnam incurrit; cum patrimonium vere fuerit assecutus, licet peccet ob tale pactum. Imo ex Benedicto XIV (5) non tenetur pactum servare, nempe patrimonium restituere, utpote præscriptioni Tridentini contrarium, quod statuit ut *sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possit.*

An quis (quæres) *possit ordinari titulo industriæ propriæ?*—Sunt qui docent Clericum, qui v. g. est pictor, ludimagister, etc. posse in ipsa sua professione fundare titulum ad Ordines. Attamen verius id inficiamur cum Benedictio XIV, qui refert id declaratum fuisse á S. C. Congregatione. Et me-

(1) Hinc si quis alicui conficeret patrimonium publico instrumento ad taxam definitam, sed sub fide non percipiendi reditus nisi in necessitate, patrimonium ecclesiasticum non conficeret; nam hoc modo non haberetur reditus certus de præsenti, liber ac perpetuus. — *V.* Ferraris, *V.* Patrimonium, Ordo, etc. (2) Benedictus XIV, *Notificatione* XVI.

(3) S. C. C. 28 junii 1704. (4) Clement. *Exivi* § cumque ann. redit.

(5) *Notificatione* XXVI. Quod si quis nullo præcedente pacto, post susceptum Subdiaconatum vel Diaconatum patrimonium, vere donatum renuntiet donatori, vel quomodolibet alienet et sic Sacerdotio initietur, declaravit S. C. Congregatio 6 martii 1638. eumdem non incidere in censuras; sed actum nullum efficere. Imo ex eadem S. C. 4 febr. 1652, Clericus sine licentia Episcopi non potest patrimonium renuntiare, licet aliunde habeat, ut honeste vivat; nam statim ac illud constitutum est, inter bona ecclesiastica adnumeratur. Attamen ex alio Decreto S. C. 5 febr. 1604 non est vetitum Clerico hypothecare patrimonium, quoad eam partem fructuum quæ supersit ad ejus sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, juxta judicis ecclesiastici arbitrium. — Liguori, *Op. Mor.* l. VI, nn. 821 et seqq.

rito : neque enim iste titulus pacifice possidetur ac perpetuo ; cum facile possit ob morbum aliamve causam in fumum abire. Adde ex Instructione Benedictina pro Regno Sabaudo exigi, ut in re, non in spe constituatur.

Q. 6. *An Ordinibus sint spiritualia Exercitia præmittenda* (1)?

R. Innocentius XI per S. Congregationem Episcoporum et Regularium 9 octobris 1682 mandavit, ut singuli majores Ordines suscepturi per decem continuos dies spiritualibus Exercitiis vacent : hoc confirmavit Clemens XI anno 1710: quæ porro lex cum sit papalis ab Episcopo dispensari nequit. Synodus autem Novariensis merito hortatur ut qui in Minoribus sunt ordinandi, id etiam agant saltem per triduum : Exercitia enim maxime conferunt ad obtinendum a Deo *spiritum rectum*, qui dirigat intentionem ; *sanctum*, qui mundet affectum ; *principalem*, qui firmet operationem.—Huc referri potest etiam jejunium ab ipsa Apostolica traditione manans, quod generalibus Ordinationibus præmittitur : hoc enim ad gratiam efflagitandam mirifice inservit (2).

Q. 7. *An Ordinatio fieri debeat per gradum?*

R. Ordinatio per gradum in eo consistit, ut quis legitimam Ordinum seriem in illorum susceptione servet : *qui mala fide* per saltum ordinatur, graviter peccat, ac suspensionem incurrit ab exercitio illius Ordinis, quousque dispenset Episcopus (3). Diximus *qui mala fide ;* dolo enim carens non peccat ; sed tantum ei prohibetur exercitium Ordinis suscepti, donec suscipiat omissum. Attamen unius Ordinis collatio ante alium est valida ; cum tradantur distinctæ potestates. Excipe in omnium sensu Episcopatum, qui absque Sacerdotio esset nullus, vel quia ille nonnisi istius extensio est ; vel melius quia Episcopalis suprema potestas ex divina institutione nonnisi ordinato in Presbyterum conferri potest, ut commune est.

Q. 8. *An ordinandus debeat esse immunis a censura, atque ab irregularitate?*

R. Ordinandus debet esse immunis a censura et irregularitate : nam censura privat bonorum Ecclesiæ participatione : irregularitas inhabilem facit ad Ordinem ; utraque ergo impedit Ordinationem. Hinc ex Pontificali R. Episcopus, antequam ordinare incipiat, sub excommunicatione præcipit, ne alterutro impedimento ligatus accedat ; sicuti nec minime descriptus, aut non approbatus aut extraneus. Si tamen nihilominus accederet, esse valide ordinatus (4).

N. 3.—Interstitia, tempus, locus, Communio, Episcopus proprius.

Q. 1. *Quid de Interstitiis ?*

R. Interstitia sunt *ea temporis intervalla, quæ inter unum et alium Ordinem excurrere debent.* Hæc sapienter sunt instituta ; interim enim Clerici se

(1) De Exercitiorum origine et utilitate *v.* Benedictus XIV, *Notificat.* LI et CIV.

(2) *V.* Muratori, *In Anedoct.* l. II, diss. *de jejunio quat. temp.* — Valfridius, *De usu et instit. jej. quat. temp.*

(3) Cap. nn. de Cler. per saltem ord. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 793.

(4) Benedictus XIV, *De Sacrif. Missæ*, l. III, c. 10.

magis probant, et in Ordine suscepto sese exercent (1). Interstitia diversa sunt pro Ordinum diversitate: ac

1. Tridentinum inter minores Ordines requirit aliquod spatium, *nisi Episcopo aliud expedire magis videatur;* latitudinem tamen non taxavit. Nihil autem impedit, ut cum Ordine minori una simul tonsura conferatur; cum hæc non sit Ordo. Apud nos receptum est, ut duo minores simul eodem die conferantur; alicubi vero omnes minores Ordines uno conferuntur die.

2. Ut a minoribus ascendatur ad Subdiaconatum Tridentinum requirit annum, *nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Sub gravi tamen prohibetur in jure quatuor minores simul cum Subdiaconatu eodem die suscipere (2): et taliter ordinatus fieret irregularis quoad alios Ordines suscipiendos (3).

3. Ut ascendatur a Subdiaconatu ad Diaconatum, adhuc unum annum Tridentinum requirit, *nisi aliud Episcopo videatur:* unde hic ad dispensandum quævis rationabilis causa sufficit. Qui porro non servat interstitia, si eodem die duos Ordines sacros sumit, peccat mortaliter, suspensus est ab ultimo Ordine ac fit irregularis (4). Si eos tamen sumit diversis diebus, tunc si servat legitima tempora, peccat utique præceptum violando; sed pœnam arbitrio Episcopi decernendam reliquit Clemens VIII, qui Bullam Sixti V hac in re severiorem temperavit. Si vero tempora non servet, incurrit præter gravem culpam etiam suspensionem; quam tamen a Sede apostolica ad Episcopi arbitrium revocavit idem Clemens VIII, Constitutione *RR. Pontificum.*

4. A Diaconatu ad Sacerdotium Tridentinum requirit saltem anni intervallum, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur.* Quæ verba S. C. C. declaravit intelligenda esse disjunctive (5), adeo ut vel sola utilitas satis sit, Episcopi judicio.

5. Quoad Episcopatum requirit Tridentinum, ut consecrandus Episcopus in sacro Ordine antea saltem sex mensibus sit constitutus (6).

Hic notandum: 1 dispensationem interstitiorum ad Episcopum pertinere etiam quoad Regulares. Non potest tamen Episcopus dispensare subditum alterius sibi dimissum sine habita facultate; 2 hanc potestatem esse etiam Vicarii generalis, si habeat mandatum generale. Item capitularis, cum succedat in ordinaria jura Episcopi. Ita S. C. C.

Q. 2. *Quonam tempore Ordines conferri possunt?*

R. Tonsura ex Pontificali romano quocumque die, hora, loco potest licite conferri. — Ordines vero minores, si ea sit consuetudo, feria VI aut IV ante

(1) Tridentinum, *sess.* 23, c. 11, 13 et 14. Jure antiquo rigorosior erat disciplina quoad interstitia: « Romani Pontifices Siricius, Cœlestinus, ac Leo M. tempus interstitiorum sanxerunt, nempe per duos annos in lectoratu atque exorcistatu permanendum, per quinquennium in acolytatu et subdiaconatu, ac per aliud quinquennium in diaconatu. » Benedictus XIV, *Notificatione* LVIII. — Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 795.

(2) C. 2 *de eo qui furtive.*

(3) Ita ex S. C. C. 7 maji 1707 in Bovensi. — *V.* Pavone *Spicilegio* ecc. § 201. — Benedictus XIV, *Notificatione* XVI.

(4) Ex c. *litteras* de temp. ord.

(5) Annus non computatur *mathematice* de die in diem; sed *ecclesiastice* a quatuor temporibus unius anni ad alia quatuor anni sequentis, etsi annus materialiter integer non sit.

(6) Sess. 22, c. 2 de R. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 794.

generalem Ordinationem omnibus generatim dari possunt: secus sunt conferendi e die, quo Ordines majores. Diximus *omnibus generatim;* nam *licitum est Episcopis dominicis, et aliis festis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere,* verba sunt Alexandri III (1): quæ verba communiter Doctores cum Sylvestro, S. Antonino, Innocentio IV, Tabiena, Henriquez, Turrecremata, Renzi, Granata, Salmanticensibus, Pisano, Bernardo, Gofri et Raynerio contra Hostiensem, Angelum et Hallerium explicant non uti taxativa, sed uti exemplificativa: et ideo ajunt plures, quam duos adhuc promoveri privatim posse. Et probant etiam ex Glossa in citata verba: *numquid plures? utique, dummodo non videatur generalis Ordinatio* (2). Majores tandem Ordines conferri possunt tantum in sabbatis quatuor temporum: sabbato ante dominicam Passionis: et sabbato ante dominicam Paschatis (3). At quod pertinet ad electum in Episcopum, dies illius consecrationis ex Pontificali R. *debet esse dominica; vel natalitium Apostolorum; vel etiam festiva, si summus Pontifex specialiter indulserit.*

Facultas quoad tempus dispensandi solius est Pontificis: qui secus fecerit, si sit ordinans, erit suspendendus a collatione Ordinum (4); si ordinatus, erit ipso facto suspensus (5). Mane autem semper Ordines majores sunt conferendi; imo in Missa: quod præceptum grave est ex Pontificali romano et praxi (6).

Q. 3. *Ubinam Ordines conferendi sunt?*

R. Ex Tridentino Ordinationes sacrorum Ordinum publice habendæ sunt in Cathedrali; vel in digniori Ecclesia Diœcesis, si in ea Episcopus sit (7). Si tamen Ordinatio non sit generalis, ex S. C. C. ea haberi poterit in Capella privata: *scio*, ait S. Alphonsus, *plures Episcopos etiam Ordines sacros solere in privato sacello conferre, forte hodie sic usus habet.* — Nomine vero *loci* profecto multo magis intelligitur propria Diœcesis; nefas enim est in alieno territorio actum adeo solemnem exercere. Imo ex Tridentino sic ordinans incurrit suspensionem ab exercitio Pontificalium, ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti (8): excipiunt tamen Tonsuram, cum hæc sine Pontificalibus conferatur.

Q. 4. *An ad Ordines requiratur Communionis susceptio* (9)?

R. Præscribit Pontificale romanum, ut ordinandi Eucharistiam accipiant. Hæc verius sub mortali præcepta est Præsbyteris, ut Sacrificium compleant; siquidem cum Episcopo concelebrant. At quoad Diaconos et Subdiaco-

(1) Cap. *de eo*, de temp. ord.

(2) Festi porro dies intelligentur tantum illi, qui sunt de præcepto, ut declaravit S. C. C. ac Benedictus XIV (*Notificat.* CVI). — Attamen etiam *festa suppressa* reputantur de præcepto quoad Ordines, ut referente episcopo Bouvier, Leo XII hac de re consultus viva voce respondit. Et ipsa S. R. Congreg. declaravit 12 nov. 1831.

(3) Ex c. 3 *de temp. Ord.* (4) Cap. 2 et 8 *de temp. ord.*

(5) Ex *Extr.* Pii II, *Cum ex Sacrorum.* — Hic notandum est, Regulares ex licentia suorum Prælatorum ordinari posse extra tempora; sed probabilius nonnisi in festis de præcepto. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXIII. — Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 797.

(6) Item Ordines minores ex Pontificali congruentius conferendi sunt in Missa; cum omnes Ordines ordinentur ad ipsam. (7) Sess. 23, c. 8.

(8) Sess. 6, c. 5. — Liguori, *Op. Mor.* l. VI. n. 798.

(9) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 801.

nos censet Croix cum Gobat, eam nonnisi sub levi esse præceptam; cum nihil habeat relationis ad eorum Ordinationem: imo solum esse de consilio pro ordinandis in minoribus; et sane passim dantur etiam extra Missam.

Q. 5. *An ordinatio sit danda a proprio Episcopo?*

R. Hac de re habet Tridentinum (1): *Episcopi per semetipsos Ordines conferant; quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam probatos et examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant:* ubi nomine *ægritudinis* intelligunt etiam aliam quamcumque justam causam.— Hic notandum: qui ordinat Episcopus, eumdem debere etiam celebrare; *secus divideretur mysterium unitatis*, uti ajunt Innocentius III ac Benedictus XIV (2). Adhuc tamen Ordinatio esset valida, licet unus celebret et alter ordinet, ut declaravit S. C. C.; cum Missa non sit de essentia.

Ad pœnas quod attinet, si ab alieno Episcopo sine debita licentia Ordinatio habeatur, vide dicta de legitimo Ministro. Diximus *sine debita licentia:* quæ porro conceditur *litteris*, uti ajunt, *dimissorialibus.*

Corollarium. — *De litteris dimissoriis.*

Q. 1. *Quid de litteris dimissoriis?*

R. Litteræ, quibus proprium subditum ordinandi delegatur licentia alieno Episcopo, *ea tamen conditione, ut suo Episcopo adhuc remaneat subditus,* dicuntur *dimissoriales.* Eas Episcopus nondum consecratus, si possessionem adeptus, concedere potest, et licet in aliena existat Diœcesi; nam talis concessio non est actus jurisdictionis contentiosæ. Durant porro, donec revocentur; cum sit gratia facta. Eæ autem a Vicario generali tribui nequeunt, nisi ipse mandatum habeat speciale, vel Episcopus in remotis versetur (3).

Diximus *ea tamem conditione*, etc.; si quis enim obtineat, ut alterius Episcopi subditus fiat, litteræ illæ *remissoriales* appellari solent (4).

Q. 2. *An Vicarius capitularis dimissorias concedere possit?*

R. 1: Ubi nulla est peculiaris Instructio, ea in Diœcesi adhuc viget jus commune in Tridentino contentum (5), quo statuitur: *non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut litteras dimissorias (seu reverendas, ut aliqui vocant) tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens* (seu Vicarius) *ecclesiastico subjaceat* (ipso facto) *interdicto: et sic ordinati, si in minoribus*

(1) Sess. 23, c. 3.

(2) *De Syn Diœc.* l. VIII, c. 11. — Liguori *Op. Mor.* l. VI, n. 787.

(3) Ex c. 3 *de temp. Ord.* in 6.°

(4) Monet S. Carolus (*in Conc. IV*) expedire, ut dimissoriæ pro unico suscipiendo Ordine concedantur et ad breve tempus, ne mores ordinandi mutentur. Item notandum ex declaratione S. C. in arbitrio esse Episcopi examinare sibi dimissos, etsi jam examinatos: quod tamen sine causa non præstat agere. Si vero Episcopus alienus vocetur ad vices Diœcesani supplendas, non poterit examinare ordinandos; sed tantum abstinere ab Ordinatione, si ei justa causa occurrat. Benedictus XIV, *De Syn Diœc.* l. XII, c. 8.

(5) Sess. 7, c. 10. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 787.

Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant (saltem post sententiam declaratoriam); *in majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso jure suspensi.* Insuper notandum ex Constitutione *Secretis* Urbani VIII, ordinatos cum falsis dimissoriis incurrere suspensionem reservatam. Quæ tamen omnia probabiliter non intelliguntur de prima Tonsura; cum hæc non sit Ordo. Et ita declaravit S. Concilii C., teste Croix.

Illi autem dicuntur *arctati* ratione Beneficii recepti, si intra annum eorum Beneficium certum Ordinem requirat, quem non habent.—Ratione vero Beneficii recipiendi, si passive vocentur ex tabulis fundationis ad Beneficium certum Ordinem requirens, quo ipsi carent (1).

CAPUT QUARTUM

DE ORDINUM IMPEDIMENTIS SEU DE IRREGULARITATE.

Q. 1. *Quid est irregularitas?*

R. Impedimenta, quæ homines reddunt inhabiles ad Ordines suscipiendos vel exercendos, *irregularitates* vulgo appellantur; quia sunt quædam quasi *deviationes a regula*, quæ certas ordinandorum qualitates et conditiones requirit. Irregularitas solet definiri: *impedimentum canonicum, quo quis directe et primario interdicitur a susceptione Ordinum, ac consequenter ab eorum usu.* Dicitur: 1 *impedimentum canonicum;* quia a canonico jure inductum est, licet non desint casus, in quibus etiam jure naturali innitatur; sic siquis careret manibus, impediretur a Missa celebranda jure etiam naturali: quamquam hæc potius *impotentia* dicatur; 2 *quo directe et primario* etc. ut irregularitas distinguatur ab excommunicatione, quæ privat communione fidelium; ab interdicto, quod privat divinis officiis; a suspensione, quæ privat functionibus Ordinis: per irregularitatem vero prohibetur ecclesiasticum ministerium. Hinc sententia communior et probabilior irregularitatem non ponit inter censuras; quia potius est impedimentum seu inhabilitas, quam pœna. Et si quando feratur etiam per modum pœnæ, non est tamen medicinalis, sed mere punitiva.

Duplex est irregularitas: alia, quæ provenit *ex delicto;* alia, quæ provenit *ex defectu* aliquo inculpabili. Utraque vero vel *totalis* est, quæ reddit inhabilem ad omnem Ordinem suscipiendum, atque ad omne Ordinis jam suscepti exercitium: vel *partialis*, quæ aliquo tantum Ordinis ministerio, aut solo ascensu ad Ordines superiores privat: v. g. si Sacerdos esset cæcus, non posset celebrare, sed posset adhuc Confessiones excipere. Vel *ad tempus*, uti esset defectus ætatis: vel *perpetua*, quæ amplius non potest auferri, uti esset amissio oculi.

(1) Hic *Beneficii* nomine non intelligitur pensio; sed verum Beneficium ecclesiasticum ex S. C.—Item ex Benedictina Instructione requiritur, ut reditus annuus ejusdem adæquet saltem medietatem valoris pro titulo requisiti ad taxam Synodalem.

Q. 2. *Quid requiritur, ut irregularitas incurratur* (1)?

R. Ut irregularitas incurratur, requiritur, ut in jure expressa sit (2). Nomine *juris* venit solummodo jus canonicum et commune, quod a solis RR. Pontificibus, vel a generali Concilio constitui potest. Unde in hac materia non valet argumentum neque a simili, neque a majori ad minus; quia licet irregularitas non sit censura, tamen est res odiosa: ideoque numquam debet extendi ad casus a lege minime declaratos. Quod si dubitetur, an casus expressus dici debeat necne, standum erit communi Doctorum sensui et consuetudini.

Quid (dices) *de illo, qui dubitat de irregularitate incursa?* — Dubitans de irregularitate generatim loquendo non est habendus uti irregularis, si dubium adhuc, debita adhibita diligentia, perseveret. Quod currit sive dubium sit negativum, sive sit positivum: sive sit juris, nempe utrum adsit lex, quæ talem irregularitatem importet; sive sit facti, nempe utrum quis tale commiserit crimen, cui irregularitas adnexa est. Sane odia sunt restringenda: et nemo *in dubio spoliandus est jure suo.* — Diximus *generatim loquendo;* quia excipitur dubium de homicidio (non de mutilatione): talis enim casus est expresse declaratus in jure, ubi legitur (3): *cum sit consultius in hujusmodi dubio* (homicidii) *abstinere quam temere celebrare.* Hoc tamen intellige, si quis certus sit de homicidio secuto, et solum dubitet an actione sua fuerit illius causa. Imo observant id tantum valere pro Clericis; et juxta plures pro solis Sacerdotibus, et solum quoad Missæ celebrationem; quia de hoc tantum loquitur textus.

Q. 3. *Quinam sunt irregularitatis effectus* (4)?

R. Irregularitatis effectus sunt sequentes: 1 *inhabilitas ad suscipiendos Ordines,* etiam primam Tonsuram; nam frustra ad Ordines præparatur, qui ab Ordinibus prohibetur; 2 *inhabilitas ad Ordines susceptos exercendos*, ita ut irregularis illicite absolvat, etiamsi valide. *Illicite*, quia exercet Ordinem a quo prohibitus est; *valide*, quia absolvere est actus jurisdictionis, quam irregularitas per se non prohibet (5). Item neque prohibet actiones, quas etiam laici exercent, ut canere officia, recipere Sacramenta præter Ordinem, minores Ordines exercere, etc.; 3 *inhabilitas ad recipienda Beneficia*; Beneficium enim datur propter officium: atqui irregularis est inhabilis ad officium; ergo etiam ad Beneficia. Unde probabilius ac communius provisio nulla esset; cum irrita dicatur a Tridentino (6). Excipit Suarez cum aliis, si agatur de Beneficio simplici, quod nullum importet Ordinis sacri exercitium; nam tunc tota ratio cessat irritationis.

Quid (quæres) *sentiendum est de Beneficio ante irregularitatem obtento, si exercitium Ordinis sacri requirat?* — R. Si irregularitas provenit ex defectu, non est dubium, quin possit Beneficium retineri si per alium onera impleantur, nec judex debet tunc irregularem privare, ne afflicto addatur afflictio (7). Si vero provenit ex delicto (nisi dispensatio obtineatur) debet illud

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 344. (2) C. *Is. qui* de sent. exc. in 6.°
(3) C. *Petitio tua* 26 de hom. (4) *V* Liguori, *Op* Mor. l. VII, n. 342.
(5) C. 10, § 4 *de renunt.* (6) Sess. 22, c. 4 de R.
(7) C. ex arte de Cler. ægrot.

renuntiari, aut saltem resignari in favorem tertii; quia qui non potest licite Beneficii oneribus satisfacere, non potest licite illud sibi retinere; et ubi retineat, debet a judice privari. Hanc tamen renuntiationem differre poterit: 1 si laboret magna inopia; 2 si alium jam delegasset pro adimplendis Beneficii oneribus. Sic communiter textus juris interpretantur.

ARTICULUS I — De irregularitate ex delicto (1).

Q. 1. *Quid requiritur ad incurrendam irregularitatem ex delicto?*

R. Ut incurratur irregularitas ex delicto, actus humanus esse debet: 1 *externus;* irregularitas enim est pœna in foro externo. Et si quando dicitur Superior dispensare super irregularitate mentali, ibi *mentalis* nomine intelligitur occulta; non vero interna; 2 *mortaliter malus;* est enim pœna gravis, cui non congruit culpa levis: hinc si actus potest ob aliquam circumstantiam excusari a mortali, excusabitur etiam ab irregularitate; 3 *plene consummatus;* versamur enim in odiosis. Est certum.

Q. 2. *Undenam oritur irregularitas ex delicto?*

R. Septem sunt capita, ex quibus oritur irregularitas ex delicto:

1. *Mala susceptio Baptismi.* Hinc irregularis ex hoc capite est: 1 qui sciens suscipit Baptismum ab hæretico declarato extra casum necessitatis; ejus enim errori videtur communicari (2); 2 qui illud differt ad mortis usque periculum; nam infirmæ fidei signum est (3); 3 qui *publice* aut *solemniter* rebaptizat: item assistens Clericus (4): item qui scienter rebaptizatur (5): item ex Benedicto XIV (6) qui culpabiliter sub conditione rebaptizat (7).

2. *Violatio censuræ.* Hæc contingit, cum quis censura ligatus exercet *scienter et solemniter Ordinem sacrum*, uti v. g. si Diaconus cantet Evangelium cum stola et manipulo, vel Canonicus fungens officium hebdomadarii, in choro cantet *Dominus vobiscum* (8). Diximus: 1 *scienter*, hæc enim tantum in contemptorem censurarum lata est; 2 *solemniter*, unde si Subdiaconus ministraret sine manipulo, non fieret irregularis; quia non solemniter ageret in proprio officio, cum id etiam cæteris Clericis permittatur. Item dicunt irregularitatem non incurri ob matrimonii assistentiam et concionem (9); 3 *Ordinem sacrum*, unde non fit irregularis qui exercet Ordinem minorem, ut colligitur ex Bulla *Etsi* Benedicti XIV. Sicut neque qui est minori dumtaxat excommunicatione innodatus (10), neque qui celebrat in Ecclesia polluta; quia sic non violatur censura, sed tantum directe violatur prohibitio Ecclesiæ. Incurrunt illam Episcopi vel Sacerdotes censurati, si alium cogant ad celebrandum coram se (11).

3. *Exercitium Ordinis sacri non suscepti.* Esset si Clericus serio ac scien-

(1) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VII, n. 356. — P. Pavone, *La luce fra le tenebre*, § 184.
(2) C. *Ventum est* caus. 1, q. 1. (3) C. *Si quis*, dist. 57.
(4) C. *Ex litterar.* 2 de apost. (5) C. 65 *Confirmandum*, dist. 50.
(6) *De Syn. Diœc.* l. VII, c. 6.
(7) Diximus *publice* aut *solemniter;* docent enim probabilius Layman et Sylvius ex ipso jure promoveri posse qui occulte rebaptizat. (C. *Ex Litteris de Apostat.*).
(8) Tit. 27, l. V *Decretal.* (9) *V.* Pavone, *Spicilegio* ecc. n. 318.
(10) C. *Si celebr.* de Cler. exc. min. (11) C. *Illud* de Cler. exc. min.

ter in Ordine sacro non suscepto solemniter ministraret. Diximus *si Clericus:* at Concina affirmat etiam de laico, cum textus generaliter loquatur; alii tamen communius et probabilius negant, quia cum titulus illius textus tantum Clericum respiciat, verba sequentia juxta illum sunt accipienda (1).

4. *Furtiva Ordinis susceptio.* Irregularis ex hoc capite fit: 1 qui recipit Ordinem sine approbatione Episcopi; 2 qui sine Episcopi dispensatione recipit eodem die plures Ordines, quorum unus sit sacer; 3 qui suscipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, uxore invita. Ita ex variis juris capitibus.

5. *Enormium criminum commissio.* Quo nomine intelligitur hæresis, et apostasia a fide. Eam irregularitatem incurrunt etiam horum criminum fautores, receptatores, defensores. Item si pater fuit hæreticus, filii usque ad secundam generationem sunt irregulares; et si fuit mater hæretica, tunc ejus filii usque ad primam tantummodo generationem erunt irregulares: sed aliter est, si filii nati sint ante hæresim parentum, vel ipsi parentes abjuraverint errorem. Idem dicunt de apostasia a Religione (2).

6. *Injusta membri mutilatio.* Hinc qui sibi vel alteri membrum per culpam gravem abscinderet, sive physice instrumentum adhibendo, sive moraliter abscissionem jubendo, consulendo, etc., fieret irregularis ex delicto (3). Nomine autem *membri* communissime et probabilius venit pars, quæ habet officium per se distinctum, ut manus ad agendum, pes ad ambulandum, oculus ad videndum (4).

7. *Homicidium.* Triplici autem modo contingere potest hac in re homicidium: juste, injuste et casualiter. Pro *homicidio justo* hæc irregularitas non incurritur; cum tunc non habeatur culpa: hinc qui cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit ad sui defensionem, irregularis non fit (5): idem dicunt Lessius ac Suarez cum communiori et probabiliori de illo, qui occidit ad defensionem libertatis, pudicitiæ et bonorum; cum id jure licitum sit. Pro *homicidio injusto* directe volito vel in se, vel in causa inseparabiliter cum homicidio conjuncta, uti esset in lethali vulneratione, incurritur irregularitas (6): item eam incurrunt consulentes, mandantes ac quoquomodo efficaciter cooperantes (7): item probabilius in rixa occidentes;

(1) Ab hac irregularitate, etsi publica, quoad Beneficii consecutionem dispensat Episcopus. Ita c. 1 et 2 *de Cler. non ord. min.*

(2) AA. tamen probabilius censent ex hoc capite irregularitatem non incurri, nisi *ex defectu bonæ famæ* (de quo erit in seq.). Ratio est quia jura, et maxime Bonifacius VIII non loquuntur nisi de hæreticis publicis. Ita c. *Statutum* 2 *de hæresi* in 6.°

(3) C. *Significasti* de homic.; et in Clem. *si furios.* eodem tit.

(4) Hinc non fit irregularis qui amputaret *auriculam*, quia non tollitur omne officium audiendi; *dentes* evelleret, quia non reputantur membra; *ungues*, *capillos*, *barbam* abscinderet, quia hæc sunt tantum ornamenta; membrum *debilitaret*, si tamen mortuum non relinquat, quia secus in re censeretur ablatum.

(5) C. *Significasti*, § fin. de homic.

(6) C. *si quis* 1 de hom.; et Tridentinum, *sess.* 14, *c.* 7.

(7) C. *si quis viduam*, dist. 50. — Aliter esset de eo, qui ratum tantum haberet secutum homicidium; quia non potest amplius verificari realis influxus. Qui autem ex justitia tenetur impedire homicidium, nec impedit, communius dicunt illum irregularem fieri; est enim illius causa moralis: et alii non minus probabiliter negant; quia non vere directe influit.

nam occisio voluntaria est, et ex proposito. Tandem pro *homicidio casuali* distinguendum est: illud evenit dando operam rei vel licitæ, vel illicitæ. Si 1, irregularitas non incurritur, si adhibita sit diligentia sufficiens, quæ nempe a quolibet prudenti adhibetur juxta facti qualitatem (1): hinc non fit irregularis pater vel magister, qui filium vel discipulum moderate verberant, si postea casu accidat mors. Si 2, neque pariter ea incurritur, nisi sit actio periculosa mortis; nam licet actio peccáminosa sit, mors tamen non esset voluntaria: hinc S. C. Congregatio censuit, non esse irregularem Clericum, si ob ejus adulterium, a marito fuerit occisa adultera conjux (2).

Q. 3. *Ad irregularitatem ex delicto quænam scientia requiritur* (3)?

R. Sententia communissima et probabilior cum S. Antonino docet ad incurrendam irregularitatem ex delicto semper requiri scientiam prohibitionis ecclesiasticæ; habet enim hæc irregularitas rationem pœnæ, quæ ideo præsupponit culpam: culpa autem sine dicta scientia esse non potest. — Sed controvertunt, an requiratur etiam scientia ipsius irregularitatis sunt qui negant valde probabiliter cum Laymano, eo quod irregularitas non sit proprie pœna medicinalis ad cavendum in futurum; sed quædam inhabilitas, seu pœna mere punitiva: ideoque sufficit, ut imponatur a lege actioni alicui, et reus scienter et culpabiliter illam actionem ponat. Alii e contrario cum Sylvio satis etiam probabiliter, ut videtur, affirmant etiam scientiam irregularitatis requiri, dicentes, quod irregularitas ex delicto est pœna gravis et inusitata, ac proinde non præsumitur Ecclesia tanto rigore punire velle ignorantiam.

Quidquid sit, saltem quoad homicidium sententia valde probabilis et tenenda est, quod incurratur irregularitas etiam ab eo, qui ejusdem scientiam non habet. Illa enim non tantum respicit delictum, quantum decentiam quamdam, quæ postulat, ut non admittatur ad sacrificandum Dei Agnum mitissimum minister tam sævus et crudelis.

Scholium. — *De depositione et degradatione* (4).

Q. *Quid est depositio et degradatio?*

R. Depositio nihil aliud est, quam *dejectio de gradu, officio* et *Beneficio*. Convenit cum suspensione, a qua præter verborum formulas non differt nisi in hoc, quod hæc pronuntiatur ad tempus; illa vero absolute et in perpetuum. — Duplex est depositio: una *simplex* atque *verbalis*, quæ fit nudis verbis sive oretenus, sive etiam scripto editis, et significatur *depositionis* nomine; altera realis, seu *actualis* et *solemnis*, quæ dicitur *degradatio*. Differunt quammaxime; nam depositio importat privationem partialem vel totalem exercitii, seu usus Ordinis, officii aut Beneficii; degradatio autem

(1) C. ult. *de homicidio.*

(2) *Quid si actio sit periculosa mortis ?* — Si raro mors eveniat, adhuc probabilius docet Layman non incurri irregularitatem, debita diligentia adhibita; tunc mortis periculum nonnisi remotum est.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 350.

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 524. — Devoti, *Inst. canon.*

præter privationem totalem eorum omnium, ejicit etiam Clericum e foro ecclesiastico, et illum tradit Curiæ sæculari puniendum.

Generalis regula est, quod ille solus potest deponere et degradare, qui jurisdictionem habet in foro externo. Non omnes tamen qui hac pollent jurisdictione, valent indiscriminatim hanc pœnam irrogare: sic certum est ex Tridentino Episcopum non posse deponi et multo minus degradari, nisi auctoritate Pontificis (1). Clericos autem deponit eorum Episcopus, quando causæ in jure definitæ et valde graves occurrunt. Si depositionem secutura sit degradatio, Episcopus ad eam procedit cum solo suo Capitulo, quando agitur de Clericis in prima Tonsura et in Minoribus. Quando vero agitur de depositione et degradatione Subdiaconi vel Diaconi requiritur in rei examine et definitione numerus trium Episcoporum præter proprium: et sex, quando agitur de Presbytero degradando. — Non est deveniendum ad pœnam tam atrocem, nisi ex gravissima causa. Regula generalis est, ut talis causa ponatur in iis criminibus, contra quæ accusatio publica instituitur. Singulares vero causæ ex jure canonico et variis Pontificum Constitutionibus sunt inter cæteras: 1 si Clericus contra proprium Episcopum insidias paraverit; 2 si uxores vel concubinas habuerit, vel diuturnam delinquendi consuetudinem, et licet pluries monitus non resipuerit, v. g. ebrietatibus serviendo, tabernas frequentando; 3 si fiat apostata, hæreticus, homicida, falsus testis in judicio criminali ac publico, raptor puellarum vel raptoribus consentiens, grassator publicus, perduellis, etc. *(E)*.

ARTICULUS II — De irregularitate ex defectu.

Species hujus irregularitatis sunt: 1 ex defectu animæ; 2 corporis; 3 natalium; 4 ætatis; 5 Sacramenti; 6 bonæ famæ; 7 libertatis; 8 lenitatis (2).

Q. 1. *Quinam sunt irregulares ex defectu animæ?*

Ex defectu animæ irregulares sunt:

1. *Amentes:* talis animæ defectus vel oritur in homine post Ordinationem, vel ante. Si post, cessante defectu per diuturnum tempus, Ordinarii judicio poterit Ordinem susceptum iterum exercere. Si ante, videndum est, an defectus pendeat a causa permanente et habituali, v. g. ab organorum læsione: et tunc non poterit amplius promoveri ad Ordines; an vero a causa transitoria et accidentali, v. g. a febri vel vulnere: et tunc promoveri utique poterit (3).

2. *Epileptici:* docent aliqui epilepticum ordinari posse in pubertate, quando morbo illo ante pubertatem fuerit infectus, et postea convaluerit; nam Hippocrates tradit epilepsiam sæpe in pubertate perfecte tolli. Sed si morbus supervenerit in pubertate, præsertim post vigesimumquintum annum, tenendum quamcumque valetudinis fiduciam in fumum abire. Si vero agatur de jam ordinato, tunc si per anni spatium sit liber ab epilepsia, poterit judicio Episcopi ad Ordinis suscepti exercitium reverti. Imo docent

(1) Sess. 24, c. 5 de R.

(2) V. Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 397 et seqq. — *De ætatis defectu* v. supra, c. 3.

(3) C. *Maritum*, d. 33.

communiter: ubi talis mali aggresio raro contingat, v. g. semel in mense, posse epilepticum celebrare, modo: 1 id privatim agat; 2 habeat sibi assistentem alium Sacerdotem jejunum; 3 non consuescat in terram subito cadere, in clamores magnos erumpere et spumas evomere. Idem dicendum de energumenis et lunaticis (1).

3. *Illitterati*, qui nempe sufficienti carent doctrina pro Ordinibus (2). Et probabilius docent esse natura irregulares qui sunt adeo rudes, ut nesciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium.

4. *Neophiti*, qui nempe in adulta ætate recens baptizati sunt (3); ut non fiant magistri qui vix didicerunt esse discipuli.

Q. 2. *Quinam sunt irregulares ex defectu corporis?*

R. Irregularitas ex defectu corporis oritur ex duplici capite: 1 nempe si quis sit ineptus ad Ordinis exercitium; 2 si defectus corporis sit talis, ut præsentibus afferat notabilem indecentiam, aut quamdam horroris speciem. Ita communiter cum Angelico (4).

Ex primo capite erunt irregulares: 1 *cæci;* possunt tamen dispensari a Pontifice ad celebrandum, si jam sint Sacerdotio insigniti, et constet eos in celebratione tutos esse, nec errare. Qui caret uno tantum oculo, præsertim si oculus iste sit sinister, erit item irregularis; cum canonem legere absque deformitate nequeat. Non ita tamen dicendum de illo, qui oblique tantum intueatur; vel visu sit debilis, sed uti valeat perspicillis (5); 2 *surdi*, si nihil penitus audiant: si tamen surditas superveniat Sacerdoti, ei non interdicitur Missæ celebratio; cum facilius tolerentur defectus in jam promoto (6); 3 *muti*, qui nempe nullatenus loqui possunt, vel nonnisi cum magna difficultate: *balbutientes* vero, aut carentes dentibus sunt irregulares casu, quo risum vel contemptum populo afferant; 4 *claudi*, si nequeant absque baculo sustentari (7): qui vero baculo non indigent, aut habent tantum crura distorta, non sunt irregulares, nisi adsit in iis magna deformitas, quæ tegi non possit. Uti v. g. si haberent pedem ligneum vel aridum; tunc enim fierent irregulares ob magnam, quam præseferrent coram populo indecentiam; 5 *carentes manu*, vel *digitis omnibus*, vel *pollice* (8): idem dicunt de eo, qui caret indice, vel pollicis parte; non autem solis unguibus (9); idem si illi digiti sint adeo debiles, ut non possint Hostiam elevare vel frangere; idem est de eo, qui caret tribus posterioribus digitis. Ajunt tamen jam ordinatum, si amittit indicem, posse digitos posteriores adhibere, dispensatione obtenta; 6 *omnes qui habitualiter tali morbo laborant*, ut nequeant ce-

(1) C. *Communiter*, dist. 33. — Sed isti non repelluntur a Beneficii fructibus percipiendis, si per alios officia adimpleant. (Ex *C.* ult. *de Cler ægr.* in 6.°).

(2) C. 1, d. 36; et 3, d. 38. — Ab hac irregularitate nec ipse Pontifex dispensare potest; quia est de jure divino et naturali, ut nemo admittatur ad munus, nisi valeat illud convenienter exercere.

(3) C. 1, d. 48. — Poterit tamen Episcopus eos ordinare, si sufficienti tempore elapso, eos idoneos existimet, et adsit utilitas ex S. C. C. Imo Toletus censet post decem annos illam irregularitatem cessare.

(4) Suppl. q. 39, a. 6.

(5) Cap. ult. d. 55.

(6) Cap. 77 *Apostolorum.*

(7) Cap. 57 *de cons.* d. 1.

(8) Cap. ult. *de corp. vit.*

(9) Cap. *Thomas* eod. tit.

lebrare sine periculo proximo deficiendi, vel notabiliter errandi. Talis erit qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi Sanguinem. Ita etiam qui talem ac tantam patitur tussim, ut sit periculum in suscipienda Communione. Ita etiam abstemius, qui ita abhorret a vino, ut si sumat, incurrat periculum evomendi.

Ex secundo autem capite erunt irregulares: 1 *carentes aliquo corporis membro*, si carentia vel indecentiam vel horrorem fidelium oculis exhibeat: uti esset v. g. carentia nasi, aut auricularum, nisi tegantur capillis; 2 *leprosi*, aut qui habent faciem morbo valde maculatam (non autem si pustulatam, vulgo *picada de viruelas*): quia tamen isti in jure celebrare prohibentur *pro scandalo et abominatione populi* (1); ideo remoto scandalo, in privato celebrare poterunt, si jam sint ordinati; 3 *monstruosi:* tales communiter habentur: enormiter vel deformiter gibbosi; pigmæi et gigantes, quorum illi risum, hi terrorem quemdam movent; æthiopes, qui in Europa nostra quemdam horrorem excitant; hermaphroditæ (2), licet virilis sexus prævaleat; eunuchus, qui nempe culpabiliter vel per se, vel per alios sibi amputaverit virile vel testiculos, licet zelo castitatis id fecerit (3).

Circa corporis defectus notandum est: 1 in dubio, an defectus inducat irregularitatem, Episcopus potest pronunciare (4). Imo usus obtinuit, prout testatur Pyrrus Corradus, ut etiam dispenset, si vitium videatur leve; 2 si Clericus non sit in culpa, ubi defectus superveniat Ordini suscepto, non impeditur ab Ordinis ipsius actibus, quos tamen potest sine indecentia præstare; 3 defectus si superveniat ante Ordinis susceptionem, absolute inducit irregularitatem non solum ad Ordinem illum, cujus impedit exercitium; sed etiam ad omnes. Quia cum omnes Ordines Sacerdotium respiciant, exclusus a Sacerdotio merito censetur exclusus ab omnibus Ordinibus.

Q. 3. *Quinam sunt irregulares ex defectu natalium?*

R. Sunt irregulares ex defectu natalium filii illegitimi (licet occulti, nam jura generaliter loquuntur); habentur enim uti viles (5). Sunt autem illegitimi: 1 qui nascuntur vel ex fornicatione, vel ex incestu, vel ex adulterio; 2 qui nascuntur ex matrimonio civiliter tantum contracto; vel nascuntur quidem ex matrimonio legitimo, sed cujus usus erat illicitus per solemne castitatis votum in Religione approbata, aut per Ordinis sacri susceptionem. Non

(1) Cap. *Tua nos* de cl. ægr.

(2) *Hermaphroditæ* sic dicuntur qui de utroque sexu participant; qui etiam a religioso statu arcentur ob grave, quod secum ferunt, incontinentiæ periculum. Quamquam moderni contendunt non dari perfectos hermaphroditas, et fabulosos esse qui narrantur casus.

(3) Cap. *Si quis* 4, et cap. *Si quis a medicis* 7 etc. dist. 55.

(4) Cap. 2, dist. 33 *de corp. vit.* — Liguori, *Hom. Ap.* tr. XIX, n. 125; et *Opus Mor.* l. VII, n. 408.

(5) Cap. 1 et ult. *de filiis Presb.* Prioribus autem Ecclesiæ sæculis incognita erat hæc irregularitas; quando enim de eligendis Dei ministris agebatur, non quo patre geniti, sed quibus virtutibus ornati erant, inquirebatur; sæculo tamen XI illegitimos filios a sacra Ordinatione expellendos esse decreverunt Ss. Pontifices et Concilia, et hujusmodi lex in tota latina Ecclesia a dicto tempore invaluit. Cujus quidem legis multiplex affertur ratio: idest 1ª Dignitas clericalis quæ vitiosa origine commaculari videtur; 2ª Timor ne filii parentis incontinentiam imitentur; 3ª Ut a carnali vitio deterreantur homines; 4ª Ut hæreditariæ successionis periculum in ecclesiastico ministerio præcaveatur.

autem habentur illegitimi nati ex infidelibus, quamvis in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxerint (1). Item probabilius neque expositi: saltem dubium est; at in dubio, ait Epistola *Redditæ Nobis* 4 dec. 1744 Benedictus XIV, *judex debet in bonum et commoda prolis propensus esse.* Imo S. C. C. censuit non indigere dispensatione expositum, qui jam Ordines susceperat. Hæc autem irregularitas aufertur:—1 per subsequens matrimonium, etiam ratum, nisi agatur de filii promotione ad Cardinalatum (2). Necesse tamen est, quod inter parentes consistere potuerit matrimonium legitimum, cum filii concepti sunt aut nati: scilicet quod parentes fuerint liberi ab omni vinculo sive matrimonii, sive consaguinitatis, sive affinitatis, sive alterius impedimenti (3);—2 per professionem religiosam, sed quoad Ordines; non vero quoad prælaturas aut dignitates (4);—3 per legitimam dispensationem; hanc quoad omnes Ordines ac omnia Beneficia, imo quoad omnes effectus concedere potest Pontifex: Episcopus autem tantummodo quoad primam Tonsuram, Ordines minores, atque Beneficia simplicia.

Q. 4. *Quinam sunt irregulares ex defectu Sacramenti?*

R. Cum matrimonium sit signum unionis Christi cum Ecclesia, erunt irregulares ex defectu hujus sacramentalis significationis *bigami*, id est plurium uxorum viri. Ratio est, quia isti non amplius valent significare (facta cum pluribus divisione carnis) unionem hanc unius Christi cum una Ecclesia ejus unica sponsa.—Bigamia triplex est:

1. *Vera;* et est quando cum duabus conjugium successive contrahitur et consummatur. Ex qua parte non est bigamus ille, qui cum pluribus est fornicatus.

2. *Interpretativa;* et est quando quis fictione juris duas uxores habuisse censetur. Hoc contingit quadrupliciter: vel quando duxit viduam jam cognitam, etiamsi duxerit invalide; vel quando duxit mulierem jam corruptam, sed ab alio, quamvis id ipse ignoraverit; vel quando cognovit suam uxorem post illius adulterium, licet occultum, licet extortum aut ignoratum; vel quando demum duo contraxit matrimonia ex aliquo impedimento invalida, et consummaverit; tunc enim adest affectus intentionis ad duo conjugia.

3. *Similitudinaria;* et est quando quis post sacri Ordinis susceptionem vel Religionis professionem contrahit matrimonium et consummat. Ita communiter cum S. Thoma. Eruitur ex toto *tit. de bigamis.* Et ex ipso Apostolo, qui ad Ordines *unius uxoris virum requirit* (5). Hinc ajunt Pontificem non solere dispensare, nisi raro ob reverentiam Apostolici præcepti; Episcopum vero numquam dispensare posse, nisi in bigamia similitudinaria, et tantum quoad Ordines suscipiendos et exercendos, et quidem post diuturnam pœnitentiam (6).

Q. 5. *Quinam sunt irregulares ex defectu bonæ famæ?*

R. Ex defectu bonæ famæ sunt irregulares qui infames habentur vel ob sententiam judicis aut eos declarantis de enormi crimine fuisse convictos,

(1) Cap. ult. *qui filii sint leg.* (2) Cap. *Tanta* eod. tit.
(3) *V.* Benedictus XIV, *Littera ad Archiepiscopum S. Dominici.*
(4) Cap. 1 *de filiis Presb.* (5) I Tim. 3.
(6) Cap. 4 *de Cler. conj.* —Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 435.

aut eos damnantis ad pœnam infamantem, veluti triremes, exilium; vel ob notitiam publicam criminis ejusdem; vel ob exercitium artis ignominiosæ; vel adhuc aliquando ob alterius infamiam, quæ in nos redundat (1). Præcipit enim Apostolus, ut non ordinentur, *nisi viri boni testimonii* (2).—Hæc irregularitas, si sit ex infamia juris, per solam legitimam dispensationem aufertur; si ex infamia facti, aufertur per longam et sinceram vitæ emendationem. Et erit Episcopi judicare, an sufficiens extet probatio ad famam bonam recuperandam: ajunt autem ad id sufficere triennium. Item aufertur per Baptismum (3); item per loci mutationem, nempe eo veniendo, ubi infamia non est nota. Poterit autem hic Episcopus dispensare, ut ministretur in Ordinibus susceptis, si agatur de crimine adulterio minore (4).

Q. 6. *Quinam sunt irregulares ex defectu libertatis?*

R. Ex defectu libertatis irregulares sunt:

1. *Servi proprie dicti,* donec plenam consequantur libertatem (5); tales enim servi habentur uti res domini. Unde ordinari non possunt, neque ad alia deputari sine eorum consensu.

2. *Conjugati*, qui vel ad ipsam tonsuram admitti prohibentur (6). Attamen ordinari poterit maritus: 1 si ob uxoris adulterium divortium actum sit juridice; nam tunc ab illius jure est perpetuo subductus; 2 si uxor expresse ac libere consentiat, et simul castitatem voveat. (7). Imo et Religionem uxor ingredi deberet, vel si ipsa esset juvenis, vel si vir fieret Religiosus aut crearetur Episcopus (8).

3. *Curialistæ,* qui nempe tenentur servire Curiæ sæculari sive ob juramentum sive ob stipendium: uti sunt judices et advocati, quamdiu in officio perdurant, nisi licentiam a Pontifice obtinuerint; vel legitima sit consuetudo (9). Isti enim jam aliis obstricti sunt.

4. *Milites* et *Reipublicæ administratores*, donec eidem officio, consentiente Principe, non valedixerint (10): eadem nempe de causa. Ad rem quoad omnes D. Thomas: *dicendum quod in susceptione Ordinis mancipatur homo divinis officiis; et quia nullus potest alteri dare quod suum non est, ideo ser-*

(1) Quamdiu crimina manent occulta, non inducunt irregularitatem, si excipiatur homicidium. Reputantur autem occulta, quoties in judicio non fuerint probata; aut aliunde non evaserint tam notoria, ut nulla tergiversatione celari queant.

(2) I Tim. 3. — Diximus 1 *de enormi crimine:* tale jure habetur homicidium, perjurium in judicio, hæresis, simonia, adulterium, sodomia, crimen lesæ majestatis, proditio, rapina, lenocinium, nempe turpis quæstus ex adulterio uxoris, exercitium usurarum, invasio Episcoporum vel Cardinalium; raptus mulierum, duellum, armorum paratio in parentes. Et cætera peccata, quæ attento cujuscumque statu, et communitate in qua vivit, vilis et abjectæ æstimationis apud pios et prudentes reddunt; 2 aut eos *damnantis ad pœnam infamantem.* Idque ut nonnulli volunt, licet immerentes, modo juxta allata et probata fuerint damnati, præsertim si in triremibus actu remigassent; quia infames haberentur coram populo; 3 *vel ob notitiam publicam criminis ejusdem.* Nam ex jure: *si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent (præter reos homicidii)... in jam susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri;* 4 *vel ob exercitium artis ignominiosæ*, ut esset ars comica, vel alia similis; 5 *vel adhuc aliquando ob alterius infamiam:* tales autem sunt filii damnatorum ob delictum læsæ majestatis, et filii hæreticorum.

(3) Cap. *Si duo* caus. 35, q. 6.
(4) Cap. *Etsi Cler.* de jud.
(5) Cap. 1 et 2, d. 54, c. 5 *de serv. non ordin.*
(6) C. ult. *de temp. Ord.* in 6.°
(7) Cap. *Conjugatus* de conv. conj.
(8) Cap. *Sane* 6 de conv. conj.
(9) Cap. un. *de obl. ad rat. oc.*
(10) Cap. 2 et 5, d. 51.

vus qui non habet potestatem sui, non potest ad Ordines promoveri. Si tamen promovetur, Ordinem suscipit; quia libertas non est de Ordinis necessitate, licet sit de necessitate præcepti; cum non impediat potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, et hujusmodi personæ (1).

Q. 7. *Quinam dicuntur irregulares ex defectu lenitatis?*

R. Cum Christus fuerit *mitis et humilis corde, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes* (2); maxime idcirco decet, ut ipsius ministri lenitate et cordis mansuetudine sint commendabiles. Quare Ecclesia declarat, irregularitatem incurri *ob occisionem aut mutilationem, quæ post Baptismum fit voluntarie et juste, vel a militibus in bello justo offensivo; vel a Clericis medentibus cum adustione aut incisione; vel a ministris publicis, effectu tamen secuto.*

Singula verba sedulo attendenda sunt; igitur:

1. Eam incurrit *laicus, qui in bello justo offensivo* aliquem propria manu mutilat vel occidit (3). Diximus: 1 *bello justo;* etenim in bello injusto omnes fiunt irregulares ex delicto, si unus ex commilitonibus aliquem occiderit ex hostibus, ut docet signanter Benedictus XIV (4);—2 *offensivo*, qui enim alium occidit non quidem aggrediendo, sed suam vitam in discrimine positam defendendo, non fit irregularis: idem est si bellum justum ad defendendam patriam vel Ecclesiam suspiciatur; quod valet etiam de Clerico, si jussus bellum ineat, nec pro Ecclesia vel patria tuenda laici sufficiant (5). Cæterum quoad Clericos qui sponte sine debita superioris auctoritate militant, in bello offensivo et justo, duo quæri possunt, an peccent et an etiam irregularitatem incurrant. Quoad 1, unanimiter fatentur, leviter tantummodo peccare Clericos in minoribus Ordinibus; sed lethaliter Clericos jam constitutos in sacris; cum graviter eorum conditionem, munera et statum deceat: et *eamdem pariter culpam tribuendam Clerico existimo* (ait Benedictus XIV), qui licet minores solum *Ordines assecutus fuerit, Beneficium tamen possidet; nam quæ illicita decernuntur Clericis ad sacros Ordines evectis, eadem prorsus afficiunt Clericos qui Beneficium habuerint.* Quoad 2, Clericus si neminem interfecit neque mutilaverit, quia nempe sclopetum suum numquam disploserit, vel si aliquando disploserit, id fecit in tanta distantia, ut physice fuerit impossibile hostes pertingere (quo in casu idem esset, ac si ictum non emiserit), tunc nulli irregularitati fuit obnoxius; nam jus loquitur de eo qui occidit seu mutilat: ad modum quo non fit irregularis Clericus, qui Magistratus sæcularis personam suscipiens capitalem sententiam pronuntiavit, quæ postea non fuit executioni demandata (6).

(1) Suppl.q. 39, a. 3. (2) Act. 10.

(3) Cap. *Dilectus;* c. *Significasti* de homicid. (4) *Notificatione* CI.

(5) In *Clement. si furiosus, de homic.;* et cap. *Pervenit* 2 *de immun. Eccl.* Cum tamen in quo belli æquitas posita sit, difficillimum sit judicare; ideo pro praxi si aliud de certo non constet, bellum æquitatis legibus consentaneum existimari debet, ut ait Benedictus XIV, *Notificatione* CI.

(6) Nec obstat, quod S. Concilii Congregatio 13 junii 1703 judicaverit fuisse dispensationem ab irregularitate necessariam cuidam Diacono canonico qui militiæ nomen dedit, bellicis expeditionibus pluries interfuit, et tamen affirmavit a cædibus abstinuisse, eo quod sclopetum semper in aërem disploserit; et ideo se esse moraliter certum neminem læsisse. Nam S. Congregatio non probavit hanc suam certitudinem; etenim præterquam quod difficille intelligi potest quod semper

2. Eam incurrunt *Clerici in Sacris, aut Monachi medentes cum adustione vel incisione*, si inde mors vel mutilatio sequatur, licet sint in arte periti; modo tamen id egerint extra casum necessitatis (1). Diximus *Clerici... aut Monachi;* nam laici medici ac chirurgi eam non incurrunt, *si secundum artis suæ regulas operentur,* ut ait Benedictus XIV (2); neque enim eam jus imponit, neque ipsi id agunt ad punitionem vel vindictam; sed ex motivo pietatis. Usus tamen est, ut *ad cautelam* etiam quoad istos petatur dispensatio, si forte aliquando in sua arte culpabiliter deliquerint.

3. Eam incurrunt judices, *et omnes communiter, qui cooperantur in judicio justo ad mortem vel mutilationem* (3). Hæc tamen cooperatio ut vere sit influxiva, debet esse: 1 activa; quia debet esse ex parte occidentis, non vero occisi; 2 efficax: unde qui efficaciter in mortem vel mutilationem non influit, irregularis non potest evadere: uti v. g. qui ligna defert, quibus occisi corpus cremari debeat, vel qui morti assistit (4); 3 proxima; et ideo non est irregularis qui gladios vendit; neque ille qui tantum hortatur, ut pœnis debitis mulctentur iniqui: item neque Ecclesiastici dum leges pœnales et capitales ferunt contra malefactores in genere. Sed irregulares apellabimus ex hoc capite assessores, scribas sententiam sanguinis vel mutilationis scripto exarantes, et cæteros eam exequentes; non tamen qui eam transcribunt. Item testes voluntarios, qui ultro se offerunt, licet protestentur. Item advocatos et procuratores accusatoris, nisi coacti sint ad eum defendendum; quia tunc non essent omnino voluntarii. Item accusatores criminis capitalis petentes vindictam item capitalem: qui si essent Clerici in Sacris vel Beneficiati insuper graviter peccarent; cum graviter ipsis vetitum sit sese in causa sanguinis ingerere.

Diximus *et omnes communiter*, etc.; nam jure excipitur Papa, qui suis legibus inhabilitantibus non tenetur. Item pontificio Solio assistentes Episcopi vel Cardinales, Inquisitores fidei et eorum Officiales. Et alii Ecclesiastici cum jurisdictione criminali, si alteri eam delegent.

ARTICULUS III — De irregularitatis cassatione (5).

Q. 1. *Quomodo aufertur irregularitas?*

R. Quatuor modis generatim irregularitas cessat: 1 ordinarie cessat cessante causa, ob quam est inducta, si ea sit ex defectu; cum tunc tota ratio illius deficiat. Diximus si sit *ex defectu*, quia si esset ex delicto, non cessat

aërem verberaverit in omnibus conflictibus, in quibus animi vehementer commoveri solent, non satis constat neminem fuisse læsum a globis plumbeis, qui deciderunt. Ita Benedictus XIV, *Notificatione* CI, ubi fuse.

(1) Cap. *Sententiam* ne Cler. vel Mon. (2) *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 10.

(3) Clem. *Si furiosus de hom.*; et c. Sentent. *ne Cler. vel Mon.*

(4) Excipe nisi sua præsentia in supplicium influat. Clerici in Minoribus per se non peccant interessendo hujusmodi suppliciis; et quoad alios Clericos commune est, id non excedere venialem culpam: ita interpretantes textum cap. *Sent. ne Cler. vel Mon.*, in quo id vetatur. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, n. 463.

(5) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 352 et 368. — Thomasinus, *Vetus et nova Eccl. disciplina*, par. 2, l. I, c. 56.

per delicti cessationem. Diximus *ordinarie*, nam sunt quæ non cessant per cessationem causæ : talis est irregularitas ex defectu lenitatis vel Sacramenti; 2 legitima *Baptismi susceptione* aufertur ea, quæ est ex delicto ; jura enim præcipue respiciunt baptizatum ; 3 *religiosa professione* aufertur ea, quæ est ex defectu natalium, quantum ad Ordines; 4 *superioris dispensatione* tollitur ea, quæ non est in jure naturæ fundata. Porro Papa in omni irregularitate dispensat, quæ sit ecclesiastici juris ; nam *ejus est permittere, cujus est vetare:* atque ad ipsum fit recursus pro foro externo. Major autem Pœnitentiarius dispensat in cunctis fere casibus occultis pro foro interno ex Bulla *Pastor Bonus* Benedicti XIV. Tandem Episcopus ex Tridentino dispensat vel per se vel per suum Vicarium specialiter ad id deputatum in irregularitatibus *ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum* (1). In iis vero quæ sunt ex defectu, Episcopus a jure habet tantum, ut dispenset in bigamia *similitudinaria,* ac cum illegitimis ad minores Ordines, atque Beneficia simplicia (2).

Quam autem Episcopus habet facultatem, eam plures tribuunt ex privilegio etiam Prælatis regularibus quoad proprios subditos (3).

Q. 2. *An si quando conceditur facultas absolvendi a censuris reservatis, intelligenda sit etiam concessa quoad irregularitatem?*

R. Negative : irregularitas enim non est censura : et difficilior est irregularitatum, quam censurarum relaxatio. Imo ex D. Carolo in *Instructione ad Confessarios,* et secundum stylum romanæ Curiæ numquam censetur concessa facultas dispensandi super irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio : neque ipso Jubilæi tempore, nisi ea proveniat ex censuræ violatione. Quilibet tamen Confessarius absolvere potest a peccatis irregularitatem adnexam habentibus, seclusa peculiari prohibitione et reservatione. Irregularitas enim adjuncta non impedit effectum absolutionis; quia non pugnat cum statu gratiæ, neque arcet a susceptione Sacramentorum, excepto ordine. Ideoque potest quis liberari a peccato, et simul remanere ligatus irregularitate eidem adnexa.

(1) Sess. 24, can. 6. — Refert L. Ferraris, V. *Irregularitas*, posse Episcopum dispensare ab homicidio occulto, quod quis ad suam vel aliorum defensionem, non servato moderamine patravit ; quia tale homicidium non est simpliciter voluntarium.

(2) Quoad dispensationem super irregularitate hæc notentur : « Sacra Congregatio (ita *Fagnanus*) censuit, quando delictum ex quo provenit irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente, irregularitas incurritur, occultus sit, Episcopum dispensare non posse : veluti si Sacerdos publice excommunicatus vel notorie simoniacus, occulte Missam celebraverit. Quod si delictum occultum sit, utpote excomunicatio, actus vero Missam celebrandi ex quo irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus Episcopum ab omni irregularitate absolvere ex *Trid.* c. 6, sess. 24 *de R.* »

(3) Confessarius, qui facultatem obtinuerit dispensandi super irregularitate ex Rituali R. post datam absolutionem a peccatis, hac uti debet forma : *et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus*), *in quam* (vel *in quas*) *ob talem causam* (vel *tales causas*) *incurristi ; et habilem reddo, et restituo te executioni Ordinum et Officiorum tuorum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Si careat Ordine sacro, dicat : *habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.*

SCHOLIUM.—*De cessatione a Divinis.*

Q. *Quid de cessatione a Divinis?*

R. Cessatio a Divinis est *impositio Clericis facta se abstinendi ab officiis divinis, et ecclesiastica sepultura.* Non est proprie censura: unde qui illam violat, etsi graviter peccet, irregularis tamen non fit. Hæc imponitur vel in signum mœroris, vel ad reparandam injuriam gravissimam Deo illatam; afficitque omnes, qui eo in loco sunt.

In cessatione a divinis ea possunt Sacramenta administrari, quæ possunt in interdicto. Cum autem hic habeatur verus actus jurisdictionis, hinc cessatio a divinis imponitur et aufertur eo modo, quo ipsa censura. Ita communiter cum Suarez (1).

CAPUT QUINTUM

DE ORDINATIONIS EFFECTIBUS ET ORDINATORUM OBLIGATIONIBUS.

Q. 1. *Quotuplex est effectus Sacramenti Ordinis?*

R. Triplex, nempe 1 est *gratia habitualis* sive *sanctificans* (id est ejus augmentum, cum Ordo sit Sacramentum vivorum). Hinc Apostolus: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii* (2). Quæ verba perpendens Angelicus habet: *confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei;* 2 *gratia Sacramentalis*, quæ est jus fundatum in gratia sanctificante ad accipienda auxilia supernaturalia per gratias actuales, quæ consistunt in mentis illustrationibus et piis motionibus voluntatis ad officia ecclesiastica digne obeunda; 3 *character;* inquit enim Tridentinum (3): *siquis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere:* accipe Spiritum Sanctum; *aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui semel Sacerdos fuit, laicum rursus fieri posse anathema sit.*

Q. 2. *Quot sunt obligationes ordinatorum?*

R Multæ sunt obligationes ordinatorum: aliæ quidem sunt omnibus Clericis communes, de quibus in Tractatu *De obligationibus;* aliæ iis sunt maxime propriæ, qui in Sacris ordinantur: et sunt tum obligatio divinum Officium recitandi, de quo in Tractatu *De Religione;* tum obligatio cælibatum perpetuo servandi.

(1) Ex c. *Non est vobis* de spons. etc. — Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 4 et 340.

(2) I Tim. 4. — *V.* Margotti, *Roma e Londra, confronti*, Torino, 1858: *cap. IX* del clero anglicano di Londra, e del clero cattolico di Roma.

(3) Sess. 23 can. 4. — Est autem probabilius, singulos Ordines characterem suum sibi proprium imprimere. In singulis enim diversæ tribuuntur potestates, id est ex institutione Christi imprimitur iis Ordinibus, qui sunt Sacramenta; ex institutione Ecclesiæ iis, qui Sacramenta non sunt. Unde nullus ipsorum iterari debet.

ARTICULUS UNICUS — De cælibatu ecclesiastico (1).

Q. 1. *Quosnam obstringit lex cælibatus?*

R. *In Ecclesia latina* omnes Clerici, ab Episcopatu ad Subdiaconatum inclusive, tenentur sub gravissimo præcepto servare perpetuam continentiam, ita ut nec licite uti possint matrimonio contracto ante sacram Ordinationem, nec licite nec valide postea illud contrahere. Constat ex pluribus juris canonici capitibus (2). Unde Episcopus promovendos ab Subdiaconatum sic alloquitur ipso Ordinationis actu, uti videre est in Pontificali R.: *Filii dilectissimi ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus ultro appetitis; hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire. Quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire: sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari: et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit: atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est, cogitate; et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.* Hinc Tridentinum expresse declarat, nullum matrimonium initum ab iis, qui in sacris Ordinibus sunt constituti; *siquis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit* (3).

Diximus *in Ecclesia latina:* quoad Græcos disciplina diversa est; nam vel agitur de Græcis et Albanensibus in Italia eique adjacentibus Insulis degentibus, vel de Cophtis, cæterisque Orientalibus. — Si 1, Benedictus XIV Const. *Etsi Pastoralis* non prohibet quidem, ut Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores retineant, quas antea duxerunt (si tamen virgines, non viduas nec corruptas duxerint); sed nullum irritumque declarat eorum matrimonium post sacros Ordines contractum. Et qui nihilominus contrahere præsumpserit, remanet excommunicatus, ab Ordine deponendus est, et ab illegitima uxore separandus. — Si 2, idem Pontifex Const. *Eo quamvis* permittit quidem uxorem retinere, quæ ante Ordinationem ducta fuerit. Quid autem sit sentiendum de illorum matrimonio postea inito, Benedictus XIV reservat utique apostolicæ Sedi illud approbare; cum aliunde graviter vetitum sit. Verum an non tantum illicitum, sed etiam irritum dicendum sit, noluit definire, quamvis Tribunalia Almæ Urbis opinioni eorum adhæreant, qui illa matrimonia nulla existimant.

Cæterum etiam apud ipsos Græcos Episcopis non solum contrahere, sed et propria uxore uti post Ordinationem, omnino vetitum est; ita ex disciplina

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VII, nn. 806 et seqq. Et *Opera Dogm.* sess. XXIII.

(2) *Signanter*, c. 1, dist. 28, et c. unic. *de voto* in 6.°

(3) *Sess.* 24, can. 9. Clerici autem in Sacris matrimonium contrahentes, seu attentantes, præter matrimonii nullitatem, excommunicationem, et irregularitatem ipso facto incurrunt, ex capite 2 *Qui Clerici*, et *Clem.* unic. de cons., et affin., a qua tamen irregularitate Episcopus post pœnitentiam dispensare valet, dummodo, ut adnotat Barbosa, cum unica, eaque virgine, contraxerint; si namque cum vidua, aut corrupta, vel binas inierint nuptias, tunc alia exurgit irregularitas ex defectu Sacramenti dicta, a qua Episcopus dispensare nequit.

Synodi Constantinopolitanæ in Trullo anno 692, quæ quidem nunc viget vel apud ipsos Græcos catholicos.

Q. 2. *Quid siquis promoveretur ad Ordines sacros vel invincibiliter ignorans castitatis obligationem iisdem adnexam? Vel expresse nolens obligationem ipsam vovere? Vel si esset metu gravi perductus, sed cum animo se ordinandi; vel si esset in ipsa infantili ætate ordinatus?*

R. In primo casu dicimus cum communi, eum ad castitatem adhuc teneri vel ex vi voti impliciti juxta S. Thomam, qui ait: *etiamsi quis verbotenus* (votum) *non emittat, ex hoc ipso tamen quod Ordinem suscipit, secundum ritum occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse* (1); vel teneri ex præcepto Ecclesiæ, maxime si intenderet (ut supponi debet) Ordinem suscipere cum obligatione, qua generatim suscipitur ab aliis (2).

In secundo casu est probabilius, eumdem teneri ad castitatem, non quidem ex voto; sed ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex Religionis motivo vult omnes esse omnino obstrictos, qui scienter Ordinem suscipiunt, cui quidem continentia adnexa est. Unde si iste peccaret contra castitatem, adhuc sacrilegium committeret; quia etsi non teneretur ad castitatem ex voto, teneretur tamen ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex Religionis motivo (ob reverentiam nempe Ordinis sacri) eum, deficiente voto, adstringit. Ipse autem semper teneretur ad emittendum votum, cum præceptum sit.

In tertio casu, si gravis ille metus ex justa causa infligatur, v, g. si Episcopus ob inopiam ministrorum quempiam metu gravi adstringeret ad Ordinationem, probabilius videtur sic ordinatum obligatione castitatis ligari; quia in tali casu ipse esset irrationabiliter invitus: nec talis metus tolleret omnino voluntarium, ac multo minus votum irritaret. Quod si gravis ille metus sit incussus ex causa injusta, quamvis probabilius sit non teneri ad votum sic ordinatum, quia votum ex quo provenit castitatis obligatio, metu gravi extortum est nullum saltem de jure positivo (3); in praxi tamen consultum fuit, ut Clericus taliter ordinatus petat dispensationem, quam S. Congregatio Concilii jam alias elargita est, ubi solide metus ille probari valeat.

Tandem in quarto casu, qui ordinatur infans neque tenetur ad castitatem neque ad alia onera, nisi post 16^m^ ætatis annum Ordinationem ratam habuerit, uti docet Benedictus XIV Constitutione *Eo quamvis*. Et merito; ad rem enim valde arduam ac perpetuam suscipiendam requiritur maturitas et quidem perfecta (4).

Q. 3. *An obligatio cælibatus sit de jure divino?*

R. Negative; si enim hæc lex esset de jure divino, non variaret circa illam latina a græca Ecclesia; siquidem jus divinum non variat pro diversitate locorum. Est ergo de ordinatione Ecclesiæ; utrum autem illa obligatio sit immediate ab Ecclesiæ præcepto, vel immediate a voto de præcepto

(1) Suppl. q. 35, a. 3.

(2) Excipiunt aliqui, si hæc ignorantia sit positiva, ut si quis Sacris initietur ratus sibi propria uxore uti licere, quia Græcos novit illa uti.

(3) C. *Prælatorum* etc. c. cum *dilectus* de his, qui vi, metuque etc.

(4) Quæ quidem ratio probat ex Salmanticensibus id quoque obtinere in casu, quo quis post usum rationis ordinetur, sed ante adeptam pubertatem.

Ecclesiæ emittendo, Tridentinum utrumque refert, sed non definivit. Sunt porro qui merito probabiliter docent, quod ordinati in Sacris non ex voto, sed ex sola Ecclesiæ Ordinatione ad castitatem tenentur, tum quia nulla fit voti mentio; tum quia ad hoc præceptum Ecclesiæ satis est. Verum probabilius et communius alii hanc obligationem cum D. Thoma repetunt immediate ex voto, quod in ipso facto Ordinationis emittitur juxta Ecclesiæ mentem, idque expresse habetur in jure (1). Et hoc votum Bonifacius VIII solemne esse declaravit (2).

Cælibatus autem inimici sunt *hæretici*, *increduli* et *pseudopolitici*. Contendunt *primi* cælibatum adversari Scripturæ auctoritati, antiquitati Ecclesiasticæ et ministerio sacro. Volunt *secundi* eumdem a jure ipso naturali improbari prorsus atque repelli. Tradunt *tertii* bono Reipublicæ et Societatis omnino nocere (3).

Q. 4. *An cælibatus Scripturæ, antiquitati et ministerio adversetur?*

R. Cælibatus nedum Scripturæ antiquitati et sacro ministerio adversetur, imo cum iisdem maxime convenit. — *Primo:* illa lex censeri debet Scripturæ et antiquitati maxime congruere, quæ fundatur in exemplo Apostolorum; in consuetudine ab ipsis Apostolorum temporibus fere universaliter recepta; in antiquissimis sanctionibus Conciliorum atque Pontificum. Atqui talis est hæc lex cælibatus: de Apostolis sic aperte loquitur Hieronymus: *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes* (4). De universali consuetudine dubitari non potest; licet enim nondum certa et declarata lege cælibatus fuisset Clericis impositus; ab Apostolis tamen obtinuit, ut Clerici, si ante Ordinationem habebant uxores, postea ab iisdem prorsus sese abstinerent. Testes sunt pro Ecclesiis orientalibus Origenes, Hieronymus, Eusebius et Epiphanius; pro Ecclesia latina volunt eruditi, S. Petrum continentiæ legi cito subjecisse omnes Episcopos, Presbyteros atque Diaconos, ita ut nullum fas sit invenire exemplum Episcopi, Presbyteri aut Diaconi, qui impune continentiam violaverit. Tandem antiquissimæ sanctiones Conciliorum atque Pontificum adstipulantur. *Conciliorum,* uti est Eliberitanum, Taurinense et Carthaginense II, celebrata sæculo IV. *Pontificum,* ut sunt Siricius qui sæculo IV, Innocentius I et Leo M. qui floruerunt sæculo V: qui omnes illam memorant legem; nec tamen innuunt, se de novo eamdem condere, sed ab Apostolica sanctione profectam urgere et instaurare (5).

(1) C. *Cum olim* de Clericis conf.

(2) *De voto redempt.* in 6.° — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 807.

(3) *V.* Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro.* Horum porro doctrinas Pius Pp. IX in sua Encyclica: *Qui pluribus,* 9 novemb. anno 1846, *conspirationis fœdissimæ* nomine jure merito nuncupavit, inquiens: *Huc* (nempe in Fidei et Ecclesiæ destructionem) *spectat fœdissima contra sacrum Clericorum cælibatum conspiratio, quæ a nonnullis etiam, proh dolor! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriæ dignitatis misere obliti se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur.*

Quæ hic disputantur de cælibatu, excerpta sunt fere ex toto ex eruditissimo Opere cujus in dies editiones Romæ, Taurini, Mediolani ac Parisiis videre est, sub titulo: *Prælectiones Theologiæ, quas in collegio Romano S. J. habebat* Joann. Perrone *e S. J.*: tract. *de Ordine*, cap. v *de cælibatu eccl.*

(4) Ep. 48 ad Pammachium.

(5) Paulatim vero ab Ecclesia latina pervenit etiam ad orientalem, ut videre est penes Christia-

Secundo: cælibatus Ecclesiasticus ministerio sacro maxime convenit. Lex illa ita se habet, quæ præfert specialem vitæ sanctitatem ; quæ officiis divinis rite obeundis maxime conducit; quæ magis removet impedimenta, quæ cum vitæ clericalis instituto nequeunt sociari. Atqui talis est lex cælibatus. —1 Quod *specialem vitæ sanctitatem præferat* nemo poterit dubitare, ubi vix laudes eximias perspiciat, quibus in Ss. Litteris Christus et Apostoli castitatem ad cœlum usque extulerunt atque statum virginitatis præ statu matrimonii celebrarunt (1);—2 quod *officiis divinis rite obeundis maxime conducat,* facile ostenditur. Hæc enim sunt præcipua militiæ clericalis officia: Sacrificium offerre, orare, præesse, docere, Sacramenta ministrare, infirmorum et pauperum curam gerere. Quæ postulant virum alienis curis minime distractum, ita ut facile esse possit omnium consiliarius, judex, pater, imo omnium quasi famulus atque minister. Jam vero quis neget ad hæc munia præstanda valde magis cælibatum conducere, quam matrimonium? Id plane innuit Apostolus: *qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est* (2) ;—3 quod per cælibatum magis *removeantur impedimenta, quæ cum vita clericali nequeunt consociari,* compertum fiet, si consideremus partes conjugatorum. Nonne conjugatus œconomicis et domesticis innumeris prope curis indesinenter obstringitur? nonne et conjugis et liberorum sustentationi consulere debet? horum educationi et futuræ sorti prospicere? et alia præstare hujus generis sine fine, quæ animum occupant diu noctuque? Non ergo Clerici hæc possent implere sine gravi ministerii sacri detrimento.—Quid si Parœciæ præsint in vicis aut pagis, quæ vix præbeant victui proprio necessaria? si velint pauperes sustentare? si morbo contagioso laborantes invisere? si ad barbaras gentes lucem fidei afferre? Hoc patet quotidie exemplo tum græcorum presbyterorum, tum anglicanorum et protestantium ministrorum, qui vix dominica die ministerio incumbunt, dum reliquam hebdomadis partem negotiis impendunt et familiæ. Toti sunt uxori et filiis alendis, instituendis ac ditandis; proventus non in pauperes, sed in rem domesticam convertunt (3). Si lues aut contagiosus morbus grassetur, fugiunt. Si apud exteras regiones Missiones suscipiunt, mercatores agunt, ac stipendia ingentia a Biblica societate uti mercenarii percipiunt; ac interea, si molestias excipias, quas operariis catholicis creant, otio diffluunt, contemptumque sibi conciliant.

Sed dices 1: Deus imperavit omnibus matrimonium, dicens: *crescite et multiplicamini et replete terram* (4). Hinc Apostolus constituit, ut Episcopus sit *unius uxoris vir; et juniores nubant* (5).—R. Ad 1: Verba *crescite et multipli-*

num Lupum (Diss. *De latinorum Episcop. et Clericorum continentia*). Licet solus postea remanserit Episcopatus, ad quem promoventur cælibes vel continentes, ut plurimum ex Monachorum cœtu electi ; reliquis autem Clericis majoribus integrum fuerit uxores ante Ordinationem ductas tenere.

(1) *V.* de virginitate, *Appendix* de restitutione, t. I. (2) I Cor. 7.

(3) Ut recens præbeamus exemplum, ut quid Hibernia maxima penuria continuo laborat, cum tamen illius regni Episcopi ditissimi sint, nisi quia uxorati pro familia divitias congerunt? Non suspectæ Anglicanæ effemerides hisce ipsis diebus enarrant, undecim Hiberniæ Episcopos in morte propriis familiis reliquisse summam libellarum 51.375,000 (*Loyal national-Repeal-Association* 1849). — *V.* Margotti, *Roma e Londra confronti*, c. 9.

(4) Gen. 2. (5) I Tim. 3 et 5.

camini continent benedictionem et fœcunditatem, quam Deus contulit in creatione humani generis; non vero nuptiarum præceptum. Etiam piscibus maris dictum est ibi: *crescite et multiplicamini et replete aquas maris;* sed nemo hæc interpretatur de nuptiarum præcepto piscibus imposito. Sed esto præceptum importent: ad omne tempus et singulos homines pertinere haud poterit demonstrari. Imo contrarium colligitur ex verbis: *et replete terram,* quæ satis exprimunt tale præceptum non respicere, nisi primordia, vel restaurationem generis humani: quod cessare debuit post sufficientem propagationem. Secus Christus et Apostoli non dedissent consilium continentiæ. Ad 2: Episcopus debet esse *unius uxoris vir*, id est non bigamus. Hoc sensu intelligi debent Apostoli verba; alioquin nec Apostolus ipse fuisset idoneus ad Episcopatum, qui scribit nullam sibi uxorem fuisse (1). Neque etiam concludunt verba: *volo juniores nubere;* ibi Apostolus loquitur de viduis junioribus et fornicariis, quas declarat, se malle matrimonio iterum jungi, quam incontinenter vivere.

Dices 2: *Ex historia Ecclesiastica certum est, Apostolos et uxores retinuisse, et secum eas circumduxisse. Nemo ignorat historiam Paphnutii in Concilio Nicæno: cum ibi ageretur de lege cælibatus inducenda, obstitit Episcopus sanctissimus, et in ejus sententiam concesserunt Concilii Patres. Nemo ignorat in Ecclesia orientali post Synodum Trullanam, id est ab antiquis sæculis, solos Episcopos continentia obstringi; Presbyteris vero et Diaconis fas semper fuisse uxores ante Ordinationem ductas retinere.*—R. Ad 1: falsum est Apostolos secum tenuisse uxores suas; ait enim D. Petrus nomine omnium: *ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (2). Fœminæ autem, de quibus in objectione fit sermo, non erant uxores; sed piæ quædam quasi famulæ, quæ juxta morem Hebræorum sacros operarios comitabantur, ut ipsis ministrarent, prout de Christo ipso constat (3). Ad 2: in Nicæno propositum fuerat disciplinam Ecclesiæ latinæ extendere ad Ecclesiam universalem. Paphnutius restitit quoad illos, qui matrimonio juncti ad Presbyteratum et Diaconatum jam ascendissent. Quoad reliquos vero, qui cælibes sacris essent Ordinibus initiati, censuit *antiquam Ecclesiæ traditionem* esse servandam de nuptiis numquam ineundis (4). Ad 3: verum est quod dicitur de Ecclesia orientali, exceptis Diœcesibus non paucis, ubi Episcopi legem Ecclesiæ latinæ tulerunt; sed Trullana Synodus contra majorum instituta egit et a puriori disciplina aberravit (5).

Dices 3: *Nulli debet vetari quod Dominus liberum reliquit: atqui tale est conjugium. Adde Sacerdotes mosaicos fuisse uxoratos: et tamen rite officia sua*

(1) Cor. 7. (2) Matth. 19. (3) Matth. 27.

(4) Cæterum licet in dicto Concilio continentia perfecta non fuerit sancita; certum tamen est complures ex illis Episcopis reduces ad proprias Diœceses edixisse, ut omnes Clerici Majoribus initiati vitam continentem agerent: sic S. Eustasius in Patriarchatu antiocheno: S. Alexander in alexandrino et alii. Quamquam non est omittendum hanc historiam Paphnutii ab eruditis non paucis omnino rejici uti fabellam a Socrate confictam, cujus deinde fidem secuti sunt Sozomenus et Nicephorus.

(5) *V.* Tassoni, *La Religione dimostrata* ecc. t. III, c. 27. — It. Opus, *Compendio di dottrine ortodosse intorno la quistione del matrimonio del Chierici maggiori;* quod maxime commendatur apud De-Luca, *Annali* etc. vol. IX.

adimplebant. Idem de Ministris protestantibus affirmandum.—R. Ad 1: hæc difficultas primum a Calvino proposita fuit; sed a Calvino expostulamus: nonne Dominus liberam unicuique reliquit venationem, aleam et mercaturam? et tamen ipsemet plurimum commendat Ecclesiæ decreta, quæ Clericis illa interdicunt. Videlicet Ecclesia facultatem habet condendi leges, quas jure putat in bonum fidelium spirituale esse evasuras. Adde Ecclesiam non absolute nuptias hominibus vetare; sed tantum in iis circumstantiis, quibus velit quis ad Ss. Ordines ascendere.—Ad 2: quoad Sacerdotes mosaicos peculiares illius populi circumstantiæ expostulabant, ut cælibes non essent; Deus enim constituerat Sacerdotium hæreditarium: et aliis modis propterea consulerat tum Sacerdotum tum populi utilitati. Causæ autem istæ prorsus cessarunt in Religione christiana, quæ aliunde perfectionem longe majorem sibi requirit. Adde: quoties ipsi veteris Legis Sacerdotes ministerio fungebantur, toties continentes esse debebant, et separari a consortio suarum uxorum. Quid ergo de Sacerdotibus novæ Legis, qui quotidie suo ministerio præsto sint oportet?—Ad 3: nulla potest comparatio institui inter officia Ministrorum Protestantium et Catholicorum; illis enim, ut plurimum, nullum aliud onus incumbit, quam semel in hebdomada verba facere ad populum; nullam fere in eumdem auctoritatem exercent, ideo ipsorum parum interest, si eis non habeatur tanta observantia. Sed Sacerdotes catholici tenentur quotidie Officium persolvere, Sacramenta ministrare, Confessiones excipere, morituris præsto esse, concionari sæpissime, indigentibus occurrere, et alia innumera præstare, quæ nequeunt sociari cum matrimonio.

Q. 5. *An cælibatus ecclesiasticus juri naturæ adversetur?*

R. Negative: si cælibatus noster juri naturæ adversaretur, esset quia existit naturæ lex, quæ omnibus et singulis humani generis individuis matrimonium injungit. Atqui hæc lex non existit:—1 quia alioquin omnes et singuli tam masculi quam fœminæ, tam pauperes quam divites, tam sani quam infirmi, tam idonei sustinendis Matrimonii oneribus quam non idonei; tam servi quam domini, omnes, inquam et singuli, nemine excepto, hac lege obligarentur;—2 quia si existeret hujusmodi lex, eam sane cognovissent populi per orbem dispersi; eam non ignorassent legislatores, non sapientes, non juris naturalis periti. Sed hoc tantum abest, ut quinimo cælibatus sacri cultores summo semper in honore penes omnes populos habiti sint et laudibus celebrati, ut de Ægyptiis, Indis, Persis, Græcis ac Romanis eruditi ostendunt (1);—3 si esset contra naturam cælibatus, Christus et Apostoli continentiæ consilium et exemplum in semetipsis non dedissent; neque Patres et Ecclesia virginitatem adeo laudibus continuo cumularent.

Dices 1: *Natura ipsa hominem ad matrimonium inclinat, et eum in finem sexuum diversitatem ordinavit. Deinde nemo potest negare immortalitatis desiderium homini natura inditum: atqui hoc desiderium expleri non potest, nisi per sui reproductionem in filiorum procreatione, in quibus pater vivere quasi pergit. Adde: negare existentiam alicui individuo idem ultimo est ac individuo nato vitam auferre: quod naturæ adversatur.*—R. Ad 1: natura hominem inclinat ad matrimonium; quin tamen peculiarem unicuique individuo

(1) *V.* Zaccaria, *Dissertazione previa sul celibato tra le nazioni prima di G. C.*

illius contrahendi obligationem imponat. Unde omnes quidem possunt, si velint, matrimonium contrahere ; sed nemo in particulari ad illud cogitur. Imo fas est eidem renuntiare, maxime si id fiat ob causam publicæ utilitatis, qualis est Religio. Ad 2: ridiculum est quod desumitur ex immortalitatis desiderio ; istud enim respicit vitam propriam, non filiorum, in quibus pater dicitur quidem vivere, sed improprio atque lato sensu (1). Ad 3 : latum est discrimen inter eum qui natus est, et eum qui necdum ullo modo vivere cœpit: primus jus acquisivit ad conservationem ; sed secundus jus illud neque acquisivit, neque acquirere potuit.

Dices 2 : *Illud naturali juri adversatur, quod naturæ instinctum extinguere nititur et corporis sanitatem. Atqui talis est cælibatus.*—R. Hanc difficultatem ex physiologia et medicina contra cælibatum multum urgent increduli ; sed frustra, cum eos falsitatis arguant physiologi, medici et scriptores præclarisimi. Ostendunt videlicet, ipsa duce experientia, cælibes complures ad decrepitam usque ætatem pervenire, et quidem optime in salute valentes: hoc fassi sunt inter cæteros Baco de Verulamio, et ex veteribus ipse Galenus. Imo Brownus celebris medicus anglus in opere, *Errores populares,* demonstrat ex professo cælibatarios, cæteris paribus, diutius vivere quam conjugatos. Et Leonicenus doctissimus medicus italus perfectam valetudinem, qua fruebatur ætate annorum 90, ad continentiam referebat (2).

Q. 6. *An cælibatus ecclesiasticus societatis bono adversetur?*

R. Cælibatus ecclesiasticus nedum societatis bono adversetur, imo illum mirifice promovet. Et sane illa lex bonum societatis mirifice promovet, quæ familiis perennitatem atque prosperitatem affert; quæ efficit, ut litteræ et artes vehementius excolantur ; quæ publicæ beneficentiæ et charitatis instituta fovet ac multiplicat. Atqui talis est lex cælibatus nostri :—1 *familiis perennitatem atque prosperitatem affert.* Per eam enim legem sacri ministri fiunt ministri publici, a quovis negotio domestico liberi, et concivium sucrum utilitati mancipati. Hinc toti ipsi sunt (vel esse debent, si conditioni propriæ velint inhærere) in communicando vim moralem et religiosam hominibus, suadendo *ut* genitores familiam recte moderentur ; *ut* filii sint dociles erga parentes; *ut* conjugati se mutuo amore prosequantur ; *ut* famuli fideles sint, et subjecti ex corde ; *ut* pax domestica omnino servetur, et vitia procul sint. Quæ omnia ad familiarum perennitatem atque prosperitatem maxime influunt: cum porro ex bono familiarum pendeat bonum societatis ; patet legem cælibatus ecclesiastici societatis bono mirifice prodesse ;—2 *hæc lex efficit, ut litteræ et artes vehementius excolantur.* Sane ille est longe aptior, qui totus hic esse potest, ac propter præstantissimum vitæ genus quod profitetur, et venerationem et fiduciam et amorem et auctoritatem sibi valet conciliare ; quam ille, qui negotiis domesticis detinetur. Atqui talis est cælebs minister ;—3 *publica beneficentiæ et charitatis instituta fovet ac multiplicat.* Sunt Ecclesiæ ministri, qui orphanorum, senum, infirmorum et miserorum

(1) *V.* Antonius Bianchi, *Il libertinaggio esaminato.* Milano, 1810.

(2) *V.* Scotti, *Catechismo medico*, cap. XI. — Laurentius Martini, *Lezioni di fisiologia*, t. X. — It. *Del celibato fisicamente considerato*, Commentario offerto alla classe medico-legale, non che al ceto ecclesiastico. Lucca 1840.

omnium veluti parentes et refugium habentur (1). Qua vero de causa? certe ob eam præsertim, quod ab omnibus domesticis ac publicis negotiis immunes sint, et nullum in ipsis impedimentum inveniat charitas Christi, quominus in omnes libere et late diffundi possit. Cælibes Ministri sua vivendi ratione constituuntur mediatores inter egenos et divites, inter potentes et debiles; atque sine ulla suspicione, et facillime in nomine Christi Jesu subsidia sibi valent undique corrogare, quibus indigentium necessitatibus occurrant (2).

Dices: *cælibatus privat societatem civibus innumeris; ergo ejus bono adversatur. Hinc Græci et Romani eum proscripserunt. Hinc Provinciæ Protestantium maxime florent, squallentibus regionibus catholicis.*—R. Multiplex distinguitur cælibatus ratione artis vel finis, vi cujus observatur: alius *militaris,* alius *nauticus,* alius *philosophicus*, alius *famulatitius*, alius *libertinus* et *profanus*, alius *religiosus* et *sacer,* de quo hic. Porro si adversariis tantopere cordi est societatis augmentum, cur non insurgunt etiam in cælibatus omnes, a quibus revera innumerorum civium procreatio impeditur; et qui sunt causa tam effrenis libidinis? Eccur in solum Religiosum debacchantur, cujus ministri, si qua ex parte defraudant societatem quibusdam civibus, abunde compensant ex altera promovendo familiarum bonum, litterarum studia, bonarum artium culturam et publicæ beneficentiæ instituta? Quod pertinet ad Græcos et Romanos, ipsi quidem proscripserunt cælibatum, sed libertinum, quem etiam nos tamquam societatis pestem damnamus. At religiosum summo semper in prætio habuerunt et honoribus cumularunt, uti ex Henrico Morini ostendit P. Zaccaria. Est tandem putidum mendacium quod dicitur de florentibus provinciis protestantium, et de squallentibus Catholicorum: sola Italia nostra sufficit ad demonstrandum; hæc enim viris ecclesiasticis abundat magis, quam cæteræ mundi partes. Et tamen nemo dixerit eam squallere; ostendit enim clarissimus Balbi noster, Italiam, spectata soli area, ipsos Sinas exsuperare numero incolarum (3).

(1) Ipsa *infantiæ asyla*, quæ nunc temporis adeo prædicantur, ab ipsis Ecclesiæ catholicæ ministris, si non nomine, re primitus inventa sunt, videlicet ab archipresbytero mediolanensi *Datheo* anno 787. (*V.* Muratori, *Antiq. It.* Diss. XXXVII, t. III). Hoc ipse fatetur Aporti, *Manuale di educazione, ed ammaestramento per le scuole infantili.* Hinc in Brephotrophio, quod pius ille erexerat, hi versus legebantur:

Sancte memento Deus, quia condidit iste Datheus,
Hanc aulam miseris auxilio pueris.

(2) *V.* De-Maistre, *Du Pape*, l. III. — Scotti, *Teoremi* ecc. par. 2ª, teor. VII: Il Sacerdozio adorna e sostiene la società. — Jager, *Il celibato Eccles. ne' suoi rapporti religiosi e politici.* Parigi 1836.—Gotti, *Colloquia theologico-polemica*; item, *La vera Chiesa di Cristo.* — Gobbet, *Storia della riforma protestante*, Lett. IV. — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, l. II, cap. 60.

(3) *V. Compendio di Geografia.* — Bergier, *Dizionario*, art. Celibato. — Opus, *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico*, t. II, p. 3, c. 2, art. celibato, in fine. — Liber *integer legendus*, ut verbis uta Pii VI, qui inscribitur, *La lega della Teologia moderna colla filosofia a' danni della Chiesa di G. C. svelata* ecc. Novara, Miglio, p. 77. — *Civiltà Catt.* vol. X, ser. 1ª: Del celibato sacro e profano 1852. — Martinet, *Soluzione di grandi problemi adattata alla comune intelligenza.* Torino 1852.

Præstat concludere cum Torricelli: «Dios os ha dado á vosotros la tierra para poblar, y á mí me señala el cielo para contemplar. Él os ha destinado para dar hijos á la patria, y á mí me lla-

APPENDIX

De Beneficiis Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM

DE BENEFICIORUM NATURA, DIVISIONE ET PROPRIETATE.

Q. 1. *Unde Beneficii origo, et quomodo Beneficium definitur?*

R. Ad 1: Si *Beneficii* nomine quis intelligat jus competens Ministris sacris percipiendi ex rebus Ecclesiæ, quæ ad honestam sustentationem sunt necessaria, Beneficiorum origo ab ipsa Apostolorum ætate repetenda est; Apostoli enim Christi vestigiis inhærentes fidelium oblationibus utebantur ad se aliosque Ecclesiæ ministros alendos. Si vero hoc nomine intelligatur adjudicatio certæ bonorum portionis jure perpetuo facta certo ecclesiastico ministerio, ideoque Clerico illud agenti, Beneficiorum origo cæpit a sæculo V; sæculo autem VI, VII, aut VIII etiam *beneficii* nomen fuit usurpatum, exemplo ducto a Romanis, quibus nempe mos erat, ut militibus de Republica benemeritis reditus aliqui ad honestam sustentationem ex publico ærario adsignarentur, cum onere tamen Reipublicæ assistendi: reditus latino vocabulo *Beneficia* nuncupabantur; milites iisdem donati, *Beneficiarii* (1). Item in Ecclesia catholica ubi temporum lapsu disciplina clericalis eo devenit, ut, non amplius ministri vitam communem agerent, inductum fuit, ut iis pro vitæ sustentatione quædam prædia ejusdem Ecclesiæ traderentur cum onere tamen quædam ecclesiastica officia obeundi, et cum usu etiam nomina *Beneficiorum* et *Beneficiariorum* obtinuerunt.

R. Ad 2: Beneficium ecclesiasticum in se spectatum est *portio bonorum Deo dicatorum adjuncta officio ecclesiastico legitime erecto ac perpetuo subsistenti.* Respectu vero Beneficiarii communiter definitur: *jus perpetuum competens Clerico legitime instituto percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum.* Dicitur:—1 *jus*, id est vera potestas quæ duplex est: alia exercendi muneris spiritualis; alia

ma á santificarla.... Seguid la carrera que os ha abierto; pero no me turbeis en mi vocacion con vuestra compasion fingida, ó con vuestras calumnias: dejadme al menos, para seguir la voz de Dios, aquella libertad que yo os dejo en el seno de vuestras familias, en medio del torbellino de un siglo estraño á la salvacion y á mis grandes intereses en este mundo.» (*Dissertazioni* ecc.)—Audiendus pro coronide Mislin, *I luoghi Santi.* Milano 1858; cap. x: «Los sacerdotes seculares del rito armenio (católico) pueden ser casados; pero el estado de abyeccion y desprecio en que se hallan los presbíteros armenios cismáticos á consecuencia del uso del matrimonio ha servido para apartar de él á los católicos. El Patriarca me aseguró, que, entre todos los sacerdotes de su jurisdiccion, solo dos eran casados.»

(1) *V.* Baronius, *Annal. ad annum* 502: quæ porro latine *Beneficia*, longobardico vocabulo *feuda* appellabantur.

fructus ecclesiasticos percipiendi (1);—2 *perpetuum*, non solum ex parte sui, cum bona ecclesiastica alienari non possint; sed etiam ex parte Clerici cui confertur, cum ad ejusdem vitam sit perduraturum (2);—3 *competens Clerico;* cum nonnisi Clericus ad ministeria ecclesiastica exercenda deputari valeat (3); oportet tamen ut hoc jure ab Ecclesia vestiatur, ut rite illo fungi possit (4), et ideo additur *legitime instituto;*—4 *percipiendi fructus;* neque enim Beneficiarii sunt domini Beneficiorum, sed tantum administratores et usufructuarii;—5 *ex bonis ecclesiasticis,* quæ nempe ad Ecclesiam pertinent sive uti ab ipsa acquisita, sive uti eidem a fidelibus consecrata;—6 *propter officium spirituale;* ab Ecclesia non aluntur Clerici, ut otientur; sed ut officiis sipiritualibus, quibus mancipantur, sedulo incumbant, ex quo illud: *Beneficium propter officium* (5); —7 *auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum;* solius enim Prælati ecclesiastici proprium est ecclesiastica Officia et Beneficia instituere et erigere: eisdem temporales proventus adnectere, judicare quot et qualibus ministris Ecclesia indigeat, atque illis eadem conferre (6).

Q. 2. *Quænam Beneficiorum divisio?*

R. Præcipua divisio est, ut aliqua dicantur majora alia minora. *Majora* sunt quibus hæret maximus in Ecclesia gradus, uti *Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Cardinalatus*, et in quorumdam sententia etiam *Abbatia.* Hæc tamen non communi Beneficiorum vocabulo; sed proprio solent indicari, etquandoque etiam Beneficia *concistorialia* dicuntur, eo quod eorum collationem R. Pontifex ordinarie facere soleat in Concistorio Cardinalium.—Beneficia autem illa, quæ in prædictorum numero non continentur, apellantur *minora:* quæ quidem quinque hisce modis inter se differunt:

1. Alia *sæcularia* sunt, alia *regularia.* Illa Clericis sæcularibus, hæc Regularibus jam professis traduntur, uti est Prioratus (7).

2. Alia sunt *duplicia,* alia *simplicia. Duplicia* dicuntur quæ duplici onere censentur obstricta, si nempe præter communem precum recitationem, quæ Beneficiis inhæret omnibus, adnexam habeant aliam qualitatem: scilicet vel præeminentiam et jurisdictionem in foro interno, et dicuntur *curata:* vel solam præeminentiam, et sunt *personatus:* vel aliquam administrationem, et dicuntur *officia:* vel præeminentiam et jurisdictionem in externo foro, et sunt *dignitates* (quamquam in nomine variant). *Simplicia* instituta sunt ad solas preces Deo fundendas, atque ad altaris servitium, ut *Canonicatus* (8),

(1) Hæc secunda potestas, etiamsi per se temporalis sit; tamen quatenus fundatur in officio spirituali et est eidem adnexa, spiritualitatem quamdam quasi induit.

(2) C. *Præcepta* 12, dist. 55.

(3) Cap. *ex litteris* 6 de transact.

(4) Cap. *Cum ad nostram* 7 de institutionibus.

(5) Cap. ult. *de rescript.* in 6.°; Tridentinum, sess. 21, cap. 3.

(6) Cap. *Nemo* 9 de cons.; *Omnes* 1, dist. 23; cap. *Nullus laicorum* 18, *caus.* 16. Nihil autem refert quo nomine Beneficium donetur, modo requisitis constet conditionibus. Sic nonnumquam *præbenda* vocatur, quamvis per se hæc minus pateat; cum proprie nonnisi fructus comprehendat, reditus, seu dotem Beneficii ipsius. — Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 116. — Garcias, Devoti, etc.

(7) Hæc differentia dignoscitur ex fundationis lege vel institutione vel præscriptione. In dubio Beneficium præsumitur sæculare, quia status sæcularis est antiquior.

(8) Sed (ut advertit Devoti), Canonicatus aliquo modo ad dignitates accedunt: ideoque in odiosis simplicium Beneficiorum nomine non continentur (imo alicubi invaluit usus, ut ea tantum

Capellania ecclesiastica, etc. Simplicia alia sunt *sacerdotalia*, quæ scilicet necessario exigunt ut conferantur vel actu Sacerdoti, vel tali qui ea sit in ætate, ut intra annum possit Sacerdos fieri; alia *non sacerdotalia* quæid non exigunt.

3. Alia sunt *residentiaria*, alia *non residentiaria*. Primis inhæret obligatio residendi personaliter in loco Beneficii, ut ejus munia Beneficiatus personaliter implere valeat. Secundis vero talis lex non inhæret. Beneficia cuncta erant olim residentiaria; sed temporum lapsu inducta est consuetudo, ut quibusdam, præsertim simplicibus, nullum residentiæ onus tribueretur (1).

4. Alia dicuntur *compatibilia*, quæ simul possideri possunt ab uno eodemque Clerico. Alia vero *incompatibilia*, quæ e contrario non possunt ab uno eodemque Clerico simul retineri. Hujus generis sunt quibus alligatur vel cura animarum, vel aliud officium quod excludat in Beneficiato quodcumque aliud officium simile, v. g. onus celebrandi Missam festivam *per se;* non enim Beneficiatus potest per se ipsum duas Missas uno die celebrare (2). Hujus generis sunt etiam quæ dicuntur Beneficia *uniformia sub eodem tecto,* quæ nempe concurrunt ad easdem functiones in eodem loco et eodem temporis puncto: uti essent duæ Capellaniæ ecclesiasticæ in una Ecclesia; considerantur enim uti duæ sorores, quæ simul haberi non possunt.

5. Beneficia ratione modi quo conferuntur, alia sunt electiva, alia patronata, alia collativa. *Electiva*, si Clericus assumitur per simplicem electionem. *Patronata* si conferuntur per patroni præsentationem. *Collativa*, si obtinentur per collationem libere factam ab eo, qui potestatem habet, quocumque modo hæc fiat, etiam per concursum (3).

Aliquando etiam Beneficia *Commendata* appellantur: et sunt quæ quodam quasi depositi jure justa de causa per Pontificem Clericis, et etiam sæcularibus tribuuntur, quin ipsorum natura immutetur. Sic appellantur, quasi nempe sit custodiæ illorum facta alteri *commendatio* (4): hoc eveniebat maxime, quando v. g. Ecclesiæ vel Monasteria erant ab hostibus occupata, diruta, neglecta: commendabantur etiam sæcularibus dignitate et auctoritate præstantibus, ut illa bona vindicarent, instaurarent, etc. Item quando aliquis Episcopus vel Clericus ab Ecclesia, ad cujus titulum fuerat ordinatus, migrare cogebatur ob locorum occupationem ab hostibus, hæreticis

simplicia dicantur, quæ residentiam non postulant). Solet autem Canonicatus definiri: *officium tribuens fraternitatem in collegio, sedem in choro, suffragium in capitulo, et jus ad certas obventiones.*

(1) Residentiaria duplicis generis adhuc sunt; nam alia dicuntur habere residentiam *præcisam*, quoties nempe absens per notabile tempus ipso privatur Beneficio. Alia residentiam *causativam*, si absens sola fructuum amissione punitur.

(2) Hic præstat adhuc animadvertere Beneficia alia esse et dici incompatibilia *titulo* (id est natura sua), uti duæ Parœciæ, quæ æquiparantur duobus Beneficiis sub eodem tecto uniformibus; alia vero *retentione* tantum, uti duo Canonicatus in diversis Ecclesiis.

(3) *V.* Pirrus Corradus, *Praxis Benefic.* — Garcias, *De Beneficiis*, etc.

(4) Commendæ Beneficiorum non sunt confundendæ cum iis Commendis, quæ fiunt ex privatorum bonis, quæ nullimode ad Ecclesiam pertinent; hæ fiunt ea lege, ut proprietas quidem ad aliquem Ordinem seu Religionem militarem transeat, ita tamen ut fundator ejusque hæredes vocati sint de iis bonis *commendæ* nomine investiendi; et tunc tantum usufructus cum proprietate favore Religionis consolidetur, cum omnes vocatorum lineæ defecerint. *Marenco.*

aut infidelibus; ille alteri Ecclesiæ vacanti ascribebatur cui servire et unde alimenta percipere posset; hæc autem Ecclesia dicebatur *Commendata*. Commendas perpetuas concedere solius est romani Pontificis, imo et temporarias (1); si forsan excipias Beneficia minora et simplicia quæ adhuc ex hodierna disciplina volunt, posse Episcopum in Commendas concedere, si Ecclesiæ alicujus necessitas vel utilitas id pergat expostulare (2).

Q. 3. *Quænam sunt Beneficiorum proprietates?*

R. Præcipuæ Beneficiorum proprietates sunt: 1 ut ea sine causa ac debitis conditionibus neque dividantur neque conjungantur; quia primum Beneficia depauperat (3), aliud Ministris privat Ecclesiam (4); 2 ut sine Pontificis venia tributis ac vectigalibus laicorum non subdantur; cum enim bona Dei sint, in humano commercio versari non debent (5); 3 ut neque ex parte distrahantur, sed inalienata atque perpetua maneant, nisi Ecclesiæ bonum aliud postulet, legitimo superiore probante.

Scholium. — *De Beneficiis impropriis.*

Q. *Quid sunt Beneficia impropria?*

R. Beneficia impropria dicuntur ea, quæ undecumque non habent Beneficiorum naturam et qualitates, licet aliqua ex parte ad eas accedant. Talia sunt *patrimonia Clericalia*, quæ in titulum constitui permittuntur in subsidium tituli ordinarii. *Coadjutoriæ Beneficii*, quæ nudam important alterius onera supplendi facultatem. *Beneficia manualia*, quæ nempe in alterius manu ita remanent, ut possint ad nutum auferri, et ideo dicuntur *ad nutum amovibilia*. *Legata pia*, quæ nihil aliud sunt, quam certa bonorum dispositio ad pium opus. Et laicalia *præstimonia*, seu certæ illæ portiones, qua alicui præstantur, v. g. studiorum, paupertatis vel militiæ causa.—Hæc enim omnia maxime deficiunt in perpetuitate et ecclesiastica institutione, quæ duo præcipue ad veram Beneficii ecclesiastici naturam indagandam inspicienda sunt.

Hinc patet etiam nomine Beneficii improprii venire *Capellanias laicales* seu *non collativas*, licet perpetuæ, quæ scilicet non aliud sunt quam piæ fundationes, quæ important obligationem aliqua ministeria obeundi in certa capella vel altari. Differunt nempe a Beneficiis proprie dictis: — 1 quia Beneficium semper soli Clerico tradendum est; Capellania vero laicalis etiam laico, imo etiam fœminis et pueris tradi potest, per alios implendo onera; —2 quia in Beneficio intervenit semper auctoritas Prælati ecclesiastici in erectione et collatione; in Capellania non ita; —3 quia Beneficium inter jura ecclesiastica recensetur, et ideo ejus titulus et administratio semper manet penes auctoritatem Prælati ecclesiastici, sed in Capellaniis laicalibus

(1) Cap. 15, *de elect.* in 6°; et Tridentinum, sess. 24, c. 13 *de R.*

(2) *V.* Marenco, *De Beneficiis*, sess. 4. — Rigantius, *in Reg.* 43 *Cancell.* n. 49. — Berardi, *Comment.* in *jus Can.* — Natalis Alexander, *Hist. eccles.* sæc. XV et XVI, c. 7, art. 4; et dissert. 12, art. 9. — Thomasinus, *Vetus et nova* etc. par. 2.ª, l. VII.

(3) Can. 8, 26 et 36 *de Præbendis.* (4) Can. 23, cap. 1, *an.* 7.

(5) Can. 4 et 7 *de immun. Eccles.*

hæc duo manent penes ipsum fundatorem et successores ejusdem: hinc appellantur etiam *salaria mercenaria* vel *stipendia manualia;* ac ideo lites quæ suboriuntur inter patronos et passive vocatos; item quæ respiciunt permutationes bonorum et similia, res profanæ habentur, circa quas cognoscunt judices laici (1). Cum tamen Capellaniæ laicales pias fundationes contineant, jus erit Episcopis eas visitandi, nisi expresse id fuerit vetitum in tabulis fundationis (2); item quando agitur de immutatione ac reductione onerum spiritualium ad romanam Sedem confugiendum est, cum ejus sit sacra tueri et moderari (3) *(F)*.

CAPUT SECUNDUM

DE MODIS ECCLESIASTICI BENEFICII ACQUIRENDI.

Beneficia ecclesiastica *vacua* esse debent, ut rite conferantur. Et collatio, imo et promissio Beneficii non vacantis, nisi fiat a R. Pontifice, nulla est. Imo qui scienter ad illud institui passus fuerit, is majori excommunicatione puniendus (4). Hinc Tridentinum antiquavit omnia *mandata de providendo, reservationes mentales, gratias expectativas, et alias quascumque ad vacaturam* (5). In hac re præstat ut semper præ oculis habeatur vulgare illud: *Beneficia sine diminutione, vacantia, dignioribus, gratis, sollicite conferantur.*

Q. *Quot modis Beneficia ecclesiastica acquiruntur?*

R. Tribus modis communiter ecclesiastica Beneficia acquiruntur: 1 per *electionem,* qua Clericus a toto capitulo vel congregatione eligitur, et a superiore confirmatur; 2 per *præsentationem*, qua quis a patrono offertur superiori, a quo acceptatur, si reperiatur idoneus: huc referri potest *nominatio*, qua quis nempe, etsi non patronus, ex indulto tamen aliquem ad aliquod beneficium præsentat, ut illud ei conferatur a superiore; 3 per *collationem*, cum gratis nempe Beneficium solo jure prælati datur (6).

Ubi quis uno ex dictis modis Beneficio provisus est, restat ut canonice instituatur, ac in possessionem mittatur. *Institutio canonica*, quæ dicitur

(1) *V.* De-Luca, *De testam.* disc. 28; *de Benefic.* disc. 97.

(2) Tridentinum, sess. 22, c. 8 et 9 *de R.*

(3) *V. Pratica Legale* pro Regno Sabauditæ, p. 2, tom. x, l. I. (4) C. 2 et 7 de *conc. Præb.*

(5) Sess. 24 de R. c. 19. — Si Pontifex mandat inferiori collatori, ut conferat Beneficium quod vacat, tali Clerico, dicitur *mandatum de providendo;* si vero mandat ut Beneficium, nondum vacans, conferat quando vacabit, dicitur *gratia expectativa, gratia ad vacaturam* (Beneficii). Vacantia autem Beneficii publicari debet eo in loco ubi erectum est; item et nominatio facta ad patronale Beneficium, ut citentur generaliter omnes prætendentes, ad proponendum si quid contra habeant: ex cap. *fin. de elect.* in 6.° — *V.* Pichler, l. III, tit. 8. — Rebuffus, *Praxis Beneficiorum utilissima acquirendi, conservandique illa* etc.

(6) *V.* apud Ferraris, V. *Electio*, accurata horum distinctio. Est et alius modus in quibusdam Ecclesiis assequendi Beneficii, nempe *optio*, ob quam licet Canonicis juxta ordinem quo in Capitulum fuerunt cooptati, dimissa propria præbenda, vacantem acquirere seu optare, quod fit sola voluntatis declaratione. Apud nos optio obtinet circa domus canonicales. — *V.* Moneta, *De optione.* — Berardi, *Com. in jur. Can.* t. II. — Scarfantonius, par. 1.ª, l. I, tit. 8. — Passerini, *De electione canonica.* — Thomasinus, *Vetus et nova Eccl. disciplina*, par. 2.ª, l. II, c. 1.

etiam *collativa* est actus, quo superior Ecclesiasticus confert seu tribuit jus in Beneficium, illiusque possessionem petendi facultatem : hæc autem fit per symbola, v. g. per birreti impositionem, etc. *Immissio in possessionem* seu *institutio corporalis* est corporalis investitio sive positio pedis in Beneficio, per quam demum habetur in illo quies. Fit per ingressum in Ecclesiam Beneficii, per aditionem altaris, stalli occupationem, etc. Hæc possessio est magni ponderis; cum ab ipsa jura et onera hodie maxime incipiant *(G)*.

ARTICULUS I — De electione, nominatione et præsentatione.

Q. 1. *Quid est electio et nominatio ad Beneficium?*

R. Ad 1: Electio ad Beneficium non aliud est, quam *optio communibus suffragiis, et servatis conditionibus in jure requisitis peracta, vi cujus aliqua persona præ aliis ad vacans Beneficium designatur.* Sic evenit v. g. in Capitulis Canonicorum, ubi ab ipsis inter multos unus sit eligendus ad Canonicatum: sic evenit etiam in piis laicorum confraternitatibus, ubi de eorum eligendo Capellano sit sermo. Conditiones in electionibus servandæ sunt: 1 ut omnes qui jus habent eligendi, juxta usus vigentes vocentur: non tamen obstat, si quis vocatus non veniat (1); 2 ut omnes eligentes in Cathedrali vel Collegiata sint saltem subdiaconi (2); 3 ut electio sit omnino libera: *cessat electio*, ait Gregorius IX, *dum libertas adimitur eligendi* (3); 4 ut is eligatur, in quem sanior pars consentit: ita Lateranense IV. Hodie major numerus censetur etiam esse sanior, talis nempe qui canonum regulas servat. — Ex eodem Concilio electio fieri potest: 1 *per scrutinium:* est cum quilibet suum suffragium secreto tribuit; 2 *per compromissum:* est cum facultas eligendi in unum, vel plures designatos ex consensu transfertur; 3 *per inspirationem:* est cum subito quodam motu omnes eligentes in unum conspirant. Electio porro absoluta electo est offerenda (4), qui intra mensem a notificatione consensum dare debet; et intra menses tres a superiore confirmationem petere (5).

R. Ad 2: Nominatio est *actus ille, quo exhibetur Superiori persona aliqua ad Beneficium vacans occupandum.* Fit per litteras: et sic hodie communiter eliguntur Episcopi; scilicet Principes ex concessis a Pontifice indultis ad cathedrales Ecclesias ditionum suarum nominationem habent, seu ut ajunt pragmatici, supplicationem pro viris idoneis et episcopatu dignis (6).

(1) C. 28 *de elect.* in 6.°
(2) Tridentinum, *sess.* 22, c. 4 de R.
(3) L. I, t. LVI, c. 3 in 6.°
(4) Cap. 15, 19, 22, 40 et 43 *de elect.*

(5) Si vero eligendus canonico aliquo impedimento laborat dispensabili, tunc electioni præmittitur *postulatio* Superiori, ut concedat *indultum eligibilitatis.* (Ex C. 1 de postulat.) — *V.* Salzano, *Lezioni di diritto Canonico pubblico e privato.*

(6) *V.* Rigantius, *In Regulam* 2 *Cancell.* § 1. Et quoad Sabaudiam vid. præsertim Indultum Nicolai V 10 jan. 1451. *Etsi ex paterno*, in quo habetur: 1 ut neque Metropolitanæ neque Episcopales sedes neque Abbatiæ in Ditione nemini conferantur, nisi prius habitis intentione et consensu Principis; 2 ut cæteræ dignitates et Beneficia Pontifici reservata non conferantur, nisi idoneis qui sint de Ditione, aut Principi gratis et acceptis, si aliis locis sint orti. Item vid. Concordatum Benedicti XIII 24 martii 1727, quod agit de fructibus vacantium Beneficiorum concistorialium, de pensionibus quæ eisdem imponuntur, etc. Hac de re Præstat legere *Pratica lega-*

Q. 2. *Quid est præsentatio ad Beneficium?*

R. *Præsentatio est exhibitio personæ idoneæ facta coram Episcopo ab eo, qui habet juspatronatum, ut in Beneficio instituatur;* unde etiam patet quid sit juspatronatus: est *facultas* seu *jus offerendi Clericum, ut ei conferatur Beneficium vacans.* Antiquissima autem Ecclesiæ disciplina receptum est, ut iis qui templa aut Beneficia vel erigerent vel dotarent vel restituerent, fas esset non tantum nomina sua et stemmata gentilitia in Templis ipsis retinere, ac jure alimentorum, sepulturæ, sedis, processionis, thuris, et cæteris hujusmodi frui; verum etiam Clericos sibi acceptos ad eadem Beneficia eligere, et Episcopis præsentare. Hinc versus:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Juspatronatus est jus *honorificum,* quia maximi est honoris quempiam posse nominare ad Ecclesiæ officia; est jus *onerosum*, quia tenetur patronus defendere Ecclesiam suam ejusque bona tueri; est *utile,* quia si patronus inops fiat, est succurrendus præ cæteris ex jurispatronatus bonis (1). Etsi autem non appelletur per se etiam *jus spirituale,* quia tamen juspatronatus et ab Ecclesiæ concessione proficiscitur et circa res spirituales versatur; ideo uti jus necessario cum re spirituali connexum considerari debet, adeo ut nequeat in commercium deduci (2). Quoad patronatus autem divisionem audiatur cl. Nardi: qui illum considerat tum quoad *titulum*, tum quoad *subjectum*, tum quoad *jura.*

1. «*En cuanto al título* el patronato se distingue en clerical ó eclesiástico, que compete á una dignidad eclesiástica v. g. al Obispo de tal Diócesis ó á una corporacion eclesiástica; en *laical* que conviene á una persona lega ó aunque eclesiastica no en virtud de oficio eclesiástico, y *misto* si pertenece á personas eclesiásticas en virtud de su oficio y juntamente á laicos (3).

2. «*En cuanto al sugeto* el patronato es *personal ó principal*, si es inherente directamente á la persona; *real* si es anexo ó alguna cosa, como á un fundo, feudo ú oficio: p. e. el patronato clerical que compete á alguna dignidad ó beneficio eclesiástico es *real;* el clerical que compete á alguna corporacion es *personal.* El derecho de patronato laical real es *feudal*, si es anexo á un feudo, *alodial* si al alodio, y este real ó público ó privado segun que convenga al Príncipe ó á particulares. El laical personal se llama *hereditario* si es libremente transmisible por acto de última voluntad; *fideicomisario* si las personas á quienes debe pasar sucesivamente son llamadas en el acto de la fundacion; *misto* si es transmisible por testamento, pero solamente entre determinadas personas p. e. á los miembros de cierta familia. El fideicomisario es *familiar* si compete solamente á los descendientes del

le ecc. — «S. Alfonso (*in vita*, l. III, c. 32) no queriendo quitar el pan de sus diocesanos, jamás nombraba á forasteros para los beneficios de su Diócesis.»

(1) Cap. *Filiis* 31, caus. 16, q. 7; c. *quicumque* 2, caus. 16; cap. *Nobis* 25 de jure patronatus.

(2) Cap. 3 *de judiciis;* c. 16 *de jurepatr.*

(3) «El patronato *misto* nace, por ejemplo, de haber fundado un Presbítero secular, un beneficio con parte de bienes propios de una iglesia, y parte de patrimoniales propios.» Nardi, *Lezioni di diritto eccl.* ecc. § 618. — In dubio patronatus supponitur laicalis, non ecclesiasticus.

fundador; *gentilicio ó agnático* si compete á todos los descendientes de varon en línea colateral que forman una misma prosapia; *cognático* si comprende tambien á los descendientes de hembras: la presuncion está en favor del primero, luego del segundo, pero no del tercero. El familiar se transmite por primogenitura, mayorazgo ó señorío segun que sucede el primogénito de la línea transversal, ó el mas próximo en grado, y entre los que están igualmente próximos pasa el mayor de edad....» (1).

3. *En cuanto á los derechos,* el patronato *es pleno* si comprende todos los derechos que por costumbre lo constituyen; de otra manera es *semipleno.* Se dice tambien *limitado* si el patrono en el ejercicio de su principal derecho, como es la presentacion, es vinculado á cierta clase de personas, á ciertas familias ó condiciones; *ilimitado* si tiene absolutamente libre la eleccion. Finalmente se llama *activo* si está en el derecho de elegir, y *pasivo* si en el de ser elegido.»

Si patronatus est laicalis, præsentatio facienda est intra menses quatuor. Si Ecclesiasticus vel mixtus, intra menses sex computandos a die, quo Beneficii vacatio ad patroni notitiam potuit pervenire (2): at Episcopus potest ad alios sex menses tempus prorogare, non amplius (3). Non currit tempus, si lis sit vel inter Episcopum et patronos, vel inter patronos et præsentatos, vel inter ipsos præsentatos; sed interea, durante lite, debet Beneficio deputari œconomus. At currit tempus, si lis sit inter ipsos patronos, puta si non conveniant in præsentando, vel si contenditur cui competat jus præsentandi (4): excipe nisi unus ex litigantibus patronis sit cum bona fide in notoria possessione præsentandi: tunc valide præsentat, et lite non obstante, præsentatus debet institui, et firmiter manebit, etsi postea succumbat in judicio talis patronatus (5). — Patronus autem dignum, imo digniorem debet præsentare, ut Ecclesiæ bonum postulat. Si præsentat indignum, ubi patronus sit laicus, jubetur alium præsentare: si ecclesiasticus, ea vice jure præsentandi privatur (6). Patronus nequit seipsum præsentare; rogare tamen potest Episcopum, ut si dignus est, sibi patrono Beneficium conferat (7).

Q. 3. *Quid agendum, si multi simul præsententur ad Beneficium?*

R. Tres hic possunt hypotheses institui:

1. Si patronus, qui antea præsentavit, v. g. Petrum, postea præsentet alium, v. g. Paulum, si patronatus est *ecclesiasticus* vel *mixtus*, tunc *qui prior est tempore, potior est jure;* si est *laicalis*, poterit Prælatus eum instituere, quem maluerit; quia tunc præsentatio secunda non irritat primam, neque e contra. Ratio disparitatis est quia patronus ecclesiasticus vel mixtus præsumitur nosse digniorem; quem ideo nominare debet, neque mutare.

(1) Quando patronatus in laicum transfertur præterquam hæreditatem, requiritur Episcopi consensus; quia laicus nonnisi de gratia est hujus juris capax. Excipe nisi compatrono detur; tunc esset simplex remissio. — *V.* de jurepatronatus Pitonius, Viviani et Marenco.

(2) C. unico, § *Verum* de jure patr. in 6.º (3) C. 2 *de conc. præb.*

(4) C. *Quoniam* de jurepatron. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 89.

(5) C. 26 *de jurepatron.;* et Benedictus XIV, *Notificatione* XCV, § 5.

(6) C. *Cum autem* de jurep. (7) C. 3 et 27 de jurep.

Laicus vero præsumitur non satis digniorem nosse; ideo plures potest præsentare cumulative (1).

2. Si ex duobus patronis alter unum, alter vero alterum præsentat, Prælatus jure Beneficium conferre potest suo arbitratu. Quamquam prudentia exigat, ut digniorem ex præsentatis eligat (2).

3. Si multi patroni sunt discordes inter se, ille erit jure instituendus, in quem convenit eorum pluralitas, nisi sit indignus: qui si talis fuerit, poterit tunc alter præsentatus a paucioribus, qui se dignum et idoneum præbeat, in Beneficio institui, vel etiam (si Episcopus voluerit) nova ab omnibus præsentatio præscribi (3).

Ubi notandum, quod valide et licite potest fieri compositio inter duos litigantes circa Beneficium, modo illa contingat per sententiam judicis ordinarii vel delegati, aut arbitrorum Ecclesiasticorum a superiore deputatorum pro ineunda concordia: qui accedente partium consensu et *compromisso*, Beneficium adjudicent ei, cujus est probabilius jus, eidem imponendo annuam pensionem non impositam Beneficio, sed Beneficiato ad ejus vitam, vel certam pecuniæ summam alteri persolvendam, non quidem in compensationem juris, sed vel ob bonum pacis quæ conducit etiam ad bonum spirituale (4); vel ob æquitatem, ne cedens remaneat sine alimentis, quibus indiget; vel ob laborem et expensas, quas cedens sit passus, atque alter passurus foret, si ille non cederet (5).

Orta lite (quæres) *de ecclesiastico Beneficio vel alia re spirituali, potestne aliquando fieri transactio sine superioris auctoritate?* — In ipsis materiis spiritualibus quæ non sint res Beneficii ecclesiastici, certum est atque receptum, quod transactio sine simonia proprio marte fieri potest, dummodo sit de re spirituali cum spirituali; sicut etiam licet spirituale cum spirituali permutare: v. g. *ego dico Missas pro te, ut pro me dicas tot Rosaria.* Sed in re beneficiaria quoad hoc, ordinarie loquendo, requiritur saltem auctoritas Episcopi; idque ex jure definitum est, non solum si agatur de componenda lite cum aliquo onere; ita ut obtinens Beneficium solvat de suo aliquid cedenti: sed etiam si transigatur spirituale pro mere aliquo spirituali (6). Diximus *saltem* requiri Episcopi auctoritatem; nam si in transactione relaxatur pars aliqua rei jam ab Ecclesia possessæ tunc requiritur auctoritas Pontificis, cum sit vera alienatio (7). Diximus *ordinarie loquendo*, nam si agatur de simplici jurium cessione (nullo imposito onere cedenti nullaque facta redituum divisione), tunc et ipsi litigantes de se cedere possunt, aut se remittere arbitris a se electis, dummodo Clericis (cum materia et personæ ecclesiasticæ sint) qui rem totam parti illi adjudicabunt, quæ potior videtur in ratione. Imo Layman, Suarez, Salmanticenses, Abbas cum Filliucio, Palao, Bonacina docent adhuc licitum esse arbitris a partibus electis, si tamen

(1) *V* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. XII, c. 7, n. 6.
(2) C. *Consultationibus* 19 de jurepatron.
(3) Cap. 7, § 3; et cap. 26 in fine *de elect.*
(4) C. 2 *de arbitris;* et c. 21 *de præbendis.* — *V. Concordatus Austriæ*, art. 12.
(5) Ex cap. *nisi de præbendis.* (6) C. *Super eo*, et c. *Statuimus de trans.*
(7) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 187.

sint Clerici, componere litem, uni parti quæ potior jure videtur, Beneficium adjudicando, et alteram partem præstatione aliqua gravando; modo 1 non sit annua pensio; 2 a Beneficio non removeatur ille qui jam est in illius possessione; 3 neque pars aliqua rei ab Ecclesia jam possessæ sit dimittenda: hoc ex jure deducunt (1).

Potest autem Prælatus transigere in rebus, in quarum perfecta possessione nondum exi-tit Ecclesia, v. g. super delatam hæreditatem vel legatum, si moveatur lis, ut probabiliter docent cum Delbene Rabuffus, Quaranta, Barbosa et Bonacina; quia tunc non alienatur quod habet Ecclesia: sed quod speratur sub dubio haberi, remittitur pro alicujus rei certæ acquisitione. Verum est quod quæ Ecclesiæ relinquuntur, ipso jure absque conditione transeunt in Ecclesiam; at non absolute, perfecte et irrevocabiliter, cum nondum sint Ecclesiæ incorporata: unde tunc dicunt fieri posse transactionem, non tamen totalem cessionem (2).

Q. 4. *Quot modis amittitur juspatronatus?*

R. Multiplici de causa juspatronatus amittitur: 1 *rei interitu,* ut si quod constituit juspatronatus, penitus pereat; cum amplius non habeat ubi consistat: at si v. g. Ecclesia patronatus sit destructa, sed adhuc sit salva dos, non esset neganda patrono facultas præsentandi, quousque aut ab ipso nova Ecclesia esset extructa, aut ab extraneo, qui tunc esset in societatem jurispatronatus admittendus; 2 *facto ipsius patroni*, ut si suo juri se abdicet aut alteri concedat; vel Ecclesiam nulla sui juris facta reservatione, Collegiatam fieri patiatur; vel prædium vendiderit, cui juspatronatus inhæret (3); 3 *ejusdem patroni crimine*, ut si in hæresim inciderit, si Ecclesiæ Rectorem aut Clericum per se vel per alium occidere aut mutilare ausus fuerit; item si jura Ecclesiæ usurpaverit; vel separatim a fundo jus vendiderit, quasi res sit appretiabilis (4); 4 demum *præscriptione*, si nempe spatio annorum 40, vel 30 juxta alios, patronus neglexerit Beneficium conferre non impeditus; modo tamen interea Ordinarius illud bis saltem contulerit, non jure devolutivo, sed jure sibi tamquam proprio (5) *(H)*.

ARTICULUS II — De libera collatione.

Q. 1. *Quid est collatio libera Beneficii?*

R. Collatio libera Beneficii est: *concessio vacantis Beneficii, ex mero arbitrio facta ab eo, qui potestatem habet.* Hoc evenit quando solo jure Prælati illud tribuitur, quin aliquod jus alteri competat. In qualibet Diœcesi jure communi Episcopus est collator ordinarius Beneficiorum. Supremus autem et universalis collator est R. Pontifex. Ratio primi est, quod in sua Diœcesi Episcopus est sacrorum moderator. Ratio posterioris est, quod Papa est su-

(1) C. *de cætero,* de trans. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 72, 77 et 78.

(2) Fusius agunt Suarez, *De Religione.* l. IV, c. 51 — Molina, *De contractib.* tom. II, disp. 556. — Delbene, *De immunitate et jurisd. ecclesiast.* pars 2ª.

(3) Cap. un. *de jurepatron.* in 6.°; et Trident. sess. 25, c. 9 *de R.*

(4) Cap. 6 et 16 *de jurepatron.;* cap. 10 *de hæresi;* cap. 12 § *Sacri de pœnis.*

(5) Cap. 24 *de elect.* — *V.* Ferraris, Marenco et Schmalzgrueber.

premus dispensator bonorum ecclesiasticorum, et Ordinarius Ordinariorum. Collatio scripto fieri debet: Pontifex dat diplomata et *Bullæ* dicuntur quæ a pluribus Datariæ et Cancellariæ ministris obsignantur (1); sed Episcopus id conficit publico instrumento a Cancellario obsignato. Episcoporum autem potestas quoad Beneficiorum collationem duobus maxime limitatur, *concursu* ac *reservatione*: quibus addendum *jus devolutionis*.

Q. 2. *Quænam Beneficia acquiruntur per concursum?*

R. Beneficia illa, quæ post Tridentinum acquiri nequeunt, nisi per eam examinis speciem, quam Canonistæ *concursum* appellant, sunt Parœciæ, quæ pertinent ad liberam Episcoporum collationem: et alia item minora Beficia, quæ curam animarum adnexam habent (2). Nimirum Tridentinum perpendens quantum animarum saluti expediat a dignis Parochias gubernari, expresse jussit eas non posse conferri, nisi dignioribus inter eos, qui experimento instituendo coram ipso Episcopo, vel eo impedito (3), ab ejus Vicario generali et examinatoribus (synodalibus vel prosynodalibus) non paucioribus quam tribus, fuerint approbati, declarans provisiones aliter factas nullas et irritas ipso jure (4). — Parœciis adde præbendam Theologalem ac Pœnitentiariam, quæ item Beneficia per concursum sunt conferenda ex Benedicto XIII.

Quid (dices) *si Beneficium parochiale sit jurispatronatus?* — Vel Beneficium parochiale est jurispatronatus laicalis, vel ecclesiastici.

Si 1, generatim loquendo, nullus requiritur concursus. Sed præsentatus erit a tribus dictis examinatoribus probandus; et si idoneus, statim admittendus. Quod etiam currit ex S. C. C., si Beneficium sit jurispatronatus mixti: id statutum est, ne jura laici ob consortium cum ecclesiastico læderentur. — Diximus *generatim loquendo;* nam si plures æqualiter præsententur, concursus esset indicendus.

Si 2, tunc patronus digniorem eligere debet inter approbatos in concursu, et eum Episcopo offerre, si institutio ad Episcopum spectet; si tamen institutio pertineat ad alium, tunc electio dignioris fit ab Episcopo ex Tridentino (5). Patroni vero est tantum digniorem sic electum ei præsentare, cujus est illum instituere.

(1) Solet etiam Pontifex largiri *Bullas novæ provisionis* ad convalidandam vel confirmandam priorem collationem aut a se ipso aut ab Ordinario factam, ut suppleantur defectus et tollantur nullitates anteriores. — *V.* Galiardi, *Tractatus de Beneficiis,* c. 10. n. 10.

(2) Sunt tamen nonnullæ Ecclesiæ parochiales, quæ etiam sine concursu conferuntur. Esset v. g. si illæ pauperes admodum sint, aut factionibus et rixis expositæ: ex Tridentino sess. 24, c. 18 *de R.* — Item Vicariæ perpetuæ Parochiarum unitarum, seu incorporatarum aliis Ecclesiis, monasteriis, collegiis, locisque piis: ex Pio V Const. *Ad exæquendum.* — Item possunt esse dignitates curam animarum habentes in Cathedralibus vel collegiatis Ecclesiis, ut probat Fagnanus, c. *cum sit ars,* nn. 19 et 22 etc. — Hoc valet etiam in permutationibus Ecclesiarum parochialium.— Vel si Parochiæ sint jusrispatronatus laicorum. *V.* Reiphenstuel Anacletus, *Jus canon.* l. III, tit. 5, § 5. —Laurenius, *Forum beneficiale,* p. 1, q. 120.

(3) Hisce tamen verbis *vel eo impedito* non tollitur quod etiam coram Vicario generali non possit fieri examen, etiam Episcopo non impedito; illa verba posita sunt ad denotandum convenire ut ab Episcopo, quoad potest, compleatur examen. Nequit tamen a Vicario generali sine speciali mandato fieri collatio parochialis judicato et electo magis idoneo. *Garcias, Barbosa* et *Bouix.*

(4) Sess. 24, c. 18; et Const. Pii V *In conferendis.* (5) Loc. cit.

Quid (quæres) *si Beneficium parochiale sit apostolicæ Sedis reservatum?* —Si res sit de Beneficiis curatis, quæ tantum ratione mensium reservata sunt, Episcopus inter approbatos eligit magis idoneum et illum Datariæ significat; non tamen acta concursus transmittit, nisi requirantur. Si vero ea Beneficia ex alio capite sint reservata, *attenta Constitutione Benedicti XIV Cum illud,* peracto concursu, Episcopus abstinere debet a judicio, sed acta Datariæ exhibebit (1). Diximus *attenta Benedicti XIV Constitutione;* nam apud nos invaluit usus, ut scripta Romam non mittantur, nisi episcopali Sede vacante.

Quomodo (quæres) *adspirantes ad concursum invitandi sunt?* — Concilium Tridentinum formam vocandi adspirantes remisit Episcopi arbitrio et Concilii provincialis; nec quidquam hac de re postea ab apostolica Sede statutum est. Statuit porro S. Carolus in suo Provinciali I, *ut per edictum publicum ad januam Cathedralis et Ecclesiæ vacantis omnes invitentur, qui volunt examinari.* Si elapso edicti tempore, quis compareat, si res adhuc sit integra, neque examen initium habuerit, definivit S. C. C., ut adhuc ille admittatur; cum id cedat in bonum Ecclesiarum. Secus si res amplius non sit integra; nam jam admissis tunc irrogaretur injuria. — Quod si nullus omnino vel nullus idoneus compareat, vel qui comparuit nolit se examini subjicere, novus concursus erit indicendus. Qui si adhuc frustra sit tentatus, ex S. C. C. fas erit Episcopo tertium concursum omittere, et privatim (adhibitis tribus semper examinatoribus synodalibus), illum probare, qui se exhibuerit (2). Aliter tamen videtur resolvendum casu quo quis comparuerit, concursum pro omnibus Parœciis tentaverit, et idoneus repertus fuerit, sed sibi assignatam recuset; tunc enim non verificatur, quod nemo idoneus ad illam Parœciam se præsentaverit *(I).*

An (addes) *examinatores debeant tantum judicare de scientia concurrentium, an etiam de cæteris dotibus moralibus?*—R. *Peracto examine,* ait Tridentinum, *renuntientur quotcumque ab his* (examinatoribus) *idonei judicati fuerunt ætate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis.* Imo S. C. C. expresse declaravit, examinatores *graviter deesse muneri suo, si doctrinæ tantum judices sint; nec inquirant qui præ aliis probitate morum, laboribus, præstito ante Ecclesiæ obsequio, cæterisque dotibus ad officium parochiale cumulate obeundum necessariis, sint idonei et commendabiles.* Imo addit nullam esse collationem, quæ facta sit super judicio examinatorum ad solam doctrinam limitato (3). Tandem Be-

(1) *De Synodo Diœc.* c. 13, l. XXIV; et *Notificatione* VII. — Sed Constitutione *Cum illud* fuse agit de modo servando in electione Parochorum. Nempe quæstiones omnibus concurrentibus (in eodem conclave morantibus) proponantur, quibus in scriptis satisfaciendum est una cum conciunc.ula. Scripta sigillo munita consignantur Cancellario Curiæ assistenti, apud quem jam existit in epitomen redacta notitia concurrentium quoad personales eorum qualitates. — *V.* Salzano, *Lezioni di diritto,* ecc. vol. IV.

(2) *V.* Corradus, *Praxis Beneficiarii.* — Massobrius, *Praxis habendi concursum.* — Ferraris, *Bibliotheca* ecc. V. Concursus et Beneficium, art. 3.

(3) S. C. C. 1573 declaravit Episcopum vel Vicarium habere votum decisivum in eligendo ex approbatis; non autem in approbando concurrentes, cum hoc sit examinatorum. Excipe casum quo examinatores sint pares aut singulares in votis suis; tunc ex Tridentino (sess. 24, c. 18 *de R.*)

nedictus XIV Encyclica *Cum illud* (14 decembris 1742) aperte reprobavit abusum contrarium alicubi inolescentem (1).

Probabilius ac communius examinatores tenentur denuntiare non solum omnes idoneos, sed etiam magis idoneos, omnibus pensatis. Est Tridentini mens, ut sic melius valeat Episcopus judicare, cujus est ultimum judicium: et in eo se immiscere non debent examinatores, nisi Episcopus, ut cautius agat, etiam hac in parte eorum consilium velit exquirere. Ita Corradus et Benedictus XIV (2).

Quid (quæres) *si quis inter concurrentes rejectus, atque posthabitus putet sibi injustitiam fuisse irrogatam? poteritne iste a judicio Episcopi appellare?*—R. Poterit non electus appellare a tali electione ad Metropolitanum: vel si eligens sit Metropolitanus, ad Ordinarium viciniorem. Ita Pius V: sed appellatio intra decem dies a collatione Parochiæ est interponenda. Cæterum præterquamquod ad votum appellantis causa resolvi difficile potest, cum judicium non sit tantum super doctrina; hæc appellatio *impedire nullimode potest aut suspendere, quominus relatio examinatorum, ac Episcopi electio, et approbatio executionem habeat*, ut loquitur Tridentinum.—Si tamen aliquis de patroni judicio conqueratur, et Episcopus inquirendo dissentiat a judicio patroni ipsius, tunc appellatio datur etiam *in suspensivo*, non tantum *in devolutivo*.

Præstat hic nonnulla præsertim ex ipso Tridentino (3), et Benedicto XIV (4) accuratius proferre circa examinatorum munus, numerum ac qualitatem. Triplex potest eorum quasi classis assignari:—1 si agatur de illis, qui Ordines petunt, aut ad Confessiones approbari cupiunt. Episcopus potest examinatoribus uti, quos maluerit;—2 si agatur de conferenda præbenda Theologali aut Pœnitentiaria (ex Benedicto XIII, Constitutione *Pastoralis* data anno 1725 pro tota Italia et Insulis adjacentibus), uti debet Episcopus quatuor examinatoribus. Non refert autem, si non fuerint Synodales vel Prosynodales, modo tamen tunc examinatores sint aliquo academico gradu in-

accedere potest Episcopus vel Vicarius quibus magis videbitur. — Non est autem necesse, ut præelectio ab Episcopo fiat in actu concursus coram examinatoribus; relatio tamen super idoneitate vel non idoneitate coram Episcopo vel Vicario fieri debet ab omnibus examinatoribus collegiative antequam dissolvatur concursus: idest (prout habet Bulla *Cum illud* Benedicti XIV) *omnibus conjunctim expensis* (nempe scientia, prudentia, gravitate, morum honestate, præstitis jam Ecclesiæ obsequiis, aliisque virtutum ornamentis), *inhabiles per sua suffragia rejiciant et idoneos Episcopo renuntient.* — *V.* De-Luca, *De Parochis.* —Monacelli, *Formular. legale-practicum.*

(1) *V.* etiam *De Synodo Diœcesana*, l. IV, c. 8. — Viget alicubi consuetudo, ut vota ab examinatoribus dentur secreto per lapillos albos ac nigros in urnam conjectos. Nihil hac de re fuit præceptum; et ideo non refert, utrum suffragia hoc vel alio modo dentur. Tamen S. C. C. penes Benedictum XIV, loco cit. declaravit sibi congruentius videri, ut examinatores sua secum invicem suffragia communicent, ac dein Notario seu Cancellario curiali jubeant, ut in acta referat: v. g. *Titium esse approbatum, Sempronium rejectum.*

(2) Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 3. — De concursu ac vocatione et dotibus ad illum vid. Ricardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, cap. 2. Hic notandum est, ex S. C. C. posse Episcopum cum examinatoribus in electione ad vacantem Parœciam peragenda, præferre eum qui prudentia, moribus, pietate cæterisque animi dotibus aptior judicatur ad illam regendam Ecclesiam, posthabito illo, qui in scientia magis præcellit. Quæ definitio congruit menti Concilii et Constitutioni S. Pii V *In conferendis.*

(3) Sess. 24, c. 18 de R. (4) De *Syn. Diœc.* l. IV, c. 7; et *Notificat.* LVII.

signiti. In cæteris concursus, examen et collatio, sicut pro Parœcia, obtinent: attamen electi Theologi et Pœnitentiarii laurea debent esse insigniti, velintra annum eam suscipere, secus præbenda eo ipso vacat;—3 si agatur de parochiali Beneficio conferendo, experimentum institui debet saltem a tribus examinatoribus a Synodo approbatis, qui sint magistri, vel doctores aut licentiati, vel alii Clerici etiam regulares, qui videntur magis idonei; qui jurent ad Ss. Dei Evangelia se fideliter munus executuros (1).

Synodus Novariensis *Ordinandus minor*, ab uno; *Ordinandus major*, atque ad *confessiones approbandus* a duobus vult examinetur. Monet etiam, ut ad Concursum vocati altum silentium servent de eo, quod in illo gestum est *(pagg.* 195 et 352).

Q. 3. *Quid est reservatio et quomodo inducta?*

R. *Reservationis* vocabulo intelligitur jus quod romanus Pontifex sibi ipsi tribuit circa Beneficia, ut ea ipse solus conferre possit certis in casibus, quæ cæteroquin essent liberæ collationis. Beneficia hæc appellantur reservata vel affecta, quasi nempe apostolicæ Sedi addicta; *effecia*, si in iis conferendis se miscuit seu manus apposuit Pontifex per aliquod speciale factum; *reservata*, quorum collatio Pontifici expresse in jure jam est reservata: communi tamen usu primi et secundi generis Beneficia reservata dicuntur (2). Mirum profecto est quanta sententiarum diversitate inter Canonistas hac super re fuerit disputatum! Nos pro veritate certantes, quæ una atque eadem semper est, affirmamus: 1 Pontificem tamquam caput totius Ecclesiæ et supremum bonorum Ecclesiasticorum dispensatorem posse certa Beneficia certis Clericis conferre in omnibus Diœcesibus; cum id Ecclesiæ universæ necessitas vel utilitas postulat. Eo jure inter cæteros usus est S. Gregorius M. quem suspicari certo non licet jus alienum invasisse (3); 2 ad honorem etiam apostolicæ Sedi debitum pertinere, ut quandoque inferiores Antistites patiantur Clericos quosdam, licet sibi non subditos, ex Papæ liberalitate Beneficio aliquo in Diœcesi sua donari; 3 romani Pontificis munus esse, ut Antisti-

(1) Ad minus sex sunt examinatores in Synodo eligendi; sed non ultra 20, ex declaratione S. C. C. — Electi in Synodo semper durant. Si vero primo anno a Synodo celebrata tot in illa electi moriantur, ut sex non supersint, eodem anno ab Episcopo, de Capituli consensu, alii eligi possunt ex indulto Clementis VIII. Sed anno elapso expirant; atque imposterum facultas alios examinatores extra Synodum deputandi, habito de necessitate consensu Capituli, est a S. C. Congregatione postulanda: quæ quidem eam nonnisi ad annum solet ordinarie elargiri.

(2) Cardinales habent facultatem sive ut vocant indultum (ideo indultarii dicuntur) conferendi Beneficia, quæ vacua fiunt in suis titulis, Ecclesiis cathedralibus, Diœcesibus Abbatiis et Monasteriis sibi commendatis, sublato reservationum impedimento; si tamen excipias majores dignitates in Cathedralibus, et principes dignitates in Collegiatis, aliaque nonnulla Beneficia. Verum ut hoc gaudeant indulto ac privilegio, in Curia romana commorari debent; secus eo carent, nisi etiam absentes hoc a Pontifice impetraverint, ut impetrare solent. Sed tenetur provisus Beneficio intra sex menses a collatione sibi facta a Cardinali (secus non faceret fructus suos) obtinere Bullas pontificias et solvere jura Cameræ apostolicæ, si Beneficium excedat annuum reditum 24 ducatorum aureorum de Camera. Reditus computatur sine onerum detractione; ducatus auri de Camera (qui etiam dici solet florenus aureus) respondet libellis decem et centesimis quinquaginta monetæ novæ pedemontanæ. *V.* Marenco, *De reservationibus.* — Laurenius, *Forum beneficiale.* — De-Luca, *De Beneficiis*, disc. IV, n. 2. — Rigantius, *In regulas Cancell. rom.* 8. — *Pratica Legale* (apud nos), tom. II, p. 2; it. *Convenzione colla S. Sede*, 24 giug. 1750, art. 16.

(3) Ep. 8, 79 et 80, l. 1; col. 495, 563 etc.

tum omnium excessus cohibeat, defectus suppleat et culpas corrigat et emendet (1).

Reservationes hujusmodi continentur tum in corpore juris canonici, in Extravagantibus, in Bullis, quæ omnia perpetuam habent vim; tum in regulis Cancellariæ apostolicæ, quæ quidem regulæ, mortuo Pontifice cessant, non tamen in omnibus ; sed a novo electo Pontifice Romæ debitis modis statim promulgantur, et ex tunc incipiunt obligare ubique, nisi iis per Concordata derogatum sit. Imo observat Devoti, quod per obitum Pontificis tantum reservata esse desinunt Beneficia quæ continentur Regula nona, quæ scilicet respicit Beneficia quæ vacant in mensibus Papæ reservatis (2). Verum hæc etiam Beneficia ut recte ab Episcopo conferantur, expedienda est collatio, vacua Sede apostolica ; nam electo Pontifice confirmatisque regulis, amittit Episcopus conferendi facultatem.—Attamen reservatio per se non obtinet, nec supponitur in Beneficiis jurispatronatus laicalis et mixti; at hoc non obest, ut si talia Beneficia vacant apud Sedem scilicet per obitum in Curia vel in loco vicino, Pontifex ea Beneficia conferat, modo tamen non sint jurispatronatus regii (3).

Beneficii provisio a Pontifice fit Litteris apostolicis sive Bullis: quæ Bullæ dicuntur *in forma gratiosa*, si Pontifex de Clerici idoneitate certior factus, Beneficium per se illico eidem conferat, quin alterius opera utatur; *in forma dignum* si Pontifex Ordinario Diœcesis committat, ut idoneo reperto Clerico, apostolica auctoritate conferat Beneficium. Ob Bullarum expeditionem Sedes apostolica taxam exigit, idque merito ad sustinenda totius Catholicitatis onera: quæ taxa æquare solet plus minusve medietatem reditus unius anni, et si causæ sint, fit recursus pro ejus imminutione, quæ libenter concedi solet *(J)*.

Q. 4. *Quid de collatione Beneficiorum facta jure devolutionis?*

R. Si ii, ad quos pertinet, non provident Beneficiis vacantibus infra tempus definitum (id est intra quatuor menses a notitia vacationis, si agatur de patronato laicali, intra menses sex si agatur de patronato mixto, vel ecclesiastico), jus Beneficium conferendi pro ea vice ad alium devolvitur, videlicet de patronis ad Episcopum, de Episcopo ad Metropolitam, de hoc ad Papam in quo tamen jus sistit, quin ad alium fiat devolutio (4). Elapso tempo-

(1) *V.* Devoti, *Inst. can.* l. I. — Pichler, *In l. III Decret.* t. v. — Biner, *De jure beneficiali.* — Thomasinus, *Vetus et nova Eccl. disciplina*, pars II. — Gerdil, *In Comment. a Just. Febronio in suam retractationem*, animadversio 31. — Zaccharia *Antifebronio vindicato*, diss. 7, c. 5, etc.

(2) Quod ut intelligatur notandum, reservationes alias esse *certas*, et est, quando ante mortem beneficiati jam constat Beneficium ab ipso possessum esse reservatum ; alias *incertas*, quando reservatio pendet ab eventu futuro et incerto, qui nonnisi ab ipsa beneficiati morte certus fit. Porro reservationes certæ semper obtinent, etiamsi inductæ a regulis Cancellariæ, et vacet Sedes romana; non item incertæ ; sed incerta reservatio ex regulis Cancellariæ, una tantum est, quæ scilicet respicit menses papales, ut supra; ergo etc. Tres maxime sunt Cancellariæ regulæ quæ ob maximam quam præseferant utilitatem, semper obtinent, etiam mortuo Pontifice, nempe regula 19 *de viginti*, 20 *de idiomate*, 30 *de verisimili notitia*. — *V.* Rigantius et Marenco.

(3) *V.* Rigantius, *In Reg. I et XLII.* — *Pratica Legale* quoad nos, tom. IX, p. 2.

(4) Cap 2 *de conf ss. præbendæ* Negligente Episcopo, ex lateranensi Concilio, non illico ad Metropolitanum, sed primum ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ fit devolutio; at contrarius usus invaluit. — *V.* Marenco, Berardi, Garcias, etc.

re utili ad conferendum, per se loquendo non amplius valet collatio postea facta ab illo qui conferre distulit, etsi ille cujus favore devolutio facta est, Beneficium nondum contulerit ; nam differendo jure suo cadit ; ro ea vice. Attamen usu receptum est, ut adhuc sustineatur collatio, si fiat, antequam qui jure devolutionis gaudet, eo utatur : præstat sane ut quoad citius potest unumquodque ecclesiasticum munus suum habeat rectorem, qui adnexa ministeria adimpleat (1).

CAPUT TERTIUM

DE BENEFICIATORUM QUALITATIBUS, JURIBUS ET ONERIBUS.

Q. 1. *Quænam esse debent dotes Beneficiati?*

R. Beneficia non sunt conferenda nisi personis idoneis atque dignis, quæ scilicet præseferant conditiones seu qualitates a sacris canonibus requisitas. Oportet nempe ut eligendus ad Beneficium sit:

1. *Honestis moribus* : hinc merito repellitur improbus, facinorosus, irregularis, censuratus, simoniacus, infamis, hæreticus et ejus fautor, ut constat ex variis textibus juris (2).

2. Ut *scientia* polleat, quæ quidem ex Tridentino diversa est pro diversa Beneficiorum qualitate (3). Huc referri potest regula 20 Cancellariæ, qua videlicet statuitur, provisionem Beneficii curati nullam esse, si provisus non intelligat et intelligibiliter loqui nesciat idioma loci ; sane non potest populo salutarem curam gerere, qui ejus linguam ignorat. Item huc respicit hodierna disciplina, quæ sic explicavit Tridentinum, qua nempe statuitur, ut quædam Beneficia concedi nequeant nisi iis, qui sint laurea vel licentia donati (4).

3. Ut sit *cælebs* ; nam ex jure canonico conjugatus admitti non potest : et collatio facta ei qui matrimonio junctus est, invalida existit ; imo si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus habeat Beneficium et postea contraxit matrimonium, illud ipso jure perdit (5).

4. Ut sit *legitimis* ortus parentibus ; secus nulla electio est. Cum illegitimo tamen Episcopus potest dispensare, modo Beneficium ei pater non obtinuerit ; et quidem ad annum tantum, licet Beneficium sit tenue, atque ad sustentationem insufficiens (6).

(1) Non curreret tempus pro patrono, si collator ageret in remotis, si esset legitime impeditus. si obtineat temporis prorogationem . — *V.* Ferraris, *Bibl.* etc. V. Beneficium, art. 3.

(2) Vid. *de irregularitate.*

(3) Cap. 1, dist. 36 *de temp. Ordin.* in 6°. — Tridentinum, *sess.* 7, c. 3 de R.

(4) Nempe ex moderna disciplina quæ ita explicat Tridentinum *ses.* 22, *cap.* 2; *sess.* 23, *cap.* 4. et 14; *sess.* 24, *cap.* 12 *de R.* nonnisi doctoribus vel licentiatis in Theologia aut jure Cononico concedi possunt Beneficia quæ primam dignitatem adnexam habent in Ecclesiis cathedralibus, et etiam in Eclesiis collegiatis, si tamen istæ sint insignes (ex Bouix et Scarfantonio) : quæ ideo Beneficia censentur vacare Ipso jure, post annum ab eorum possessione, si ea conditio non sit verificata. Si tamen Canonicatus, etsi cum animarum cura, non sit prima Capituli dignitas, tunc ea qualitas, ut dicunt, non necessario requiritur. Etiam pro Pænitentiaria ac Theologali hæc qualitas requiritur, ex dictis. (5) Cap. 2, 3, 5 et 8 *de Cler. conjug.*

(6) Cap. *Cum in cunctis* de elect.; et cap. 1, *de filiis Presb.* in 6° de elect.

5. Ut habeat *ætatem* præscriptam ; commune autem est, quod si ætas deficiat etiam quoad unam horam, Beneficii collatio esset nulla: nempe pro Episcopatu requiruntur 30 anni completi (1) (si excipias Gallicanos Episcopos, pro quibus satis est annus 27 incæptus): 25 pro Parœcia (2) ; 40 pro Pœnitentiaria ; 22 pro dignitate et personatu in Cathedrali (3) ; 21 pro Canonicatu item in Cathedrali ; 14 pro cæteris Beneficiis (4). Ubi notat Fagnanus, annum incæptum pro completo haberi, nisi aliud exprimatur (5). Pro arctatis tamen, qui nempe ex fundatione ad Beneficium simplex vocantur, modo septennio sint majores, tonsura insigniri possunt, et Beneficium acquirere; quia Tridentinum antiquis hisce fundationibus expresse non derogavit.

6. Requiritur ut eligendus sit *prima* saltem *tonsura* insignitus ; secus non confertur Clerico (6). Si vero Beneficium certum Ordinem sacrum requirit, necesse est, ut intra annum a possessione Ordo ille suscipiatur (7): excipe, nisi actu talem Ordinem requirat, tunc Ordo requiritur ipso tempore, quo Beneficium acquiritur. Hic tamen notandum est, quod etiam de laico electio et nominatio fieri aliquando solet, *sub spe nempe futuri Clericatus.*

7. *Ut veram intentionem habeat perseverandi in ecclesiastico statu, et Ordinem sacrum suscipiendi, qui ad Beneficium requiritur*, nisi occurrat justa causa, quæ aliter suadeat ; secus deciperet in re gravi Ecclesiam cujus intentio est, ut Ordinem statuto tempore suscipiat. Unde graviter peccaret qui sine illa intentione Beneficium Ordinis sacri susciperet; quæ quidem intentio debet esse vera et determinata ; nec probabilius sufficeret intentio posita cum animo dubio vel conditionato, quia non esset absoluta. Imo si Beneficium susceptum esset parochiale, ipso jure privaretur et teneretur ad fructuum restitutionem, nisi intentione mutata, ante anni finem initietur Sacerdos (8).

8. Ut tandem Beneficio instituendus jam *alio Beneficio non sit provisus ;* certum est enim ex jure Canonico Beneficiorum pluralitatem in uno Clerico absolute prohiberi (9) : imo ex communi et tenenda sententia secundum se id etiam jure naturæ vetitum est; nam, dicente Tridentino, hæc pluralitas minuit cultum divinum, neque enim unus potest duabus Ecclesiis satis deservire, privat Ecclesiam operariis, et pias fraudat fundatorum intentiones. Diximus tamen *secundum se*, nam id bene potest ex aliquibus circumstantiis cohonestari : ita si primum Beneficium non sufficiat ad honestatem sustentationem, ex eodem Concilio licet conferre aliud simplex, modo utrumque

(1) Cap. 7 *de elect.*

(2) Tridentinum, *sess.* 24, c. 12. — Item 25 anni requiruntur pro Archidiaconatu, sicubi aliquam exerceat jurisdictionem : quod tamen hodie ferme ubique exolevit.

(3) Tridentinum, *loco cit.*

(4) Trid. sess. 23, c. 6.

(5) Cap. *Cunctis* de elect. — V. Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 112. — Ferraris, *Biblioth.* V. Beneficium, art. 5.

(6) Cap. *Ex liberis* in 6° de transact.

(7) Tridentinum, *sess.* 22, c. 4.

(8) Ex c. *Commissa*, § 7 de elect. in 6°. Si beneficium non habeat adnexum Ordinem sacrum, probabilius est sine dicta intentione illud suscipere, non esse nisi leve ; quia nullo jure gravitas probatur : at nullum ex Concina est præceptum sub gravi imponendum, nisi evidens ratio suadeat.— Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 113.

(9) Extr. *Execrab.* de præb. et dign.

personalem residentiam non requirat. Non tamen potest tertium conferri, si neque secundum satis est, nisi agatur de capellaniis laicorum, vel de legatis piis, quæ non sunt vera Beneficia (1). Item et plura incompatibilia possunt uni conferri, accedente Pontificis dispensatione, cujus est judicare de causarum gravitate, adeo ut amplius non sit contra jus naturæ illa Beneficiorum pluralitas (2). Causa esset 1ª *necessitas Ecclesiæ*, si nempe desint alii ministri idonei, ne scilicet vacando Beneficia deteriora fiant, ut non semel contingere videmus; 2ª *utilitas ejusdem*, ut si unus iste, licet absens, censeatur Ecclesiæ magis profuturus sua prudentia ac doctrina: quod quidem valet etiam de Beneficiis incompatibilibus (3); 3ª *evidens prærogativa meritorum;* id enim in bonum Ecclesiæ cedit, cum aliis exemplo esse soleat. At si nulla ex dictis causa intercedat, communiter docent Abelly, Bellarminus aliique, plura Beneficia in conscientia, neque ipsa dispensatione obtenta, retineri posse; cum id sit contra jus naturæ.

Quid ergo (dices) *de illo, qui sine legitima facultate secundum Beneficium est consecutus?*—R. Si Beneficia sunt incompatibilia titulo, statim *a pacifica possessione secundi*, vacat ipso jure primum; quod si provisus ad sex menses illud retinere præsumpserit, privatur ipso jure utroque (4). Idem dicendum videtur de incompatibilibus *retentione;* cum id sit conformius verbis Tridentini, uti ostendit Garcias.—Diximus *a pacifica possessione secundi,* in quo ajunt dari bimestre ad dignoscendum, num de illo Beneficio molestiæ exoriantur (5).

Q. 2. *Quid de electione indigni ad Beneficium?*

R. Si hæc indignitas respiciat carentiam earum qualitatum quæ stricto jure requiruntur ad validam Beneficii consecutionem, uti est ætas, legitimitas, cælibatus, clericatus, etc. tunc patet electionem illam nullam esse. Si vero solam indicet ineptitudinem ad officia præstanda ipsi Beneficio inhærentia, tunc electio non est in foro saltem externo ipso jure irrita; quia de hac (saltem circa Beneficia non curata) nihil habetur definitum. Est tamen irritanda ex Tridentino, quod præcepit, ut *Beneficia ecclesiastica præsertim curam animarum habentia personis dignis et habilibus... conferantur; aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur* (6). Ex quo Tridentini et

(1) Attamen ex sacra C. Congregatione non esset inquietandus qui bona fide de Episcopi licentia tria vel quatuor Beneficia ecclesiastica insufficientia obtinuerit, ut tradit Benedictus XIV, *Notificationibus* XCI et XCVIII. (2) C. *De multa* § fin. *de præb. et dign.*

(3) Hinc factum est, ut aliquando filiis Principum ante ætatem plures Episcopatus sint collati, ut sic potentius Ecclesiam contra hæreticos tuerentur.

(4) C. *De multa* de præfin.; et Tridentinum, sess. 7, c. 4. —Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 116.

(5) Juxta antiquam disciplinam (*Leg.* II *cod. de epist. et cler.* can. 8, dist. 71) Beneficia diœcesanis erant conferenda, et sane ex Angelico *qui de gremio Ecclesiæ assumitur; in pluribus consuevit esse utilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus.* Hoc tamen in desuetudinem abiit, unde si aliud speciale non obstat, solet etiam non diœcesano Beneficium tradi. Cæterum adhuc habetur ratio regulæ 17 Cancellariæ *de concurrentibus in data*, qua cavetur ut, cæteris paribus, oriundus non oriundo et diœcesanus non diœcesano præferatur. Item Beneficia non sunt conferenda alienigenis, ut habetur ex pluribus diversarum regionum Concordatis; attamen ajunt hodie fere ubique receptum esse, ut adhuc valeat collatio alienigenis facta, etsi Princeps consensum non dederit, nisi de aliquibus Beneficiis aliud specialiter cautum sit. *Marenco.*

(6) Sess. 7, cap. 3 de R. —It. Croix, *De Beneficiis.*

alio simili Lateranensis præcepto patet, mortaliter peccare tum eum qui se indignum promoveri, tum alium qui talem scienter promovere curat; quia hoc cedit in grave Ecclesiæ damnum, cui proinde debetur restitutio, ut auctores docent communiter (1).

Q. 3. *An sit obligatio eligendi digniores ad Beneficia?*

R. *Dignus* hic habetur qui aptus est ad officia Beneficii adimplenda; *dignior* qui magis Ecclesiæ et fidelibus utilis judicatur. Quod autem in præsentiarum de electione disputatur, idem valet de præsentatione, collatione et nominatione, cum eadem sit ratio. Quo posito dicimus: vel agitur de Beneficiis majoribus, vel Beneficiis curatis, vel simplicibus.

Si 1, certum est eligentes sive sint laici sive ecclesiastici, teneri sub mortali eligere digniores. Id patet: 1 ex Tridentino, ubi aperte declaratur, eligentes *mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint* (2); 2 ex contraria propositione damnata ab Innocentio XI n. 47; 3 ex ratione, nam cum Beneficia seu dignitates hujusmodi institutæ sint ad commune Ecclesiæ bonum, multum ipsi detrahunt qui omittunt eligere magis dignos.

Si 2, pariter tenendum ad Parochias esse sub gravi eligendos digniores; tum quia eadem occurrit ratio, cum etiam ad Parochos pertineat salus animarum; tum quia absolutum et gravissimum est Tridentini præceptum (3), ut ad Parœcias eligantur qui cæteris *magis idonei et Ecclesiæ magis utiles* judicabuntur (4).

Si 3, aliqui probabiliter putant eligentes sive Ecclesiasticos sive laicos non teneri eligere digniorem; ideoque non peccare, si eligant minus dignum ad Beneficia simplicia, modo idoneum. Nam cum Beneficia instituta sint saltem primario, non in bonum singulorum, sed communitatis, nullum profecto damnum, vel modicum huic infertur, si illa conferantur dignis, prætermissis dignioribus. Verum alii communius et probabilius docent etiam ad Beneficia simplicia digniores esse sub gravi eligendos, saltem generatim loquendo; nam ipsa Ecclesiæ utilitas, ob quam instituta sunt Beneficia, postulat de se, ut promoveantur digniores. Alioquin Clerici parum incumberent ad digniores sese faciendos, et sic valde deficeret Ecclesiæ bonum. Diximus *saltem generaliter loquendo;* nam docent: 1 non excedere veniale electionem minus digni, si vel dignitatis excessus sit parvus; vel Beneficium sit parvi momenti; vel dignior prævideatur illud Beneficium brevi cessurus. Tunc enim, quod evenit damnum, leve est; 2 ne veniale quidem esse, vel si ex lege fundationis indicetur persona eligenda, modo indigna non sit; vel si id postulet charitas, v. g. ad aliquem ab inopia levandum, ad aliquod Ecclesiæ bonum curandum, aut malum impediendum.

(1) « S. Alfonso no queria para los beneficios empeños ni mediaciones: y para él era igual buscar proteccion que hacerse indigno: *indignus quia petisti*, acostumbraba decir; simonía y empeño son gemelos, y tienen por padre al mismo demonio. » In vita, l. III, c. 32.

(2) Sess. 24, c. 1 *de Ref.* (3) Sess. 21, c. 18.

(4) Alii dicunt hoc præceptum non urgere, si eligentes sint laici; cum Tridentinum dicat admittendos esse ab his præsentatos, *si idonei sint reperti*. Verum contrarium est omnino tenendum, ratione videlicet publici boni. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 91.

Major autem dignitas non est accipienda absolute, sed respective ad utilitatem Ecclesiæ atque fidelium, ut aperte tradit Angelicus (1): hoc recte deducunt ex Tridentino, quod vult non solum eligendos esse *cæteris magis idoneos,* sed etiam *Ecclesiæ magis utiles.* Hinc cæteris paribus dignior censetur :—1 senior ob majorem experientiam ;—2 qui de bonis suis Ecclesiam fundavit in gratitudinis titulum, atque ut ipsorum bonorum major habeatur cura;—3 qui Sacerdotio donatus est in comparatione illius, qui non habet nisi Diaconatum; cum illico valeat inservire ;—4 originarius respectu extranei; cum præsumatur magis sollicitus erga patriam suam;—5 graduatus in aliqua scientia respectu non graduati; ut enim supponitur, majori doctrina pollet ;—6 qui præditus est majori sanctitate aut prudentia respectu illius, qui non præeminet nisi sola scientia, ut patet ; sola enim scientia præsumptionem parit ;—7 potens et nobilis, si hæ prærogativæ conducant ad bonum Ecclesiæ validius procurandum ;—8 pauper respectu divitis, ut et illi provideatur.

Q. 4. *An electio digni ad Beneficium, relicto digniori, sit valida?*

R. Si electio est ad Beneficium sine cura animarum, commune est, eam validam esse; quia lex nulla irritans citari potest (2). Si vero electio sit ad Beneficium cum cura animarum, adhuc ipsa valet, si Beneficium fuerit jurispatronatus laicorum ; quia ex Tridentino ab his præsentatus admitti debet, si idoneus repertus (3). Si tandem Beneficium curatum sit jurispatronatus ecclesiastici, vel liberæ collationis, tunc aliqui docent non sine probabilitate nullam esse electionem, tum quia Tridentinum postquam circa hæc Beneficia præscripserit, ut digniores eligerentur, addidit: *ut provisiones seu institutiones præter supradictas formas factæ, subreptitiæ esse censeantur;* quænam autem forma principalior, quam ut dignior eligatur præ minus digno? tum quia in Bulla S. Pii V anno 1566 declarantur *nullæ* omnes collationes factæ præter formam Tridentini, et conceditur appellatio digniori, qui posthabitus fuit.—Sed hisce non obstantibus, probabilius affirmant Anacletus, Croix, Garcias, Holzman, Lugo, Ugolinus, Vasquez, etc. talem electionem valere; nam *formæ* vocabulum, quo utitur Tridentinum, non significat, nisi modum exteriorem præscriptum, ut sunt v. g. edictum, examen et similia. Quod autem aliquis magis vel minus dignus judicetur, hoc pertinet ad internum eligentis judicium, a quo certe pendere non debet validitas actus (4). *Ad hoc*, ait Angelicus, *quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem ; quia sic omnis electio posset habere calumniam : sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter vel in comparatione ad bonum commune* (5).

Q. 5. *An eligentes minus dignum teneantur restituere?*

(1) 2, 2, q. 63, a. 2.

(2) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 102.

(3) Sess. 24, c. 12 de R.

(4) Præterea Pius V in dicta Bulla declaravit appellationem interpositam *non impedire*, quominus electio interim executioni mandetur: ideo electio habenda uti valida, donec judex appellationis eam revocaverit. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 102.

(5) 2, 2, q. 63, a. 3.

R. Tres habemus sententias: 1ª cum Salmanticensibus, Bannez, aliisque docet, teneri sic eligentes ad damni restitutionem faciendam digniori prætermisso et Ecclesiæ, quia damnum utrique redundat; 2ª vult restitutionem fieri debere non quidem prætermisso; sed ipsi Ecclesiæ, quæ quidem jus habet ad digniorem; 3ª vero cum Cano, Croix, Lessio, Lugo, Navarro, Sanchez, etc. tradit neque digniori prætermisso, neque Ecclesiæ aliquid esse restituendum. Non digniori; quia digniores jus strictum non habent ad Beneficia, nisi constet fundatorem habuisse principaliter rationem meritorum: non vero si constet id minus principaliter á fundatore fuisse intentum, uti est in casu nostro (1). Non Ecclesiæ; quia hæc non intendit electores ad aliud obligare, quam ad ministros non indignos eligendos. Excipiunt tamen communiter et multo probabilius cum Croix, Lugo, Sanchez, etc. si electio fiat per concursum; tum enim dignior acquirit jus in Beneficium ratione pacti, quod inter electorem et concurrentes intercedit, ut sufficienter explicatur in Edicto; eo igitur in casu dignior prætermissus habet jus, ut sibi damnum compensetur. Quamquam hoc non improbabiliter negant Navarrus, Sotus et alii; quia Prælatus per eam formalem provisionem non intendit se stricto pacto obligare; sed tantum significare obligationem, quam habet ex officio dignioribus conferendi Beneficia; saltem non est absolute certum quod interveniat pactum rigorosum justitiæ commutativæ.

Quid (quæres) *de electo ad Beneficium, si se digniori prælatum cognoscat?* — Videtur probabilius electum non peccare, si Beneficium acceptet, ut dicunt Sanchez, Salmanticenses, Sotus, etc.; modo non sit indignus. Nam Angelicus tradit, quod ille, qui debet assumere, *assumat meliorem ad regimen Ecclesiæ:* et pro eo qui assumitur, *non requiritur, ut reputet se aliis meliorem; sed sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium* (2). Tanto magis, quia electus potest prudenter præsumere, quod Episcopus habeat latentem causam excludendi, quem ipse putat digniorem. Adde: secus res semper scrupulis esset referta.

Q. 6. *Quænam sunt jura Beneficiatorum et onera?*

R. Ad 1: Jura quæ per Beneficium sibi collatum acquirit Clericus, vel respiciunt ipsum ministerium spirituale et officium Beneficio adnexum; vel respiciunt proventus et reditus temporales: quare duplicis generis distinguuntur, alia *spiritualia*, alia *temporalia*. De spiritualibus nihil occurrit: patent ex Beneficii natura ac fundationis tabulis. Jam vero temporalia in eo consistunt, quod Beneficiatus proprium Beneficium administret, et proventus inde percipiat. Huc etiam duo maxime spectant: 1 ut qui Beneficii possessionem anni spatio retinuit, is inde dimoveri non possit, nisi primum lis petitorio judicio finita sit: en regula *de annuali possessione;* 2 ut qui procul a vitio simoniæ triennii spatio Beneficium obtinuit, quovis titulo etiam colorato, is amplius ab ipso dimoveri non possit. En regula *de triennali pos-*

(1) Cum Beneficia instituta censeantur in bonum publicum, ut nempe Ecclesiæ inserviatur a bonis ministris, ideo nullum jus strictum et rigorosum ad ea sibi acquirunt nec digni nec digniores. Tres sententiæ valde probabiles sunt; sed probabilior est tertia; quia legitimus possessor ad restitutionem non tenetur, quamdiu pro se habeat opinionem vere probabilem.

(2) 2, 2, q. 63, a. 3, — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 110.

sessione a regulis Cancellariæ una cum præcedente constituta (1) *(L)*.

R. Ad 2: Onera Beneficiatorum comitantur jura, et idcirco in duplici differentia constituuntur: alia sunt spiritualia, alia temporalia. Spiritualia desumi debent ex tabulis fundationis, vel ex lege scripta, aut ex ipsa indole et natura Beneficii: ubi notandum onus Officii recitandi aliunde haberi, nempe ex Ecclesiæ præcepto. Temporalia autem obligant Beneficiatos ad hæc præcipue:—1 ut accepta bona pro viribus tueantur, suo tempore hypothecas renovando, et bona amissa aut perperam distracta, quoad fieri potest, vindicent;—2 ut prædia redigant ad statum semper meliorem, et ædes ad Beneficium spectantes restaurent, ubi sit opus; — 3 ut alta mente repositum teneant non licere sibi opes ex Beneficio congerere, parentum patrimonium augere, in causas profanas sumptus facere. Sed quæ honestam vitæ sustentationem excedunt, ea in usus pios sunt convertenda.

Quid (quæres) *agere debet Beneficiatus ex Synodo Novariensi?* —R. Hæc præcipue agere debet Beneficiatus ex Synodo Novariensi: 1 fidei professionem emittere coram Episcopo vel ejus Vicario, licet Beneficium non sit cum cura animarum; 2 omnium bonorum inventarium conficere duplicatum, et a Cancellario foraneo subsignatum; ac illorum unum ad Curiam episcopalem transmittere intra sex menses a possessione sub pœna solidorum argenteorum 25. Canonici vero exemplum inventarii in tabulario Capituli custodiendum tradant; 3 intra tres menses saltem ab electione institutionem Beneficii assequi, et illico etiam possessionem; 4 sine Episcopi licentia nullo prætextu vel ex toto vel ex parte ædes Beneficii potest demoliri. Sed debet omnia bona tueri, non vendere, alienare, etc., et hac de causa juramentum emittere *(pagg.* 225 *et* 395*)*.

Hoc etiam quilibet Beneficiatus curare debet, ut librum habeat, in quo post brevem totius sui Beneficii historiam, et suam in illud immissionem, notet de vice in vice, ex una parte annuos reditus, ex alia adimplementa; item omnia rescripta, reductiones, etc. Meminerit semper illud Ecclesiastici: *quodcumque trades, numera et appende; datum vero et acceptum omne describe* (2). Si hæc adamussim servarentur ab omnibus, quot occurreretur inconvenientibus! quot dicteriis! quot malis! Hoc valet de ipsis Legatorum administratoribus, et laicalis Capellaniæ possessoribus.

Corollarium. —*De bonis Ecclesiæ non alienandis* (3).

Q. 1. *An bona Ecclesiæ alienari possint?*

R. Vetustissima lex est, qua humano commercio eximuntur bona ecclesiastica, ita ut valide alienari non possint. Hac in re nos utimur jure, quod a Paulo II sæculo XV sancitum est in sua Extravaganti *Ambitiosæ: de rebus Ecclesiæ non alienandis* (4). Quo jure vetitum est sub nullitate et pœna bo-

(1) *V.* Rigantius, in *Reg.* 35 et 36. — Quæ duæ regulæ valent etiam pro foro interno ex *Clement. de sequest.*, si adsit nempe bona fides cum titulo saltem colorato.

(2) Eccli 42.

(3) *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. IV, nn. 187 et seqq. — Pavone, *Spicilegio* ecc. h. tit.

(4) Quamquam hæc lex antiquissima est, cum fiat illius mentio a Leone M. et Hilario pontificibus sæculo V. Imo in jurejurando quod Episcopi in sua consecratione emittunt, hujus legis observantiam spondent jam ab antiquis temporibus.

na Ecclesiæ tam mobilia, quam immobilia alienare sine justa necessitatis, utilitatis vel pietatis causa; et sine præscriptis a jure solemnitatibus, id est sine apostolicæ Sedis consensu, item possessoris rei ac superioris Ecclesiæ, de cujus bonis agitur: non tamen patroni ex declaratione S. C. C.

Sunt tamen nonnulla, quæ alienantur sine licentia illa: 1 ea quæ servando servari non possunt ad triennium sine notabili deterioratione, ut fructus, vestes, singularia jumenta, et similia quæ usu consummuntur; item res ad cujus conservationem ejus reditus non sufficiunt: at si res sit sterilis non posset alienari sine licentia; 2 terrulæ et vineolæ non fertiles, et res cæteræ exiguæ seu parvi valoris (ut sunt ex inducta consuetudine in Novariensi Diœcesi res, quarum valor non superat summam 600 libellarum imperialium seu mediolanensium, pro quibus nempe sufficit Episcopi licentia): secus totum prædium non posset nisi per partes modicas alienari (1); 3 juxta plures ea bona, quæ a patronis sub hac conditione relicta sunt, ut alienari possint; item dicunt si casus urgeat, vel si sit facienda remuneratio pro aliquo beneficio Ecclesiæ collato; 4 bona, quæ incapaci possidendi, puta Monasterio, relicta sunt; poterit enim pretium expendi in Ecclesiæ utilitatem (2).

Q. 2. *Quid venit nomine bonorum Ecclesiæ et alienationis?*

R. Nomine *bonorum* si de immobilibus agatur, veniunt immobilia, et jura et actiones ad immobilia; item annui reditus perpetui, et summa pecuniæ donata et destinata ad immobilia emenda: si de mobilibus, veniunt vasa argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ; item greges et armenta totaliter considerata; item arborum incisio et sylvarum, si fiat cum deterioratione in summa excedente libellas 600 jam dictas. Nomine vero *Ecclesiæ* præter ipsa ecclesiastica Beneficia et Ecclesias, veniunt etiam quæ ad Ecclesiæ dotem sunt destinata (vulgo *fabrica Ecclesiæ*,) (3); item monasteria, conventus, seminaria, et alia ecclesiastica bona (4). Demum nomine *alienationis*

(1) « Habiéndose suscitado la duda sobre lo que debia estimarse por *res exiguæ*, la S. Congregacion del Concilio *in Favent.* 22 de Marzo de 1711, segun el cardenal Petra *Comment. ad Constit. V Pauli II,* declaró que debian estimarse tales, aquellas cuyo valor no pasase de 25 escudos de oro que corresponden á 41 escudo y 15 bayocos de moneda italiana, (cada uno de estos escudos creemos equivale á 20 rs. vn.). » Ita Nardi, § 570.

(2) *V.* Croix, Del-Bene, Barbosa, Piasecius, Felinus, Quaranta et alii qui sic explicant. Extr. *Ambitiosæ;* Conc. agatense; et plura S. C. decreta. Item can. *terrulæ*, c. 12, q. 2. Hic *v.* Fagnanus, In c. *de rebus Eccl.* etc. — Mamachius, *Del diritto libero della Chiesa di possedere*, tom. III, p. 1, c. 1.

(3) Nulli dubium bona ab ædituis Ecclesiæ administratis vere ecclesiastica esse, et ideo solius Ecclesiæ esse ea moderari, distribuere, etc. Omnia Ecclesiæ bona primitus cumulative administrabantur; postea in quatuor partes divisa, una fuit Episcopo assignata, altera Clericis, tertia Ecclesiis reparandis, quarta pauperibus; at ex diverso distribuendi modo, bonorum natura non immutatur; hinc Tridentinum præcipit sess. 22, cap. 9 de R. ut omnes talium bonorum administratores, etsi laici, singulis annis rationem reddant Ordinario, nisi aliter expresse cautum sit in institutione. — *V.* Parisis, *De la liberté de l'Eglise.* — *Armonia*, Giorn. relig. anno 1857, nn. 38 et seqq. (febr.).

(4) Quod vero pertinet ad hospitalia, Montes pietatis, confraternitates, legata, aliaque loca pia a laicis administrari solita, videndum an non tantum sint ab ecclesiastica auctoritate approbata, sed ipsa auctoritate S. Sedis vel Episcopi erecta sint; an non. In primo casu ea bona habentur uti Ecclesiastica cadentia in Extravagans *Ambitiosæ;* non vero in secundo casu, etsi adhuc visita-

veniunt venditio, donatio, permutatio, emphytheusis, ususfructus alteriusve cujuscumque servitutis realis constitutio, pignus, hypotheca, locatio, conductio, omne uno verbo pactum, quo dominium sive directum sive etiam utile transferatur, immutetur, imminuetur, etc. (1). — In contractu autem locati-conducti Canonistarum mens est, illum permitti sine præscriptis solemnitatibus ad triennium, si tamen fructus percipiatur singulis annis (imo usus invaluit), ut contractus fiat quidem per triennium; sed hoc elapso sine nova contractus renovatione iterum duret ad triennium et sic successive etiam usque ad triennium quartum); si autem fructus ex bonis locandis non percipiatur, nisi singulo biennio vel triennio, tunc permitti locationem etiam per annos sex in primo casu, et per novem in altero (2). Cæterum si occurrat contractum iniri, quem Episcopus permittere nequeat, si necessitas sit, ipse in tabulas redigatur, reservato Sedis apostolicæ beneplacito. Sed ne ante hujus expeditionem sequatur traditio realis bonorum: quod vetat gravissime Urbanus VIII Constitutione, *Humanæ*.

Q. 3. *Quæ sunt pœnæ in alienantes bona Ecclesiæ sine licentia?*

R. Præter nullitatem actus, sunt: 1° excommunicatio, nemini tamen reservata, quam incurrunt præsumentes tam alienare, quam alienata recipere et subscribere; 2° si Episcopi, vel Abbates fuerint, subjacent interdicto ab Ecclesiæ ingressu, et si per sex immediate sequentes menses absolvi distulerint, suspensi evadunt a Beneficii vel dignitatis administratione; 3° si vero fuerint Prælati inferiores, vel Ecclesiarum Rectores, ipso jure amittunt Beneficium et dignitatem, cujus bona alienarunt. Ita in laud. *Extrav.* Regulares autem prohibentur Ecclesiarum suarum bona alienare absque S. C. C. facultate: secus privantur officiis suis, et ad ea inhabiles fiunt, vocemque activam et passivam amittunt ex *Decretali* Urbani VIII.

Quid (quæres) *Synodus Novariensis de bonorum Ecclesiæ alienatione?* — R. Vel agitur de locatione bonorum, vel de arborum cæsione. Quoad *locationem bonorum* hæc statuta sunt per Synodum Novariensem: 1 ne Beneficiorum bona locentur patronis; aut iis, quorum cessione Beneficia obtinentur; aut consanguineis proximioribus, nisi cognita utilitate et annuente Episcopo. Quod etiam in pecunia collocanda vel investienda observandum; 2 ne bo-

tioni Ordinarii subjaceant: imo neque visitari possunt, sine Regum licentia, si ea sub eorum immediata protectione sunt. Vid. De-Luca, *De alienationibus*, diss. 1, etc.

Cæterum hac de re inspicienda sunt locorum Concordata atque consuetudines: quoad nos attinet vid. *Instructio Benedictina*, § 5. — Canestri, *La Giurisprudenza canonica et civile del Piemonte*, tit. 8.

* «En España, segun la nota 10, al tit. 6° lib. 1 de la Nueva Recopilacion, las capellanías y hospitales reales debian ser visitados por comision del consejo de la Cámara, y en ella se determinaba y se procedia á la ejecucion. Actualmente y por punto general, las casas de beneficencia están sujetas á la immediata inspeccion de los gobernadores civiles de provincia.» *

(1) Hinc Bulla Leonis XII, 4 maji 1828 pro regno Sabaudiæ habet: *dotem Parœciis sive a regio ærario sive a municipiis assignatam vel proxime assignandam nulli umquam immutationi subjiciendam fore, etiamsi aut nova ipsis pia legata obveniant, aut decimarum alteriusve generis jura recuperentur.*

(2) Cit. *Extravag.* Hic autem notandum est, Benedictum XIV Const. *Universalis Ecclesiæ* sub nullitate actus, excommunicationis pœna ac aliis statutis in alienantes, prohibuisse vendere universos fructus Beneficii ad vitam aut ad longum tempus, recipiendo una vel pluribus solutionibus certam pecuniæ quantitatem.

na illa locentur vicinis. Quod si ex causa episcopus id fieri permittat, instrumento locationis accurata inseratur confinium descriptio; 3 ne fiant locationes in sucessorum præjudicium, anticipatis nempe pecuniæ solutionibus, quas jam invalidas declaravit Tridentinum (1). Quoad *arborum cæsionem* declaravit Synodus, nefas esse arbores cædere aut evellere quocumque prætextu (excepta sylva cædua), sine facultate, quæ non datur, nisi alicujus periti ope causa cognita ac probata sit (2). Erit autem tunc nova instituenda plantatio. Qui secus egerint, nisi agatur de arboribus demortuis dupli pœnam subibunt, præter cætera resarcienda. Quod si plantæ demortuæ, aut vi tempestatis ventorumque impetu dejectæ jaceant, tunc in Beneficiorum utilitatem pretium est convertendum, nova item plantatione peracta (*pag.* 225).

CAPUT QUARTUM

DE MODIS BENEFICII AMITTENDI.

Q. 1. *Quot modis Beneficia amittuntur?*

R. Beneficia amittuntur tribus modis, nempe *juris potestate*, *sententia judicis*, et *facto ipsius Beneficiati.*

1. *Juris potestate* amittitur Beneficium: si Beneficiatus moriatur, quia ad hæredes transire non potest; si Religionem profiteatur; si uxorem ducat; si assequatur Beneficium novum cum primo incompatibile (3); 2 *sententia judicis*, vel condemnatoria, vel tantum admissi criminis declaratoria: *condemnatoria*, si agatur de homicidio, simplici sacrilegio, adulterio, perjurio, indurațione in excommunicatione ultra annum, concubinatu post tertiam monitionem, defectu residentiæ, etc. ob quæ Beneficium vacat tantum post sententiam; *declaratoria*, si agatur de simonia reali in Beneficiis et confidentiali, de hæresi, sodomia, violenta ingressione in Beneficii possessionem; item si electus vel præsentatus ante confirmationem vel institutionem per se vel per alium in Beneficium se ingerat; si electus intra mensem a tempore electionis ei præsentatæ aut a tempore sibi præstituto, non consenserit electioni: si electus intra tres menses post præstitum consensum, non petierit confirmari; item alienatione bonorum Ecclesiæ seu ipsius Beneficii facta sine debitis solemnitatibus: ob hæc enim post judicis declarationem illico Beneficium vacat (4); 3 *facto ipsius Beneficiati*, uti esset si iste vel renuntiet simpliciter, id est absque ulla conditione, et dicitur *renuntiatio;* vel renuntiet sub conditione, quod alteri Beneficium illud conferatur, et dicitur *resignatio in favorem;* vel demum renuntiet ea lege, ut ipse resignando

(1) Sess. 25, c. 11 de R.

(2) Quæ quidem non tantum a potestate Ecclesiastica, sed ab ipsa civili auctoritate obtinenda est et quidem sub gravi pœna, in regno Sabaudiæ.

(3) Cap. *Si quis Clericor.* 1; cap. *beneficium* 4 de Regularib. in 6.°; cap. *Multa* 28 de præb.; et Tridentinum, *sess.* 7, *c.* 4 *de R.*

(4) *De Simon.*; Pius V, Constit. *Horrendum;* Extrav. *Ambitiosæ;* cap. *Eam qui* 18 de præbend. cap. *Avaritiæ cæcitas* 5 de elec. in 6.°; cap. *Quam sit* § *electus* de elect. in 6.°; et § *Cæterum* 6 de elect. in 6.°.

suum Beneficium a resignatario aliud Beneficium accipiat, et tunc dicitur *permutatio.*

Q. 2. *Quid est Beneficii renuntiatio, et quid ad eam requiritur?*

R. Beneficii renuntiatio est: *spontanea proprii Beneficii dimissio facta coram legitimo superiore eam acceptante:* legitimus autem Superior est ipse legitimus Beneficiorum collator. Renuntiatio vel est tacita vel expressa: «La primera tiene lugar cuando con algun hecho se demuestra implícitamente haber renunciado el beneficio, como en el caso de aceptar un beneficio incompatible *(idest statim a possessione secundi Beneficii vacat primum)*, ó cuando el beneficiado contrajo matrimonio, hizo profesion monástica, abandonó el estado clerical para seguir la milicia ó ejercer públicamente el oficio de comediante. La segunda se verifica cuando por medio de una señal exterior, esto es con palabras expresas ó con escritura se renuncia el beneficio en manos del superior y este la acepta:» ita Salzano ex ipso jure (1). Quæ renuntiatio tam per se quam per alios, sive laicos sive Clericos, fieri potest, modo de peculiari mandato constet. Facta autem semel, et probata renuntiatione, frustra renuntiantem pœnitet eorum quæ gessit. — Ad *validam* renuntiationem maxime requiritur, ut ea acceptetur a Superiore, et libere fiat actu legitimo (2). Ad *licitam* autem requiritur aliqua causa; nemo enim quid agere debet sine ratione. Sex autem causas indicavit Innocentius III (3), quas quidem causas *Decretalium* breviatores hisce versiculis expresserunt:

Debilis, ignarus, mali-consciùs, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere potest (4).

Hoc tamen non impedit, quominus sint aliæ causæ. Hinc ipse Innocentius post assignatas, dicit Beneficium adhuc cedi posse *propter aliquam causam justam et honestam:* talis est inter cæteras ingressus in Religionem (5). At curandum, ut renuntiatio intra mensem rata habeatur ab Episcopo, si ad ipsum pertineat collatio: secus jus totum ad Pontificem transfertur (6). Peccat

(1) *Lezioni di diritto Canonico publico e privato.* — Liguori, *Op. M.* l. IV, n. 134.

(2) *V.* Liguori, *Opus, Mor.* l. IV, n. 133; et *Homo Apostolicus*, tr. XIII, n. 58. — It. Devoti, *Institutionum Canonicar.* l. I, tit 7. « Es pues en primer lugar necesario, *ait laudatus Salzano*, que sea aceptada por el superior, sobre lo que se advierte que á escepcion del Romano Pontífice, que no tiene superior en la tierra, la renuncia hecha por el Obispo debe ser aceptada por el Papa, y la que hacen los beneficiados menores por los Obispos. » (*V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 81.) — Insuper hic venit observandum cum Laurenio, *De Beneficiis*, spectata consuetudine romanæ Curiæ ; quam alios Ordinarios imitari decet) non recipi renuntiationes Beneficiorum curam animarum habentium, sine Pontificis dispensatione, si Beneficiatus saltem tribus annis Beneficium illum non possederit, ut tradit Beraldi, *De renuntiatione;* Layman, in c. *Admonet de renunt.;* Corradus, *In praxi beneficiali*, l. V; et Garcias, *De Beneficiis*, pars XI, c. 3, n. 45. Hoc obtinet in Diœcesi Novariensi. (3) C. 3 et 10 *de renunt.* — *V.* Devoti, *Institut. Canonicar.* l. I, tit 7.

(4) 1 Causa est *debilitas corporis*, quæ ex mala valetudine vel ex senectute procedit ; 2 *defectus scientiæ competentis*, quæ circa administrationem spiritualium potissimum est necessaria ; 3 *gravis culpa commissa*, cujus Beneficiatus sibi ipsi conscius sit, et quæ etiam pœnitentia peracta, impediat quominus functiones Beneficio inhærentes digne et utiliter exerceantur ; 4 *personæ irregularitas ;* 5 *malitia plebis*, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut Pastor proficere non possit apud ipsam ; 6 *morum iniquitas*, cum nempe retineri nequeat Beneficium sine scandalo, cui aliter occurri non possit, quam renuntiatione. (5) *V.* tom. I *de oblig. Episcoporum.*

(6) Const. *Humano* Gregorii XIII.

qui si ne aliqua rationabili causa Beneficio renuntiat, si agatur de Beneficio curato; Parochus enim quoddam veluti matrimonium spirituale contrahit cum Ecclesia sua; et ejus vinculum secundum Canones ita firmum est, ut sine causa approbata disrumpi nequeat: hinc redarguendi qui Parochias rusticanas abjiciunt, quod non sibi satis honorificas existiment (1). Sed etiam vituperandi videntur qui Beneficia, quamvis non curata, dimittunt eo consilio, ut se labori subducant, et commodius vivant, talentum Domini sepelientes (2).

Quibusnam (quæres) *conferri possunt Beneficia renuntiata?* — R. Si agitur de Beneficiis renuntiatis in favorem alicujus et conditionaliter, patet per se, non posse conferri nisi iis, in quorum favorem renuntiata sunt, et cum conditionibus adnexis. Si vero agitur de Beneficiis renuntiatis simpliciter et sine conditione, distinguendum est: vel agitur de Beneficiis liberæ collationis; vel de Beneficiis jurispatronatus. Si 1, conferri nequeunt personis, quæ sint consanguineæ vel affines, vel familiares tum renuntiantis tum collatoris, uti expresse constat ex Constit. S. Pii V, quæ incipit *Quanta Ecclesia:* idque tenet etiam pro Beneficiis parochialibus per concursum providendis, uti declaravit S. Congregatio Concilii (3). Si 2, conferri possunt omnia (non exclusis parochialibus) personis quibuscumque idoneis tametsi consanguineæ sint, affines aut familiares tum collatoris tum renuntiantis. Ratio est, quia Pius V in cit. Constitutione non prohibuit Patronis ad Beneficia per renuntiationem vacantia præsentare suos consanguineos, affines et familiares; ergo neque collatoribus dicendus est prohibuisse eadem iisdem conferre (4), quod et praxis penes nos ubique recepta aperte declarat.

Q. 3. *Quid est Beneficii resignatio in favorem, et an licita* (5)?

R. Beneficii resignatio est *Beneficii renuntiatio in favorem subjecti idonei.* Resignatio adjunctam habere debet conditionem, ut Beneficium renuntiatum non debeat alteri tradi, quam Clerico, qui in renuntiationis actu indicatur, quique dici solet *resignatarius.*

Tales reservationes graviter in jure reprobantur; nam Canones vetant, ne Beneficiati eligant successores suos, et damnant quodcumque pacti genus in rebus spiritualibus. Accedit ratio: raro videlicet resignationes hujusmodi fiunt sine gravi communis boni detrimento, maxime si sermo sit de Benefi-

(1) Diximus *quoddam matrimonium;* nam quod dicatur Curatos esse sponsos Ecclesiæ, patres et pastores populi, ideoque debere esse perpetuos, in proprio sensu intelligitur de Episcopis, qui vere sunt animarum pastores a Christo Domino instituti; quoad Parochos vero nonnisi improprie, quia sunt ex primis cooperatoribus episcopalis sollicitudinis. (Ita Pignatelli apud Bouix, *De Parocho.*) Ad rem Angelicus, 2, 2, q. 185. a. 4 et 189, a. 7: *Presbyteri curati non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum, sicut obligantur Episcopi; unde Episcopi præsulatum non possunt deserere absque auctoritate romani Pontificis.* Imo communior et nobis probabilior sententia docet Episcopos teneri de jure divino permanere in suis Episcopatibus, et ideo nec licite nec valide posse Papam cum eis dispensare sine gravi causa, translationem vel renunciationem acceptando. Liguori, *Op. M.* l. IV, n. 104.

(2) Penes Graciam, *De Beneficiis eccles.* — Parisius, *De resignatione Beneficiorum,* l. V. — Gallarati Petrus novariensis, *De renuntiationibus.* Novariæ 1616 apud Sesallum.

(3) *V.* Garciam, *De Beneficiis,* t. II, n. 267. — Benedictum XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 24; et *Notificat.* XCI. — Ferraris, *Bibl.* etc. V. Resignatio, n. 40.

(4) Ita declarasse Gregorium XIII refert Garcias, *De Beneficiis eccl.* t. II, n. 268.

(5) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 134. — Parisius, *De resignatione Beneficior.*

ciis parochialibus: *tum* quia, ut plurimum, non habetur in successore illa ratio meritorum, quæ haberi solet, cum Beneficia conferuntur per vacationem; *tum* quia fiunt de more cum retentione pensionis, quæ in damnum pauperum vertit. — Attamen cum contingere possit, ut nullum detrimentum Ecclesiæ obveniat, imo ut utile sit tales resignationes admitti, cumque aliunde R. Pontifex habeat facultatem dispensandi super omnibus juris canonici dispositionibus; ipse idcirco, et quidem solus, potest, causis sibi cognitis, admittere tales resignationes (1).

An (quæres) *resignans debeat quærere digniorem?* — R. Sunt qui negant: ita et Lessius et Sanchez dicentes, resignantem in hoc casu non esse dispensatorem boni communis, sed sui proprii. Unde nec ipse peccat contra justitiam distributivam Beneficium resignans; nec peccat ipse Episcopus conferens postea illud resignatario, si sit satis idoneus; Decreta enim de eligendo digniore tantum loquuntur de collatione per vacationem facta. Alii e contrario cum Collet et Viva affirmant, teneri sub gravi resignantem quærere digniorem: secus licet non peccaret uti collator, peccaret tamen, quia esset causa illicitæ collationis; nam collator hujusmodi resignationem acceptare non potest sine peccato in favorem alicujus, qui vix dignus esset; cum aliunde posset faciliter inveniri magis dignus. Alii cum Salmanticensibus et Vasquez admittunt resignationem factam etiam favore non dignioris, cum resignatarius est æque dignus ac resignans; quia tunc nullum Ecclesiæ damnum irrogatur. Sed videtur æquior sententia cardinalis De-Lugo et La-Croix, qui dicunt, quod tota ratio culpæ sumenda est a damno, quod Ecclesiæ obveniret. Finis enim intrinsecus et principalis institutionis Beneficiorum cum sit bonum commune, Ecclesia illa conferendo tacite intendit hoc onus, ut casu quo Beneficiati velint iisdem se abdicare, non resignent, nisi in bonum commune (2).

Q. 4. *Quid est Beneficii permutatio?*

R. Beneficii permutatio est *quædam species resignationis conditionatæ*. Fit cum duo Beneficiati unum vel plura Beneficia Pontifici non reservata in manus Ordinarii resignant ea conditione, ut postea alteri alterius Beneficium conferatur. Licita est, si a legitima auctoritate a qua sacrorum distributio pendet, perficiatur, et legitima sit causa ac conditiones (3); et non fiat intui-

(1) Pius V, Const. *Quanta;* et Benedictus XIV, Const. *In sublimi.* Quæ resignationes sicut et permutationes ut validæ sint, requiritur ex jure ecclesiastico: 1 ut Beneficium sit vere resignantis, cum resignatio sit proprii juris dimissio; 2 ut resignatio fiat libere, in manibus ejus qui facultatem habet illam admittendi, qui de facto eam admittat; 3 ut is cui Beneficium confertur, illud acceptet; alias resignans non perdit Beneficium; 4 ut adsit consensus patroni vel electorum, si Beneficium sit patronale aut electivum; 5 ut resignans infirmus, supervivat adhuc viginti dies a resignatione; alias Beneficium conseretur vacare; 6 ut Beneficium non sit litigiosum; quia tunc tantum in alterum litigantem conferri potest: item ut Seminario unitum non sit, (Tridentinum, *sess.* 21 c. 5; et *sess.* 23, c. 18) ut si resignatio fiat in Curia romana, intra sex menses publicetur in loco ipsius Beneficii. Si extra, publicanda erit in eodem loco intra mensem; si tamen agatur de Beneficiis Episcopatu inferioribus. — *V.* Benedictus XIV, Const. cit. *In sublimi*: et Const. *Ecclesiastica ministeria;* ac *De Synodo Diœc.* l. XIII, c. 24.

(2) Finis intrinsecus sine culpa negligi non potest, et ideo resignationes præsertim in Beneficiis curatis raro licitæ sunt. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV. n. 98.

(3) *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l, XIII, c. 24, nu. 3 et seqq.; Garcias et Rigantius.

tu commodi temporalis, per talem permutationem permutantibus obventuri. *In permutatione*, inquit Angelicus, *est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius talis commutatio fiat. Si autem pro spirituali utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia* (1): et fit in Curia episcopali, servatis tamen servandis. Ad permutationem autem ea omnia requiruntur, quæ ad resignationem in favorem.

An (quæres) *in permutatione Beneficii parochialis requiratur examen?*

Distinguendo: vel permutatur Beneficium simplex cum Parochiali; vel parochiale cum alio parochiali. Si 1, certum est examen requiri, ut de novo instituendus Parochus comprobetur: sufficiet autem examen instituere coram Episcopo vel ejus Vicario et tribus examinatoribus synodalibus. Neque concursus requiritur, cum Parœcia vacare communiter non censeatur. Si 2, nullum examen requiritur; cum enim permutantes jam examinati sint et probati, injuria fieret prioribus examinatoribus, qui eos jam idoneos Episcopo renuntiarunt. Excipe nisi cohonestetur novum examen ex magna Parochianorum inæqualitate. Ita Garcias ex S. C. Congregatione, atque ex Concilio Provinciali Mediolanensi II (2).

Scholium.—*De pensionibus Ecclesiasticis, annatis, spoliis, cathedratico, procuratione et regaliis.*

Q. 1. *Quid est pensio Ecclesiastica* (3)?

R. Nonnumquam Beneficia renuntiantur, resignantur ac permutantur sub reservatione pensionis. Hinc pensio ecclesiastica definitur: *jus percipiendi fructus ex Beneficio alieno*. Triplex est: 1 *temporalis*, quæ datur propter ministerium temporale, v. g. cantoris, ædituі et defensoris Ecclesiæ; 2.ª *spiritualis*, quæ fundatur in titulo mere spirituali, v. g. concionatoris, Parochi vel Coadjutoris; 3.ª *media*, quæ fundatur in statu spirituali, non tamen in ipso officio, ut quæ datur v. g. Clerico pauperi, vel Parocho seni ad vitæ propriæ sustentationem (4). Item distinguuntur pensiones in *personales*, quæ afficiunt personas tale Beneficium obtinentes et quoadusque obtinent; et in *reales*, si directe pensio detrahitur a Beneficio, ad quemcumque illud devenerit.—Antiquissima est origo pensionis; jam enim ab ipso Gregorii Magni tempore ea obtinuit in Ecclesia (5). Et mentio fit in Conciliis ephesino et chalcedonensi sæculo V celebratis.

Ex communi Theologorum et Canonistarum sententia hæc generatim statuta sunt circa pensionem ecclesiasticam. Requiritur: 1 *moderatio*, adeo ut Beneficiato non tollatur modus vitæ sustentandæ, aliisque oneribus satisfaciendi (6). Talis plerumque censetur ea, quæ tertiam partem aut dimidiam

(1) In 4, disp. 25. q. 3, a. 3; et 2, 2, q. 100, a. 1. — Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 27; et l. IV, n. 136.

(2) *Praxis Benefic.* p. 9, c. 2, n. 165.

(3) *V.* Clericatus, *De beneficiis et pensionibus.* — De-Nigris, *De vacatione Beneficiorum et pensionibus ecclesiasticis.* Romæ 1741. — Fagnanus, In c. *Nisi essent de præb.* n. 27.

(4) Duo posteriores dicuntur *Clericales*, quia Clericis; prima dicitur *laicalis*, quia laicis tantummodo concedi solet.

(5) L. III, ep. 55; l. V, ep. 12; l. XIII, ep. 5, t. II.

(6) Hinc Tridentinum, *sess.* 24, c. 13 *de Ref.* statuit: « Ut omnes cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales quæ summam ducatorum centum secundum

fructuum non excedit; 2 *justa causa.* Secus non excusaretur qui pensionem retinet, *quia Papa dedit; nam Papa non est Dominus bonorum Ecclesiæ, sed solum universalis distributor*, ut ait Toleratus; 3 *legitima auctoritas:* porro ex Tridentino possunt eam constituere Episcopi, si agatur de Vicario deputando imperitis, aut malis rectoribus (1). Utrum vero possint, alia causa interveniente, v. g. ad finiendam litem, ad Parochum senem alendum, ad compensandam æqualitatem in Beneficiorum permutatione, ad succurrendum paupertati alicujus Clerici, alii cum Busembau affirmant: at negant omnino Lessius ac Salmanticenses, et dicunt id esse solius Pontificis, quia talis est stylus Curiæ, qui facit jus, ut omnibus notum est; 4 *consensus patroni*, sed dumtaxat jure particulari, ut in Sabaudia; et quoad Beneficia illa parochialia, ad quæ nominandi jus est penes Regem: non autem de jure communi; cum per impositionem pensionis nulla patrono fiat injuria, neque illius jus limitetur (2).

Pensionarius, si pensio Clericalis sit, ex Bullis Sixti V, et Pii V debet habitum et tonsuram deferre, ac Officium B. Virginis quotidie (sub onere restitutionis) recitare, nisi jam ad Officium majus obligetur.

Extinguitur pensio: 1 *morte pensionarii;* cum pensio habeat rationem ususfructus. Excipe, nisi ei illam in alium transferendi facultas data sit; 2 *redemptione;* quæ tamen irrita habetur, si vel antea pacta, vel intra sex a Beneficii possessione menses, vel sine romani Pontificis auctoritate facta fuerit (3); 3 *Religionis professione, matrimonio, degradatione* ac cæteris fere modis, quibus Beneficium ipsum amittitur.

Q. 2. *Quid annatæ, spolia, cathedraticum, procuratio et regalia?*

R. Duo priora cedunt Pontifici; sed ea hodie nullibi forte obtinent. Alia duo Episcopo debentur et vigent. Ultimum Principis est.

1. Sedes apostolica in conferendis Beneficiis reditus exigebat unius anni, si ea essent concistorialia. Secus dimidium reditus unius anni; si tamen proventus annui superarent summam 24 ducatorum aureorum *de Camera.* Quæ quidem *annatæ* nuncupabantur et *mediæ annatæ.*—Antiquissimas dicimus et justissimas; cum inductæ essent ad propagandam fidem, ad opitulandum pauperibus, et ad Religionem nostram conversis, et cætera Pontificatus onera ferenda (4).

2. *Spolia* dicta sunt bona, quæ Clerici post obitum relinquebant. Hæc

verum annuum valorem non excedant, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. »

(1) Sess. 21, c. 6 de R. — Liguori, *Ho. Ap.* tr. XIII, n. 59; *Op Mor.* l. IV, n. 157.

(2) Benedictus XIII 6 sept. 1724 Bulla *Quanta pastoribus* prohibet Episcopo Beneficiatis parochialibus pensiones imponere; quod vero pertinet ad pensiones reales, pensiones Beneficio parochiali impositæ, in Regno Sabaudiæ *regio placito* muniri non solent, nisi vel ipsi Beneficio aliqua dignitas aliquando unita fuerit; vel agatur de permutationis casu aut resignationis aut litis compositionis; vel demum nisi respiciat pensio subventionem patrono pauperi præstandam, quod est debitum gratitudinis et honestatis. — *V.* Canestri, *Giurispr. canon. e civ.* tit I, c. 5.

(3) Innocentius XI, Const. *Circumspecta;* et Benedictus XIV, Const. *In sublimi.*— *V.* Cabassutius, *Theor. et Prax.* c. 14, n. 15. — Fagnanus, In c. *De præb.* — Vallensis, *De Benefic.* p. 1. t. II, etc. — Devoti, *Inst. Can.* l. II.

(4) *V.* Pallavicini, *Historia Concilii Tridentini*, l. II, c. 8. — P. Zaccaria, *Antiphebronius*, p. 2,ª l. V, c. 5. — Braschi *De annatis.* — Biner, Fagnanus, etc.

jure pertinebant ad Sedem apostolicam, quæ ea colligebat per collectores, et in pios usus distribuebat. Spolia instituta sunt tum ad coërcendam avaritiam Clericorum, qui ex ecclesiasticis bonis quærebant opes, ut ditarent consanguineos; tum ad tuendos canones, ex quibus Ecclesiæ bona in pios usus conferuntur (1).

3. *Cathedraticum* est ordinarium tributum, quod a singulis Ecclesiis sæcularibus, et clericis Beneficiatis item sæcularibus solvitur quotannis Episcopo in signum subjectionis, et honorem Cathedræ episcopalis. Antiquissimus profecto est (2); neque illud sustulit Tridentinum. Quia tamen hodie illud in Synodo penditur, ideo et *Synodaticum* appellari consuevit.

4. Pertinet quoque ad Episcopum *procuratio;* et est præstatio, quæ ei Diœcesim visitanti tribuitur, alimentorum nomine (3); cum enim in visitatorum bonum visitatio cedat, æquum est ut ista illorum fiat sumptibus. Hic consuetudo ac conventiones sunt attendendæ.

5. *Regalia* est concessio sæcularibus Principibus ab Ecclesia facta tum ad quædam Beneficia nominandi, tum reditus percipiendi a Beneficio vacante; idque factum est ad eorum protectionem erga Ecclesiam Dei remunerandam (4). Hoc confundi non debet cum *investituris*, quibus scilicet Principes Episcopos feudis investiebant; cum enim decursu temporis non tantum feuda, sed ipsa Beneficia tribuere contenderent, a Gregorio VII invicte condemnatæ fuerunt investituræ (5).

(1) *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc* l. III, c. 8. n. 6.

(2) Sess. 24. c. 3 de R. — *V.* Thomasinus *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, p. 3ª, t. II, c. 34.

(3) C. 6 et 23 *De cens. exact.;* et Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. X, c. 10. Plures sunt Parochorum partes in Episcopi visitatione. *V.* Gavanti, *Praxis compendiaria Visitationis episcopalis.* — It. *Biblioteca per i Parrochi e Cappellani di campagna.* Venecia, ecc. vol. XV.

(4) *V.* Salzano, *Storia Ecclesiastica*, l. XV, n. 27.—*Pratica legale* pro Sabaudia.

(5) *V.* Salzano, *Storia Ecclesiastica*, l. XIII, n. 10: prop. 3. — It. Voigt, *Storia di papa Gregorio VII.* It Muzzarelli, *Il buon uso della Logica*, Opusc. 31; Gregorio VII. — Graveson *Hist. Eccl.* t. IV, coll. 3. — Liber, cui titulus, *Lasciamo stare le cose come stanno*, ecc. Roma 1836, pag. 63.

ADNOTATIONES.

(A) Pag. 538.

Ipsa naturalis ratio postulat, ut res, loca et personæ sacræ summo in honore habeantur, atque distinguantur privilegiis, ex dictis de *Legibus*, ubi de subjecto: hinc triplex immunitas, realis, localis et personalis: quarum quidem immunitatum violatores incurrunt ipso facto excommunicationem Pontifici reservatam ex Bulla *Cœnæ*, ex Bulla Martini V *Ad reprimendas*, et Gregorii XIV *Cum alias* etc. Quæ omnia innovat Tridentinum, *sess.* 25, *cap.* 20.

1. Est *immunitas realis*, sive exemptio bonorum tum Ecclesiæ tum Ecclesiasticorum a tributis et oneribus omnibus (can. *si quæ causæ* 26): ait porro D. Thomas *(In Epist. XIII ad Rom.): ab hoc debito* (solvendi tributa), *liberi sunt Clerici ex privilegio Principum*, *quod quidem naturalem æquitatem habet:* et hoc mutuis conventionibus inter Papam et Principem firmatum est. Cæterum in Regno Sabaudiæ ex Litteris Leonis XII, 14 maji 1828, ab hoc onere hodie eximuntur tantum res, quæ nihil afferunt utilitatis temporalis, uti Ecclesiæ ipsæ, cœmeteria, vasa, vestes sacræ ad cultum pertinentes et similia.

2. Est *immunitas localis*, seu jus loco sacro concessum, ut ibi existentes vel eo confugientes tuti fiant a potestate laicali (et dicitur *jus asyli*); ex Constitutionibus *Cum alias* 1591, *In supremo* 1734, etc. Pro Regno Sabaudiæ vid. Instructiones Benedicti XIV 1742, Clementis XIII 1763, Clementis XIV 1769, Pii VI 1775 et Leonis XII 1826. Quibus autem locis competat hoc jus, quique eo gaudeant vel non, vide Talento et Alasia, *De Legibus.*

3. Est *immunitas personalis*, seu personæ ecclesiasticæ exemptio a personalibus oneribus, quæ componi non possint cum sanctitate et officiis clericalibus, sive ea sint onerosa, sive honorifica; hinc immunes sunt ex lege a servitio militari, a vilis operibus, ab assumenda tutela, ab onere recipiendi milites hospitio, a capitis censu seu tributo quod personis imponitur (*l. I Cod. Theod. de Episc. et Cleric.; l. I. Cod. de civ. capit.* etc.); in aliquibus tamen usu derogatum est. Quibus privilegiis adde privilegium tum *competentiæ* in clericalis Ordinis honorem inductum ex *cap.* 3 *Eduardus clericus de solut.* quo Clericus impar solvendo debitis, nequit ad id obstringi, nisi prius deductis ad honestam sustentationem necessariis; tum *canonis* de quo dictum est ubi *de Censuris:* tunc demum *fori* in eo consistens, ut Ecclesiastici nonnisi in foro ecclesiastico conveniri possint *(cap. etsi Clerici* 4; *Clerici* 8; *de foro compet.).* Hac tamen de re videantur Concordata. Quoad Imperium austriacum, *Concord. ult.* § 13 *et* 14; quoad Sabaudiæ Regnum clariss. Alasia

tum ex celebri Instructione Benedictina 6 jan. 1742, tum ex consuetudine inducta hæc resolvit:

«Quoad *causas civiles* Clericus adhuc subest judici laico: 1 in causis feudorum; 2 ratione cæpti judicii, quando scilicet causa fuit inchoata, cum reus nondum erat Clericus, aut ad Clericum res nondum spectabat; 3 quando vocantur nomine alieno, v. g. quia laici procuratorem vel tutorem egit; 4 ratione reconventionis, si nempe Clericus actor ad sæcularem forum aliquem traxerit (nomine et utilitate propria, non Ecclesiæ), hic eumdem Clericum in eodem foro laicali reconvenire poterit: quare si Clericus petat in foro laicali pecuniam sæculari mutuatam, poterit hic laicus suum æs quod vicissim illi credidit, in eodem foro reposcere. Item ex Concordato 27 martii 1841 Clerici directe subjiciuntur civili tribunali tum quoad delicta, si in iis complices habeant laicos, tum quoad crimina, tum quoad reatus vulgo *di contravvenzione* et violationes regiarum gabellarum.—Quoad alias causas civiles, si ii qui litem habent omnes sunt Clerici, nonnisi in foro ecclesiastico possunt quæstionem agere; si vero actor sit Clericus, et reus laicus, tunc causa agitanda est in foro civili, quia actor sequitur forum rei; si tandem actor sit laicus et reus Clericus, tunc casu quo laico competat solummodo actio personalis, quæ nempe oritur ex jure ad rem, Clericus erit conveniendus coram judice ecclesiastico; quod si laico competat actio realis seu jus in re, tunc Clericus etiam coram judice laico potest vocari ex longa consuetudine; nam etsi tunc conveniatur etiam persona, non tamen convenitur propter se, sed propter rem possessam; res autem laico subest judici. Attamen hic judicis sæcularis nomine veniunt tantum supremi magistratus ex edicto Caroli Emanuelis I.

«Quod autem pertinet ad *causas ecclesiasticas*, ad judicem ecclesiasticum omnino pertinet judicare de criminibus contra fidem ac cultum, de polygamia, de sponsalibus, de divortio, de sacris ritibus ac præcedentiis in functionibus. Quoad causas vero de beneficiis, decimis, aliisque bonis temporalibus quæ spectant ad Ecclesiam, distinguendum est: si judicium sit petitorium, in quo quæritur ad quem spectat rei proprietas, res est definienda a judice ecclesiastico; si judicium sit possessorium in quo quæritur ad quem possessio nunc spectet, permittitur judici laico se immiscere in possessoriis *retinendæ et reintegrandæ* (nisi petitorium ita perspicuum sit, ut possessorium absorbeat): cæterum in possessorio una cum judice civili agere etiam potest judex ecclesiasticus, et ideo locus est prævention i.»

Tandem si debeat conveniri debitor Ecclesiæ, confraternitatum aut aliorum locorum piorum, tunc si iste debitor sit laicus coram judice laico, si vero sit ecclesiasticus, coram ecclesiastico citari debet ex Benedictina Instructione.

Ut tamen Clericus gaudeat privilegio *fori*, requiritur ut prima saltem tonsura sit insignitus, habitum et tonsuram Clericalem deferat, alicui Ecclesiæ sit addictus vel in seminario aut alia schola de licentia Episcopi versetur (Tridentinum *sess.* 23, *c.* 6 *de R*). Vide de *Obligationibus Clericorum*, ac *De juramento* ubi de subjecto, in adnotationibus.

Nota: Qui compulsus est ad aliquam immunitatem violandam, puta si ci-

vilis judex debeat judicare Ecclesiasticum, ab ecclesiastica et legitima potestate permissionem postulet, quæ ipsi facultatem faciet, si alioquin grave detrimentum sit passurus in proprio statu.

(B) Pag. 541.

Quoad sacram Ordinationem plura notanda quoad praxim, ad plura solvenda dubia, quæ Ordinatos nonnumquam vexare solent.

1. In Ordinibus sacris conferendis requiritur, ut ab eodem Episcopo qui formam profert, materia tradatur; quia cum talis sit usus Ecclesiæ, sic censetur Christus instituisse ex D. Thoma, *supp. q.* 38, *a* 1. Secus tamen in collatione Ordinum minorum.

2. Materia a consecrando tangenda in Oratione Sacerdotum est calix cum patena. Sufficit autem tangere calicem ac patenam: *neque magis*, ait Gonet, *necessarium est tangi hostiam ipsam patenæ superpositam, quam vinum in calice contentum, quod certe nullus Ordinandorum tangit. Quod propter nonnullos scrupulosiores notare obiter hic volui.* Cæterum etsi non tangenda hostia, nec vinum; attamen in calice vinum, et super patenam hostia adesse debet; aliter non daretur directa potestas ad integrum et verum sacrificium; et quidem eodem tempore debet tradi, cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis: ita probabilior sententia omnino tenenda. Qui vero loco patenæ tangeret hostiam, communiter ac probabilissime dicunt valide ordinari (si tamen simul tangat et calicem, uti supponimus): ratio est, quia tangit id quod potius est et quod constituit materiam substantialem Sacerdotii. Idem dicunt probabilius Concina, Vasquez, Palaus contra alios valere Ordinationem si tangatur tactu physico solum calicem (aut vicissim), sed non patenam superpositam; quia calix et patena tunc moraliter faciunt unum. Hinc S. Congregatio Rituum die 3 decemb. 1661: «ad scrupulum Fratris Ephrem Chasteau pro-agentis recollectorum Galliæ, nempe se non tetigisse tacto physico calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum, S. C. respondit: *posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia.*

3. « Se pregunta: *si fué válidamente ordenado un Sacerdote cuya cabeza no tocó el Obispo en la imposicion de manos, tanto al conferirle el Diaconado como el Presbiterado, sino que las tenia á cierta distancia.* Nuestro parecer es que la ordenacion fué válida: porque aunque la imposicion de manos es esencial para la validez de la ordenacion; no lo es el rito prescrito para dicha imposicion, esto es, que se toque la cabeza; mientras que sin tocarse es verdadera imposicion. Esto se confirma al ver que en la segunda imposicion que hace el Obispo (que es la mas esencial de todas) no está prescrito el contacto de la cabeza: *tam Pontifex quam Sacerdos teneant manus dexteras extensas super illos.* Y en la confirmacion se prescribe lo mismo: *extensis versus confirmandos manibus...* Por lo que, se falta al precepto si no se hace, pero no se invalida la consagracion.» Ita Pavone, *Spicilegio canonico, morale* ecc. § 205.

4. «Un Obispo (*iterum laudatus Auctor*), al ordenar á muchos, en vez de

decir segun el Pontifical: *accipite ceroferarium...; accipite urceolum...; accipite librum epistolarum...*; etc., decia en singular *accipe ceroferarium...*; y así en las demás formas. Se pregunta ¿ si fué válida la ordenacion, teniendo el Obispo la intencion de ordenar á todos los que tocaban la materia ? Hemos contestado que el *accipe* unido á la intencion de ordenarlos á todos, vale tanto como el *accipite*. Con estas últimas palabras se hubiera dirigido el Obispo á todos los ordenandos juntos, en general ; con el *accipe* unido á la predicha intencion se dirige á cada uno de ellos en particular á un mismo tiempo, lo que equivale á dirigirse á todos.»

5. Cum ex Tridentino (sess. 22 in *Decreto de observand. et vitand. in celebratione Missæ)* vetitum sit munera tribuere pro Missis novis, cumque fuerit disputatum, utrum adhuc liceret noviter Celebranti aliquam oblationem accipere in ipsa sua prima Missa, Gregorius XIII per S. C. C. 1573 decrevit: *licere se vertere in medio altaris ad populum et accipere oblationes, non autem circuire Ecclesiam.*—Synodus Novariensis hic habet (pag. 104): *sub pœna suspensionis ad tres menses vetamus in primæ Missæ celebratione munera a novo Sacerdote in Ecclesia colligi* (aliud esset pacem osculandam tradere), *nec non sumptuosa convivia ea occasione instrui.*

6. *Quid* (quæres) *dicendum est de precibus et Missis, quæ in ipsa Ordinatione imponuntur Ordinatis ab Episcopo?*—R. Alii putant cum Lessio hæc persolvenda esse sub mortali ; alii volunt probabiliter cum Soto hanc obligationem esse tantum decentiæ, non autem sub peccato ; saltem tenet Croix non esse sub gravi, cum id Episcopi non declaraverint. *Nocturnum* autem quod imponitur Diaconis et Subdiaconis, non est Nocturnum feriæ istius diei quo fit Ordinatio; sed cujuscumque, quem Episcopus designat: unde potest esse etiam alterius diei; non enim dicitur *hujus diei ;* sed *talis diei*, quasi diceret *talis vel talis diei*, ut probat Gobat. Sufficit autem Nocturnum feriale sine Lectionibus, cum Lectiones non utentur; quando enim Episcopus vult, id declarat: sic imponendo tonsuratis et in minoribus Ordinatis Psalmum pœnitentiale, quia vult, ut simul et Litaniæ et versiculi et orationes dicantur, id exprimit: quamquam alii volunt etiam lectiones Feriæ dicendas esse, quia sic intelligitur Nocturnum. Quoad vero *tres Missas* votivas quas imponit Presbyteris, debent dici, quando juxta rubricas licet Missas votivas celebrare, ut notat Gavanti ; neque absolute necesse est, ut servetur ordo in earum celebratione adeo ut prima sit de Spiritu Sancto, secunda de B. Virgine, tertia pro defunctis, modo dicantur; possunt item diferri, si causa subsit, uti habet Cavalieri. Insuper sola Missæ qualitas, non Sacrificii applicatio præcipitur, ut ex contextu Pontificalis romani, dum ibi præscribatur tantum ab Episcopo, ut initiati pro eo orent, ideoque ipsi bene possunt Missas pro aliis applicare etiam cum stipendio ; non sunt namque adstruenda onera, nisi verborum, quibus lex constat, tenor cogat. Ita Cavalieri, *Oper. liturg.* t. III, c. 12, n. 20; Mazzotta, *De sacr. Missæ*, c. 4, § 3.—Synodus Vercellensis *cel. anno* 1842, pag. 343.—Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 829.—Et Pius Martinucci Pontific. Cærem.

(C) Pag. 545.

Hic audiendus p. Salzano, *Corso di Storia ecclesiastica*, l. II, cap. 14. «Algunos del modo con que se hacia la eleccion de los Diáconos, han tomado motivo de sostener, que el pueblo debia intervenir por derecho divino en la eleccion de los ministros del Santuario. Y algunos jurisconsultos poco piadosos han procurado fomentar y sostener este error, creyendo merecer bien del poder laical con reprimir mucho al eclesiástico: los tales pretenden, que, siendo el pueblo representado en la persona del Soberano, este tiene un derecho inherente en él para la eleccion de los sagrados ministros. Mas ¿y quién no ve, por poco que fije la vista en la Escritura y consulte la tradicion de la Iglesia, que el pueblo jamás intervino de derecho divino en las sagradas elecciones, y que nada puede concluirse de lo que se lee haberse practicado en la eleccion de los Diáconos? Y en verdad, se lee en el Apóstol, que ninguno debe usurpar por sí mismo el honor (y entiende hablar del honor unido al cargo eclesiástico); sino el que es llamado por Dios como Aaron: y sabemos que Aaron por mandato de Dios fué constituido Pontífice por Moisés sin algun sufragio del pueblo. — Añádase que Jesucristo al enviar á sus discípulos, les dijo: «así como mi Padre me ha enviado á mí, así yo envio á vosotros;» pues si el Redentor al hacer esto no pidió antes el sufragio del público, lo mismo debe entenderse con relacion á los Obispos y Sacerdotes, y en general á todos los demás órdenes, que se dirigen al complemento del Sacerdocio.—Mas: El mismo Jesucristo al establecer su Iglesia la dió una organizacion muy perfecta y la declaró sociedad independiente de todo lugar ó persona: quiso que esta sociedad tuviese una forma monárquica, y por tanto que el pueblo no tuviese poder alguno; y el poder del pueblo hubiera sido el mayor, si hubiese intervenido por derecho divino en las sagradas elecciones.— A mas de que, si todo lo que es de derecho divino es inmutable, ni admite variacion, ¿quién no conoce por los solos preliminares de la ciencia canónica cuanto ha variado sobre este punto la disciplina eclesiástica? Porque unas veces se ha requerido en las elecciones el sufragio del pueblo, otras, aun en los tiempos primitivos, se ha descuidado, como tenemos del Concilio Niceno y del octavo ecuménico: por fin, se ha escluido totalmente, y en su lugar se ha sustituido al clero, ó al Cabildo, ó tambien á los Soberanos, y aun esto por concesion de la Iglesia; si pues la eleccion del pueblo ó de cualquiera otra persona hubiese sido de derecho divino, no hubiera por cierto cambiado.—Ni vale el citar el ejemplo de la eleccion de los Diáconos, en la que se pidió el sufragio del pueblo, porque esto sucedió por concesion de los Apóstoles: elegid, dijeron estos, hombres de buena fama en el público: y esta concesion apostólica fué concedida muchas veces al pueblo en los tiempos posteriores por derecho Eclesiástico, de lo que con razon puede concluirse, que la intervencion del pueblo en la eleccion de los sagrados ministros no dimana de derecho divino.»

Ad rem etiam La-Mota in Opere, *Saggio intorno al socialismo* ecc. vol. II, pag. 48 de hisce popularibus electoribus scribit: «Es notable el juicio del

Sr. Quinet sobre las elecciones de que se habla: en el año 1790 (dice él) la asamblea constituyente pensó hacer un gran servicio al bajo clero restituyéndole el sistema electivo, ¿y quién fué el primero en revolucionarse contra un tal beneficio? El bajo clero, porque aquel pretendido beneficio era puramente la ruina de la Iglesia católica en Francia.»

Ex hactenus disputatis patet neque eos esse audiendos, qui docuerunt *populum in electione Prælatorum habere jus divinum, non quidem constitutivum, sed morale; et quoad hoc populi interventum in pastoribus eligendis, esse juris divini et naturalis divini, id est procedentis a natura institutionis pastorum; neque populum esse vel moraliter cogendum ad pastorem suscipiendum nomine, vultu, operibus, fama ignotum; nam oves pastorem suum cognoscunt.* —Nam illud *morale* non satis acerbitatem novitatemque doctrinæ temperat; quid enim tandem ea voce sit intelligendum, non apparet; vox est saltem nimis ambigua in hac materia. Adde si *jus est*, non jam nuda concessio ad simplicem nutum revocabilis; si *divinum est jus ac naturale*, præteriri non potest sine gravi peccato; si hoc jus procedit *a natura ipsa institutionis pastorum*, non est simplex conniventia, sed est jus firmum, rei inhærens et ideo irrevocabile. Quæ omnia stare non possunt cum catholica doctrina; esto, quod pastores debeant cognosci ab ovibus suis; sed quando pastores semel sunt a legitima auctoritate constituti; tunc populus et eos cognoscere et eos sequi et illis obedire tenetur. Absit autem ut credamus quod meliores haberentur ministri, si electio in manu populi esset: imo contrarium eveniret; quod quidem satis abunde et antiqua et hodierna probat historia, ex qua etiam habemus quot tumultibus, seditionibus, ac seductionibus obnoxia sit popularis electio. Hinc libellus: in quo id traditum est, in *Indicem librorum prohibitorum* fuit relatus Decr. 30 maji 1849, ejus tamen auctor laudabiliter se subjecit.—*V.* Nardi, *Elementi di diritto eccl.* Padova 1854, § 611.

(D) Pag. 549.

Nec dicas in vetustis monumentis occurrere vocabula *Episcoparum*, *Presbyterarum* et *Diaconissarum*, quas constat etiam consuevisse constitui per manuum impositionem. Nam iis nominibus donabantur mulieres, non quia aliquo essent sacro Ordine insignitæ; sed quia erant uxores eorum, qui ad Episcopatum vel Presbyteratum vel Diaconatum promovebantur: quod ubi contingebat, ipsæ a maritis se separabant et vovebant perpetuam castitatem. Illa autem manuum impositio erat mere cæremonialis. *Diaconissæ* autem dicebantur etiam illæ mulieres viduæ unius viri, ætate provectæ ac moribus spectatæ, quæ certis officiis ad fidelium bonum simpliciter deputabantur, quarum quidem origo est repetenda ab Apostolorum ætate.—De his vid. Devoti, *Institut. Canonic.* l. I, tit. 9, § 22.—Billuart, *De Ordine*, Digressio 1ª historica.—Klee, *Storia de'dogmi*, etc.

«No nos detenemos un momento (addimus cum Salzano, *Lezioni di diritto*, etc. p. 3, l. 12) en refutar la fábula de la papisa Juana, inventada en el siglo undécimo por Mariano Scoto, y adicionada con asquerosas mentiras por autores de poca crítica, ó de corazon corrompido. Distante él mas de dos

siglos del hecho que nos cuenta, quisiera hacernos creer que una tal Juana gobernó mas de dos años la Iglesia universal, y precisamente en los años de 853 y 854 entre el pontificado de Leon IV y Benedicto III. Su relacion es una fábula desmentida por autores coetáneos, ó poco distantes de aquel tiempo cuyo hecho refiere, y refutado victoriosamente por dos insignes cardenales Baronio y Bellarmino, por Natal Alexandro y hasta por Blondello ministro calvinista, á los cuales remitimos á nuestros lectores.» — Anglicani suam habent Papissam; non sane catholici; *v.* Margotti, *Roma e Londra*, cap. VII: *il Papa e la Papessa.*

(E) Pag. 566.

Degradatio fit sequenti horrifico sane modo ex Pontificali romano:

1. Degradatus vestitur indumentis proprio Ordini congruentibus, et sic in loco extra Ecclesiam ad id parato exhibetur Episcopo; — 2 Episcopus quasi exequendo sententiam jam prolatam, præsente judice laico, cui postea degradandus traditur, publice abradit vitro vel cultello leviter sine ulla sanguinis effusione loca manuum illius, quæ in collatione Ordinum fuerunt inuncta; et etiam tonsura præscriptam formam usurpans. Hinc patet quid de illis modernis sciolis dicendum, qui de degradatione sermonem facientes, de immanitate et crudeli sævitia Ecclesiam incusant, et mendacia adeo portentosa historiæ commendant: cæremonia est, non vero carneficina; — 3 detrahit illi Episcopus singula ornamenta sacra, adhibens propriam ad unumquodque formulam; — 4 jubet per barbitonsorem ibi præsentem caput degradati totaliter tonderi inquiens: *te veluti ingratum filium a sorte Domini... abjicimus;* — 5 degradatum (amplius non tangens manibus suis) tradit præsenti judici laico; intercedens tamen pro miserrimo illo, ut nullum mortis vel mutilationis periculum eidem inferatur. Judex eum sub sua custodia recipit, et sic omnes quiete discedunt.

(F) Pag. 587.

Patrimonia ecclesiastica, legata pia, præstimonia laicalia et *laicales Capellaniæ* non sunt materia simoniæ, ideoque pretio æstimari possunt; ratio, quia a superiore ecclesiastico spirituali officio non fuit adnexum jus percipiendi fructus, ideo illud jus remanet temporale. Item est de pensionibus, quæ etiam Clericis traduntur solvendæ ab Œconomatu in Regno Sabaudiæ; idem de Capellaniis regiis dicendum; nam nullum onus spirituale est eis injunctum a superiore ecclesiastico, nec referunt ecclesiasticam institutionem. — Sed *pensiones ecclesiasticæ, ecclesiastica præstimonia, vicariæ* et *coadjutoriæ;* item *Beneficia manualia*, si sint ab Ecclesia inducta, etsi veram Beneficii naturam non induant, possunt tamen esse materiæ simoniæ, si temporali pretio æstimentur etc.; nam hæc omnia non tantum sunt adnexa ab Ecclesia clericali officio, et requirunt statum Clerici, sed etiam postulant ministerium spirituale, ratione cujus tales reditus sunt debiti, et acquiritur

jus ad illos; ideo hoc jus est quid vere spirituale. *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. III, n. 112; l. IV, n. 157. — Alasia, *De Simonia,* cap. 8. — Suarez, *De Simonia,* cap. 25 et seqq.

(G) Pag. 588.

Possessio in Regno Sabaudiæ non uno tribuitur modo; nam ubi viget Regius Apostolicus Œconomatus Beneficiorum vacantium, facta prius in Curia episcopali institutione collativa, illius exemplar mittitur ad Œconomum generalem, ut *regio placito*, vel *regio exequatur* muniri possint. Hujus postea jussu opera Subœconomi ad id specialiter delegati possessio tribuitur.— Ubi non adest Œconomatus (ut in Diœcesi Novariensi in riparia S. Julii) ex usu Ecclesiæ Episcopus delegat Ecclesiasticum, ut possessionem conferat; vel ipsi Beneficiato, ut illum Ecclesiasticum sibi eligat, relinquit. Porro hæc delegatio, etsi non de necessitate, præstat tamen, ut scriptura fiat, saltem ad eam melius probandam, si forsan impugnetur. Cæterum actus possessionis in omni casu a regio vel apostolico Notario exarari debet. — *V.* Pichler, Rabuffus, etc.

«Aunque se haya introducido el uso de entender lo mismo bajo las palabras *pase regio* y *exequatur,* aquí pero tienen un significado diverso y diversa relacion, refiriéndose la primera á la persona del proveido, y la segunda á las Bulas ú otras provisiones concedidas: de aquí es que todos los proveidos de beneficios tanto de patronato como de libre colacion, de cualquier modo que los hayan obtenido, ó de la santa Sede ó de los Ordinarios, aun dentro de los Estados, deben tener el *placet* antes de la posesion. Mas en cuanto á las provisiones é instituciones en los Beneficios, solamente deben presentarse al *exequatur* las que proceden de Roma ó de los Ordinarios existentes fuera del Estado.» Ita *Pratica Legale*, t. IX, p. 2.

An autem sint validi actus a canonice instituto in Beneficio exerciti, nondum capta possessione, hodie videtur negandum. Audiatur Canestri, *Giurisprudenza civile e canonica dei Parrochi del Piemonte*, tit. 1: «Cual sea la necesidad y eficacia de este acto de posesion, será útil el averiguarlo. Algunos la tienen por una pura y mera formalidad, de modo que el Párroco (ú otro beneficiado) no adquiere con esta mas de lo que adquirió en la institucion canónica. Pero debiéndose suponer, que la Iglesia nada prescribe inútil, debe tambien señalarse una necesidad y eficacia á este acto de posesion: 1 es cierto que solo por la data de este acto se computa el año, pasado el cual ya no se puede perjudicar al posesorio sin entablar antes el juicio petitorio; así como pasados tres años no puede inquietársele en uno ni otro juicio, á menos que el entrado hubiese sido simoniaco ó intruso, segun las sabidas reglas 35 y 36 de la Cancillería romana: 2 solo con el acto de posesion se adquiere derecho á los frutos devengados ó que han de devengar del Beneficio, principalmente en las provincias en las cuales hay el Economato regio apostólico, donde el Ecónomo general no envia la remocion de la mano regia y la remision de los frutos hasta despues de recibido el acto de posesion.

«Solo se duda de la jurisdiccion espiritual, que algunos creen conseguirse en toda su plenitud é integridad en el acto de la institucion canónica para

poderse desde luego ejercer válida y lícitamente. Mas yo digo que en el acto de dicha institucion se recibe la jurisdiccion en hábito de poderse reducir al acto válido y lícito, despues del acto de la posesion por las siguientes razones: 1 este acto de posesion ha sido introducido con el ejemplo de la investidura corporal, que recibian los vasallos de los feudos: y así como la jurisdiccion de estos empezaba precisamente por este segundo acto de posesion, así tambien la de los beneficiados: 2 la institucion canónica de los Párrocos se puede asemejar en todo á las Bulas de institucion canónica de los Obispos, en la cual cambiado el nombre de parroquias en Diócesis, casi se observan las mismas fórmulas. Y si bien se dice que el Obispo instituido tiene toda la jurisdiccion, excepto la del Órden, con todo la Sede siempre es vacante, y no puede ni válida ni lícitamente ejercer algun acto de jurisdiccion, antes de haber presentado las Bulas al Cabildo, y en virtud de esto tomado posesion corporal. (V. Lucio Ferrari en su *Biblioteca* en la palabra *Vicarius capitularis,* art. 1, n. 56). Así aunque se diga en el acto de la institucion canónica, que se confiere al Párroco aquel beneficio parroquial con sus derechos y otras cosas semejantes, se entiende pero que obtendrá el ejercicio lícito y sólido despues de haber tomado posesion: 3 solamente desde el dia de la posesion empiezan las obligaciones del Beneficiado, la mas comun de las cuales es el rezo del oficio divino....: y de la data de esta posesion solamente empieza la data de los dos meses, dentro los cuales, segun el Tridentino (*sess.* 24, *c.* 12 *de R.*) los Párrocos deben hacer la profesion de fe; por lo tanto solo desde dicho tiempo deben empezar los derechos, siendo el principal el ejercicio de la jurisdiccion y los derechos correlativos á las obligaciones: 4 debiéndose conferir las Parroquias solamente á aquellos que dentro el año pueden ser promovidos al Sacerdocio, segun una decision de la S. C. del Concilio 23 setiembre 1631, este año empieza desde la data de la posesion; así pues solo desde esta época empiezan las obligaciones y los derechos del Beneficio: 5 por último para dejar otras razones, segun nuestros Canonistas, el Beneficio se define: *un derecho perpétuo competente al Clérigo de percibir los frutos de bienes eclesiásticos anejos á un oficio eclesiástico legítimamente erigido del cual ha obtenido la colacion.* Se dice pues que entonces se posee el Beneficio, cuando se tiene derecho á los frutos; mas no se tiene derecho á los frutos, hasta tener la posesion: luego solo despues de la posesion se dice que se posee el Beneficio, y solo entonces se pueden ejercer los derechos.

(H) Pag. 592.

Patronus Ecclesiæ non privatur jure suo propter reædificationem illius, nisi Ecclesia sit omnino diruta, et ipse requisitus reædificare noluerit.—Ecclesia vel capella de jura patronatus non potest immutari vel alterari sine consensu patroni. *R. Rota* 23 *junii* 1673 *in Calaguritana.*

Patroni laici possunt facere compromissum super jura patronatus. *Cap. Examinata de confirmat. utili.*

Patronus laicus si donat jus patronatum Ecclesiæ, hic induit naturam Beneficii ecclesiastici. *Cap. Dilectus* 34.

Patroni plures si fuerint, non possunt unum de se præsentare. *Glossa hic.*

Patronus debet præsentare gratis et liberaliter; secus committit simoniam. *Cap. Ex insinuat.*

Præsentatio largo modo dicitur etiam electio. *Cap. Querelam* 24 *de elect.*

Patronus laicus potest mutare voluntatem antequam Episcopus confirmet præsentatum, et ita non habet præsentatus ex sola electione plenum jus. *Glossa* 1 *in cap. Dilectus de offi. deleg.*

Si patronus pupillus major septem annorum præsentet unum, et ejus tutor alium, præsentatus a pupillo præfertur. *Can. Decernimus*, 16, q. 7.

Patroni possunt convenire quod præsentent alternis vicibus. *Clement Plures.*

Patronorum filii licet abstineant ab hæreditate, non ideo perdunt jus patronatus. *Glossa* 1 *in cap. considerandum*, 16, q. 7.

Ex jure patronatus patronus non consequitur jus instituendi vel destituendi vel bona administrandi; sed solum jus præsentandi *Cap. Præterea.*

Noverint conditores Basilicarum in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere; *sed juxta Canonum* instituta, sicut Ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. *Cap. Noverint X, quæst.* 1.

Patronus laicus si duos successive præsentet, valet institutio secundi, non obstante appellatione per primum prius facta; Episcopus tamen qui malitiose primum repulit, tenetur eidem providere in Beneficio competenti. *Cap. pastoralis*, 29.

Adest etiam dispositio Clementis V (Clement. *Plures* de jurepatr.), qua statuitur ut ad obviandum discordiis, possint patroni inter se convenire de præsentando alternis vicibus, sive per turnum. Turnus porro non consummitur, quando omnes simul patroni præsentant; turnarius enim dicitur et est unicus patronus in suo turno. Obesse autem potest turnario casus fortuitus, uti contingeret quoties ipse aliquem præsentavisset, qui vel repentina morte correptus ab Ordinario institui non potuit, vel præsentationi (nondum facta institutione) renuntiavit. «Arbitror tunc (ait Berardi) turnarium rursum posse ad novam præsentationem devenire, quasi nulla fuerit acta præsentatio; cum idem sit non præsentare ac præsentare sine effectu, adeo ut novum tempus ad præsentandum concedi eidem debeat, uti in simili specie definitum est cap. 26, *de elect. in* 6.» De patronorum alternativa fuse Franc. Maria Pitonius, *De controversiis patronorum*, tom. I.

An (quæres) *patronus teneatur de suo Ecclesiam sui patronatus instaurare, dotem augere, si necesse sit et alia hujusmodi?* — R. Per se loquendo non videtur ad id teneri; neque enim fundator qui liberalis esse voluit Ecclesiæ, præsumi potest ullam sibi suisque successoribus in patronatum obligationem imponere voluisse ad novam dotem constituendam vel augendam, vel alias expensas faciendas. Diximus *per se loquendo;* nam teneretur primo si aliquam fructuum partem percipiat, pro rata; secundo si aliter Beneficium sustineri non possit et conservari, ut patet. Quæ exceptiones videntur conformes tum Tridentino, *sess.* 21, *cap.* 7 *de Ref.;* tum juri canonico, *cap.* 23 *de jurepatr.;* tum constitutioni Benedicti XIII, *Pius et misericors*, pro Italia anno 1724.

(I) Pag. 594.

Concilia Provincialia Mediolani habita obtinent in Novariensi Diœcesi usquedum novum provinciale Concilium in Vercellensi Provincia, cui ipsa unita fuit, celebretur, si excipias reservationes culparum, censurarum et pœnarum in illis statutas: ita S. C. Congregatio. Nec refert, ut dicunt, conventus Episcoporum Vercellis habitus anno 1849; vel enim hic non præsefert genuinam Concilii provincialis naturam sive in forma sive in re; ac ideo nonnisi improprie, ut provinciale habetur; vel in eo nulla omnino habetur anterioribus legibus facta derogatio, sed tantum quædam pauca, quæ faciunt et urgent in hac temporum calamitate, præscripta fuere. — *V.* Bouix, *Du Concile Provincial.*

En responsum S. C. C. cujus autographum est in Curia episcopali Novariensi: «Beatissime Pater, cardinalis Morozzo episcopus Novariensis, Sanctitatis Vestræ Orator eo quo decet obsequio exponit, in relatione status Ecclesiæ suæ data ad S. C. C. VII Kalend. martii anno 1825 postulasse, utrum decreta Conciliorum provincialium Mediolanensium vim habere deberent in Novariensi sua Ecclesia, etiamsi ipsa unacum Vercellensi Ecclesia, cujus Novariensis est suffraganea, prope illa tempora a Metropolitana Mediolanensi fuerit disjuncta. Huic postulationi respondit S. C.: *vigere illa decreta debere, usquedum Synodus in nova Metropolitana celebraretur;* et responsum hoc datum fuit die 26 jan. 1828.

«Ex tunc cardinalis Episcopus orator tenuit et docuit declarationem S. Congregationis; ast quoniam in sua Synodo Diœcesana de anno 1826 cap. *de Sacram. Pœnitentiæ*, pag. 116 sancivit, exemplo vercellensis Metropolitanæ quodam decreto suo diei 30 sept. 1822 cessare quascumque reservationes culparum atque pœnarum a Conciliis provincialibus Mediolanensibus statutarum, ne conscientiæ illaqueantur, et Confessarii aliqua anxietate laborent, obsecrat humiliter Sanctitatem Vestram, ut Synodale hujusmodi judicium pro sua Diœcesi, imo et pro tota Provincia, si placebit, probare et confirmare dignetur.

«Die 14 aug. 1837 SS. D. N. audita relatione infrascripti Secretarii S. C. C., eminentissimi D. cardinalis episcopi Oratoris precibus annuens, petitam sanctionem et confirmationem enunciati Decreti Synodalis pro tota Provincia benigne impertitus est. Mandavit autem ipsa Sanctitas Sua, ut idem emin. Episcopus curet notificationem hujusmodi Indulti singulis Provinciæ Ordinariis.

«Signat. St. Carolus Rivarola *Pro Præf.*
«Subscript. H. Alexii De-Castellis *Secret.*»

(J) Pag. 597.

En reservationes et affectiones præcipuæ:

Ac *primo:* pluribus in casibus Beneficia romano Pontifici reservantur: 1 si ea vacent apud Sedem apostolicam, vel in Curia romana, si Sedes pontifi-

cia non sit vacans. Non sufficit autem ut quis Romæ degat ratione originis vel domicilii, nisi etiam Curialis sit, et etiam ibi ratione dictæ Curiæ existat: dicuntur vero Curiales ad hunc effectum qui Papæ vel Cardinalibus vel Prælatis aut aliis Officialibus romanæ Curiæ inserviunt. Dicitur etiam vacare in Curia sive Beneficiatus Romæ moriatur sive extra per duas dietas, id est spatium 40 milliarium italicorum, seu per iter duorum dierum *(cap 2 et* 34 *de præben. in* 6: ubi notandum cum Rigantio, aliud esse, proprie loquendo, vacare *in Curia*, aliud *apud Sedem;* vacatio in Curia est nomen generale quod sub se continet duas species et vacationem per obitum naturalem quæ est vacatio *apud Sedem;* et vacationem per obitum civilem, v. g. privationem, promotionem, etc.). Item Beneficia familiarium et continuorum commensalium Papæ aut Cardinalium, dummodo ab illis obtenta tempore famulatus hujusmodi; — 2 si vacent per promotionem Titularis ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum et Monasteriorum regimina, etiamsi promoto a summo Pontifice indultum sit retinendi Beneficium: quo in casu vacat post ejus mortem *(Extravag. Ad regimen;* et *Regula I Cancell.);*— 3 si vacent, dum Sedis episcopalis Diœcesis, in qua existunt, est viduata Pastore, nisi illa sint patronatus *(Pius V, Bulla, Sanctissimus);* — 4 si vacent per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum Apost. auctoritate provisorum, nisi fuerint resignata vel remissa ante postulationem Bullarum de provisione novi Beneficii *(Extravagans Ad regimen);* — 5 si Beneficia sint dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus aut Patriarchalibus, et principales in Collegiatis (*Reg.* 4 *Cancell.:* hæc reservatio plerisque in regionibus sic temperata est pro Concordato, ut nominet Princeps, confirmet et consecret Pontifex: Bullæ adhuc requiruntur; quoad nos vid. *Conventiones* 25 *oct.* 1726, 5 *jan.* 1741 *etc.;* quoad Austriam *V. Concordatum* 25 *sept.* 1855, *art.* 22 *et seqq.; V.* Schoeler, *Concordata Germaniæ);* — 6 si vacent ob crimen hæresis patratum a possessore *(Pius V. Bulla, Cum);* vel ob delictum ejus, qui offendit litigantes in Curia romana *(Alexander VI, Bulla, In eminenti);* vel quia unus pro alio examini se subjecit; aut quia illi qui spoliantur eisdem, impetrarunt Beneficia pro aliis intentione simoniaca, ut scilicet ab ea obtinentes aliquid reciperent; aut quia spoliatus Beneficium impetravit eo animo ut illud postea resignet *(Paulus IV, Bulla, Inter cæteras);* — 7 si collata fuerint contra dispositionem Concilii Tridentini; vel vacent ob non factam publicationem *(Pius V, Bulla, In conferendis; Gregorius XIII, Bulla, Humano);* — 8 si Beneficio libere renuntiato, renuntians intra dies viginti a facta renuntiatione moriatur et dicitur regula *de viginti;* item est si Beneficium cum cura animarum sit collatum ei qui non intelligat nec intelligibiliter loqui sciat idioma loci Beneficii, et dicitur regula *de idiomate;* item si provisio Beneficii sit facta ante verisimilem notitiam obitus prioris Beneficiati, et dicitur regula *de verisimili notitia (Reg.* 19, 20 *et* 30 *Cancell.);* — 9 reservantur cuncta Beneficia quæ vacant mensibus januarii, februarii, aprilis, maji, julii, augusti, octobris et novembris *(Reg.* 9 *Cancell.:* excipiuntur tamen Beneficia quæ vacant, licet in dictis mensibus, per renuntiationem in manibus Ordinarii, vel per permu-

tationem; item apud nos ex peculiari Sabaudiæ consuetudine omnia Beneficia simplicia: vid. Marenco). Si tamen Episcopo concedatur alternativa, tunc februarius, aprilis, junius, augustus, october et december assignantur ipsi Episcopo; cæteri menses S. Pontifici. Alternativa conceditur tantum ad vitam concedentis Pontificis et quidem sub expressa conditione, ut Episcopus *vere et personaliter* resideat in Diœcesi; unde si quando vacat Beneficium, non sit in Diœcesi, eo privilegio non gaudet (cui privilegio sine Pontificis venia nequit amplius renuntiare). Attamen conditio residentiæ non afficit Beneficia vacantia mensibus junii et decembris; nam alternativa etiam seposita (ut dicunt Garcias et Marenco, et praxis probat), menses isti sunt Episcopales, quæ ideo censentur retinere propriam qualitatem. Illud quoque receptum est a Rota, ut si Episcopus initio mensium unice papalium absit, nequeat Beneficium conferre, licet tempore vacationis in Diœcesi moraretur. Item Episcopus pro iis solum Beneficiis alternativa gaudet, quæ ad liberam ipsius dumtaxat collationem pertinent.

Secundo: Beneficia dicuntur affecta: — 1 Si Papa det Beneficium in Commendam; nam in ea appositione manus Papæ illud Beneficium affectum remanet, et solus Papa de eo providere debet: idem est in unione facta de Beneficio ad vitam alicujus *(Rota, par.* 4, *t.* 1, *decis.* 70*)*; — 2 si Papa concedit alicui mandatum de providendo de certo Beneficio etiam ante vacationem *(Extravag. ad R. Pontificis providentiam* 14 *de privil.)*; — 3 ex Decreto per Papam apposito de Beneficio dimittendo in manibus Papæ *(Rota, decis.* 14 *de rerum permut.)*; — 4 si Papa jure præventionis contulit Beneficium, et collatio non teneat ex aliquo defectu impetrantis, vel alias collatio sit inutilis, tamen ex quo Papa manus apposuit, Ordinarii manus remanserunt ligatæ; idem est si collatio sit facta absenti, qui ante acceptationem decedat *(Gonzales ad reg.* 8 *Cancell.; et Rota, p.* 2, *dec.* 401); — 5 si resignatio Beneficii fiat in manibus Papæ; vel si Papa electoribus Beneficii mandet, ne ad electionem procedant *(Rota, p.* 5, *tom.* 1, *decis.* 34, *et cap. si eo tempore* 45 *de electionib.* in 6); — 6 si electus renunciet juri ad rem sibi quæsitam ex electione, in manibus Papæ, qui eamdem renuntiationem admittat; — 7 si Papa post electionem ante confirmationem manum apposuit in aliquo actu concernente validitatem electionis, tunc dicitur affecta confirmatio; — 8 si Papa per suum rescriptum mandet quod talis Beneficio privetur obtento; nam secuta privatione, Beneficium affectum remanet; — 9 habens collationem a Papa de Beneficio, si postea etiam ab Ordinario de eodem Beneficio collationem recipiat, cadit a jure quæsito ex dicta collatione Papæ, ut ingratus, et collatio Ordinarii tamquam de Beneficio affecto est invalida. Item habens collationem a Papa, si egeat aliqua dispensatione, non potest Episcopus cum eo quoad dictum Beneficium sic affectum dispensare, quamvis alias posset; — 10 si quis fuerit provisus de Beneficio a Papa, quod sit incompatibile cum primo, hoc primum remanet affectum per secundi Beneficii collationem (dicitur autem tunc vacare *per risulta)*.

Prædicta tamen limitantur, ac:—1 affectio non procedit, quando Beneficium ad effectum provisionis non vacat: uti si Beneficium alicui fuit collatum qui nondum acceptavit, nam si interim Papa alii conferat non erit af-

fectum: sed si primus collatarius noluerit acceptare, vel cedat juri suo aut decedat, potest Ordinarius illud conferre;—2 si Papa manum apposuit ad Beneficium vacaturum certo modo, puta per privationem; nam si Beneficium alio modo vacaverit non erit affectum, quia appositio manuum fuit conditionalis, et deficiente conditione, non operatur;—3 quando Papa apponit manum super Beneficio resignato, et resignatio non tenet, vel quia verus valor non fuit expressus, vel alia de causa; quia Papa non censetur manum apposuisse nisi ad effectum ut resignatio sequatur;—4 cum Papa providet de Beneficio uti reservato, quod tamen reservatum non est. (*V.* Rigantius, *In Regul. Canc.*—Gonzales, Garcias, etc.; item Ferraris, *Bibl. Canon.* V. Beneficium, *art.* 8 *et* 9.—*Pratica Legale,* t. IX, p. 2.ª pro Sabaudia).

TRACTATUS DUODECIMUS

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

Tractatum in sex disputationes dividimus: 1 erit de Matrimonii natura ac proprietatibus; 2 de illius præparatione, seu de sponsalibus; 3 de impedimentis, eorumque dispensatione; 4 de illius celebratione; 5 de effectibus; 6 de disolutione.—Divisionis ratio explanatur: 1 supponimus Parochum recens institutum, qui Matrimonium primo sit celebraturus. Ante omnia oportebit, ut bene perspectam habeat naturam Sacramenti; 2 sequitur, ut omnia ad illud celebrandum præparentur: quare de sponsalibus disserendum, quæ sunt præparatio ad illud; 3 ad præparationem etiam pertinet, ut inspiciatur an aliquod adsit impedimentum, ut tolli possit; 4 si nullum sit impedimentum, vel quod aderat sublatum, restat ut ad celebrationem progrediatur; 5 matrimonium rite celebratum effectus quosdam producit, quos Parochus debet agnoscere, ut officiis suis satisfaciat; 6 evenire poterit, ut matrimonii quæratur solutio; sciat ergo Parochus causas dissolutionis.

DISPUTATIO PRIMA

DE MATRIMONII NATURA, DIVISIONE, PROPRIETATIBUS.

CAPUT PRIMUM

DE MATRIMONII NATURA AC DIVISIONE.

Q. 1. *Unde matrimonii nomen?*

R. Matrimonii nomen *a matris munere* ductum est. A matre potius, quam a patre hæc conjunctio appellata fuit: *propter quod* (infans), ait Gregorius IX, *magis materno indiget solatio, quam paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur* (1). Dicitur etiam *conjugium*, quasi *junctio duorum sub uno eodemque jugo*, ad onera nempe matrimonii ferenda. Item *connubium* a verbo *nubo* aut *velo*; quia olim sponsæ actu, quo viris tradebantur, velo quasi nube caput sibi tegebant in signum

(1) *Decr.* Greg. l. III, t. XXXIII: De Convers. infid. c. 2. — Liguori, *Opus Morale*, l. VI, n. 879.

tum verecundiæ et subjectionis, tum obedientiæ et humilitatis. Item *consortium;* quia vir et mulier communem habent sortem et societatem.

Matrimonium considerari potest: 1 prout est contractus naturalis, sive prout est in officium naturæ ad humani generis propagationem et conservationem ordinatus; 2 prout est contractus civilis ad Reipublicæ pacem et perennitatem institutus, juxta proprias cujusque Regni ac Provinciæ leges; 3 prout est Sacramentum novæ Legis ad Dei gratiam conjugibus impertiendam, qua possint tum fidem conjugalem inviolate servare, et communia conjugii onera patienter ferre; tum prolem pie educare, et concupiscentiæ etiam salutariter mederi.

Q. 2. *Quomodo matrimonium definitur?*

R. Si matrimonium accipitur ut contractus naturalis ac civilis, recte definitur cum Catechismo R.: *viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur: 1 *conjunctio*, id est unio duorum; 2 *maritalis*, ut distinguatur ab aliis personarum conjunctionibus, quæ fieri possunt; 3 *inter legitimas personas*, quæ nempe nulla lege impediantur a matrimonio contrahendo; 4 *individuam vitæ consuetudinem retinens,* id est societatem perpetuam et indissolubilem: in quo matrimonium a cæteris contractibus differt; cum isti mutuo contrahentium consensu dissolvi queant, matrimonium non ita.—Si vero accipiatur ut Sacramentum, prout a Christianis semper debet accipi, tunc matrimonium communiter definitur: *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum, quo vir et mulier baptizati sibi mutuo et legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ et remedium concupiscentiæ* (1).

In quonam (quæres) *matrimonii essentia sita est?*—R. Si matrimonium consideretur actu, quo initur, seu *in fieri*, ejus essentia sita est in mutua pactione, qua sponsi, consensu dato et acceptato, inter se perpetuo jungantur, ac legitimam sibi faciunt corporum potestatem. Sane etiam alii contractus in ea pactione consistunt, qua partes se ad aliquid obligant. Hinc ajebat Chrysostomus *matrimonium non facit coitus, sed voluntas* (2). Si vero matrimonium consideretur prout jam initum est, seu *in esse*, tunc ejus essentia

(1) Audiatur *Stapf*, § 474: *postquam Christus conjugium Sacramentis novæ Legis inseruit, hæc numquam separare licet. Insuper tum ipsius naturæ humanæ dignitas, tum sanctitas conjugii misere pessumdatur, si matrimonium* pro mero contractu *accipitur. Hic non de rebus arbitrariæ hominum dispositioni relictis, sed de personis agitur, quæ totæ quantæ in jure Dei existunt, et in præsenti causa nonnisi juxta ipsius voluntatem de semetipsis disponere possunt* (Cf. H. *Klee*). Quamquam dici etiam a nobis potest contractus *civilis*, non quia per se et in natura sua inter Catholicos stare vel accipi possit sejunctim a Sacramento, vel quia substantialiter subsit potestati *civili*, sed quia celebratur ab homine in societate *civili*, quia ordinatur ex multiplici capite ad bonum etiam *civile;* quia denique multos effectus etiam *civiles* producit. Ad rem cl. conte delle Motta, *Teoria dell' istituz. del matrimonio e delle guerra moltiforme cui soggiace.* Torino 1853, pref. p. XVIII: «Que en el matrimonio hay un contrato que tiene relacion con los efectos de las leyes civiles, nadie lo niega; pero que el matrimonio sea, con respeto á la relacion á las leyes civiles, un contrato y nada mas, esto es falso aun en el terreno de la razon; porque además de ser un acto religioso, es entre los cristianos un Sacramento, es un estado permanente y no un lazo convencional; sus relaciones con la ley civil nacen de su esencia y no viceversa.»

(2) Chrysostomus, vel auctor *Operis imperf.* Hom. XXXII *in Matth.*

consistit in vinculo *quod ex ea pactione efficitur*, ut ait Catechismus romanus; hoc enim vinculum est naturalis et legitimus illius pactionis effectus et ratio: non consistit ergo matrimonium in ejus usu; nam usus non tribuit jus, sed illud supponit jam tributum.

Q. 3. *Quomodo dividitur matrimonium?*

R. Matrimonium dividitur in legitimum seu verum, in ratum et in consummatum. *Legitimum* est quod contrahitur solo legitimo consensu juxta legem naturalem: tale est matrimonium initum inter infideles. *Ratum* est quod contrahitur inter fideles nullo impedimento sive naturali sive ecclesiastico irretitos: tale est matrimonium initum inter baptizatos. Dicitur *ratum;* quia non solum natura, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet. *Consummatum* tunc dicitur, quando jam copula carnalis subsecuta fuerit.

ARTICULUS I — De consensu ad matrimonium.

Q. 1. *An ad matrimonium requiratur consensus?*

R. Ad matrimonii naturam necessario requiritur verus consensus, sive illud spectetur in ratione contractus, sive in ratione Sacramenti. Et 1 in ratione *contractus:* quid est contractus? mutua partium conventio: verum hæc sine consensu nequit concipi; 2 in ratione *Sacramenti:* nam Sacramentum matrimonii est ipse contractus evectus a Christo ad dignitatem Sacramenti; sed ad valorem contractus requiritur consensus, ergo et ad valorem Sacramenti.

Consensus ad matrimonium requisitus oportet, ut sit: 1 *de præsenti;* quia si esset de futuro, non traditionem, sed tantummodo traditionis ipsius promissionem contineret; 2 *interior* et *liber*. Interior, nam consensus est actus voluntatis, qui non potest esse, nisi interior. Liber, nam matrimonium est vinculum voluntatis, electionis atque amoris, quod sine libertate nullimode concipi potest (1); 3 *exterior*, debet enim acceptari ab altera parte: sed quomodo acceptari poterit, si exterius aliquo modo satis certo non se prodat? 4 *expressus per verba*; est enim ordinarius modus consensum nostrum manifestandi ab Ecclesia præscriptus. Attamen verba non sunt de necessitate Sacramenti, cum revera consensus aliter dari possit, et etiam muti et surdi contrahere valeant; sed ex recepta consuetudine sunt usurpanda: a qua sine causa rationabili non licet recedere, quæque probabilius obligat saltem sub veniali (2); 5 *reciprocus;* ad matrimonium enim requiritur mutua corpo-

(1) Tridentinum, *sess.* 24, *c.* 9, in dominos temporales ac magistratus tulit excommunicationem latam, *si quovis modo vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.* Hanc verius non incurrunt parentes, quia Concilium loquitur tantum de dominis et magistratibus; neque probabilius illam incurrunt impedientes, nam a Concilio ea lata est tantum in cogentes.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 849. « Es nula la promesa de una suma pagadera á un individuo en el caso en que para su curacion tenga lugar un matrimonio (esto cuando no se trata de reembolsar los gastos, ó de la simple retribucion de curacion de un mandatorio; sino de una estipulacion enteramente subordinada al proyecto del matrimonio). Este pacto, como contrario á la libertad del matrimonio, reconoce una causa ilícita, y contraria al órden público y á las buenas costumbres. » (Sentenza della Corte d' Appello di Torino, 29 luglio 1856.)

(2) Quando autem causa adest, *tum nutus et signa quæ intimum consensum aperte indicant* (inquit Catechismum R.), *satis ad matrimonium esse possunt; tum etiam ipsa taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet: sed pro ea parentes loquuntur.*— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 887, etc.

rum traditio; atqui hæc esse non potest sine consensu reciproco. Donatio autem annuli, vel traductio sponsæ per se non habent vim significandi verum et proprie dictum voluntatis consensum; cum stare possint etiam cum voluntate contraria, vel diversa. Aliter tamen esset, si ex consuetudine locorum per ea signa soleret exprimi verus consensus; tunc enim recte præsumitur.

Q. 2. *Quid de eo qui matrimonio ficte consensit?*

R. Qui matrimonio fictum dedit consensum, peccavit mortaliter tum contra *veritatem* mentiendo in re adeo gravi; tum contra *Religionem* violando sanctitatem Sacramenti; tum contra *charitatem* decipiendo proximum in re magni momenti; tum contra *justitiam* alium decipiendo in re mutuo promissa. In hoc consentiunt omnes.

Sed quæstio est: *an teneatur præstare verum consensum; et sic emendare fraudem?*—Affirmant Concina, Palaus, Roncaglia et Salmanticenses; nam cum una pars jam corpus suum tradidit per verum consensum, tenetur et altera pars, ut æqualitatem servet, tradere etiam corpus suum per verum consensum. Et valet quamvis adsit disparitas conditionis; modo tamen ea tanta non sit, ut debuerit mulier colligere fictionem. Sed alii cum Henriquez, Hurtado, Navarro et Sanchez sic distinguunt: vel aliter reparari nequeunt damna ex illa fraude alteri illata; vel aliter possunt reparari. Si 1, tenetur qui ficte consensit, verum consensum præstare; quia damna compensare tenetur, et hæc non possunt compensari alio modo ex hypothesi. Si 2 (reparatis damnis) non tenetur; nam contractus matrimonii nequit claudicare, quia est etiam Sacramentum: et ideo vel est confectum absolute, vel nullimode: unde quando unus ficte consensit, nulla adest traditio alterius; et idcirco nulla remanet inæqualitas reparanda per præstationem consensus veri. Sane uterque est æqualiter liber ineundi alias nuptias (1).

Q. 3. *Quid sentiendum de consensu conditionato in matrimonio* (2)?

R. 1: Si conditio apposita matrimonio sit de præterito et extiterit; aut de præsenti et extet, quæcumque sit, valet matrimonium (et matrimonio contrahentes possunt etiam licite uti, dummodo verificatio conditionis ipsis innotescat); ratio quia consensus suspensus non est (3). Et valet licet conditio illa sit turpis: v. g. si quis dicat: *te duco, si fornicasti: te duco, si odio habes Titium.*

2. Valet matrimonium, si ejus conditio sit de futuro necessario: v. g. *te duco, si crastina die sol orietur;* jam enim conditio illa est præsens et determinata in sua causa naturali (4). Excipe nisi contrahentes conditionem illam

(1) Cæterum parti affirmanti se *ficte* matrimonio consensisse, in foro externo non creditur; alioquin nullus contractus firmus esset, si fictionis prætextu resilire liceret: occasio etiam præberetur a veris matrimoniis ad alia irrita convolandi. Et hac ratione, neutra pars in foro externo auditur, etsi uterque juret, se ficte consensisse. Unde in praxi qui ficte consensit, tenetur vere consentire: secus non satis damnum repararet; cum semel publice celebrato matrimonio, parti deceptæ non amplius permittatur alteri nubere. Ita *c.* 5 *de eo qui.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 908.

Item notandum, compartem non teneri credere alteri parti asserenti se ficte matrimonio consensisse, etsi jurejurando id affirmaret, ideoque licite posse conjugale debitum petere; nullam siquidem promeretur fidem qui inficiatur quod solemniter professus est, ni contrarium evidenter probet. Ita S. C. C. *in Novariensi*, 24 febr. 1720.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 887 et seqq. — *Hom. Ap.* tr. XVIII, n. 33.

(3) L. X, ff. *de cond. inst.*

(4) L. 9, § 1, ff. *de novat.*

revera uti contingentem reputent, tunc matrimonium suspenditur usque ad eventum; nam matrimonium omne ex contrahentium consensu pendet. Idem est, si per ea verba intendant suspendere tantisper, nempe usque ad crastinum matrimonium celebrandum: tunc nonnisi purificata conditione illa, valebit matrimonium. Iterum valet si ejus conditio sit de futuro impossibili, v. g. *te duco, si digito cœlum tetigero;* habetur enim ea ex communi acceptione ac jure pro non adjecta (1); cum nemo censeatur in re tanti momenti velle illudere.

3. Si conditio sit de futuro contingenti, nullum est matrimonium, si serio ponatur, et matrimonii substantialibus adversetur: ut si quis dicat: *contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas* (2): talis enim consensus non est conjugalis; quia bono Sacramenti, fidei et prolis adversatur.—Si vero substantialibus matrimonii non adversetur, videndum est, utrum conditio sit turpis an honesta. Si 1, v. g. si dicas: *contraho tecum, modo victum furto compares,* in foro externo habetur pro non adjecta; ideo matrimonium non dirimit (3): neque enim supponitur velle quis alium ad peccatum obligare. Si 2, certum est matrimonium non valere tempore, quo sic contrahitur; cum voluntas futuræ conditioni alligetur: esset si quis dicat: *contraho tecum, si parentes consenserint* (4).

Quid (dices) *si conditio sit:* contraho tecum, si pater meus consentiat; *et pater sit mortuus tempore illius conditionis?*—Si ille qui ita contrahit, jam scit mortuum patrem, commune est valere matrimonium: et illa conditio habetur pro non adjecta, uti impossibilis. Imo si sic contrahens mortem ignoraverit, Sanchez docet probabilius adhuc valere matrimonium; quia conditio sic intelligitur, ne contra voluntatem patris contrahatur: quod jam, patre defuncto, verificatur.

Quid (addes) *si matrimonium contrahatur cum pacto servandi perpetuam castitatem?*—Multi cum Alasia docent pactum illud excludere jus radicale utendi matrimonii, proinde ejus essentiam lædere, ac illud nullum facere. Alii vero plures cum Collet, et quidem probabilius ex Bouvier, id negant; nam potestas bene separari potest ab usu: ideo hunc excludere non est illam de-

(1) C. ult. *de cond. apposit.* Attamen advertendum hoc valere pro foro externo; nam pro interno, si hæc conditio serio ponatur, cum tollat consensum, nullum reddit matrimonium; qui tamen ita ageret, in foro externo non audiretur, et merito; secus actum esset de matrimonii firmitate.

(2) C. ult *de cond. appositis.* — *V.* Schulte. *Del diritto matrimoniale.*

(3) C. ult. *de cond. app.* In foro tamen interno, si sponsi vere non intenderent consentire sine tali conditione, matrimonium etiam esset invalidum; in dubio autem debet judicari in favorem illius.

(4) Verificata conditione, an novus requiratur consensus, alii cum Concina, Gonet, Soto, et Suarez affirmant: favet D. Thomas *(Suppl. q. 47, a 5)*; nam matrimonium etiam Sacramentum est, cujus valor suspendi nequit; sed statim vel numquam obtinet. Alii vero cum Coninchio, Laymano, Palao, Roncaglia, Salmanticensibus negant: quia matrimonium licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractus, a quo ejus norma sumenda est. Hæc secunda sententia videtur probabilior: sed quia prima est etiam fundata in praxi, expedit eam sequi. Item videtur novum requiri consensum, si sponsi impediti contraxerint sub conditione: *si cessabit impedimentum*; nam consensus tempore impedimenti dirimentis possitus, probabilior non videtur satis validus. Ita refert Zacharias declaratum fuisse a S. C. C. *(In adnot. ad Croix).* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 892 et seqq.

struere. Sane sola potestas copulæ est de matrimonii essentia, non vero illius usus. Quia tamen hæ vel similes conditiones ambiguæ esse solent; ideo ex Billuart videndum, quid intendant contrahentes, an denegare jus, an vero dumtaxat usum ligare. Hinc S. C. Congregatio interrogata circa duos, qui contraxerunt sub pacto expresso numquam consummandi, juri renuntiantes in corpora, respondit invalide contraxisse, quia etiam potentiam sic excluserunt (1).

Quid (quæres) *de matrimonio inito sub modo, causa ac demonstratione?* Modus est quasi adjectio oneris ad quod volumus obligare contrahentem, ut v. g. *contraho tecum, ut tuam nobilitatem consequar, ut tuas divitias habeam;* causa est, cum denotatur ratio ob quam contrahitur, ut v. g. *contraho tecum, quia es virgo, es pulchra;* demonstratio est quoties significatur aliqua qualitas in contrahente, v. g. *contraho tecum, quæ es dives, quæ pia es.* Porro si demonstratio et causa non apponantur uti veræ conditiones, non vitant matrimonium, licet sint turpes, falsæ, contrariæ substantiæ matrimonii, nam proprie ad substantiam contractus non pertinent, sed sunt quædam ipsi contractui superaddita. Item dicendum est de modo, nam consensus non pendet a modo sicut pendet a conditione: unde valet matrimonium, si dicatur: *duco te ut mihi inservias, ut Titium occidas* etc.; attamen probabilius excipiunt, si modus sit contra substantialia matrimonii, ut si dicas: *duco te, ut adulterium facias, modo sumas medicamina sterilitatis,* etc.; nam non videtur habere animum contrahendi qui intentionem gerit contractui oppositam; et hoc ideo magis, quia tunc modus videtur in conditionem resolvi (2).

Q. 4. *An ad matrimonia filiorum-familias præter consensum proprium requiratur etiam consensus parentum?*

R. Consensus parentum non requiritur ad validitatem; requiritur tamen ad licitatem.—*Primo* non requiritur ad validitatem: quod de fide est contra Lutheranos et Calvinistas; nam Tridentinum *eos anathemate damnat, qui*

(1) Hic maxime notanda sunt: — 1 Si antequam verificetur conditio, unus dissentiat, matrimonium nullum est, etiam verificata conditione; quia non haberetur consensus reciprocus tempore contractus: neque illum tunc supplet Ecclesia;—2 si duo sint celebrata matrimonia conditionata, illud valet, cujus conditio prius verificatur, licet sit posterius initum: quia prius absolutum evadit: quod si eodem tempore utriusque matrimonii conditio verificetur, neutrum valet; quia est incertum utrumque, et unum alterum impedit;—3 matrimonia conditionata numquam a Parocho admittenda sunt absque urgentissima causa, tum propter plurima inconvenientia, quæ ocurrere possunt circa eorum validitatem; tum quia Sacramentum conficere sub conditione extra casum necessitatis est omnino prohibitum. « La celebracion de un matrimonio condicionado, *ait Schulte,* depende del permiso del Obispo (*extra casum tamen impellentis necessitatis, quæ moram non patiatur, ut si agatur de contrahendo cum moribundo ad legitimandam prolem, casu quo dubium sit de morte prioris conjugis*) sin el cual ningun Párroco puede lícitamente asistir, aunque por esto seria válido el acto. El Parroco deberá dar aviso á la Autoridad episcopal, y hasta su decision abstenerse de asistir sin duda alguna, aun de las proclamas...Esto proviene de que no pertenece al Párroco separarse de la observancia de la forma ordinaria.»—4 ante conditionis verificationem nefas est matrimonio uti, sive conditio illa sit de futuro, quia tunc matrimonium nondum existit; sive sit de præsenti vel præterito, quia tunc, illud est dubium. At si sponsi nihilominus ad illius usum procederent, matrimonium absolutum evaderet; sic enim censetur conjuges renuntiasse conditioni illi. Excipe nisi positive aliud constiterit: sic refert Concina fuisse a S. C. C. declaratum. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.* l. XIII, c. 22.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 896; et dicenda ubi de impedim. *conditionis.*

falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse; et parentes ea rata vel irrita facere posse (1). Sane in talibus matrimoniis habetur id omne, quod ad eorum substantiam requiritur: hinc quidquid fuerit de antiquis quibusdam legibus aliter statuentibus, illæ vel non amplius hodie possunt recipi, vel respiciunt civiles dumtaxat effectus.

Secundo requiritur parentum consensus ad licitatem, adeo ut filii-familias, qui sine parentum consensu contrahunt, *nisi adsit causa,* peccent gravissime ex communiori sententia. Sane honor et reverentia parentibus debita expostulat, ne filii absque ipsorum consilio tam grave ac perpetuum negotium ineant; cum in eo illi experientia edocti sint, ac generatim valeant auxilium ipsis præstare opportunum (2). Hinc Tridentinum de matrimoniis alloquens sine hoc consensu a filiis celebratis ait: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est et prohibuit.* Merito ergo omnes Diœcesanæ Synodi (ut Novariensis) præcipiunt, ne hujusmodi conjugiis assistat Parochus (3): tanto magis, quia Codices civiles graviter quoad effectus suos animadvertunt in contravenientes sponsos. Diximus *nisi adsit causa;* justa enim interveniente causa, nulli dubium est licere filiis matrimonium inire, insciis etiam, vel invitis parentibus. Esset si filius in remotis terris versetur, et ei offeratur matrimonium honestum et valde utile, quod ob graves circumstantias sit ineundum, neque possit expectari parentum consensus: vel si parentes essent irrationabiliter inviti.

Sed (quæres) *quid si pater rogatus taceat?*—Si conjectura sit talis, quod taceat, quia dissentit: v. g. si taceat, ne displiceat domino vel amico, tunc taciturnitas illa habenda erit pro expresso dissensu. Secus si conjectura sit, quod ideo taceat; quia sibi matrimonium non displicet. In dubio communius taciturnitas pro consensu existimatur; nam *qui tacet, consentire censetur,* maxime cum possit dissentire: et melius aliunde est judicare in favorem matrimonii.

An (quæres) *filii debeant obedire parentibus, qui ipsis matrimonium præcipiunt?*—Audiatur Angelicus: *pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis; sed potest eum inducere ex rationabili causa. Et tunc sicuti se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris; ut si illa causa cogat de necessitate vel de honestate, et præceptum similiter cogat* (4). Hinc non facit contra virtutem pietatis, si filius non obediat; quia vult meliorem statum eligere: quia aliis sponsalibus obstrictus est; quia nimis a tali muliere abhorret. Nam nemo tenetur meliorem statum negligere, vel potest datam fidem violare, vel debet ex solo charitatis motivo se obligare ad perpetuo convivendum cum muliere, quam nota-

(1) Sess. 24, cap. 1 de R. matr. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. I, n. 37. — Cosci protonot. apost. *De sponsalibus filiorum-familias,* vota decisiva etc. Romæ. — Muscettola, *Dissertatio theologico-legalis de sponsalibus et matrimoniis quæ a filiis familias contrahuntur, parentibus insciis vel juste invitis* etc. Romæ 1766.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 849, ubi quatuor sententias erudite exponit.

(3) Pag. 150, § 9. Imo ex eadem Novariensi Synodo, licet parentes sint irrationabiliter inviti, a Parocho nihil, inconsulto Episcopo, est resolvendum.

(4) In 4. d. 29, q. 1, a. 4. Pro nostra Hispania vide infra *appen.* ubi fuse circa hujusmodi pœnas variæ dispositiones in medium adducentur. N. E.

biliter horret. Hæc si non interveniant, ex pietate teneretur filius patri obedire matrimonium contrahendo; uti si inde gravis inimicitia esset dirimenda vel pauperies auferenda.

Q. 5. *Quisnam esse debet matrimonii finis?*

R. Triplex generatim recensetur finis, seu causa cur vir et mulier maritaliter contrahere debent: 1 est prolis susceptio juxta illud: *crescite et multiplicamini* (1); 2 mutuum vitæ adjutorium juxta illud: *non est bonum homini esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi* (2); 3 concupiscentiæ refrænatio juxta illud: *si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri* (3). Prolis susceptio est finis primarius intrinsecus accidentalis; concupiscentiæ autem refrænatio est finis secundarius, adhuc tamen intrinsecus et accidentalis, qui cæteris causis accessit tantum post corruptam hominis naturam; mutuum vero vitæ adjutorium, an sit finis primarius vel secundarius, disputant. Dicuntur 1 *fines intrinseci* ad exclusionem illorum, qui non sunt inclusi in institutione matrimonii et ideo extrinseci sunt, uti esset pax familiarum, divitiarum consecutio; 2 *fines accidentales*, cum non pertineant ad matrimonii essentiam; unde si quis hos fines non intenderet, non solum valide, sed et licite posset quandoque contrahere, prout si esset senex et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiæ, neque adjutorium; sufficit enim ad matrimonium, ut salventur fines intrinseci essentiales, seu matrimonii ipsius essentia, quæ quidem consistit in mutua corporum traditione quoad debitum et in vinculo indissolubili: et sic contraxerunt Beata Virgo et S. Joseph.

Quæres: *an remedium concupiscentiæ sit de se finis honestus ad contrahendum, seu an fas sit matrimonium inire ad solam vitandam fornicationem?* —R. Concina, Natalis Alexander, Navarrus, aliique cum divo Thoma putant contrahere principaliter in remedium concupiscentiæ esse veniale; nam licet remedium concupiscentiæ sit etiam finis honestus et intrinsecus matrimonii, est tamen secundarius; cum finis primarius sit procreatio prolis: ergo agit cum aliqua rationis inordinatione qui finem secundarium eligit præ fine primario. Sed Cajetanus, Croix, Holzman, Roncaglia, Salmanticenses cum Catechismo R. et Ss. Bonaventura et Antonino non minus communiter, neque minus probabiliter docent, nullum in hoc ne veniale quidem adesse peccatum, modo contrahens non excludat expresse finem procreandæ prolis. Et quod dicunt de sponsis, idem asserunt de conjugibus, qui copulam habent principaliter ad concupiscentiam propriam sedandam: neque ideo deordinatio est; nam deordinatio quidem est, si finis primarius dirigatur ad secundarium; non tamen si ex duobus finibus æque per se licitis et honestis eligatur secundarius præ ipso primario, dummodo hic minime excludatur. Ratio autem est, quia matrimonium a Deo institutum est etiam in remedium concupiscentiæ, teste Apostolo: *propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat* (4). Quæ verba non sunt intelligenda de amovendo periculo fornicationis in comparte; sed de vitanda fornicatione propria, sicut explicant Estius, Salmeron, A-La-

(1) Gen. 1. (2) Gen. 2. (3) I Cor. 7.
(4) I Cor. 7. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 882.

pide cum D. Chrysostomo, et clare constat ex contextu ipso. Ergo accedentibus ad uxores steriles, senes aut gravidas, vel quærentibus matrimonium unice ad fornicationem vitandam, Confessarius permittat, sicut permisit Apostolus, ne sapientior Apostolo esse velit, uti merito notat Alasia (1).

Sed quid (quæres) *de illo, qui contraheret matrimonium ob solos fines extrinsecos?* — R. Si finis ille extrinsecus *turpis* sit et *inhonestus*, v. g. pura ipsa voluptas, cupiditas divitiarum et vani honoris, tenent communiter non deesse peccatum, matrimonium principaliter ob talem finem inire, etiamsi finis primarius non excludatur; adest enim evidens inordinatio in hoc, quod ad finem inhonestum et turpem dirigatur res sacra. Et peccatum hoc erit mortale, si contrahentes in fine ipso inhonesto et turpi constituant finem suum ultimum, ita ut *Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus:* habet enim potestatem diabolus super eos (2); veniale autem erit in casu contrario. — Si vero finis extrinsecus sit *honestus* et *bonus*, ut pax populi, amor inter consanguineos, honor familiæ, etc., putamus probabilius cum Cajetano, Coninchio, Salmanticensibus aliisque sine peccato matrimonium principaliter ob illum finem contrahi posse, modo semper non excludatur finis primarius. Nulla enim videtur inordinatio, servato fine primario, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis, sive intrinsecus ipse sit sive extrinsecus: tunc bonus est finis, et bonum est medium.

Scholium. — *De Matrimonio B. V. Mariæ cum S. Joseph* (3).

Q. *Quid de Matrimonio Beatæ Mariæ Virginis?*

R. Matrimonium Beatæ Mariæ Virginis cum sancto Joseph et verum fuit et licitum et convenientissimum et perfectum.

1 *Verum:* hoc adeo certum est, ut oppositum *saltem sine temeritate* defendi non possit (4); in Scripturis enim Joseph *vir Mariæ*, et Maria *Josephi uxor* sic vocatur simpliciter et absolute: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (5). Hæc etiam erat Judæorum persuasio, qui mysterium nescientes, vulgo appellabant Jesum *filium Joseph*, *filium fabri* (6): unde pro certo tenebant, matrimonium fuisse contractum inter Joseph et Mariam. — Nec obstat votum absolutum castitatis a Virgine ante desponsationem emissum; quia voti objectum est usus, non potestas copulæ: quam quidem potestatem absolute Virgo tradere potuit, licet haberet propositum castitatis; quia ut ait S. Thomas: *illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum* (7). Adde: nonne, cunctis fatentibus, duo simplici castitatis voto ligati valide

(1) Animadvertendum: ad hoc ut fines intrinseci accidentales et secundarii liciti sint et honesti, oportere ut referantur ad Deum, si non actualiter, saltem virtualiter vel habitualiter, uti docent communiter cum Bossio, Sanchez aliisque. (2) Tob. 6.

(3) *V.* Fidelis Mazzola, *in Seminario Novariensis jampridem Professore, De B. Maria V. Disputationes historico-Theologicæ*. Taurini, typis Chirio et Mina, 1845, p. 104.

(4) *V.* Benedictus XIV, *De Festis*, l. II, c. 1. (5) Matth. 1, et Luc. 3.

(6) Matth. 13, et Luc. 3. (7) In 4 Sent. dist. 30, q. 2, a. 1, ad 2.

inter se contrahunt matrimonium, quamvis postea illius usus maneat ligatus?

2. *Licitum:* vel enim ut censet A-Lapide, *ipsa Virgo Josepho votum suum declaravit, ac Josephus in voti observationem consensit, eamque promisit, antequam ei nuberet* (1). Vel, ut communiter alii tradunt cum divo Thoma (2), fuit certificata ex divina revelatione et instinctu, quod Joseph numquam erat debitum petiturus. Sic Virgo prudentissima voto illo suam puritatem perpetuo Deo sacravit; ac illo matrimonio morem gentis suæ gessit (3).

3. *Convenientissimum:* et 1 ex parte Christi, tum ne tamquam illegitimus haberetur: tum ne in tenera ætate nutricio destitueretur; 2 ex parte Mariæ, tum ne haberetur uti fornicaria vel adultera; tum ne ejus partus virgineus a diabolo cognosceretur; 3 ex parte nostri, tum ut haberemus ex ipso Josephi testimonio Jesum de Virgine natum esse; tum ut hæreticos refutaremus nuptias damnantes (4).

4. *Perfectum:* essentialis matrimonii perfectio consistit in mutua, vera ac perfecta traditione et acceptatione potestatis in corpora; atqui hoc intervenit in matrimonio Beatæ Virginis. Quod si defuit illa accidentalis perfectio, nempe copula, per quam significatur *unio Christi cum Ecclesia* per naturam, hoc nihil detrahit huic conjugio, uti notat Billuart: nam non erat hic opus illa significatione; cum res ipsa in Virgine esset exhibenda, scilicet Verbi Incarnatio, per quam Christus conjungitur Ecclesiæ secundum naturam (5).

Item neque Sacramentum fuit illius matrimonium; cum nondum esset ad hanc dignitatem tunc temporis elevatum conjugium (6).

ARTICULUS II — De idoneitate personarum.

Illæ personæ sunt ad valide contrahendum idoneæ, quæ nulla lege vel consuetudine prohibentur. Sed de hisce prohibitionibus agemus Disputatione III et IV: nunc de nonnullorum conjugiorum honestate, vel modo (7).

Q. 1. *Quid sentiendum est de matrimonio infidelium?*

R. Matrimonium infidelium, si legitime contrahitur, nempe inter personas jure naturæ capaces, mutuo ac vero consensu, est verum ac firmum matrimonium; quia est validus contractus naturalis. Non tamen Sacramentum est, quia illius non baptizati sunt prorsus incapaces. Et idem dicit Billuart,

(1) In Luc. c. 1. (2) In 4 Sent. dist. 30 q. 2, ad 2.

(3) *V.* Mermillod, *Le Vierge Marie ou études sur sa perpétuelle virginité.* Paris, Génève, 1856. —Nicolas, *La Vergine Maria*, vol. II, c. 7. Milano 1857.

(4) Alias rationes prosequitur Angelicus, p. 3, q. 29, a. 1.

(5) De Matrimonio, diss. 3, a. 7, in fine *Digressio historica.*

(6) *V.* Mazzola, *Opus laudatum*, pag. 350 in nota, ubi de omnibus Sacramentis inquisitionem instituit, num B. V. ea receperit.

(7) De hermaphroditis, qui scilicet de utroque sexu participant, *v.* Liguori *Opus Morale*, l. VI, n. 1095, et Ferraris in sua *Bibl.* hoc. tit. Moderni physici inter fabellas enumerant quidquid de hermaphroditis narratur; quamquam recentes casus proferantur. *V.* Martini, *Elementa medicinæ forensis*; it. Debreyne, *Précis de phisiologie humaine*, etc.; et Bouvier, *Tract. ad Supplement. de matrimonio.*

si una pars tantum fidelis sit, etiam supposito valido contractu; quia uterque contrahens ad modum unius tantum concurrit ad materiam Sacramenti: unde si materia ex parte unius non sit idonea, neque erit ex parte alterius. Alii tamen contendunt ex parte fidelis matrimonium esse Sacramentum; nam fidelis id omne posuit quod ad Sacramentum requiritur; neque demonstrari potest contractum esse non posse sacramentalem ex una parte, licet non sit ex altera.

Quid (dices) *si baptizetur uterque conjux?* — Billuart, Collet ac Tournely censent per Baptismum fieri non posse Sacramentum illorum matrimonium; quia hujus Sacramenti materia est contractus in actu, at contractus initus jam fuit. Sed Bellarminus, Sanchez et Sylvius contrarium tuentur, et quidem probabiliter et communius ex Benedicto XIV (1). Tum quia conversi ad fidem non debent gratia Sacramentali privari absque evidenti ratione; et cum sentiant incommodum, etiam commodum sentire debent. Tum quia solummodo post Baptisma matrimonia infidelium evadunt indissolubilia in faciem Ecclesiæ, atque ab ipsa probata; ergo evadunt etiam Sacramenta.— Si autem quæsieris: quando id præcise contingat, respondent aliqui id evenire actu ipso quo infideles Baptisma suscipiunt; quia tunc virtualiter et implicite etiam in præcedens matrimonium vere consentiunt. Alii vero requirunt novum consensum, id est prioris renovationem; hanc tamen renovationem non curat Ecclesia.

Q. 2. *Quid de matrimoniis hæreticorum inter se?*

R. Hæretici et schismatici, qui ineundo matrimonium leges Ecclesiæ accurate servant, valide contrahunt et Sacramento muniuntur; cum nihil sit quod valori hujus Sacramenti obstare possit. Hoc confirmat praxis Ecclesiæ, quæ nullimode eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad catholicæ Ecclesiæ unitatem redeant.

Quid (dices) *sentiendum de matrimonio hæretici vel schismatici cum catholica, aut viceversa?* — R. Hoc matrimonium communi usu dicitur *mixtum*. Porro validæ sunt tales nuptiæ; quia nullum de iis extat impedimentum dirimens; cum cultus disparitas non respiciat nisi matrimonia baptizatorum cum non baptizatis (2); imo erunt etiam Sacramentum, ut patet: *ad contrahendum matrimonium uti elevatum in Sacramentum requiritur solum paritas Baptismi, non fidei*, ex R. Rotæ decisione penes Klee. Sed sunt per se illæ prorsus illicitæ: 1 jure naturali, propter grave periculum perversionis et jacturæ animæ propriæ, et etiam prolis futuræ (3); 2 jure divino, nam si ex Apostolo hæreticus homo vitandus est (4), tanto magis prohibitum erit cum ipso societatem conjugalem inire adeo strictam et perpetuam; 3 demum jure ecclesiastico, ut patet tum ex pluribus Conciliis incipiendo a

(1) *De Syn. Diœc.* l. VIII, c. 12.

(2) Quamquam hodie merito etiam de validitate dubitari potest; cum hæretici non ita semper certo valide baptizentur, ex dictis *De Baptismi ministro*.

(3) Hinc S. Ambrosius, l. I de Abraham, c. 9: *cum sanctos sanctus eris, et cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, et unus spiritus est? quomodo potest congruere Christus, si discrepat fides?*

(4) Tit. 6.

Laodicino anno 332, tum ex romanis Pontificibus incipiendo a Clemente VIII ad nos usque, præsertim vero a Benedicto XIV, Pio VI, VII, VIII et Gregorio XVI.

Diximus *per se*, si enim, accedente gravi causa et interpositis quibusdam conditionibus, removeatur omne periculum perversionis in comparte catholica et filiis, et sic cesset omnis vis juris naturalis atque divini; tunc interveniente dispensatione ab Ecclesiastica lege, cessabunt tales nuptiæ esse illicitæ, et iniri poterunt (1). Ad solum tamen Pontificem pertinet dispensationem elargiri; quia leges, quæ conjugia mixta interdicunt, constitutæ sunt vel a Conciliis œcumenicis, vel a Synodis quidem particularibus, sed in Ecclesia universa usu receptis. Hæ autem sunt conditiones, sub quibus generatim Pontifex dispensat: — 1ª est, ut pars hæretica scripto ac juramento coram testibus promittat, se permissuram, ut pars catholica Religionem suam libere exerceat, prolemque omnem in ea instituat: unde contrarium pactum est omnino irritum habendum; — 2ª ut similiter pars catholica eodem modo promittet, se hoc præstituram et curaturam, ut compartis conversionem procuret; — 3ª ut tali matrimonio Parochus vel delegatus non assistat in loco sacro; nec aliqua sacra veste indutus: omissis etiam precibus quibuscumque; omni item sacra benedictione. Quæ conditiones adeo necessariæ sunt, ut gravissimi peccati reus esset in omnium sententia qui absque iis mixtas nuptias præsentia sua cohonestaret; nam præter scandalum gravissimum violaret Canones Ecclesiæ in re pariter gravissima; cooperaretur peccato aliorum item gravissimo; et sacrilegum conjugium facto suo approbaret *(A)*.

Q. 3. *Quid de matrimoniis* ad morganaticam, *ut ajunt?*

R. In nonnullis maxime Germaniæ locis aliquando contingit quoddam fieri matrimonium, quo vir nobilis post susceptos ex primâ uxore nobili liberos, ea defuncta, alteram ex humiliori ordine privatim ducit, obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione: addita conditione, ut tam mulier, quam ex ea filii nascituri nihil neque de nobilitate participent, neque de hæreditate, exceptis nonnullis donis ipsis ab initio tributis (2). Hoc est verum matrimonium; cum non deficiat in substantialibus; sed disconvenit sine gravissima causa illud celebrare; cum æqualitatem inter sponsos nimium lædat. A lege autem civili generatim non sustinetur.

Q. 4. *Quid de matrimonio conscientiæ?*

R. Matrimonium *conscientiæ* seu occultum illud est, quod omissis de-

(1) Neque pars catholica peccat sic communicando cum hæretica; nam adest dispensatio. Neque peccat quasi concurrat ad profanandum Sacramentum; quia, justa causa adveniente, potest quis ab alio petere rem in se bonam, etsi alter dando ex sui prava dispositione peccet. Justa autem causa est; hæc enim conjugia fiunt instar contractuum civilium ad firmandas amicitiæ leges, ad tuendam pacem Reipublicæ, etc. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 56. — Benedictus XIV, *De Syn Diœc.* l. IX, c. 3.

(2) Dicitur *ad morganaticam* contractum. Nempe vox est hæc germanica ducta a *morghen* matutinum, et *gab* donum; quia nempe et uxor et filii contenti esse debent solo illo dono, quod sibi ab initio (quasi matutino die nuptiarum) tribuitur. Ab aliquibus dicitur etiam matrimonium *sinistræ manus*; a Gallis matrimonium *ad legem salicam*. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc* l. XIII, c. 23 — Devoti, *Inst. Can. de matr.* § 108.

nuntiationibus, contrahitur coram Parocho et duobus testibus fidelissimis, ea lege, ut non reveletur. *Conscientiæ* dicitur, quia palam non innotescit: non est dubium illud validum esse; cum omnia essentialia includat. Quia tamen interest boni publici, ut matrimonia publica sint; igitur illud permittendi facultatem Benedictus XIV Constitutione *Satis vobis* anno 1741 solis tribuit Episcopis, sub datis tamen modis (1). Præcipui sunt: 1 ut adsit urgentissima causa: uti si vir et mulier in occulto concubinatu vivant, neque ulla suspicio sit: quem casum proponit Bulla, quin tamen alios similes excludat, Episcopi judicio; 2 ut omnino constet nullo ligari impedimento partes: quæ insuper tenebuntur intra dies 30 prolem natam et baptizatam denuntiare Episcopo: secus in gratiam filiorum publicatur matrimonium; 3 ut in Cancellaria episcopali liber retineatur sigillo clausus, ubi illud matrimonium describatur: et alio simili libro proles inde nata adnotabitur fideliter. Qui quidem libri omnem merentur fidem (2).

Dices: *hoc matrimonium videtur esse illicitum; multi et multi etenim ignorantes virum et fœminam esse matrimonio conjunctos, et tamen simul et virum et uxorem cohabitare, quin superiores verbum faciant, scandalizantur.* —R. Non est habenda ratio hujusce scandali, cum adest justa causa matrimonium sic contrahendi; tunc scandalum non erit datum, sed acceptum; nam nemo cum suo gravi damno tenetur consulere evitationi peccati alieni, quod contingit admitti, male accepta occasione ex facto ipsius. Ex hoc fundamento immunes sunt a culpa qui per aliquod tempus, dum commodam opportunitatem præstolantur, fidem catholicam publice profiteri differunt, ne incurrant in grave periculum, quamvis alii ex eo quod videant eos non profiteri publice fidem, existimaturi sint eos esse hæreticos (3).

Q. 5. *Quid de matrimonio inito per procuratorem?*

R. Ex hodierna disciplina, etiam in Rituali probata, matrimonium per procuratorem celebrari potest. Et validum est non tantum in ratione contractus, ut patet de cæteris; sed etiam in ratione Sacramenti, ut commune est cum Bellarmino, Billuart, Sanchez, Tournely et aliis; nam si contractus, ergo et Sacramentum inter Christianos: et sane Ecclesia id non permitteret, si aliter res se haberet. Neque obstat, quod postea a partibus renovetur consensus; id enim *majoris dumtaxat cautelæ gratia faciendum suaderi,* ait Benedictus XIV (4).

Ut tamen procurator valeat legitime matrimonium pro alio contrahere, jure hæc requiruntur: — 1 ut sit mandatum speciale, sed sufficit etiam oretenus datum, si de eo constet. At non requiritur sexus diversitas: ideo pro-

(1) Ita *De Synodo,* etc. l. XIII, c. 23. — Mazzœus, *De matrim. conscientiæ.* — Gualco, etc.

(2) « Entre nosotros no es conocido este especial registro secreto de matrimonios.» N. E.

(3) Ita in *Thesauro Resolutionum S. C. C.* tom. III, pag. 82.

(4) Loco cit. *De Syn Diœc.* Utrum vero valeat matrimonium, etiamsi mandans in perpetuam amentiam inciderit ante matrimonium celebratum per procuratorem, alii negant; quia amens habetur ut mortuus, nec censetur tunc altera pars consentire: alii affirmant; quia donec revocetur, prior consensus perseverat in virtute. Quod etiam dicendum est etsi dum procurator contrahit, principalis dormiat; nam tunc quæ habetur intentio, verius dicenda est virtualis, quam habitualis; cum procurator contrahat virtute mandati, sive consensus a principali præstiti. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 82.

curatores esse possunt etiam duo mares vel duæ fœminæ; nam non ipsi per se contrahunt, sed de alieno contractu consensum tantum tribuunt; — 2 ut mandatum sit de contrahendo cum persona determinata; matrimonium enim nonnisi cum determinata persona esse potest; — 3 ut procurator alium non subdeleget, nisi ad id quoque specialem habeat licentiam: secus esset contra mandantis intentionem agere; — 4 ut mandatum Parocho et testibus exhibeatur, et coram ipsis matrimonium celebretur; alioquin esset clandestinum et nullum; — 5 ut mandatum ante celebrationem non fuerit revocatum (nec etiam mentaliter) a mandante. Secus mandatarius non mandantis nomine ageret, sed proprio; — 6 ut procurator mandati fines minime excedat; secus non referret mandati sensus (1). In hoc tamen animadverte, quod si conditio sit requisita a mandante, v. g. ut contrahatur tali dote, tali tempore, si non servetur, matrimonium erit nullum. Si vero conditio jam sit requisita a jure, v. g. ut contrahatur præmissis denuntiationibus, obtenta licentia, tunc validum erit conjugium etiam sine ipsis initum, ut communiter docent; quia hæ secundæ conditiones censentur appositæ juxta mentem juris ipsius, quod quidem respicit tantum licitum.

Cæterum Parochus, quando talia sibi occurrunt matrimonia, perpendat attente litteras mandati: imo prius rem deferat ad Episcopum. Quamquam hic agendi modus nonnisi inter Principes est in usu (2).

Quid (quæres) *si mandans ficte mandatum dederit?* — Si interius consentiat ante mandati executionem, probabilius videtur validum matrimonium; mandatum enim per se validum est, nec aliud requiritur, quam ut interius convalidetur. Secus, si ficte exterius mandatum dederit, licet intus serio consenserit; nam cum nullum fuit ab initio mandatum exterius, nequit solo interno consensu validari.

CAPUT SECUNDUM

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

ARTICULUS I — De matrimonii honestate, obligatione et sanctitate.

Q. 1. *An matrimonium licitum sit et honestum?*

R. Antiquiores hæretici, Marcionitæ, Manichæi et Encratitæ docuere nuptias esse rem inhonestam et turpem. Sed contrarium docet catholica veritas; nam Christus sic de matrimonio alloquitur: *quod Deus conjunxit homo non separet* (3); atqui illa, quæ a Deo conjuncta sunt, mala esse non possunt. Ad-

(1) Cap. *Procurator.* de procuratoribus in 6.°

(2) Quod dictum est de matrimonio per procuratorem, valet de matrimonio *per litteras* contracto: siquidem litteræ satis valent consensum contrahentium manifestare. Et sic fit: sponsus scribit ad sponsam, quod ipse in virum ei se tradit, et ex tunc eam in sponsam acceptat. Sponsa idem rescribat viro et hæc responsio legitur coram Parocho et testibus. Cæterum satis est etiam, ut vir scribat mulieri modo relato; et sponsa, quin sponso rescribat, litteras coram Parocho et testibus aperiat, et suum præbeat consensum. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVIII, n. 32; et *Opus Mor.* l. VI, n. 885.

(3) Matth. 19.

de: Christus ipse præsentia sua nuptias in Cana Galileæ actas honoravit, et insigni simul miraculo eas voluit illustrare: *quod Dominus invitatus venerit ad nuptias,* inquit S. Augustinus, *confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias; futuri enim erant dicentes, quod malum essent nuptiæ* (1). Apostolus autem loquebatur de matrimonio, quando inquiebat: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (2). Idem ait: *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere...; qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit* (3). Accedit ratio: quod enim ad naturæ corporalis conservationem, ac speciei perpetuitatem pertinet, bonum et honestum est.

Q. 2. *An matrimonium cadat sub præcepto?*

R. Matrimonium cadit sub præcepto naturali; Deus enim naturæ auctor vult profecto propagationem et conservationem generis humani; atqui hæ haberi legitime non possunt absque matrimonio. Imo cadit etiam sub præcepto divino positivo juxta illud: *crescite et multiplicamini* (4). Hoc tamen præceptum obligat communitatem, ad quam quidem pertinet propriam conservationem curare; ejus idcirco esse deberet efficere, ut aliqui nubant, casu quod ex se jam non nuberent homines; non vero obligat per se loquendo singulos homines; alioquin errasset Apostolus, cum homines invitat ad virginitatem inquiens: *dico non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneat, sicut et ego* (5).

Diximus *per se loquendo,* quia contingere posset per accidens, ut quis matrimonium contrahere teneatur, v. g. Princeps ad impedienda bella civilia, ad præfocandas hæreses, ad legitimandam prolem, damnum deflorationis necessario reparandum, etc. Idem esset, si quis nollet alia media adhibere ad continentiam reservandam.

Q. 3. *In quonam consistit matrimonii sanctitas?*

R. Matrimonii sanctitas in eo maxime consistit, quod ipsum ad verum Sacramentum fuerit a Christo Domino elevatum, ideoque conjuges sanctificet. Matrimonium verum esse Sacramentum negant protestantes (6): imo olim etiam nonnulli Catholici, ut Durandus, nondum data definitione ab Ecclesia, atque ad monumenta traditionis non satis attendentes dubitaverunt, an matrimonium esset proprie dictum Sacramentum, gratiam producens. Verum hodie de hac veritate nequit amplius dubitari; cum de fide sit a Tridentino sic contra Lutheranos et Calvinistas definita: *siquis dixerit matri-*

(1) Tract. 9 in Joann. (2) Eph. 5.

(3) I Cor. 7. — Unde si quando Apostolus ac Patres videntur nuptias respuere, id intelligendum de earum abusu; vel in comparatione cœlibatus.

(4) Gen. 1 et 9.

(5) I Cor. 7. — Quinimo ad totius generis pulchritudinem et salutem spectat, ut non omnes nubant. Si enim præstat, ut multitudo non tantum corporaliter multiplicetur, sed etiam ut spiritualiter proficiat; ideo conveniens fuit ut alii generationi, alii contemplationi vacarent. *Sicut etiam in exercitu,* ait D. Thomas, *quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant. Quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt* (2, 2, q. 152 a. 2).

(6) Hac de re *v.* Opus *Teoria dell' istituzione del matrimonio,* parte 2ª che tratta della guerra moltiforme cui soggiace; per Emiliano Avogadro conte della Motta ecc. Torino 1854, tip. Zecchi e Bona. — It Liguori, *Opera dogmatica,* sess. XXV.

monium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit (1).

1. Id satis innuunt Scripturæ: Apostolus ait: *viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (2). Quibus verbis patet Christum Dominum sanctificasse symbolum suæ unionis cum Ecclesia; sed hujus unionis symbolum est ipsum matrimonium ex Apostolo: ergo Christus matrimonium sanctificavit, seu illud elevavit ad Sacramenti dignitatem (3).

2. Constans probat traditio, ut erudite demonstrat P. Perrone: etenim utriusque Ecclesiæ Patres, iique antiquissimi matrimonium in numero Sacramentorum habuerunt: dum 1 Christianorum conjugium alii inter res sacras numerant, ad Religionem pertinentes, et a ministris Ecclesiæ certo ritu celebrandas, cujusmodi inter Græcos sunt S. Ignatius Martyr (4), Clemens Alexandrinus (5), et S. Basilius (6); inter Latinos vero Tertullianus (7), S. Ambrosius (8), et S. Siricius Papa (9).—Dum 2 alii tradunt Christum dum nuptiis interfuit, iisdem benedictionem, sanctitatem et gratiam, qua antea carebant, adjunxisse atque indicasse, uti ex Græcis Cyrillus Alexandrinus (10) et Epiphanius (11): ex Latinis Ambrosius (12) et Augustinus (13).—Dum 3 denique alii *Sacramenti* nomine matrimonium nuncuparunt, quod fecit Tertullianus (14), Ambrosius (15), Chrysostomus (16) atque Augustinus passim, præsertim in libro *de Bono conjugali*, ubi inter cætera: *in nostrarum fœminarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fecunditas uteri* (17).

3. Argumentum præscriptionis demonstrat, seu perpetua et constans utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis consensio et praxis. De Ecclesia enim latina ante Tridentinum hujus rei fidem faciunt Eugenius IV (18); ante Eugenium constantiense Concilium; ante Concilium constantiense Lucius III (19): ante Lucium Gregorius M., prout fatentur adversarii nostri (20) ante Gregorium sacramentalia et rituales libri, qui inter septem Sacramenta semper nuptias recensent (21).—De Ecclesia græca constat ex Hieremia Græcorum patriarcha, qui sub finem sæculi XVI in censura *Confessionis Augustanæ*, ex nomine totius Ecclesiæ græcæ septem profitetur esse in Ecclesia Sacramenta a Christo instituta, ac de matrimonio peculiariter ait; *divinum Sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quæ Christus et Apostoli Ecclesiæ tradiderunt* (22). Atque id ipsum profitentur diversa Concilia coacta adversus Cyril-

(1) Sess. 34 de matr. can. 1. (2) Eph. 5.
(3) *V.* Gaume, *Catech. di perseveranza.* vol. II, p. 407. — *Civ. Catt.* vol X, p. 156.
(4) *Epist. ad Polycarp.* (5) *Stromat.* l. III. (6) *Hexaëmer.* hom. VII.
(7) L. II *Ad uxorem.* c. 8. (8) *Epist.* XIV *ad Vigil.* (9) *Epist. ad Himerium.*
(10) L. II in *Joann.* c. 11. (11) *Hær.* LI. (12) *Epist.* XLII *ad Siricium.*
(13) Tract. IX in *Joann.* n. 2. (14) *De exhortat. castitat.* c. 5.
(15) L. I *De Abraham,* c. 7, n. 59. (16) *Hom.* XX *in Epist. ad Eph.*
(17) C. XVIII, n. 21. (18) *Decret.* seu *Instruct. pro Armenis.*
(19) *Decreto contra hæret.* (20) Ut Calvinus *Instit.* l. IV, c. 19.
(21) Cf. Martenium, *De Antiq. Eccles. ritib.* l. I, p. II[a], c. IX, art. 5.
(22) Cf. Op. cui tit. *Censura orientalis Ecclesiæ de præcipuis nostri sæculi hæreticorum dogmatibus,*

lum Lucarim nova dogmata fabricantem (1). Ante hos omnes Concilium florentinum, quod in hac professione jam præcesserat Simeon thessalonicensis: quibus præiverant liturgici libri (2).

Dices: *Sacramenta N. L. producunt quod significant; atqui matrimonium non producit quod significat, scilicet unionem Christi cum Ecclesia; ergo non est Sacramentum.*—R. non producit quod significat sub uno respecto, concedo; sub altero, nego. Duo significat matrimonium: *speculative* unionem Christi cum Ecclesia, *practice* dilectionem inter sponsos, seu unionem animorum per gratiam. At matrimonium priorem tantum repræsentat; sed posteriorem etiam operatur.

Q. 4. *Quidnam matrimonii Sacramentum constituit?*

R. Ipse contractus maritalis Sacramentum matrimonii constituit; etenim Christus contractum maritalem ad Sacramentalem dignitatem ita evexit, ut quoties legitimæ personæ hunc efficerent, toties conficerent Sacramentum. Unde factum est, ut uno eodemque actu et contractus et Sacramentum habeatur in conjugio Christianorum, seu contractus et Sacramentum identificetur per unum eumdemque actum. Hinc contractus et Sacramentum cogitatione tantum, non veritate spectari possunt uti duæ res ad invicem distinctæ et separabiles. Hinc merito a cardinali Gerdil habetur uti monstruosa, hæreticalis, doctrinæ Christi, Patrum traditioni, et universali catholicæ Ecclesiæ consensui contraria eorum opinio, qui docent rationem Sacramenti in matrimonio esse quid extrinseci et superadditi ad ipsum contractum: «El matrimonio, elevado por Cristo al carácter de Sacramento, es el que elevó él mismo á su institucion primitiva, esto es, á la union indisoluble establecida por Dios *ab initio;* pero esta union no es otra que la union conyugal contraida con las debidas formalidades. Esta union, pues, que se denomina y es el matrimonio, es la que instituyó Jesucristo, Sacramento de la Nueva Ley (3).» Consentit Angelicus inquiens: *verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale* (4). Tandem Tridentinum decretorie habet, matrimonium initum sine præscripta ab Ecclesia forma non solum non esse verum Sacramentum, sed neque validum contractum: quod quidem probat, practice rationem contractus a ratione Sacramenti in Christianis separari non posse; sed utrumque identificari in unum: *qui aliter, quam præsente Paroco vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit* (5) *(B).*

Hieremiæ Constantinopolitani patriarchæ etc. *a Stanislao Socolovio ex græco in latinum conversa.* Dilingæ 1582, c. VII, p. 105, 111 et 116.

(1) Cf. Renaudotium, *De la perpetuité* etc. t. v, liv. VI, ch. 1.

(2) Libri liturgici sunt veluti fidei promptuaria et indices rerum credendarum christiano populo propositi, magnaque est illorum auctoritas, quando in aliquo dogmate admittendo conspirant: *Lex supplicandi,* ait Pp. Cælestinus, *regulam constituit credendi.*

(3) Gerdil, *Trattato del matrimonio*: Discorso preliminare. — Riccardi, *I Gemiti della Chiesa di Spagna;* Conversaz. — It. Adnotator et corrector Bergier in suo *Dictionario Theol.* V. Matrimonio.

(4) In 4, dist. 26, q. 2, ad 1. (5) Sess. 23, cap. 1.

Non satis præcise constat, quo tempore hoc Sacramentum fuerit institutum. Alii censent Christum matrimonium instituisse, cum nuptiis Canæ Galileæ interfuit. Alii cum, sublato libello repudii de quo in veteri Lege, matrimonium ad primævam institutionem revocavit. Alii cum post Resurrectionem multa locutus est cum Apostolis *de Regno Dei* et statu *Ecclesiæ*. Alii tunc dicunt institutum, cum Christus illud commendavit, ejusque inseparabilitatem præcepit (1).

Q. 5. *Quinam est matrimonii Minister?*

R. Canus omnium fortasse primus, Bailly, Collet, Concina, Dens, Estius, Sylvius, Tournely aliique censent, Sacerdotes esse ministros Sacramenti matrimonii. Id dicunt esse conformius et Patrum et Conciliorum doctrinæ, in quibus habetur benedictione Sacerdotis matrimonium *sanctificari, conciliari, obsignari* (2). Adde: Apostolus appellat Sacerdotes *dispensatores mysteriorum Dei*, id est Sacramentorum (3): hoc porro non verificaretur in matrimonio, si ipsi essent dumtaxat testes conjunctionis sponsorum gratiam sivi invicem conferentium. Præterea: Tridentinum hanc formam a Parocho usurpandam assignat: *ego vos in matrimonium conjungo*; quæ verba vanum haberent sensum, si Parochus non esset hujus Sacramenti minister.

Sed communis sententia, quam saltem probabiliorem censemus, quæ et antiquitate et universalitate præstat; et quæ ita in Scholis ante Tridentinum dominabatur, ut teste Benedicto XIV, ad fidem pertinere crederetur; quamque invicte tuentur Barbosa, Billuart, Fagnanus, Frassen, Gerdil, Gonet, Gotti, Martene, Devoti, Patuzzi, Scotus, Suarez, Sardagna, Vazquez aliique innumeri cum Bellarmino ac D. Thoma, docet ipsos contrahentes esse Ministros matrimonii.

Prob. 1. Eugenius IV in Decreto ad Armenos, sanam doctrinam circa septem Sacramenta compendiose tradere volens, ait de matrimonio: *causa efficiens matrimonii regulariter loquendo est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ergo ipsi contrahentes sunt ministri, si eorum consensus est causa efficiens matrimonii.

2. Tridentinum expresse declarat omnia conjugia clandestine (id est sine assistentia Parochi) ante ipsum Concilium celebrata, fuisse *rata et vera;* idque negantes anathemate percutit (4). Jam vero, si talia matrimonia erant rata et vera, ergo erant etiam Sacramenta; matrimonia enim fidelium esse nequeunt rata et vera, quin simul sint etiam Sacramenta (5). Sed si dicta matrimonia erant vera Sacramenta, quamvis sine Parochi præsentia celebrata; ergo necessario dicendum est solos sponsos eorum fuisse ministros, non Parochum. Hoc argumentum valde exaltat Benedictus XIV: qui etiam sententiam hanc nostram *communiorem magisque receptam* dicit (6).

(1) Joann. 2; et Matth. 9.

(2) Tertullianus, l. II *ad uxorem;* Ambrosius, *Epist.* XIX *ad Vigilium;* et Carthag. IV.

(3) I Cor. 4. (4) Sess. 24, c. 1 de R. matr.

(5) Sic enim habet Innocentius III (c. 7 *de div.*): *etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit: quia Sacramentum Fidei* (id est Baptisma), *quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.* (6) *De Syn. Diœc.* l. VIII, c. 13.

3. Idem Tridentinum, dum nuptiæ ineuntur, imponit quidem Parocho, ut dicat: *ego vos in matrimonium conjungo;* sed statim addit: *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* At si Concilium putasset Parochum esse ministrum, quomodo potuisset ei pro forma præscribere quæcumque verba, quæ sint juxta ritum in unaquaque Provincia receptum? Hoc argumentum dicit card. Pallavicini sibi evidens visum fuisse ad probandum contrahentes ipsos veros esse ministros, non vero Parochum aut alium Sacerdotem (1). Adde: verba, quæ juxta adversarios formam Sacramenti constituunt, nova esse ac desiderari prorsus in omnibus fere antiquis Ritualibus (2): imo alicubi Sacerdos hæc sola verba pronuntiat: *quod Deus conjunxit, homo non separet* (3). — Utique matrimonium res sacra est, utpote sanctificatum a Christo Domino, qui amori naturali suam adjecit gratiam, ideo et in faciem Ecclesiæ juxta ejus leges celebrandum: hæc tamen minime evincunt gratiam necessario conferri debere per Sacerdotis benedictionem.

4. Pluries S. Concilii C. declaravit matrimonia valere etiam in facie Ecclesiæ, licet Parochus nulla verba proferat; licet affectet verba sponsorum non intelligere, oculos claudat, renuat, increpet, etc. modo præsens adsit humano modo, et quid agitur, revera intelligat. At si Parochus esset matrimonii minister, concipi nequit quomodo illud possit conficere passive tantum se habendo, imo reluctando omnino.

5. Si quod matrimonium invalide initum fuerit, jubentur quidem conjuges consensum inter se renovare; non vero iterum Sacerdotis ministerio uti: quod probat sane Sacerdotem non esse ministrum, ne dicere velimus Ecclesiam esse sollicitam de procuranda validitate contractus et non curare illius sanctitatem. Dicendum ergo cum Angelico: *consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibetur ut matrimonium convenientius fiat* (4).

Hisce perpensis (concludimus cum P. Perrone Romæ professore) *posteriori huic sententiæ, quæ in hac romana Ecclesia pariter viget, plene adhærendum ducimus, eique subscribimus (C).*

(1) *Hist. Con.* l. XX, c. 4, n. 1. Præstat autem, ut cum interrogantur sponsi de eorum consensu, Parochus non solum nomen, sed cognomen etiam sponsorum exprimat; sic multo magis personæ designantur et testes securius fidem de contracto matrimonio facere possunt.

(2) Martene, *De antiq. Eccl. ritibus*, l. I, p. 2ª, c. 9.

(3) His addendum, quod Benedictus XIV scribit ut Pontifex in sua Decretali seu Epistola ad archiep. Goanum, incipiente *Paucis ab hinc* an. 1758 19 martii, ubi thesim nostram aperte tuetur, dum ait, quod matrimonii *materia est mutua corporum traditio verbis et nutibus assensum exprimentibus; et mutua corporum acceptatio forma.* — Huc accedit responsio data a Pio VI ad episcopum Lucionensem 28 maji 1793, pro tempore gallicanæ persecutionis, quando legitimi Parochi dispersi erant: *quoniam complures ex illis fidelibus non possunt omnino Parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus et sine Parochi præsentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut sæpe sæpius declaratum fuit a S. C. C. Tridentini interprete.* Cum autem omnia fidelium matrimonia sint Sacramenta, concludendum illorum ministrum non esse Sacerdotem; nam sine ipso celebrari possunt. — *V.* Dissert. S. Alphonsi, *Opus Morale*, l. VI, n. 897; *Homo Apost.* tr. XVIII, n. 28. — Ferraris, *Biblioteca* etc. V. Matrimonium. Nardi, *Elementi di diritto eccl.* § 376.

(4) Supp. q. 45, a. 5.

Q. 6. *Quænam est materia et forma Sacramenti matrimonii?*

R. In eorum sententia, qui docent Sacerdotes esse ministros Sacramenti matrimonii, ejus *materia* est contractus valide initus: *forma* autem sunt verba sacerdotalis benedictionis.

In alia vero communi sententia, quæ tuetur ministros matrimonii esse ipsos contrahentes, Doctores diversimode opinantur. Alii dicunt verba sponsorum, quatenus exprimunt corporum traditionem, esse *materiam;* quatenus acceptant traditionem ipsam, *formam.* Nos tamen adhæremus Ss. Antonnio et Bonaventuræ, qui docent materiam *remotam* esse corpora contrahentium mutuo sibi invicem tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius; *proximam* esse ipsam actualem traditionem juris in corpora factam per verba, seu signa consensum exprimentia; *formam* vero esse mutuam acceptationem verbis, aut signis expressam. Nam sicut in cæteris contractibus res sunt materia remota; rerum traditio, materia proxima; consensus expressus per verba vel signa, forma: ita in matrimonio corpora (sive jus in corpora) sunt materia remota; traditio hujus juris, materia proxima; mutua autem acceptatio sive consensus exterius expressus, forma.

ARTICULUS II — De matrimonii unitate et indissolubilitate.

Q. 1. *Quid est matrimonii unitas?*

R. Matrimonii unitas est *conjunctio unius cum una,* et dicitur *monogamia.* Unitatem matrimonio convenire patet ex Evangelio, quod prohibet quidquid monogamiæ adversatur: nempe tum *biviratus* simultaneus, seu multiplicitas virorum uno et eodem tempore cum una muliere (dicitur *polyandria*); tum *polygamia* item simultanea, seu multiplicitas uxorum uno eodemque tempore cum uno viro (1).

Q. 2. *An biviratus sit licitus?*

R. *Biviratus simultaneus* non solum est illicitus, sed ipsius etiam naturæ legibus adversatur. Gravissime enim repugnat primariis matrimonii finibus, generationi nempe et congruæ prolis educationi: —1 generationi, quia etiamsi generatio totaliter non tollatur, cum contingat mulierem bis fœtu evadere gravidam; attamen multum impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio eveniat quantum ad utrumque fœtum, vel quantum ad alterutrum. Et experientia constat illas mulieres esse infœcundas ob mixtionem plurium seminum, prout patet in meretricibus; — 2 educationi, quia ex multorum congressu proles redditur incerta, ut nemo sit, qui ejus curam suscipere velit: *et ideo,* ait D. Thomas, *nulla lege, vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros* (2).

Diximus *biviratus simultaneus;* nihil enim prohibet, quominus mulier, mortuo priori conjuge, alterum ducat: est contra Montanistas et Novatianos. Hinc Apostolus: *mulier alligata est legi* (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus liberata est. Cui vult, nubat: tan-*

(1) Polyandria sic dicitur a *polys* plures, et *anner* homo. — Polygamia a *polys* plures, et *gamos* nuptiæ. — Monogamia vero a *monos* solus, et *gamos* nuptiæ.

(2) Suppl. q. 65, a. 4.

tum in Domino (1). Hinc Hieronymus: *non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest, octogamos* (2). Hinc Eugenius IV ad Armenos: *declaramus, non solum secundas, sed et tertias et quartas, atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum canonicum non obstet, licite contrahi posse.* Non negamus tamen sanctis Patribus secundas nuptias esse invisas, quando aliqua peculiaris non adsit circumstantia; cum videantur esse signum parvæ continentiæ ac perfectionis.

Et quoad effectus civiles, hæc in Hispania ex *codice pœnali* notanda sunt: «La viuda que casare antes de los 301 dias desde la muerte de su marido, ó antes de su alumbramiento, si hubiese quedado en cinta, incurrirá en las penas de arresto mayor y multa de 20 á 200 duros.»

«En la misma pena incurrirá la mujer, cuyo matrimonio se hubiese declarado nulo, si casare antes de su alumbramiento ó de haberse cumplido 301 dias despues de su separacion legal (3).»

Q. 3. *An licita sit polygamia?*

R. *Polygamia simultanea, quamvis absolute non repugnet juri naturæ*, eam tamen Christus in Lege nova omnino prohibuit: de fide est contra Lutherum, Melanctonem, Bucerum aliosque ejusdem sectæ. Christus expresse ait: *quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit* (4); sed si adulter est qui dimissa uxore, aliam ducit; multo magis adulter erit qui id agit, priore retenta. Dein Paulus hæc habet: *vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (5); ergo injuriam facit uxori suæ vir ille, qui corpus suum alteri uxori tradit. Et Tridentinum: *siquis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit* (6). Hinc si infidelis, qui plures uxores habet, ad Baptismum admitti velit, debet retinere unam tantum uxorem, nempe primo acceptam, alias uti illegitimas dimittendo (7).

Diximus: 1 *polygamia simultanea;* successiva enim, quæ evenit quando vir, mortua conjuge, aliam ducit, permittitur: 2 *quamvis absolute juri naturali non repugnet;* per se enim loquendo hæc illi non repugnat, ut observat Angelicus (8): neque ex parte generationis, cum unus vir possit plures mulieres fœcundare; neque ex parte educationis prolis, quia unus pater valet educare plures filios, sicut unus magister plures discipulos. Hinc patet contra Calvinum non peccasse Patriarchas qui, Deo permittente, plures habuerunt uxores (9).

Q. 4. *An matrimonium sit indissolubile?*

R. Certum est, vivente comparte, hoc matrimonio generatim loquendo

(1) I Cor. 7. (2) Ep. 30. Apol. pro lib. contra Jovin. (3) Art. 400.
(4) Marc. 10. (5) I Cor. 7. (6) Sess. 24, can. 2.
(7) C. 8 de divort. (8) Suppl. q. 65, a. 4.

(9) Hoc tamen semper intelligendum est absolute loquendo, uti notavimus. Non enim negandum est, polygamiam non adeo naturali juri congruere; si enim se totam tradit mulier uni vero, ita et totum videtur quod debeat vir se tradere uni uxori. Adde numerosam prolem difficilius contineri; et plures simul uxores difficilius in pace vivere. Merito ergo Christus matrimonium ad primævam institutionem revocavit dicens: *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una? itaque jam non sunt duo, sed una caro* (Matth. 19).

convenire, ut nequeat amplius dissolvi: matrimonium contractus quidem est, sed contractus natura sua indissolubilis, ac nimium ab aliis contractibus diversus. Probatur: 1 ex Apostolo, qui ait: *mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit;* (1) 2 ex Tridentino: *matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (2). Quæ verba etiam de matrimonio rato sunt accipienda, ut notant Salmanticenses, cum ea indistincte prolata sint; 3 ex inconvenientibus: aliter enim lata esset via matrimoniorum dissolutionibus; societas conjugalis concuteretur, familiæ turbarentur, et animi ubique forent anxii; quot enim, primo frigescente amore, novos semper inquirerent malæ libidinis vesania ducti! Esto, quod nonnumquam societas inter conjuges sit importabilis; at privata incommoda patienter toleranda, ut bonum generale obtineatur. Adde: illis incommodis satis provideri potest per separationem corporis, habitationis et etiam bonorum.

Quonam jure (quæres) *matrimonium est indissolubile?* — R. Certum est matrimonium esse indissolubile jure divino. Christus aperte ait: *jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (3). Et Paulus sic loquitur: *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam; aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat* (4). Imo Bellarminus, Bonacina, Gonet, Salmanticenses cum D. Thoma (5) et aliis communissime docent matrimonii indissolubilitatem inniti ipso jure naturæ. Sane matrimonium jure naturæ ordinatur tum ad prolis generationem et congruam educationem; tum ad mutua conjugum subsidia inter se: at tam prolis generatio et congrua educatio; quam mutua conjugum subsidia inter se, de jure naturæ important individuam vitæ consuetudinem. Quod tamen non ita intelligendum quasi conjugii dissolutio primis ac invariabilibus legis naturalis principiis adversetur; potest enim Deus ut jurium omnium Dominus, jus quod una pars habet in aliam, subtrahere: quo sublato, matrimonium corruit; et revera dantur casus in quibus id contingit (6). Neque id essentialiter omnino generationi et educationi prolis opponeretur: Sic Deus Judæis permisit libellum repudii, quo scilicet vir dimittebat uxorem, quæ *non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem.* Uxor sic egressa permissa erat alterum virum ducere; sicut vir aliam uxorem (7): hoc probat matrimonii dissolutionem essentialiter non opponi prolis gene-

(1) I Cor. 7. (2) Sess. 24 de Sacr. matrim.
(3) Matth. 19. (4) I Cor. 7. (5) Suppl. q 67, a. 1.
(6) *V.* dicenda disputatione ultima.
(7) Deut. 24. — Controvertitur, an per tale matrimonium vinculum dissolveretur: Estius, Sylvius aliique contendunt et volunt divortium Judæis permissum fuisse, ut minus malum, quod a legibus non erat puniendum; non autem ut quid a peccato immune: ideoque vinculum primum semper permansisse. Sed plures cum Bellarmino, Billuart, Collet, Sanchez, etc. tenent contrarium; idque et Deuteronomii verbis et rationi videtur conformius. — D. Thomas utramque sententiam ut probabilem tuetur, ut videre est *Supp.* q. 67, a. 3 et 4; l. II *contra Gentes;* et in c. 19 *Matth.* — *V.* Bouvier, *De matrimonio*, c. 9, a. 2, § 2. — Billuart, *De matrimonio*, dist. 5: Digressio histor. — Liguori *Opus Mor.* l. VI, n. 956.

rationi et educationi ; secus Deus illam aperte non permisisset Judæis *(D)*.

Quid (dices) *de illo, qui contraheret matrimonium intendens illud esse solubile ; et quidem tali animo, ut si hanc solubilitatem animo non conciperet, minime contraheret?* — Si per errorem animo conciperet talem solubilitatem matrimonium valeret ; quia error mentis non tollit intentionem generalem contrahendi eo modo, quo ex lege contrahere debet, id est juxta legem Christi, ideoque implicite vult hanc matrimonii indissolubilitatem ; quapropter voluntas illa generalis privatum illum errorem absorbet. At si expresse talem solubilitatem conciperet, matrimonium esset nullum ; quia opponeret conditionem contra ejus substantiam, excludendo vinculi indissolubilitatem. In foro tamen externo merito non audiretur ; alioquin actum esset de indissolubilitate in tanta hominum perversitate. *Alasia* (1).

DISPUTATIO SECUNDA

DE MATRIMONII PRÆPARATIONE SEU DE SPONSALIBUS.

CAPUT PRIMUM

DE SPONSALIUM NATURA ET DIVISIONE.

Q. 1. *Quid sunt sponsalia?*

R. Sponsalia dicta sunt a *spondendo*, quia veteribus *mos fuit stipulari, et spondere sibi uxores futuras:* hinc puella quæ in uxorem promittitur, dicitur *sponsa ;* ille vero, cui illa promittitur et qui ei repromittit, *sponsus*. Antiquissima est in Ecclesia catholica consuetudo præmittendi sponsalia matrimonio. Atque his fortasse de causis: 1 ut matrimonium maturiori consilio ineatur ; 2 ut sponsi tempore intermedio valeant se præparare ad gratiam Sacramenti ; 3 ut cognoscatur, an aliquod adsit impedimentum ; 4 *ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam* (2).

(1) Quæsitum fuit a S. C. C. an sit validum matrimonium contractum inter Catholicam et schismaticum hæreticum cum intentione fœdandi vel solvendi matrimonium? — Responsum fuit 2 octobr. 1680 : *si hæc sint deducta in pactum seu cum ista conditione sint contracta matrimonia ; sunt nulla ; sin aliter sunt valida.* « De aquí resulta claramente, que la doctrina de los protestantes acerca el divorcio no tiene influencia alguna sobre la validez ó invalidez del matrimonio ; y que además la declaracion que se encuentra en uno de sus rituales en que se dice : que por el adulterio de una de las partes, la otra queda libre etc., dirime el matrimonio solamente cuando la promesa de los cónyuges ó el consentimiento se ha dado espresamente con esta reserva. Mas breve : si esta cláusula ha sido puesta de manera que deba considerarse como parte integrante del acto de la celebracion del matrimonio (como dice Benedicto XIV, De Syn. l. XIII, c. 22, *una pars constitutiva contractus,*) entonces dirime el matrimonio ; pero no cuando constituye simplemente un apéndice del acto que se habia ya verificado. » *Schulte.*

(2) S. Augustinus, l. VIII *Conf.* c. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 831.

Definiuntur autem sponsalia : *promissio vera, deliberata, mutua, et signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas idoneas ac determinatas.* Dicitur: 1 *promissio*, non enim ad sponsalia sufficit simplex animi propositum. Sic qui diceret: *volo te ducere in uxorem*, sponsalia non contraheret; quia hæc verba ordinarie loquendo continent quidem propositum promissionis, sed non promissionem veram; 2 *vera*, idest ex animo; secus non esset nisi fictio promissionis. In foro tamen externo ad vitandas fraudes censentur verba menti conformia: et revera *nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit* (1); 3 *deliberata*, scilicet cum tali mentis advertentia et libero voluntatis motu, qui sufficiat ad constituendum peccatum mortale; cum sponsalia obligent sub mortali. Hinc non remanet obligatus qui ad ea injuste inductus est vi, vel dolo aut errore circa substantiam, vel circa substantialem conditionem; tunc enim careret voluntate ac sufficienti deliberatione (2); 4 *mutua*, idest cum reciproco consensu et repromissione; cum contractus iste bilateralis esse debeat: unde, repromissione deficiente, nulla sunt sponsalia et invalida. Quare si Titius promittat nuptias Cajæ, quæ promissionem acceptet quidem, sed non repromittat, *vi sponsalium* in Titio nulla oritur obligatio; nam sponsalia ex jure debent esse *mentio et repromissio nuptiarum futurarum*, ac proinde involvere debent tacitam conditionem: *si tu mihi repromiseris* (3); 5 *signo sensibili expressa;* omnis enim contractus inter homines celebratur per aliquod signum externum: puta verbis, nutibus, litteris. Hoc autem signum debet esse de futuro matrimonio, non de præsenti; alioquin non promissionem matrimonii, sed ipsum matrimonium exprimeret. Et notamus, quod S. C. Congregatio declaravit matrimonia clandestina neque uti sponsalia valere pro puberibus (4); 6 *inter personas idoneas*, id est, quæ tum ætatem a jure præscriptam habeant, tum nullo alio impedimento prohibeantur. Quoad *ætatem* jure canonico ad validitatem sponsalium septennium requiritur (5): et quidem completum; cum agatur de re adeo gravi et obligatoria. Attamen probabilius et communius docent quod jure naturæ etiam puer remanet obligatus, si perfecto usu rationis polleat, et aliquo modo onera comprehendat, quæ secum affert status conjugalis; nam tunc cum perfecta deliberatione se obstringeret. Quoad *cætera* autem *impedimenta*, illi dicuntur impediti, inter quos dari nequit matrimonium; sponsalia enim sunt promissio matrimonii: at frustra promittitur quod suo

(1) L. VII, § 2 *ff. de sup. leg.*

(2) Hic tamen hoc discrimen est caute notandum, quod ad peccatum etiam mortale sufficit voluntarium ac deliberatum in causa, sive indirectum; non vero ad sponsalia. Hinc promissio ebrii, licet antea prævisa et licet acceptata, non sufficit.

(3) L. I *ff. de sponsalibus*. Neque si desit talis repromissio, habetur impedimentum publicæ honestatis. — Diximus *vi sponsalium;* nam obligaretur promittens vi promissionis illius ad fidelitatem servandam, si revera constaret, ipsum voluisse se obligare independenter a repromissione alterius; stare enim potest promissio unius cum acceptatione alterius, qui non repromittat. At regulariter una pars non censetur se obligare independenter ab alia; quia quisque censetur velle contractum juxta ejus naturam.

(4) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI. — Notant Habert et Busembaum, quod sponsalia, ubi Tridentinum non est promulgatum, transeunt in matrimonium per quodcumque signum maritali affectu exhibitum, v. g. per copulam. Ubi tamen obtinet Tridentinum, id non valet: quia huic apponitur clandestinitas.

(5) C. ad dissolvend. 13 *de desp. impub.*

tempore non potest tribui omnino; vel nonnisi cum peccato, uti essent v. g. sponsalia Catholici cum hæretica vel vicissim; horum enim conjugium sine Pontificis dispensatione stricte vetatur; 7 *determinatas*: sicut enim matrimonium debet esse unius cum una, ita et promissio illius. Hinc si quis duabus simul promitteret, se unam ex illis fore ducturum, hæc promissio licet ab illis acceptata, induceret vinculum justitiæ, non sponsalium (1).

Q. 2. *An subarrhatio annuli, id est ejus in digitum immissio; vel missio munerum jocalium teneant locum promissionis sponsalitiæ?*

R. Hæc per se loquendo non tenent locum veræ promissionis sponsalitiæ; possunt enim fieri aliis de causis omnino diversis, v. g. ad solatium, ad risum, ad seductionem, etc. Excipe si hæc ex patriæ consuetudine veram promissionem determinarent: item si tractatus de matrimonio præcessisset inter amicos, et sic sponsus mitteret arrhas et munera jocalia, quæ a sponsa acceptentur. Ex his enim satis innuitur consensus. Ita communiter.

Verba vero hæc: *non ducam aliam præter te*, non constituunt per se vera sponsalia, ut docent valde communius ac verius Anacletus, Layman et Sanchez. Licet enim hæc importent, quod si ille velit uxorem ducere, non possit ducere aliam; præcise tamen non important, quod illam ducere teneatur; nam sunt verba negativa, et potest contingere, ut etiam ducat nullam: unde contractus remaneret suspensus. — Diximus *per se*; nam aliter esset, si ex circumstantiis colligeretur talem per illa verba voluisse sponsalia contrahere: vel si ipse verba adhiberet de præsenti, dicens v. g.: *nullam volo, nisi te*. In dubio verborum aut signi promissionis sponsalium, in foro interno videnda est intentio contrahentium: in foro externo standum est communi intelligentiæ, inclinando in favorem libertatis, ut ait probabilius Viva: quia quisque præsumitur se minus obligare quam potest.

Q. 3. *Quid de sponsalibus initis per metum* (2)?

R. Si *metus* sit *verus* et *gravis*, atque *injuste incussus ab extrinseca et libera causa*, docet sententia probabilior et communissima cum Azorio, Laymano, Sa, Salmanticensibus et Sanchez contra Vivam, sponsalia esse ex se invalida. Id deducitur ex illo canonici juris capite, ubi agitur de quadam puella, quæ contraxerat sponsalia cum juramento; sed invita minis parentum in domum sponsi adducta fuerat. Supponunt autem communiter cum Glossa, hanc puellam fuisse desponsatam per metum gravem injuste incussum. Res ad apostolicam Sedem delata est: quæ declaravit puellam liberam omnino ab illis sponsalibus (3).

(1) Aliter esset, si quis successive duabus promitteret: tunc cum prima contrahendum esset; quia cum illa sponsalia rite sunt consummata. Posteriora vero sponsalia non tenent; quia respiciunt promissionem jam alteri factam. Idque valet, ut communius et probabilius dicunt Anacletus, Croix, Elbel, Roncaglia, Sanchez, Sotus, quamvis cum secunda sponsa copula intercesserit, ac juramentum; neque per habitam cum alia copulam, jus alterius adimitur. — *V.* Liguori. *Op. Mor.* l. VI, n. 833.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 844 et 1056: gravitas metus sumitur respective ad personas: sane minus in fœmina, quam in viro ad animum dejiciendum requiritur.

(3) *Ex lit.* 11 *de desponsat. impuber.* Neque dicas contractus ex metu initos de se valere, licet queant irritari; nam circa sponsalia occurrit ratio diversa: in aliis contractibus, cum ipsi non sint per se nulli, neque eis resistat ulla dispositio juris positivi, bene potest qui metum passus

Diximus: 1 *metus verus*, ut excludatur metus reverentialis, qui est quædam solummodo erubescentia, nisi ei accedant minæ, verbera et alia hujusmodi; 2 *metus gravis;* si enim levis est, sponsalia obligant juxta communiorem ac probabiliorem Bonacinæ, Croix ac Vivæ sententiam; metus enim levis nulla fit æstimatio, cum is sufficientem advertentiam non auferat. Quod valere dicunt, licet metus causam dederit contractui, quamvis tunc permittant parti innocenti, ut resiliat ob injuriam irrogatam; 3 *injuste incussus:* si enim juste incutiatur metus, valent sponsalia, cum tunc ea nonnisi irrationabiliter respuantur; 4 *ab extrinseca et libera causa;* si enim sit vel ab intrinseco, v. g. morbo, vel a naturali causa, v. g. naufragio, valent sponsalia; quia tunc nulla fit injuria metum passo, qui potius inter duo libere eligit matrimonium ad se tuendum a malo.

Q. 4. *Quid circa sponsalia inita sine consensu parentum?*

R. Sponsalia sine consensu parentum contracta, nisi adsit rationabilis causa excusans, sunt illicita et peccaminosa; nam reverentia parentibus debita postulat, ut in re adeo momentosa filii eorum consilium expostulent, ac judicium quærant. An autem sint etiam invalida, affirmant Menochius, Gonet, Fagnanus cum aliis, nam ad illicita non datur obligatio; attamen communis sententia cum Alasia, Beraldi, Croix, Elbel, Layman, Sanchez, etc. docet hoc universim verum non esse; etenim parentum consensus non de necessitate, sed de simplici honestate requiritur a jure canonico; ideo nisi accedant aliæ circumstantiæ, hæc promissio (cum sit de re per se bona et honesta, uti est matrimonium) tenet etsi non omnis modus observetur in ea emittenda. Unde pro difficultatis solutione potius videndum est, an parentes sic initis sponsalibus renuant consentire irrationabiliter, vel rationabiliter: si 1, sunt valida sponsalia; nam in iis quæ pertinent ad matrimonium filii sunt sui juris: qui nihilominus poterunt resilire a sponsalibus, si parentes eis minentur malum grave non prævisum, puta exhæredationem, quia omnia sponsalia etsi jurata intelliguntur contrahi sub conditione, quod non superveniat gravis rerum mutatio, aut damnum. Si 2, nulla sunt sponsalia, casu quo justa dissentiendi causa *sit perpetua,* uti si matrimonium vergeret in dedecus familiæ; nam nemo potest obligari ad rem injustam exequendam: quod valet etsi accedat juramentum, vel etiamsi sponsalia jungantur cum stupro, nam ideo non aufertur illicitas. Hinc Urbanus I ait, quod *canonum et legum auctoritas talia sponsalia non approbat* (1).

Diximus si causa sit *perpetua;* si enim justa dissentiendi causa sit temporanea, ut si timeantur minæ vel discordiæ, quæ tractu temporis (ipsa experientia teste) de facili cessare solent, tunc valent sponsalia; sed eorum executio differenda est usque ad causæ cessationem: in his enim sponsalibus duplex habetur obligatio: una contrahendi simpliciter, alia contrahendi

est, si nolit contractum rescindere, obstrictus manere ad illum exequendum. Sed nemo potest obligari ad exequendum actum per se nullum, et cui expresse resistit dispositio juris, ut est matrimonium durante tali metu ineundum; nam ex adagio: *connexorum idem debet esse judicium;* atqui matrimonium ex metu gravi injuste incusso est irritum; ergo et sponsalia.

(1) Relatus Can. *Si rerum* 1, caus. 31, q. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 877.

tali tempore. Attamen compars non tenetur expectare diu, nisi consenserit in hisce sponsalibus sciens difficultatem.

Quid (quæres) *si parentes sponsalia contrahant pro filiis?* — R. Si parentes ipsi contrahant sponsalia pro filiis præsentibus et tacentibus, quoad forum externum, docent communiter sponsalia esse valida. Id declaravit Bonifacius VIII (1): *ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint nec contradixerint, obligantur* (2). Cæterum in foro interno, si filius dissentit, certe ad sponsalia illa non obligatur; ad veram enim obligationem contrahendam in foro interno, requiritur consensus verus et positivus: unde tunc præsumptio cedere debet veritati. — Si vero filii sint absentes, tunc si sponsalium a parentibus initorum conscii facti sint, non quidem casu, sed per nuntium, vel per epistolam a parentibus, probabilius dicunt Castropalaus, Concina, Paludanus, Salmanticenses et Sporer, sufficere ad eorum validitatem filiorum taciturnitatem, nec requiri pro foro externo ratificationem. Nam in favorabilibus qui non dissentit cum potest dissentire, consentire censetur: porro sponsalia a parentibus inita censentur cedere in favorem filiorum ob vehementiam amoris, quo eos diligunt. Unde D. Thomas: *robur habent* (sponsalia) *in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire in his, quæ per alios facta sunt* (3).

Q. 5. *An matrimonium mere* civile, *prout fit in Gallia coram magistratu laico, haberi possit saltem instar sponsalium?*

R. Cum Bouvier: affirmandum videtur, si contrahentes intentionem habeant recurrendi postea ad Ecclesiam: quia tunc non contrahunt matrimonium, sed tantum præscripto legis satisfaciunt ad effectus civiles, et simul se obligant, saltem implicite, ad vere postea contrahendum in faciem Ecclesiæ: unde promissio est. — Si vero partes contrahant per verba de præsenti sine intentione recurrendi ad Ecclesiam, et tunc non habetur nisi matrimonium clandestinum, quod vim sponsalium habere non potest, ut pluries declaravit S. C. C.

Q. 6. *Quomodo dividuntur sponsalia?*

R. Sponsalia dividuntur: 1 in *ecclesiastica*, quæ celebrantur coram Sacerdote ad id deputato, uti mos est in aliquibus locis, non apud nos: et in *clandestina*, quæ ineuntur absque ministerio Sacerdotali (hæc ab aliquibus dicuntur etiam *civilia*); 2 in *absoluta*, quæ a nulla pendent conditione: et in *conditionata*, quibus conditio adnexa est; 3 in *simplicia*, quæ pœnam in resilientem non important: et in *pœnalia*, quæ pœnam continent.

(1) C. un. § 2 *de desp. impub.* in 6.°

(2) Hic nomine *parentum* intelligitur etiam mater, ut communiter tradunt interpretes; hoc enim in loco non habetur respectus ad patriam potestatem, bene vero ad affectum parentum erga filios. Atqui matres non minus diligunt filios, quam patres ipsi: hinc in textu non dicitur *patres*, sed *parentes*. Et ob hanc rationem id negatur de cæteris: nempe non currit de patruo pro nepte, de fratre pro sorore, de tutore pro minore: ac multo minus de extraneis; in iis enim quæ sunt obligatoria, non valet adagium: *qui tacet, consentire videtur*. Sed valet illud: *qui tacet, non consentit*. Excipe nisi in aliqua regione talis sit usus, qui legem faciat.—V. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 838.

(3) In 4, d. 27, q. 2, ad 1. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVIII, n. 5.

CAPUT SECUNDUM

DE SPONSALIUM EFFECTIBUS (1).

Q. 1. *Quot sunt effectus sponsalium?*

R. Effectus sponsalium alii sunt a jure naturali; et est: 1 gravis obligatio contrahendi matrimonium promissum; 2 lex gravissima de non transeundo ad alia vota; 3 jus inchoatum ad rem in corpora mutuo: hæc enim omnia directe fluunt ab ipsis sponsalibus.

Alii sunt a jure canonico: et est impedimentum, ut vocant, *públicæ honestatis*, per quod sponsus in uxorem ducere nequit consanguineam sponsæ in primo gradu et vicissim. Hic effectus semper durat; et neque solutis sponsalibus solvitur, si ea valida et absoluta fuerint. Sponsalia autem valida sunt, etsi sola voce solisque signis inita sint, absque ulla publica authenticitate; consensus enim ad sponsalia non est necessario ulla solemnitate ligatus. Attamen monet Benedictus XIV tutius esse, si sponsalia in tabulis publicis vel privatis exarentur, ut sic, ubi fuerit opus, melius valeant comprobari (2).

Alii denique sunt a jure civili: et sunt pro nostra Hispania (3), ut si unus ex sponsis datam fidem renuat implere, ab altero coram judice laico conveniri possit ad omnia damna sibi compensanda, quæ vere et realiter passus est, nulla tamen habita ratione damnorum eventualium, vel clausulæ pœnalis. Ut tamen civilis lex hanc actionem tribuat, tria requiruntur: 1 ut sponsalia sint valida, et de hoc si conveniant sponsi, nulla alia fit investigatio; si non conveniant, judex ecclesiasticus id definit ex Tridentino (4), et Benedictina Instructione data anno 1742; 2 ut in publicam scripturam redacta fuerint; 3 ut consensus ascendentium vel consilii familiæ adfuerit, si res sit de sponsalibus filiorum vel minorum; de quo quidem consensu per authenticum actum constare debet (5).

Q. 2. *An oriatur obligatio in eo, qui ficte sponsalia promisit?*

R. Certum est quod ille qui ficte promisit sponsalia alteri parti vere repromittenti, graviter peccat illam decipiendo in re gravissima, ac ideo tenetur de damnis; cum fuerit illorum iniqua ac impellens causa. Imo et vere contrahere, si aliter damna illa reparare non valeat, vel si defloratio intercesserit, ut tenendum est cum D. Thoma; quia tunc damnum nullo alio modo

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 845. (2) *De Syn Diœc.* l. XII; et *Notif.* XLVI.

(3) Ley 7, tit. 5. 5. *V.* Schriche *Diccion. razon. etc,* sub verb. Spons. Arras. — *V.* Alasia, *De matrimonio,* quoad antiqua jura. (4) Sess. 24, can. 12.

(5) Ley 18, tit. 2, lib. 10, Nov. Rec. « Pero adviértase que aunque los esponsales contraidos por impúberes son válidos, no tendrán fuerza coactiva si no se ratifican espresa ó tácitamente por el varon en llegando á catorce años cumplidos y por la hembra en llegando á los doce. Sin embargo, ninguno de los impúberes podrá apartarse de los esponsales antes de la pubertad; pero podrá apartarse el primero que llegue á ella sin esperar á que llegue el otro; mas si un púber contrae esponsales con un impúber, no podrá ya rescindirlos el púber; pero podrá hacerlo el impúber luego que llegue á la pubertad. Ley 8, tit. 7, Part. 4; y Ferraris, Biblioth. verb. Spons. n.° 16, 17, 18, 19, et 20. N. E.

adæquato reparari potest (1). Verum utrum, præclusis damnis, ex vi ipsius promissionis ficte emissæ enascatur obligatio justitiæ adimplendi talia sponsalia, videndum est in quodnam cadat fictio; hæc enim potest in sponsalibus diversimode contingere: 1 si ea externe promittens non habuit animum vere contrahendi; 2 si habuit animum serio sponsalia contrahendi, sed non se ad ea obligandi; 3 si animum habuit vere ea contrahendi et se ad illa obligandi; sed non postea ea adimplendi. Hoc posito, dicimus: 1 promittentem exterius sponsalia, sed sine animo vere contrahendi, non tenetur stare promissis; quia promissioni defuit consensus internus, ergo nec fuit vera promissio, unde ex ea nulla oritur vera justitiæ obligatio; sed fallacia tantum verba quasi jocando habentur prolata (2);—2 neque illum teneri qui habuit animum sponsalia contrahendi, non tamen animum ad ea se obligandi: quod valet probabilius, etsi quis noverit ex promissione obligationem oriri; nam velle promittere et nolle se obligare, non est promittere; et sane qui ponit positivam intentionem non se obligandi, ponit conditionem contrariam substantiæ obligationis; ergo ipsam penitus destruit (3). Quod valet etsi promissio sit jurata, ut docent cum D. Thoma, D. Bonaventura et D. Antoninus; nam juramentum sequitur naturam promissionis: unde esto quod sic promittens peccet, Deum in testem falsitatis vocando vel saltem inaniter usurpando; non tamen obligatur stare promissis, quia obligatio nascitur ex promissione vera, non ficta;—3 certum est promittentem, qui habuit animum se obligandi ad sponsalia, non tamen ea implendi, teneri ad sponsalia, ideoque ad matrimonium; quia jam contraxit obligationem. Quod valet, quamvis ad obligationem non advertat; quia jam habet virtualem voluntatem se obligandi, cum ipse velit contrahere modo ordinario.

Q. 3. *Quandonam obligatio a sponsalibus orta implenda est?*

R. Si terminus fuit præfixus, eo adveniente, sponsalia sunt implenda: quia legitima pactio servanda est. Si nullum est præfixum tempus, tunc si altera pars ex oblivione, timore aut verecundia, ut præcipue evenit in fœminis, non peteret, tenetur sponsus de se sine petitione contrahere, cum commode possit. Sed si altera pars, quæ potest commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentiri. Hoc valet quoad sponsos; sed quoad judicem ecclesiasticum recte docet Sanchez cum divo Bonaventura, D. Antonino, Con-

(1) Suppl. q. 46, a 2. — C. 1 *de adult. et supr.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 832.

(2) Esto etiam quod ficte promittens peccaverit contra justitiam alteram partem decipiendo, non tenetur tamen ex justitia ponere verum consensum; cum nulla ei aderat obligatio contractum ineundi, et contra alter nullum acquisierit jus in eum ex suo consensu; ideo tenetur quidem ratione deceptionis postea damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere, et matrimonium contrahere.

(3) Dices: *quando quis vere promittit, non potest nolle obligari; cum id sit de natura contractus; obligatio enim est effectus naturalis promissionis, sicut calefacere est effectus naturalis ignis; ergo sicut posito igne, necessario sequitur calefactio, ita posita promissione, necessarii sequitur obligatio.*— R. Hoc est quidem probabile; sed semper probabilius est contrarium; nam contractus a voluntate pendet; ergo ubi deest voluntas se obligandi, necessario deficere debet obligatio. Paritas autem ignis non tenet; nam ignis supponitur vivus et verus; sed quid si extinguatur, vel sit ignis fictus? et talis est in casu nostro; extincta obligatione, extinguitur, ut ita dicam, ignis. *Sanchez.*

cina, Navarro, Roncaglia et aliis innumeris, quod non debet judex renuentem cogere ad matrimonium, si inde scandala aut rixæ timeantur. Sic enim legitur in jure (1): *ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit), in uxorem recipiat.* Hac de causa hanc praxim tradunt sequendam a Confessariis: *adhortationibus præmant executionem promissionis, et si eam obtinere nequeant, præcipiant reparationem damni, aut liberam utriusque partis compositionem, quod ordinarie melius est. Eam per se, vel per mediationem alicujus tertiæ personæ petant.* Bouvier.

Q. 4. *Quid de sponsalibus sub conditione initis?*

R. Conditio sponsalibus apposita per se loquendo illis non officit; cum tantummodo modum, non eorum substantiam respiciat: quomodo autem conditiones sint resolvendæ, non una sententia est. Alii docent eas accipiendas esse ad modum, quo accipitur conditio in ipso matrimonio apposita; nam sponsalia sunt via ad matrimonium: unde habere debent eadem consectaria. Alii vero contendunt hasce conditiones esse resolvendas sicuti resolvuntur conditiones aliorum contractuum; quia non currit eadem et adæquata ratio pro sponsalibus et matrimonio: sane hoc est insolubile, non item illa. Unde in hac sententia, si conditio est de re possibili, tenent sponsalia; si de impossibili sive de jure sive de facto, nulla sunt et invalida (2).

Quid autem (addes) *si sponsalia inita sint sub conditione: si Papa dispensaverit?*—Certum est promissionem esse nullam, si Papa in eo impedimento non sit solitus dispensare; nam quod Superior non solet concedere vel nonnisi difficillime, reputatur impossibile. Idem est, si Papa soleat quidem dispensare, sed spondentes causam non habeant; sicut enim Papa non debet dispensationem concedere sine causa legitima, ita nec sponsi illam petere.—Tota ac gravis quæstio est, quando Papa in tali gradu solitus est dispensare cum causa, adestque talis causa. Alii cum Barbosa, Berardi, De-Luca, Ledesma, Veracrux, Victoria et Vivaldo, dicunt illam promissionem sponsalitiam esse nullam, ideo requiri novum consensum, ut impetrata jam dispensatione, promissio convalescat, ac proinde licitum esse utrique contrahenti, ante impetratam dispensationem, etiam altero invito, resilire; nam impediti ad matrimonium sicut sunt inhabiles ad contrahendum, ita ad promittendum: et ita pluries declaratum fuit. Verum alii communius et verius cum Laymano, Lugo, Pontio, Salmanticensibus, Sanchez, Sporer ac D. Thoma (3), docent quod etsi illa sponsalia suspensa maneant ante dispensationem ob di-

(1) C. 10 *de spons.* Etiam in dubio melius erit, ut dicunt Tamburini et Concina, evitare damna talis matrimonii, quam damnum partis; maxime quia hæc conjugia malos exitus habere solent. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 845.

(2) Devoti, *Inst. jur. ubi de matr.* § 111.

(3) In 4, dist. 39, a. 1. ad 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 650; et l. VI, n. 859. — Quod tenet etsi nulla facta sit mentio dispensationis impetrandæ, si tamen impedimentum notum fuerit; nam talis conditio subintelligitur. Attamen contrarii citant novissimam declarationem S. C. Concilii 2 octobris anno 1857, quæ decernit talia sponsalia nulla esse omnino, etsi agatur de consanguinea violata, cui etiam sit facta promissio dispensationis obtinendæ; et ideo obtenta dispensatione, necessarium esse novum consensum, et interim utrique contrahenti liberum esse alia sponsalia inire, etsi non sit secundum honestatem promissis deficere. *V.* Diarium, *Il Campanile.* Torino; 4 novembris 1857, n. 130.

rimens impedimentum, neque ante conditionis verificationem inducant impedimentum publicæ honestatis; attamen remanent sponsi obligati ad expectandum conditionis eventum, et sponsalia cum alia persona inita essent nulla; fides enim data servanda est. Unde eo in casu contractus differtur ad tempus verificationis conditionis: quo veniente, jam contractus validus fit et absolutus sine novo consensu juxta illud: *actus factus tempore inhabili, relatus ad tempus habile, valet pro illo.* Sic votum Episcopi transeundi ad Religionem, si Papa dispensaverit, secundum omnes validum est: sic vertente lite de Beneficio, licet pacisci contendentibus de pensione danda *si Papa dispensaverit* (etsi ea conditione seclusa, pactum esset simoniacum), et vere obligat; ergo similiter in casu nostro. Nec obstare videntur leges ac decisiones Rotæ et S. C. C.; quia uti notat Alasia, intelligendæ sunt de casu, in quo aut non solet Papa dispensare, aut non adest dispensandi causa, aut alia occurrunt specialia rerum adjuncta, quæ promissionem illam infirmant.

Dices: in *sententia probabiliori qui inhabilis contrahit matrimonium sub conditione:* si Papa dispenset, si cesset impedimentum, *hoc cessante, de novo renovare debet consensum; ergo a pari dicendum de illo qui sub hac ipsa conditione contrahit sponsalia.*—R. Negamus paritatem; qui enim tenentur impedimento dirimenti, declarantur omnino inhabiles ad contrahendum ullo modo matrimonium, ideoque quem ponunt consensum, est omnino nullus, ideoque renovandus. Hoc autem non currit de sponsalibus; quamvis enim Ecclesia constituendo impedimentum dirimens inhabilitet prorsus ad contrahendum matrimonium; tamen non ideo inhabilitat ad illud promittendum, uti patet in impuberibus, qui valide quidem promittunt sponsalia, pro tempore pubertatis, attamen invalide contrahunt etiam pro ipso tempore pubertatis, sed ea habita novus requiritur consensus.

Q. 5. *An liceat sponsalibus apponere pœnam?*

R. Vel pœna sponsalibus apponitur generatim et absque personarum discrimine, ita ut quicumque ab iis resiliat, sive juste sive injuste, ad pœnam cogatur. Vel apponitur speciatim et cum limitatione ad solam eam partem, quæ injuste resiliat.

Si 1, pœna est illicita et invalida; quia per eam læditur matrimoniorum libertas: *cum itaque,* legit jus canonicum, *libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus* etc. (1). Quo in casu si pœna soluta sit, probabilius docent Hurtadus, Palaus, Salmanticenses aliique contra Lessium et Sanchez, eam esse restituendam; quia nullus adest eam retinendi titulus, dum lex irritat talem promissionem (2). Quod valet, etsi pœna hæc fuerit juramento firmata; quia juramentum non potest esse vinculum rei a lege prohibitæ.—Si 2, idest si

(1) Cap. *Gemma* 29 de sponsalib.

(2) L. fin. c. *de spons.* Hinc communissime tradunt eos peccare (mortaliter, juxta alios venialiter) qui sponsalia ineunt cum hac pœna vel a se ipsis *vel a consanguineis aut amicis apposita;* quia faciunt contra legem, quæ libertatem matrimonii tuetur. Dicimus *vel a consanguineis aut amicis apposita;* cum enim damnum propinquorum et amicorum reputemus damnum nostrum, ideo semper est læsio libertatis, et periculum involuntarie contrahendi ob timorem illius pœnæ. Secus ergo esset, si motu proprio et absque ullo sponsorum mandato pœnam apponeret aliquis extraneus; extraneorum enim damnum non ita urget nos. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 853.

pœna apponatur cum limitatione ad solam eam partem, quæ injuste resiliat, est quidem probabilis sententia Bonacinæ, Concinæ et Sanchez, qui etiam in illo casu invalidam tuentur pœnam appositam; quia adhuc aliquatenus libertas matrimonii læditur. Attamen probabilior est opinio Anacleti, Layman, Pontii, Roncagliæ, Salmanticensium, Suarez ac Vasquez, qui tunc affirmant eam esse validam et licitam; non est enim contra jus naturale, quin imo rationabile est in jure naturali, ut pœna imponatur injuste resilienti a contractu. Neque contra jus positivum; quia hoc jus loquitur de pœna, quæ turbat matrimonii libertatem: atqui pœna speciatim apposita cum limitatione indicata, rationabilem matrimonii libertatem non turbat.

Q. 6. *An sponsalibus apponi possint arrhæ?*

R. *Arrharum* nomine venit quod in pignus matrimonii celebrandi traditur a sponsis vel a parentibus (1). Arrha differt: 1 a *pœna*, quæ per se culpam supponit et odiosa est; arrha autem nullam pœnam importat; 2 a *promissione*, qua nondum res est tradita. Hæc promissio in sponsalibus approbatur, si sit facta a muliere (2); quia tunc censetur facta causa dotis: non vero si sit facta a viro (3); quia tunc jure præsumitur facta ob causam turpem, nisi aliud juste colligi possit; 3 a *largitate sponsalitia*, quæ fit simpliciter in re parva ad captandam benevolentiam: et absolute tribui censetur; quamquam aliquando hæc elargitio cum arrha confundatur.—Hoc posito, dicimus: arrhæ quæ sponsalibus apponi solent, probantur in jure; cum tribuantur, ut firmior evadat contractus: unde etiam, iis restitutis, vinculum sponsalium non solvitur (4). Leges autem improbarunt pœnas ac promissiones, non arrhas; quia arrhæ utpote statim tradendæ, non solent concedi, nisi in exigua quantitate, et cum matura deliberatione. In pœna autem et promissione, cum res non tradatur cito, facile et incaute offertur in quantitate magna; experientia enim docet homines faciliores esse ad promittendum, quam ad reddendum (5).

Q. 7. *Quænam sunt sponsorum officia post sponsalia?*

R. Sponsi post rite inita sponsalia curare debent:

1. Ut aliquo temporis spatio ante conjugium Confessionem faciant perito Confessario, eaque præsertim peccata aperiant, licet jam declarata, ex quibus oriri potest aliquod impedimentum. De hisce porro sunt caute interrogandi, ne facta, instantibus nuptiis, Confessione, in graves incidant angustias, si forte detegatur impedimentum.

2. Ut christianæ Religionis rudimentis, si opus sit, bene instruantur; Parochus enim tum ex Rituali R. tum ex decreto S. C. C. confirmato et a Clemente XI et a Benedicto XIV, Encyclica *Etsi*, 2 februarii 1742, nequit vel ad

(1) L. XXXV *de contr. empt.* (2) C. *de illis* 3 de cond. app.

(3) L. 97, § 2 ff. *de verb. ob.*

(4) L. XXXV *de contract. empt.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 852.

(5) Ab antiquo jure statutum est circa arrhas: 1 secuto matrimonio, arrhæ redeunt ad tradentem; 2 si qui arrhas dedit, juste resiliat a sponsalibus, eas sibi recuperat; si injuste, amittit; 3 si injuste resiliat qui arrhas accepit, reddet quantum accepit, si ætate sit minor. Si vero major, tunc restituet duplum, nempe amittet proprias et restituet acceptas. Imo ad quadruplum etiam teneri poterit, si ita conventum fuerit; ultra quadruplum leges pacisci prohibent. — *V.* l. V *Cod. ubi de spons.* — *Arg.* l. XIX *ff. de verb. obl.* — *D.* l. V. — *Arg. dictæ legis*, § *Patrem vero* etc.

ipsas proclamationes procedere, nisi prius sponsos in rebus fidei instructos inveniat vel certo sciat: secus neque possent christiane prolem instituere. Attamen non est a matrimonio prohibendus qui scit præcipua fidei nostræ mysteria, sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam illa retinere et recitare non valet, si saltem aliquo rudi modo ea perceperit; *sed curabit Parochus*, concludit idem Benedictus, *ut iste frequenter audiat quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur* (1).

3. *Ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent* (2), prout habet Tridentinum; id enim esse non potest generatim sine animæ periculo. Et curandum etiam, ne celebrationem matrimonii diu protrahant: quia ex dilatione solent non raro sequi peccata et scandala. Et interim curetur, ne sponsi soli maneant, sed semper habeant aliquos propinquos, vel alios præsentes: quæ res uti gravissimi momenti habenda est. Aliqui dicunt non esse negandam absolutionem juveni et puellæ, qui aliquo tempore sese solos invisunt animo matrimonium contrahendi; quia nemo tenetur ducere personam sibi ignotam. Hæc doctrina, quæ speculative videtur rationabilis, in praxi, teste experientia, valde periculosa est, et vix semel aut iterum et maxima cum cautela permittendum esset sponso ad domum sponsæ accedere, et sponsæ aut parentibus illum excipere. Nam testantur Confessarii, qui longo exercitio rerum hujusmodi experti sunt, raro inveniri qui in talibus accessibus non peccaverit, saltem verbis aut cogitatione; cum omnes aspectus et colloquia inter tales personas sint totidem proxima incentiva ad malum. Unde etiam *vix sponsis permitti possunt* (concludit S. Alphonsus) *oscula illa vel amplexus, quos mos patriæ permittit, modo non sint pressi, neque per notabile tempus protracti:* quamvis enim illa pudica sint, attamen *moraliter est impossibile in talibus actibus causa voluptatis habitis, se continere a non labendo in pollutionem, vel copulæ consensum* (3) *(E).*

Synodus Novariensis vult graviter increpandos parentes in hoc delinquentes.

(1) *V. De Syn.* l. VIII, c. 14. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 54. Hic audiatur Synodus Laudensis celebrata anno 1854: *Parochus ipse personaliter, nisi gravis necessitas coadjutorem substituere exigat, istud examen utriusque sponsi separatim instituat; et consensum, non promissionem de futuro matrimonio, antequam publicationes in Ecclesia fiant, excipiat: id vero fieri non liceat in domibus privatis, sed in cubiculo residentiæ parochialis, januis quidem apertis, sed comitatu sponsorum ita remoto, ut queat videre, non autem audire sponsos, dum interrogantur separatim a Parocho.*

(2) Sess. 24, c. 1. — « Cuilibet Parocho (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.* tract. VII, n. 32) elaborandum esset, ne verba sponsorum acciperet, nisi paulo ante matrimonium contrahendum: cum experientia observemus, initis sponsalibus, totum illud temporis spatium inter nuptias intercedens esse tempus peccatorum. »

(3) *Opus Mor.* l. VI, n. 834. — Unde illud D. Thomæ (2, 2, *q.* 154, a. 4; et *q.* 169, *a.* 2). licitum esse quibusdam signis et honestis significationibus ad matrimonium ineundum invitare, caute accipiendum est; versamur enim in re admodum periculosa. *Qui puellam in matrimonio requirens eam quandoque v. g. in adventu et profectu, honeste amplexatur, sino periculo motuum libidinis, aut saltem sine periculo eis consentiendi, peccati mortalis non est accusandus: imo si adsit ratio hunc actum cohonestans v. g. timor fundatus ne apparreat scrupulosus, aut singularis, ne in derisionem aliorum incidat, nullatenus peccabit. Simili ratione excusatur puella quæ amplexus honestos declinare non potest,*

CAPUT TERTIUM

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

Q. 1. *An possint sponsalia semel inita dissolvi?*

R. Certum est sponsalia semel inita dissolvi posse, cum non pariant vinculum indissolubile, etsi jurata sint; quia juramentum contractui adnexum ejus naturam et conditiones sequitur. Ut tamen legitime solvatur quod legitime ligatum est, et causa rationabilis requiritur et debita auctoritas. Causæ legitimæ habentur communiter: *sponsorum consensus, impedimentum superveniens, notabiles defectus animi vel corporis, discessus vel mora unius ex sponsis, et melioris status electio* (1). Auctoritas autem debita vel est privata vel publica.

Q. 2. *An mutuo consensu possint dissolvi sponsalia?*

R. Sicut quilibet contractus dissolvitur per mutuum consensum, ita etiam sponsalia, *si intercedant conditiones requisitæ;* ex notissimo enim juris principio, *res eo modo dissolvi potest, quo fuit colligata.* Atqui sponsalia per mutuum consensum colligantur; ergo per mutuum consensum possunt ordinarie dissolvi.

Diximus: *si intercedant conditiones requisitæ;* et sunt: 1 *consensus liber* ex utraque parte; si enim adsit metus gravis vel dolus, sponsalia non dissolvuntur; nam quod metu gravi vel dolo fit, non fit libera voluntate; 2 *causa,* si sponsalia sint juramento firmata: idque ob illius reverentiam. Verum id tantum de honestate requiritur et sub levi; cum juramentum sequatur contractus naturam; 3 *pubertas:* quamvis enim impuberes valide sponsalia contrahere possint, non tamen ea solvere. Id vetat lex canonica ob eorum levitatem et inconstantiam; ne continuo solvant et contrahant (2). Unde impuber debet expectare pubertatem: qua adepta, etiam altero renuente, ei resilire fas est, modo id agat intra triduum a die cognitionis tum pubertatis tum privilegii (3). Excipe ex Alexandro III eos qui pubertati proximi sponsalia juramento vel copula firmaverint, qui prohibentur resilire, comparte renuente (4).

Q. 3. *Quomodo ob impedimentum superveniens sponsalia solvantur?*

R. Distinguenda sunt impedimenta impedientia a dirimentibus:

1. Impedimenta impedientia (excepta melioris status electione) non solvunt sponsalia, ut docent probabilius et communissime Coninchius, Palaus, Paludanus, et Sanchez contra Sotum; nam loquendo *de tempore feriato* et *Ecclesiæ vetito,* hæc tantum suspendunt matrimonii celebrationem. Loquen-

quin ludibrio exponatur, vel juveni eam requirenti displiceat, Ita Bouvier. *Dissertatio in sextum præceptum* etc.

(1) *V.* Zellinger *Jur Eccles.* l. VI, tit. 29. (2) C. *d illis* 7 *de desp. impub.*

(3) L. III *eod.* de *err. adv. V.* adnot. nup. pro Hispania positæ.

(4) C. *ex lit.* 10 de spons. Præterea puberi, qui cum impubere contraxit, ex hoc capite resilire non licet sine alterius puberis facti consensu. Quia ille ex hujus privilegio odium tantum participat. —*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 855.

do vero de *novis sponsalibus* post prima initis, ea nullius roboris sunt; cum sint promissio de re jam alteri obligata (1). Neque per se obtinent, licet priora illa dissolvantur; quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit (2).

2. Impedimenta dirimentia certe sponsalia dissolvunt ex parte innocentis, cum tunc matrimonium nequeat ampliuslocum habere, neque per ipsum stet quod fuerit impeditum: esset v. g. si sponsus, initis sponsalibus cum Lucia, postea cum sorore Luciæ commercium carnale habeat; tum enim exurgit impedimentum dirimens affinitatis. At probabilius et communius est, sponsalia non solvi ex parte nocentis, qui scilicet impedimentum posuit; quia æquum non est, ut commodum ex sua iniquitate reportet, et alteri fidem frangat (3). Unde tunc obligatio sponsalium suspenditur usque dum tollatur per dispensationem impedimentum: hanc tamen dispensationem pars innocens non tenetur admittere, nisi forte gravia mala ex dissolutione sint oritura. Quod si innocens matrimonium urgeat, probabilius tenetur nocens ære suo dispensationem expostulare, si dispensatio facile posset impetrari, secus nocenti sua iniquitas patrocinaretur. Si tamen ad eam requirerentur magnæ expensæ et longa mora, ad illam obtinendam deobligaretur, quia obligatio ex sponsalibus orta urget ad ponenda media tantum ordinaria: excipe nisi esset reparandum damnum deflorationis vel famæ deperditæ; tunc etiam magnæ expensæ erogandæ sunt.

Casus: *Titius, initis sponsalibus cum Berta, matrimonium contrahit cum Lucia; si Lucia uxor nunc moriatur, reviviscunt ne prima illa sponsalia cum Berta contracta?*—R. Nobis absolute probabilius est cum Gonet, Vega, Palao, Roncaglia et Sylvio prima illa sponsalia reviviscere ex regula generali, quod nemo potest ex suo delicto commodum reportare. Sane prima illa obligatio a nullo jure irritatur: non a jure positivo; quia hoc nullibi legimus constitutum: non a jure naturali; quia inspecto jure naturæ, hæc sponsalium obligatio suspenditur quidem, durante illo matrimonio; sed dici non potest extingui. Sic patet in eo, qui post votum ingrediendi Religionem matrimonium consummaret: iste, fatentibus omnibus, mortua conjuge; ipso etiam jure naturali inspecto, teneretur votum implere (4).

(1) Excipe si sponsalia inita sint cum copula iis in locis, in quibus Tridentinum non est promulgatum; in iis enim locis ista sponsalia transeunt in matrimonium.

(2) Hæc observanda sunt cum Alasia: 1 partem innocentem posse a sponsalibus resilire; quia quantum in se est, *frangenti fidem fides servanda non est;* 2 vim habere secunda sponsalia, si ea contrahens causam habeat a primis resiliendi; tunc enim ipso facto jam censetur resilire; 3 contrahentem secunda sponsalia invalida teneri compensare omnia damna secundæ sponsæ priorum sponsalium ignaræ; quia per suum delictum illorum causa impellens et iniqua fuit. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 857.

(3) Si tamen utraque pars sit innocens, tunc ex supervenienti impedimento dissolvuntur penitus sponsalia; quia sine culpa jam est factum impossibile matrimonium; vel saltem difficile, si esset impetranda dispensatio, de qua nulla tunc obligatio.

(4) Nec dicas vinculum primum penitus extingui per vinculum subsequens; cum sit fortius et ejusdem naturæ, uti sunt matrimonium et sponsalia. Nam respondetur, nihil referre, an obligatio subsequens sit fortior ac ejusdem naturæ necne, semper ac possit primæ obligationi satisfieri; tantum attendenda est conditio vinculi subsequentis. Si hoc est ex natura sua perpetuum, utique extinguitur prima obligatio: si vero est temporarium, illa solummodo suspenditur, donec impleri

Q. 4. *An per notabilem defectum sponsalia dissolvi possint?*

R. Ob defectus notabiles vel de novo supervenientes, vel antecedentes, sed noviter detectos, sponsalia dissolvi posse certum est, licet jurata sint. Nam sponsalia semper inita censentur sub tacita conditione: *ut mutatio notabilis non contingat* (1); at per defectum notabilem notabiliter sponsorum conditio mutatur. Quod valet, etsi unus ex sponsis sit in mora culpabili; nam si peccavit differendo matrimonium, non peccat jure suo utendo, nempe solvendi sponsalia ob mutationem notabilem. Ea autem censetur mutatio notabilis, qua existente et nota, judicio prudentis, sponsalia inita non fuissent: quod quidem contingere potest in bonis tum animi tum corporis tum fortunæ.

Quid (quæres) *si defectus sint occulti? suntne aperiendi?*—Vel agitur de defectibus, qui redderent nuptias perniciosas: uti esset v. g. graviditas ex alio in sponsa; aut gravis infamia, lepra aut alius morbus contagiosus in alterutro. Vel agitur de defectibus, qui redderent quidem nuptias minus appetibiles, sed non perniciosas, v. g. si sponsa sit pauper quæ putabatur dives, deformis quæ pulchra, corrupta quæ virgo (non tamen prægnans).

Si 1, tenetur pars laborans defectibus eosdem manifestare; aut melius, a matrimonio contrahendo desistere (nisi tamen altera pars eosdem vel similes defectus haberet, nam tunc esset compensatio); sicut enim peccat contra justitiam, qui alteri vendit merces noxias credenti bonas; ita peccat a fortiori, qui cum suo pernicioso defectu vult matrimonium contrahere. Si 2, non potest quidem sponsa virum decipere dicendo, vel fingendo se immunem a tali defectu; non tenetur tamen illum manifestare. Et ideo poterit etiam interrogata, dissimulare ambigue respondendo, uti dicunt Croix, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez et Sporer contra Concinam; id enim videmus communi consuetudine receptum, et sane nemo tenetur defectum suum cum propria infamia detegere, quoties silentio alterius jus non lædit (2). Excipe tamen, si periculum immineat, ne inito matrimonio defectus detegantur, qui ideo sint causa gravium malorum, rixarum, damnorum, etc.

Q. 5. *Quid de mutatione in bonis animi et corporis quoad sponsalia?*

R. 1: Notabilis mutatio in bonis animi sponsalia rite dissolvens contingit: 1 quando sponsus cognoscitur ebrietati, ludo, blasphemiis et impietati deditus; 2 quando in eo deprehenditur gravis morum asperitas, sævitia vel infamia. Hæc enim, quæ plerumque faciunt, ut contractum matrimonium quoad habitationem solvatur, multo magis facere debent, ut illud impediatur contrahendum. His adde: si ex conjugio timeantur graves nimicitiæ, odia, rixæ inter conjuges, vel inter eorum parentes aut consanguineos (3).

possit, cessante vinculo illo. Si quis v. g. equum suum venderet uni et postea eumdem venderet et traderet alteri, casu quo in ejus dominium iterum veniat equus, nonne teneretur eum consignare emptori primo? l. XV *Cod.* de *rei venditione.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 875.

(1) Ex l. V eod. de *spons.*

(2) Neque dicas sponsum, cognito defectu, habere jus resiliendi, opponendo exceptionem defectus ejusdem: ideoque sponsam non recte talem defectum occultare. Nam usquedum ea exceptio non fit, sponsa prosequitur jus suum sponsum compellendo ad sua promissa implenda: sicut adultera, usquedum vir non opponit exceptionem propter cognitum adulterium, potest, ab eo debitum petere. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 865.

(3) Arg. c. 13 in fine *de rest. spoliat.* — C. *Super eo* 2 de consang. — Arg. c. 2 et 17 *de spons.* — S. C. C. 24 aug. 1723. — C. 27 *de spons.*

R. 2: Mutationem in bonis corporis ad dissolvenda sponsalia sufficientem sic jus explicat: *si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica; vel oculos vel nasum amitteret; vel quidquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eum ducere* (1)? Idem valet de notabili venustatis amissione in sponsa, si amissio tanta sit, ut, si ab initio exstitisset, sponsalia non fuissent inita; (in sponso tamen major requiritur deformitas ad sponsalia solvenda; cum in eo non tanti venustas æstimetur). Idem valet, si sponsa clauda facta sit: ex S. C. C. 22 febr. 1698.

Quid (dices) *si in sponsis fornicatio contigerit?* — R. 1: si sponsus fornicatus sit post sponsalia, sponsa potest resilire, cum ei sit rupta fides; si ante sponsalia, dicunt communius ac probabilius non posse sponsam resilire. Quia ex una parte fides nulla frangitur, nondum initis sponsalibus; ex altera in communi æstimatione non ideo censetur vir factus notabiliter vilior. Excipe nisi prolem suscepisset, nam est probrosum mulieri talem virum habere; vel huic vitio esset deditus, cum pluribus congressum habendo, nam tunc dubitari potest de illius fidelitate, etiam matrimonio contracto;—2 si vero sponsa sit fornicata, jam initis sponsalibus, certum est, virum liberum fieri: quod valet licet sponsa per vim cognita fuerit, ut dicunt communiter et verius. Idque jus confirmat, quod quidem permittit sponso repudiare sponsam vi raptam, aut si ipsa permisit se impudice tangi (2). Quod valere etiam dicunt, quamvis fornicatio sponsalia antecesserit, si de illa compars inscia fuerit. Ratio omnium est: quia sponsa in communi æstimatione fit notabiliter vilior per copulam, et sponsus contrahendo matrimonium bigamiam incurrit (3); —3 si demum fornicatio se teneat ex utraque parte, non una sententia est. Alii utrique sponso resiliendi jus tribuunt; quia fides violata est ex utraque parte. Alii neutrum resilire posse tuentur; quia mutua delicta pari compensatione delentur. Alii tandem docent posse sponsum resilire, non sponsam; quia longe turpior est sponsæ fornicatio: unde licet detur compensatio delicti quoad ipsam fractionem fidei; non tamen, uti ajunt, ea æque datur quoad vilitatem (4).

Q. 6. *Quid de mutatione in bonis fortunæ quoad sponsalia?*

R. Mutatio in bonis fortunæ in sponsis contingit præsertim: 1 per supervenientem paupertatem in utroque sponso: vel si alteruter detegatur nimio ære alieno gravatus, quin habeat, ut de facili solvat; vel si inde timeat exhæredari, etc.; 2 per amissionem dotis, vel per notabile præjudicium in bonis paraphernalibus ex parte sponsæ. Sed in hac re non una regula esse potest: ut enim dissolvantur legitime sponsalia ob talem mutationem, videndum est, num omnibus pensatis, nuptiæ reddantur tantum minus appetibiles; an etiam nimis gravosæ et noxiæ, quibus prævisis, sponsalia inita non fuissent: nam tantum in secundo casu sponsalia solvi legitime possunt.

Quid si alterutri sponsorum superveniat ingens hæreditas?—Negant com-

(1) Innocentius III in c. 25 *de jurej.* — Idem valet cum proportione *de viro*.

(2) C. *raptor*. 33. caus. 28, q. 2. (3) *V.* De Irregularitate. *Tract. de Ordine.*

(4) Quæ hactenus de fornicatione dicta sunt, item valent de *osculis, tactibus* et *impudicis amplexibus* (præsertim in sponsa); si hæc talia sint, unde recte præsumi possit violatio fidei conjugalis, inito conjugio — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. nn. 860 et seqq.

munissime Concina, Roncaglia et Sanchez ideo sponsalia dissolvi posse; quia non fit magis onerosum matrimonium. Sed affirmant Leander, Hurtadus, Trullenchus, etc.; nam tunc conditio sponsorum revera mutatur (1). Nos non audemus consulere, ut prima sententia deseratur; sed si conditio aliorum sponsalium esset longe melior, nec auderemus (meliori advertentia salva) illico damnare sponsum, qui vellet a primis resilire; cum magni lucri amissio magno damno æquivaleat: ita invenimus sensisse multos Theologos in vita S. Joannis a Capistrano, qui tamen erat contrariæ opinionis.

Quid (quæres) *si sponsi sint notabiliter dispares conditione?*—Status disparitas videtur sufficiens ad sponsalia solvenda, si sponsi illam ignorabant; sponsalia enim semper inita censentur inter pares. Si autem sponsi disparitatem status jam noverint, tunc si matrimonium non possit contrahi sine familiæ dedecore aut magno scandalo, adhuc promissio sponsalitia non obligat, utpote versans circa rem illicitam, ad quam nemo potest se obligare; sed ista disparitas debet esse notabilis, quæ veram admirationem ac perturbationem in familia pariat: puta si vir nobilis desponsaret filiam vilis mechanici vel agricolæ.—Quod si matrimonium contrahi possit sine familiæ dedecore, nempe si disparitas sit tantum in divitiis, non vero in nobilitate, eo in casu adhuc per se loquendo videtur dicendum sponsalia non obligare; quia illa promissio est nimis prodiga, ideoque illicita: at nemo tenetur ad exequendum illicitum, licet sit tantum venialiter illicitum; ut communius et verius tradunt Suarez, Sotus, etc. Diximus *per se loquendo;* nam valerent sponsalia, si fœmina peculiari prærogativa honestatis, nobilitatis, prudentiæ ac pulchritudinis præstaret, propter quam putet sponsus se cum ea quietam ducturum vitam; tunc enim fieret compensatio. Et idem omnino est, si intercesserit defloratio; nam proditio virginitatis aut bonæ famæ saltem æquivalet excessui disparitatis sponsi: unde cessat tunc prodigalitas.

Quid (addes) *si adsit causa sic contrahendi, sed adhuc contradicant parentes, et inde ex conjugio timeantur damna et odia inter ipsos?*—Sanchez docet, abstinendum a matrimonio ex lege charitatis: imo nulla esse sponsalia; cum sint promissio de illicito. *Fateor* (ait S. Alphonsus, qui sedulo hanc quæstionem discutit; cum hic casus frequenter occurrat), *fateor quidem, hanc esse communem sententiam, et per se loquendo veram, quando filius commode hujusmodi scandalum vitare posset. Sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductæ videtur obstare, quod charitas non obligat cum gravi incommodo..... Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur matrimonium cum puella, cum qua credit quietam ducturum vitam ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam?..... Quapropter melius dicendum mihi et aliis doctis junioribus videbatur cum Palao, tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus, ab hujusmodi matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tanto magis, quod (ut dicunt ipse Sanchez et Holzman) hujusmodi scandala, quamvis antea jac-*

(1) Hoc secundum probabilius dicit Bouvier, *quia tunc tanta est mutatio fortunæ, ut persona, quæ eam prævidisset, eodem modo contrahere noluisset; si tamen resiliat, damnum alterius compensare debet.* Hinc patet etiam quid dicendum sit de casu, quo sponso post inita sponsalia offeratur conjugium cum sponsa longe ditiore.

tentur; inito tamen matrimonio, facile evanescunt, et animi conciliantur. Cæterum cum hoc sit contra commune, propterea sapientibus discutiendum relinquo (1).

Aliter esset, si ex tali matrimonio sit oriturum malum commune toti regioni: ut si in oppido parvo plures graviter perturbarentur familiæ. Nam bonum communitatis nostro præferendum est.

Q. 7. *An ob discessum unius e sponsis possint solvi sponsalia?*

R. Si sponsus alio transferat suum domicilium, inscia vel invita sponsa, aut si abeat in longinquam regionem, etiamsi cum animo redeundi, jure poterit sponsa transire ad nuptias alias (2); censetur enim sponsus eo facto juri suo renuntiasse. Neque compars est liganda cum periculo incontinentiæ, vel alias amittendi nuptias.

Si vero sponsus non alio transferat domicilium, et non abeat nisi in locum propinquum, tunc vel expectandum donec reddeat; vel postulari debet, ut intra certum tempus accedat. Quod si requisitus reditum ex juxta causa distulerit, causa ipsa remittenda erit arbitrio judicis Ecclesiastici, cujus *erit admonere partem absentem, ut intra certum tempus contrahat: et terminum debebit eidem determinare, quo transacto, liberum erit alteri parti a sponsalibus resilire.* Ita S. C. C. 2 oct. 1725 (3). Nec obstant veteres leges civiles, quæ obligant ad expectandum ad biennium vel triennium vel quadriennium juxta rerum adjuncta. Nam hæ leges respiciunt amissiones dumtaxat arrharum (4).

Q. 8. *Quid de mora in promissione sponsalitia adimplenda?*

R. Si nullus terminus sit præfixus ad sponsalia implenda, per moram ex neutra parte ea dissolvuntur; quia cum absolute ac indeterminate inita sint, omni tempore obligationem servant. Hoc tamen cum grano salis accipiendum; si enim nimis differatur tempus, sponsalia solvi possunt ex parte ejus, qui non est causa dilationis; nam altera pars sic videtur cedere juri suo (5).

Si autem terminus sit præfixus, videndum est: an præfixus sit tantum ad obligationem sollicitandam, vel ad eam non differendam: v. g. *contraho tecum, et volo, ut non protrahatur celebratio matrimonii ultra bimestre.* An vero ad obligationem terminandam et extinguendam: v. g. *contraho tecum, dummodo intra bimestre matrimonium celebretur; secus nulla et invalida sit hæc nostra promissio.* Si 1, duplex est obligatio, una contrahendi, altera contrahendi intra bimestre: patet autem tunc qui secundam obligationem neglexerit, eum adhuc priore esse devictum: licere e contrario parti paratæ resilire, ob culpabilem alterius moram (6). Si 2, licet parti, per quam non stetit dilatio, resilire, uti omnes docent cum Angelico (7): quod communiter

(1) *Opus Mor.* l. VI, n. 851; et *Homo Apost.* tr. XVIII, n. 19.

(2) C. *de illis* 5 de spons. (3) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI.

(4) L. II *Cod.* de *spons.*—L. II *cod.* de *repud.*—L. XVII, *ff.* de *spons.*

(5) Quænam autem *gravis mora* sit, alii dicunt *annum;* aliis *duos* annos; alii *tres.* Sed melius ad omnem litem de medio tollendam, attentis circumstantiis, id omnino erit a judice ipso definiendum. —*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 858.

(6) C. *Sicut* 22 de spons. (7) In 4, d. 27, q. 2, a. 3.

et probabilius cum Concina, Laymano, Navarro et Roncaglia valere contendunt, etiamsi terminus defectu alterius partis inculpabiliter fuisset elapsus; nam tempus apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis.

Sed (quæres) *an elapso termino præfixo ad ineundas nuptias, a sponsalibus liberetur etiam pars, quæ est in culpa?*—Si ex utraque parte stet culpa, utraque liberatur; quia utraque pars, tempore præfixo non contrahendo, implicite proprio juri cedit. Si vero stet culpa ex parte unius tantum, an iste liberetur, duæ sunt sententiæ: non improbabiliter affirmant Concina et Roncaglia cum D. Thoma (1); quia terminus est conditio intrinsece afficiens contractum: ergo illo quomodocumque deficiente, et contractus deficit. Sed attenta ratione et communiori sententia Coninchii, Laymani, Navarri, Salmanticensium, Sanchesii, etc. videtur valde probabilius oppositum: sane nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare. Ut autem dignosci possit, an terminus præfixus ad implenda sponsalia sit ad sollicitandam, an vero ad extinguendam obligationem, tres communiter regulæ assignantur, et sunt: —1 si terminus ab una tantum parte ponatur, altera se negative habente, censetur appositus ad sollicitandam obligationem, non vero ad finiendam. Si vero ponatur ab utraque, censetur appositus ad eam terminandam;—2 si terminus ponatur antequam sponsalia celebrentur, censetur ad terminandam; si post, censetur positus ad obligationem sollicitandam;—3 si adhuc res dubia sit, censebitur terminus appositus ad sollicitandam obligationem, si adhuc commode contraheretur matrimonium: secus ad eam terminandam.

Q. 9. *An post inita sponsalia fas sit eligere Religionem?*

R. Per se loquendo fas est post inita sponsalia Religionem eligere; quia promissio sponsalitia semper de jure censetur emissa sub conditione: *nisi status perfectior eligatur*. Est certum et tenet, saltem in sententia communiori, etiamsi juramento fuerint sponsalia confirmata; quia juramentum contractui adnexum sequitur naturam ejusdem. Unde etiam votum Religionis ingrediendæ, eamque profitendi licet emittere; quia est de bono meliori. —Diximus *per se loquendo;* nam si sponsus jam sponsam spe matrimonii deflorasset, et multo magis si proles inde nata esset; vel aliter scandalo aut sponsæ infamiæ occurri non posset; teneretur tunc a Religione abstinere, votique dispensationem petere, si eam jam forte vovisset. Ratio urgens est, tum quia sic agens censeretur illi conditioni tacite renuntiasse; tum quia ex ipso naturali jure scandalum, alterius infamiam, aut aliud quodcumque grave damnum per nos illatum tollere cogimur, potius quam Religionem eligere.

Sed (quæres) *an per ingressum unius e sponsis in Religionem, vel per votum Religionis ingrediendæ solvantur sponsalia ante ipsam professionem* (2)?—

(1) L. cit.

(2) Certum est sponsalia solvi per Religionis professionem; quia per eam, quemadmodum et per Ordinis sacri susceptionem, ratione votorum solemnium iis inhærentium, homo constituitur in eo statu, in quo ex Tridentino (*sess.* 24, *can.* 9) nullimode potest valide matrimonium contrahere. Item certum est, quod si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi sed etiam profitendi Religionem, sponsalia ex parte utriusque dissolvantur; quia tunc vovens fit omnino inhabilis ad matrimonium contrahendum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 872.

R. Per ingressum in Religionem tantummodo, illiusque votum, vel etiam per solam habitus vestitionem, nos ex sententia communiori (quam absolute probabiliorem censemus cum Viva, Gonet aliisque) dicimus: 1 sponsalia utique solvi ex parte sponsæ non voventis, et in sæculo manentis; tum quia pro dedecore habetur nubere cum eo, qui Religionem deseruit; tum quia alter censetur cessisse juri suo; 2, non ea solvi ex parte voventis vel ingredientis vel habitum vestientis, quia per ingressum in Religionem, vel eam ingrediendi votum ipse non redditur inhabilis ad contrahendum matrimonium, sicut redderetur per professionem, atque ideo nulla ei juris dispositio suffragatur. Unde egrediens aut propositum mutans, si alter petat, tenetur adhuc stare promissis.

Q. 10. *An votum servandæ perpetuæ castitatis, aut Ordines sacros suscipiendi sponsalia dissolvat, etiam ex parte voventis* (1)?

R. Duæ sunt sententiæ probabiles: prima cum S. Antonino, Cabassutio, Laymano, Roncaglia, Sanchez, Sylvio, etc. negat; quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissæ, et ab eo acceptatæ. Alii vero cum Concina, Gonet, Suarez, Vasquez ex D. Thoma (2) docent votum illud et validum et licitum esse; tum quia ubi occurrunt duæ obligationes, potior est præferenda; tum quia promissio sponsalium censetur semper facta sub conditione: *nisi status melior eligatur: non enim propositum aut promissum infringit qui in melius illud commutat* (3). Imo Pithonius pro hac sententia affert declarationem S. C. Concilii sub die 4 martii 1701. Excipiunt tamen, si nuptiæ celebrandæ sint ad prolem legitimandam, scandalum reparandum vel honori sponsæ providendum, si aliter his malis non possit occurri. Item notant, quod voventis obligatio non penitus extinguitur, sed suspenditur, donec votum servatur: unde si casu voti dispensationem vovens impetraverit, adhuc teneretur stare initis sponsalibus (4).

Si autem votum sit tantum de suscipiendis Ordinibus minoribus, imo etsi minores Ordines jam suscepti sint, sententia communior et verior docet, ex neutra parte tunc dissolvi sponsalia; quia status Ordinum minorum per se non est incompossibilis cum matrimonio (5).

Q. 11. *An ad sponsalium solutionem requiratur judicis auctoritas?*

R. Si causa sponsalia dissolvendi est certa, non requiritur judicis auctoritas, ut patet: excipe nisi necessaria sit in aliquo casu particulari ad vitandum grave scandalum, uti si sponsalia publica sint, et causa solvendi occulta. Si vero causa non est certa, nemo poterit auctoritate propria dissolvere sponsalia, ne se periculo exponat privandi alterum jure suo: sed recurrendum ad judicem Ecclesiasticum (6). Quod si causa est vera ac certa, sed

(1) Hic non loquimur de votis initis ante sponsalia; tunc enim jam patet sponsalia nulla esse, quia quod Deo jam obligatum est, simpliciter homini promitti non potest; sed loquimur de votis initis post sponsalia. — Neque disputamus de dissolutione sponsalium ex parte non voventis; quem merito liberum esse patet ex eo, quod vovens judicetur sponsalibus renuntiasse; sed agitur de sponsalium dissolutione ex parte voventis. (2) Suppl. q. 53, a. 1.

(3) Cap. 3 *de jurej.*

(4) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 649; l. VI, n. 65; l. VI, nn. 871 et seqq.

(5) Cap. 1 et 2 *de Cleric. conjug.* (6) Cap. 7 *de sponsal.*

nequeat probari coram judice, pars innocens poterit per se a sponsalibus resilire, modo caveat a scandalo ; quia defectus externi judicii suum ipsi jus non adimit (1).

Sed quænam (quæres) *probatio requiritur ad sponsalia legitime solvenda?* —R. Si agitur de probando impedimento sive impediente sive dirimente tam in foro externo quam in foro interno conscientiæ, ad solvenda sponsalia etiam jurata sufficit unus testis, etiamsi testis ille non sit omni exceptione major, neque citatus, sed a patre productus, et etiamsi clam deponat et sine sui nominis manifestatione, ut dicunt Sanchez, Croix, Holzman, Viva et alii ; item etiamsi sit criminosus, qui nempe denuntiando suam turpitudinem alleget, prout docet communissima et verior sententia ex jure canonico ubi dicitur : *matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi* (2), Utique, quando agatur de rescindendo matrimonio jam contracto, unus testis non sufficit, sed probatio requiritur omni exceptione major ; quia factum supponitur recte factum (3). Verum aliter est, quando res est de matrimonio contrahendo, tunc agitur de vitando peccato, et Sacramenti frustratione : quæ ratio probat ipsum Episcopum probabilius teneri matrimonium impedire, etsi solus impedimentum sciat; nam bene potest quis esse judex et testis, quando agitur de malo impediendo. Cæterum cum unus dumtaxat testis habetur, requiritur : 1 ut non tantum denuntiet cum juramento, sed etiam deponat, nisi probare valeat famam impedimenti ; 2 ut habeat certam scientiam ex se, non ex auditu ; nisi agatur de affinitate, vel consanguinitate ; tunc sufficit ut testis deponat se illud audivisse a duobus fide dignis, et maxime a consanguineis sponsorum, qui magis sunt idonei ad probandam vel negandam cognationem ; 3 ut non sit vilis conditionis, adeo ut nulla mereatur fides (4); sed adhuc excipe nisi factum sit adeo occultum, ut aliter probari non possit : tunc admittitur etiam probatio insufficiens, scilicet ad indagandum (5).

Si vero agatur de probanda alia causa, quæ non sit impedimentum, sed tantum quæ det alteri jus resiliendi, uti esset deformitas, fornicatio sponsæ, etc. quoad *forum externum* requiruntur saltem duo testes fide digni, qui cum juramento deponant, ut communius dicunt; agitur enim de præjudicio tertii (6). Attamen si agatur de sponsæ fornicatione satis videtur probabile sufficere unum testem ; cum agatur de vinculo perpetuo matrimonii, et ideo ob talem suspicionem viri prudenter judex timere potest infelicem exi-

(1) Si sponsorum alteruter, cognito suo ex quocumque capite resiliendi jure ; alterum nihilominus carnaliter cognoscit, suo jure excidit ; quia sic vel ei renuntiasse, vel sponsalia renovasse in foro externo censetur. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 878, 996 et 997.

(2) Cap. *Super eo* 22 *de test. et attest.* — Cap. *Super eo de cons. et affin.*

(3) Benedictus XIV ad impediendas fraudulentas matrimonii dissolutiones Const. *Dei miseratione* 3 nov. 1741 statuit ab omnibus Ordinariis eligendum *matrimonii defensorem,* qui judiciis hac de re adesse debet, ac matrimonii validitatem tueri.

(4) Ut essent mancipia : cæterum in hac re locorum consuetudines attendendæ sunt. — *V.* Maschat, *Inst. Can.*, ubi fusius de testibus, de eorumque habilitate et inhabilitate.

(5) C. 22 et 47 *de test.* — C. 12 *de spons.* — C. 8 *de cohab.* — C. 1 *de cons. et aff.*

(6) C. *Veniens* et c. *In omni de testib.*

tum ex hoc conjugio proventurum. Quoad *forum* autem *internum* conveniunt sufficere ad dissolvenda sponsalia unum testem fide dignum, qui testetur de certa scientia; et idem dicunt Viva et Sanchez, si vir doctus affirmat causam esse sufficientem.

DISPUTATIO TERTIA

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS EORUMQUE DISPENSATIONE.

Q. *Quid sunt, ac quotuplicis generis matrimonii impedimenta?*

R. Matrimonii impedimenta *sunt ea obstacula, quæ vetant ritam matrimonii celebrationem.* Sunt autem duplicis generis: alia reddunt matrimonium illicitum; et *tecnice* in Scholis nuncupantur *impedientia:* alia vero non solum illud faciunt illicitum, sed etiam nullum et invalidum; et dicuntur *dirimentia,* quæ nimirum, ut ait Bellarminus, matrimonium de jure dirimunt, irritumque reddunt, ubi fortasse de facto fuerit attentatum. Imo qui scienter cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, voti vel ordinis illud contrahere præsumunt, excommunicationem illico incurrunt, non tamen reservatam (1).

Impedimenta ligant etiam ea ignorantes, quia non sunt lata principaliter in pœnam; sed sunt inhabilitates, quæ per se obtinent, independenter a cognitione et voluntate nostra. Si impedimenta sint juris naturalis vel divini, omnes obstringunt etiam infideles in eorum falsa religione; cum illi juri omnes subdantur: si vero sint juris tantum ecclesiastici, obligant tantum fideles; quid enim Ecclesiæ de iis qui foris sunt? Sed quid de hæreticis? inter varias sententias, hæc dicenda videntur: 1 quædam sunt impedimenta, quæ hæreticos certe afficiunt: sic omnes docent irrita omnino esse matrimonia inita a sacerdotibus, vel religiosis apostatis, uti ex Ecclesiæ praxi aperte colligitur; 2 si agatur de impedimentis, quæ solum post peractam hæreticorum separationem ab Ecclesia statuta sunt, communiter receptum est eos hujusmodi legibus non teneri; 3 quoad reliqua impedimenta, regulariter hæretici iis subjacent; neque sane ab auctoritate et legibus Ecclesiæ ob eorum desertionem suo marte liberandi sunt (2).

Antequam hæc disputemus, vice una pro omnibus monitum habeant Confessarii ac Parochi: nempe recurrendum esse in casibus difficilioribus atque implicatis ad Episcopum pro consilio ac resolutione, ut ita securius

(1) Clement. *unica de consang. et affin.*

(2) Hinc fit ut cum hæretici conjuges ad fidem orthodoxam revertuntur, dispensari soleant ab impedimentis, si quibus forte ligati contraxerint. *V.* tamen infra de *clandestinitate* nonnullæ exceptiones.

agatur; res enim est de gravi negotio, de jure videlicet tertii, ac magni Sacramenti valore. Si ergo pro modo gravitatis rei et diligentia inquisitionis habenda est (ubi tempus suppetat) id ab illis omnibus præstandum esse, res ipsa loquitur.

CAPUT PRIMUM

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IMPEDIENTIBUS.

Q. *Quot sunt impedimenta impedientia?*

R. Præter peccatum mortale et excommunicationem, quæ duo prohibent Sacramentum vivorum utiliter suscipere; in præsenti quatuor tantum enumerantur impedimenta matrimonii impedientia (1). Hinc versus:

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

1. *Ecclesiæ vetitum:* quo nomine intelligitur prohibitio Ecclesiæ; quæ quidem alia *generalis* est, et est quæ jure generali statuitur, ut si fuerint omissæ sine causa proclamationes; si a sponsis rudimenta fidei ignorentur; si Catholica velit hæreticam ducere personam. Alia vero *particularis*, quæ respicit tantum matrimonium, quod hic et nunc vult iniri: ut si adsit suspicio latentis impedimenti dirimentis vel impedientis v. g. consanguinitatis vel excommunicationis: item timor gravis mali, puta scandali, rixarum: hæc particularis prohibitio datur a Parocho vel Episcopo vel Papa, qui tamen ultimus decreto vetanti etiam irritantem clausulam potest utique adjungere (2).

2. *Tempus:* est illud, quo Ecclesia sub gravi vetat nuptiarum solemnitates, et vulgo dicitur *tempus feriarum* aut *feriatum*, vel etiam *tempus sacratum* aut *clausum*. Incipit ab Adventu Domini, a primis Vesperis, usque ad diem Epiphaniæ inclusive; et ab ipsa die Cinerum usque ad Octavam Paschæ, item inclusive ex Tridentino (3). Nomine *solemnitatum nuptiarum* intelliguntur communiter: 1 benedictio solemnis, quæ fit una cum Missa pro sponso et sponsa, ut extat in Missali; 2 solemnis et publica traductio sponsæ in domum sponsi; 3 convivia splendidiora, et similia profanæ lætitiæ signa, uti choreæ, soni, cantica. Non autem prohibetur vel proclamationes peragere, vel ipsum matrimonium quiete inire (4). Causa vero, ob quam Ecclesia tulit hanc legem, est quia indecorum videtur in Christi-fidelibus, quod diebus quibus pœnitentiæ vacare debent, conviviis indulgeant atque

(1) *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXX. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 982.

(2) Cap. 4 *de spons. duor.* Sponsi tenentur sub gravi obtemperare, et graviter peccarent si contra agerent: imo possunt etiam excommunicationis pœna mulctari (cap. ult. *de matrim.*) Excipe, si prohibito sit, ne fiat tali die ob venerationem alicujus festi tantummodo; tunc inobedientia non esset nisi venialis. (3) Sess 24, c. 10 *de R.*

(4) Tanto minus prohibetur jam contractum matrimonium consummare tempore illo feriato, ut *verius* et *recte* dicunt Bellarminus, Sanchez, etc. Si qui autem canones videantur contrarium innuere, consilium continent, teste Benedicto XIV *Notificatione* VII.

animorum lætitiæ (1). Attamen convivia et tripudia non prohibentur sub gravi, nisi excessus sit magnus: imo si fiant moderate, nulla erit culpa, uti ait Sanchez.

3. *Sponsalia:* cum una persona jam inita sponsalia et nondum dissoluta impediunt profecto, quominus conjugium contrahatur cum alia; cum non liceat uni tradere, quod jam alteri promissum est.

4. *Votum:* hic intelligitur votum simplex sive castitatis, sive Religionem ingrediendi, sive etiam non nubendi, vel suscipiendi Ordines sacros. Porro per tale votum corpus voventis promittitur Deo; ergo non potest amplius dari alteri, quin violetur fides Deo data (2).

CAPUT SECUNDUM

DE IMPEDIMENTIS SACRAMENTI MATRIMONII DIRIMENTIBUS.

Q. 1. *An Ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia?*

R. 1: Circa hanc legislativam Ecclesiæ potestatem plurimi errarunt. Waldenses sæculo XII omnium hæreticorum primi hæc matrimonii impedimenta contemnere ausi sunt. Lutherus et Calvinus sæculo XVI habentes matrimonium uti nudum contractum, ea tantum agnovere impedimenta, quæ in Levitico (c. 18) constituta sunt: cætera hac de re civili potestati dederunt. —Sæculo XVII Antonius De-Dominis archiepiscopus Spalatensis docuit causas omnes matrimoniales nullimode Ecclesiæ subjici, dato etiam, quod conjugium verum Sacramentum sit. Apostatam hunc magna ex parte descripsit Launojus doctor Sorbonicus, qui voluit Ecclesiam facultatem circa impedimenta dirimentia exercere non posse, nisi vel usurpatione vel indulgentia Principum, ad quos ea nativo seu proprio jure perpetuo spectat. — Hanc doctrinam fere demortuam sæculo XVIII suscitarunt nonnulli Canonistæ catholici: et mirum quot excogitaverint subtilitates, ut catholici personam retinerent, et faverent simul civili potestati. Illam defendere conantur Litta, Tamburini, Nestius, Le-Plat ac cæteri jansenianorum placitis addicti: illamque adoptavit pseudo-Synodus Pistoriensis celebrata anno 1786. —Aliud refugium in eo alii adstruxerunt, quod hæc impedimentorum constituendorum auctoritas et civili et ecclesiasticæ potestati ex æquo conveniat, cui quidem sententiæ Gallicani non pauci adstipulati sunt (3). Censet tandem nuper Dupin, hodie matrimonium haberi uti contractum essentialiter civilem, cui Ecclesia suam adjungit benedictionem ad hoc tantum, ut etiam gratias Sa-

(1) Hic autem notamus pluribus in locis in more positum esse, ut tempore adventus et Quadragesimæ matrimonia non celebrentur omnino sine expressa licentia Episcopi. Ita in Novariensi Diœcesi: et hoc quidem servari jubet ejusdem Synodus pag. 154.

(2) De *voto v.* caput. seq., a. 1; et c. 3. — It. tr. *De virt. Rel.* ubi *de voto*, c. 2, a. 4.

(3) Aliqui etiam clari nominis Theologi non satis attendentes ad Sacramenti materiam, putantes videlicet non jam contractum naturalem, sed civilem illam constituere, hanc impedimentorum potestatem etiam Principibus tribuerunt, ut Billuart, Sotus, Selvagius. Sanchez et Salmanticenses hoc jus eis tribuunt, cum dependentia ab Ecclesia; Tournely, concurrente Ecclesia; Pontius ex concessione Ecclesiæ etc.

cramenti obtineant contrahentes (1): huic ex nostris subscripsit Nuytz (2). *Talis est* (ut verbis utamur cl. Perrone) *historiæ summa de hac controversia, quæ excitata primum est a protestantibus; et instaurata ab apostata Marco Antonio De-Dominis; deinde vero a Launojo, postea vero a jansenistis et aulicis scriptoribus, ad nos pervenit* (3).

R. 2: Ecclesia jure proprio et originario potest legitime statuere impedimenta matrimonii dirimentia. De fide est; Tridentinum enim sessione 24 *de matr.* canone 3° definivit: *siquis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare; aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit.* Quibus verbis omnes protestantes aperte confixi sunt, qui hac de re potestatem Ecclesiæ denegabant. — Canone vero 4° Concilium ait: *siquis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Quod est contra eos, qui negant, id Ecclesiam proprio et originario jure efficere posse: et sane hic Tridentinum vult refellere novatores; verum cum novatores jam faterentur Ecclesiam utique posse, Principe permittente, impedimenta constituere; dicendum est canonem loqui de jure proprio et originario, non vero de jure quasi-concessionali. Quod hodie sine errore in fide in dubium revocari non potest, postquam in dogmatica Bulla *Auctorem fidei*, propositio contraria Synodi Pistoriensis sub n. 59, damnata fuit uti *hujus canonis eversiva et hæretica.*

Confirmatur: «1 En todas las naciones el matrimonio tiene un carácter religioso; 2 la Iglesia es la legítima intérprete de las leyes naturales, y el matrimonio antes que todo es un contrato natural; 3 la Iglesia tiene derecho y deber de conservarse perpetuamente, y el matrimonio cristiano orígen y fundamento de la vida cristiana, es un medio necesario para ello; 4 la Iglesia tiene la mision divina de conducir á todos los hombres á la virtud y á la salvacion, cuya consecucion puede facilitar ó impedir en gran manera un matrimonio feliz ó desgraciado...; 5 el matrimonio es un Sacramento, y la Iglesia es la dispensadora de los Sacramentos; por lo que á la misma pertenece el determinar las condiciones con que deben recibirse; 6 la Iglesia es la heredera del poder de Jesucristo, el cual estableció leyes é impedimentos para el matrimonio;(4) 7 consta por la historia que la Iglesia ha ejercido siempre este poder desde los primeros tiempos hasta nosotros por medio de los concilios y de los Papas, con entera independencia de todo poder civil (5);

(1) Illius *Manuale juris publici eccles.* proscriptum fuit a S. C. Ind. 5 apr. 1845.

(2) Illius liberculus damnatus fuit a Pio Pp. IX Brevi 22 aug. 1851.

(3) *V. Tract. de Matrim.* c. 3, ubi materiam hanc fusius, data opera, ac totis viribus ea, quæ sua est, eruditione, Auctor celeberrimus prosequitur.

(4) Matth. 5 et 19; Marc. 10; Luc. 16.

(5) «San Pablo, por una parte, condena como verdaderos adulterios los matrimonios contraidos despues del divorcio legal; y por otra prohibe contraerlos con los infieles; dá facultad para disolverlos por causas que ni conocia ni podia conocer la legislacion romana; tal es la disparidad al culto (I Cor. 7, v. 10.) Andres, segun Julio el africano, prohibe los matrimonios entre primos, autorizados por las leyes romanas. Los Apóstoles, pues, no se contentaban con predicar la

8 todos los escritores católicos hasta el siglo pasado, con poquísimas escepciones, han atribuido á la Iglesia este poder.» Ita ad rem clarissimus Nardi, qui pressius et erudite a primis temporibus ad nos usque refert etiam matrimonialis legislationis historiam (1).

Q. 2. *An præter Ecclesiam etiam Principes sæculares nativam habeant potestatem constituendi impedimenta matrimonii dirimentia?*

R. Ultro damus Principes posse ob bonum publicum societatís leges ferre, quibus conjugia omnium subditorum politice legitima fiant, et ideo ea constituere, quæ spectant ad civiles effectus, successiones nempe, dotem, hæreditates aliaque similia, quæ vinculo matrimonii extrinseca sunt. At negamus, ipsos posse jure proprio constituere impedimenta, quæ ipsa matrimonia Christianorum dirimant.

Prob. 1: *Auctoritate Ss. Pontificum,* qui constantissime hanc doctrinam tradiderunt. Inter cæteros laudamus: — 1 Benedictum XIV, qui Constitutione 9 febr. 1749 ad card. Eboracensem, loquens de lege Theodosii matrimonium inter Christianos et judæos prohibentis, ait *hæc lex, utpote a laico Principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet;*—2 Pium VI, qui sermonem faciens de Gallicana lege, quæ matrimonium civile indixerat, scribit ad episcopum Lucionensem 28 maji 1793: *nihil impedimento esse quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, præscriptam a nationali conventu declarationem faciant, illud semper præ oculis habentes, nullum ab illis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri;*—3 Pium VII, qui in Concistorio 16 martii 1808 de eadem gallicana lege ajebat: *compertum est vobis et quoties et quam graviter conquesti simus tum de legibus matrimoniorum atque divortii, tum de compluribus aliis et ab Evangelio abhorrentibus et contra ecclesiasticas constitutiones piaque instituta latis;*—4 Pium VIII, qui Encyclica 24 maji 1829 tradit, matrimonium *Ecclesiæ omnino subjici;* — 5 Gregorium XVI, qui Encyclica 15 aug. 1832 docet, quoad matrimonium Ecclesiæ legibus parendum esse sancte accurateque, *ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur ac justa consociatio;* — 6 tandem Pium IX, qui Allocutione 27 sept. 1852 affirmat: *quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris præter Sacramentum conjunctionem, cujusvis etiam ci-*

palabra de Cristo, ellos entendian *cum potestate* en materias de matrimonio. Manifestaban que tenian poder para ello, y que era necesario revestir de leyes humanas y eclesiásticas la institucion divina de Jesucristo, y luchar aun contra el derecho civil, en los puntos que estaba en oposicion ó que no concordaba plenamente con la sublime elevacion del matrimonio hecha por Jesucristo..... Ignacio mártir (*ad Policarpum,* c. 5) quiere que la union conyugal se celebre con consejo y consentimiento del Obispo; los Cánones apostólicos (documento antiguo aunque no de los apóstoles) prescribieron leyes sobre el matrimonio de los clérigos y del raptor, sobre lo cual la ley romana y divina nada habian prescrito. (Can. 25, 66) S. Gerónimo esclama; *aliæ sunt leges Cæsaris aliæ Christi....* El Concilio de Neocesarea (año 314) prohibe el matrimonio entre primos autorizado por las leyes civiles (Can. 12 etc.» Ita cel. Della-Motta, *Teorica dell' istituzione del matrimonio,* p. 1.ª c. 3.

Neque dicant hoc fecisse Ecclesiam vel usurpando potestatem, vel Principe eam concedente: hæc enim repugnant omnino; repugnat quod tanto tempore Ecclesia usurpaverit potestatem non suam, et Principes non reclamaverint: repugnat quod Principes qui primis sæculis Ecclesiam persequebantur, hanc illi facultatem concesserint.

(1) *Elementi di diritto Eccles.* Padova, 1854, § 381 etc.

vilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum (1).

Prob. 2: *Ipsa Ecclesiæ praxi* et *doctrina*, quæ semper sibi soli hanc potestatem vindicavit. Constat ex eo, quod vel primis Ecclesiæ temporibus ipsa impedimenta hæc cum exclusione Principum constituerit, ut idem fatetur Van-Espen. Constat ex eo, quod Ecclesia semper uti valida habuerit matrimonia canonice contracta, quodcumque obstaret impedimentum civile; e contrario uti adulterina ea, quæ cum impedimento canonico inita erant, licet civilis lex ea rata haberet: ita responsum fuit anno 1804 ad episcopum Brexinonensem, et an. 1824 ad episcopum Vivariensem (2). Constat ex civilium legum correctione, irritatione, ampliatione, quæ per jus canonicum factæ fuerunt circa impedimenta (3); tum ex ipsa agendi ratione Principum Christianorum sive in condendis legibus suis ad Canonum normam, ut robur adipiscerentur (4); sive in rogandis Conciliis, cum optabant aliquod impedimentum constitui.

Prob. 3: *Ratione.* Ex quo Christus contractum matrimonii ad Sacramenti dignitatem evexit, et ita evexit, ut quoties personæ hunc contractum legitime efficerent, toties conficerent Sacramentum, matrimonium factum est quid unum et sacrum, atque ad forum ecclesiasticum pertransiit: sicque omne exercitium, si quod erat, potestatis civilis ex natura rei et ipsa ordinatione Christi fuit prohibitum omnino. Adde: fieri non potest, ut scite observat Bellarminus (5), quod una et eadem potestas æque, immediate et proprie ad duo tribunalia pertineat; utraque enim esset suprema et independens circa idem objectum, quod repugnat; nam si oriantur collisiones, ita ut una prohibeat quod altera vetat, cui parendum? ex qua parte erit legitima potestas? Concludendum ergo Principum impedimenta quoad vinculum respicere tantum infideles; Christianos autem nullimode obstringere, nisi quoad effectus mere civiles *(F)*.

Dices 1: *Christus contractum civilem, seu contractum ad normam legum civilium initum ad Sacramenti dignitatem evexit; sed contractum ad normam legum civilium moderari Principum est: ergo Principes irritando contractum possunt etiam per consequens ipsum Sacramentum matrimonii irritare.* — R. Negamus majorem; Christus non jam civilem contractum, sed contractum naturalem qualem Deus instituit ante peccatum, quemque antiqui Patriarchæ, priusquam civiles leges constituerentur, inierunt, ad sacramentalem dignitatem evexit. Ad rem Margotti (6): «el matrimonio es anterior á toda

(1) Quamvis laudati Pontifices hisce verbis ex cathedra aperte non definierint controversiam hanc, quod nempe *sola* Ecclesia possit dirimentia impedimentia constituere (ideoque hæc veritas non sit de fide expressa); satis tamen ostendunt quæ ipsis sit mens, et quinam catholicæ Ecclesiæ praxis ac sensus. (2) Responsa vid. in Opere *Examen Raisonné*, t. II, pag. 347.

(3) Benedictus XIV, *De Synodo* etc. l. IX, c. 11. (4) Gerdil, *De matrimonio.*

(5) *De matr.* c. 21, n. 44. Nec refert, quod sub diverso respectu, et ad diversos fines matrimonii essentiam duæ potestates attingerent; nam si utraque potestas est æque immediata, suprema et independens, una quæque totum objectum sibi vindicat ac facit: quod repugnat, cum una res ad duos dominos absolutos et independentes pertinere non possit.

(6) In opere, *Proceso di Nepomuceno Nuytz.* — *V.* it. Costa Della-Torre, *Della giurisdizione della Chiesa cattolica sul contrato del matrimonio* ecc. § 5.

ley, á todo gobierno, á toda sociedad, y se refiere á este contrato puramente natural, Jesucristo cuando respondió á los fariseos segun se lee en S. Mateo: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio masculum et fœminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet?* (1) Los salvajes que guardan una vida nómada lejos de toda sociedad y ley civil, son capaces de este Sacramento desde el momento en que se hacen cristianos; el contrato civil, pues, no puede ser materia del mismo. Los que son condenados á destierro perpetuo y que han perdido todo derecho civil y están fuera de la ley, son sin embargo capaces de recibir este Sacramento. » — Adde absurda quæ sequerentur in adversariorum hypotesi, nempe Christum Principibus ethnicis, hæreticis et impiis reliquisse facultatem moderandi materiam proximam Sacramenti, ita ut sacramentalis valor penderet omnino et semper ab eorum arbitrio. Hinc Pius VI Apostolicis Litteris ad episcopum Agriæ 11 julii 1789 aperte tradit: *matrimonium esse contractum jure divino ante omnem civilem societatem institutum et firmatum: hocque insigni discrimine differre ab alio quocumque civili contractu.*

Sed (addes) *esto, quod Christus naturalem contractum evexerit ad Sacramenti dignitatem; sed nonne Principes ob bonum publicum contractus etiam naturales annullare possunt, apponendo conditiones, sine quibus validi esse nequeunt?* — R. Utique Principes possunt ratione boni publici contractus mere temporales irritare: at non ita est de contractu matrimoniali Christianorum; ex quo enim elevatus fuit ad dignitatem Sacramenti, omnino spiritualis evasit et a Sacramento ipso inseparabilis; illum ergo moderari ad illam solam auctoritatem spectat, cui a Christo demandata est Sacramentorum cura et administratio. Hinc Tridentinum: *sancta... res est matrimonium, et sancte tractandum* (2). Concludendum ergo cum Pio VI Brevi ad episcopum Motulensem: *dogma fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem Legis evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum. Hinc fit, ut ad solam Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto.*

Dices 2: *Si matrimonium Sacramentum est, neque Ecclesia aliquid circa ipsum potest; cum Ecclesia nihil possit in materia Sacramentorum.* — R. cum Billuart: Christus non elevavit qualemcumque contractum matrimonialem ad esse Sacramenti, sed tantum contractum legitimum: cum vero Dominus præcise non definierit in quonam ista legitimitas sit collocanda, id publico

(1) Cap 19, v. 4, 5, 6.

(2) *Sess.* 24, c. 10. Hinc non abs re plurimi contendunt, Christianorum matrimonium nonnisi improprie *contractus* nomine donari; cum in officium naturæ independenter ab omni sæculari potestate fuerit firmatum. *Quoad naturam ac substantiam suam consideratum matrimonium nihil minus est, quam contractus; deest enim objectum seu res, super qua contrahit possit. Substantiam quippe matrimonii efficit mutua obligatio conjugum ad amorem et fidelitatem, quæ omnem contrahendi ac paciscendi naturam refugit.* Sic scribit Rostawày, auctores plurimos citans in Opere, *De potestate Ecclesiæ legislativa circa matrimonium.* — *V.* it Riccardi. *I gemiti della Chiesa di Spagna,* Conversaz. v.— *Civ. Cattolica,* vol. x, págg. 162, 397 et seqq.; ser. 2ª, vol. II. et III.

fidelium bono exigente, bene potuit Ecclesia statuere, cui sacra a Christo ipso concredita sunt. Hoc autem non est mutare materiam et formam Sacramentorum in se ac formaliter sumptam (nam est semper sicut fuit contractus validus, seu consensus legitimus); sed tantum indirecte et materialiter, faciendo scilicet, ut quod prius erat consensus legitimus et contractus validus, amplius non sit talis, ideoque non elevabilis ad esse Sacramenti. Sic v. g. qui ex aqua cervisiam faceret aut ex vino acetum, non ideo mutaret materiam Baptismi aut Eucharistiæ formaliter sumptam, quamvis faceret, ut quod prius erat materia illorum Sacramentorum, jam non sit res quæ sit eorum materia. Tunc tantum mutaret formaliter, quando faceret, ut quod prius erat materia, manens immutatum desineret esse materia, nempe aqua manens aqua, vinum remanens vinum. — En quod hic facit Ecclesia: non facit, ut consensus seu contractus manens legitimus non sit materia matrimonii; sed tantum facit, ut quod erat contractus legitimus, talis amplius non sit.

Q. 3. *In quonam in Ecclesia potestas impedimentorum residet?*

R. Nulli dubium est, potestatem constituendi impedimenta residere in romano Pontifice, qui plenitudinem jurisdictionis habet: item in Concilio œcumenico, cum totam repræsentet Ecclesiam: idem dicendum de consuetudine legitime præscripta, quæ vim legis induit. At de potestate ordinaria ea constituere non potest Episcopus; tum quia res maximi momenti non decernuntur, nisi a suprema Sede; tum quia ita fert inveterata consuetudo; tum quia S. C. C. id expresse Episcopis prohibuit, Urbano VIII approbante, ut testatur Benedictus XIV (1).

Q. 4. *Ad quosnam spectant causæ matrimoniales?*

R. 1: Causas matrimoniales, quæ scilicet rationem habent ad matrimonii vinculum, certum de fide est spectare ad Ecclesiam; Tridentinum enim canone 12° ita statuit: *siquis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* Et sane matrimonium Sacramentum est, ita ut in Christianorum conjugiis contractus a Sacramento non distinguatur; atqui ad Ecclesiam pertinet de Sacramentis judicare: ergo et de contractu, ex quo Sacramentum constat, vel constare potest. Hoc vel ipse Calvinus (2) fassus est, qui tradit semel admisso, quod matrimonium sit Sacramentum, simul admittendum esse, causas matrimoniales ad Ecclesiam spectare: *e matrimonio*, ait, *Sacramentum fecerunt; ubi enim id semel obtinuere, jugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat judicibus profanis non attrectanda.* Et Bohemerus Lutheri sectator, qui Principi sæculari jus impedimentorum tribuit, attamen aliter docet quoad matrimoniales causas: *adeo*, inquit, *causæ matrimoniales ad concistoria nostra spectant... ut nequidem magistratus sæcularis per modum præventionis de iis cognoscere queat* (3).

R. 2: Imo, si non de fide, attamen indubitatum est causas matrimoniales *omnes ad solos* judices ecclesiasticos spectare. Hoc secundum a primo illo fluit; etenim, si ratio Sacramenti inhærens contractui naturali ex Christi institutione, est fundamentum quare causæ matrimoniales ad Ecclesiam

(1) *De Syn. Diœc.* l. XII, c. 5, n. 2. (2) *Inst.* l. IV. (3) *Jus Eccles.* t. II, § 25.

spectent; cum hæc ratio universalis sit, et omnes causas matrimoniales afficiat quæ ad conjugii vinculum referuntur, evidens est, omnes prorsus causas matrimoniales ad solos judices Ecclesiasticos pertinere. Et hoc sensu revera supradictum canonem esse intelligendum expresse docet Pius VI apostolicis Litteris ad episcopum Motulensem, ubi ait: *ignotum nobis non est, quosdam adesse, qui sæcularium Principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis,* (XII) *captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint* ad solos judices ecclesiasticos, *aut* omnes causas matrimoniales, *potestatem reliquerint judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quæ sunt meri facti. Sed scimus etiam hanc captiunculam et fallax cavillandi genus omni fundamento destitui* (1).

Nomine autem *causarum matrimonialium* ad judicem Ecclesiasticum pertinentium, a Maschat, Pichler, Pirhing, Laurenio et Zallinger hæc speciatim recensentur: *matrimonii et sponsalium natura, qualitates, valor, obligatio. Benedictio nuptiarum, sponsorum et conjugum jura, et reciprocæ obligationes, e. g. circa reddendum debitum. Impedimenta. Legitimitas et legitimatio prolium per matrimonium. Dissolutio et redintegratio sponsalium et matrimonii. Dispensatio in impedimentis. Et quæcumque alia causa involvens quæstionem juris super matrimonii et sponsalium contractu, privative spectant ad judicem ecclesiasticum.* Ita cl. Gualco (2).

Q. 5. *An convenienter Ecclesia impedimenta dirimentia induxerit?*

R. Affirmative: sapienti et paterna erga filios suos sollicitudine Ecclesia mota fuit, dum impedimenta dirimentia statuit (3). Ut quid enim hæc constituta habemus? ut inter pares indivisibilis illa societas ineatur; en impedimentum *conditionis.* Ne lædatur illa reverentia, quam sibi mutuo debent propinqui; en *cognatio, honestas, affinitas.* Ad plurima delicta præcavenda, *criminis.* Ad matrimonii libertatem curandam, *raptus.* Ad legitimitatem tuendam, *clandestinitatis.* Ad ejus sanctitatem fovendam, *disparitatis cultus* impedimentum habemus. Ut tandem amicos nobis extraneos faciamus eosque multiplicemus, varii adnotantur in prohibitione gradus. — Profecto si modum conjugiis imponendum esse vel ipsi protestantes ultro fassi sunt (4), nullus sanæ mentis id uni Ecclesiæ denegabit, quæ sola proprio et originario jure ea constituendi auctoritate pollet (5) *(G).*

Q. 6. *Quot sunt numero impedimenta dirimentia?*

R. Quindecim enumerantur impedimenta dirimentia hisce versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus et impos,
Raptave si mulier, parti nec reddita tutæ:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

(1) Hic vid. proposit. LVIII et LX Synodi Pistoriensis damnatæ in Const. dogmatica *Auctorem fidei,* ubi hæc veritas firmatur. — It. Gousset, *Theol.* n. 784.

(2) *Tract. de matr.* t II, diss. 11. (3) S. Thomas, *Suppl.* q. 50, art unic.

(4) *V.* Valter, *Manuel du droit ecclesiast. des toutes les Confessiones chrétiennes.*

(5) Aut quia privatus unus ideo in sua voluntate ac libidine coarctatur, hanc in publicum bonum constitutam a matre Ecclesia disciplinam despicere quis nostrum audebit?

ARTICULUS I — Error, conditio, votum.

Q. 1. *Quid de impedimento erroris quoad matrimonium?*

Nota. Quadruplex distinguitur error: error personæ, fortunæ, conditionis ac qualitatis. *Error personæ* est quando hic putatur Virgilius; et tamen est Plato. *Error fortunæ*, quando hic putatur dives; et tamen est pauper, vel e converso. *Error conditionis*, quando hic putatur liber; et tamen est servus. *Error qualitatis* quando hic putatur bonus; et tamen est malus. Hoc posito:

R. 1: Error circa *personam* dirimit matrimonium ipso jure naturæ; personæ enim contrahentium sunt ipsum substantiale objectum: ideo si erratur circa personam erratur circa substantia contractus, qui consequenter erit prorsus invalidus. Id tenet, etiamsi error sit concomitans, vincibilis et crassissimus; est semper error: errantis autem nulla voluntas, ideo nullus consensus. Hinc matrimonium Jacob cum Lia fuit nullum; quia ipse putabat eam esse Rachelem: quare nonnisi accedente postea consensu, validum evasit. Excipe nisi quis cum muliere præsenti, quæcumque ea sit, intendat actualiter contrahere; nam tunc cum error non afficiat consensum, et in casu neque substantiam, validum erit matrimonium.

R. 2: Error circa *fortunam* et *qualitatem* non irritat per se matrimonium; error enim contractum non irritat, nisi cadat in ipsius objectum; atqui error circa qualitatem ac fortunam non cadit in objectum contractus: cum objectum hic sit persona ipsa, non ejus qualitas, vel fortuna: esset v. g. siquis contraheret cum muliere paupere aut ignobili, quam putabat divitem aut nobilem. Et hoc currit juxta communem ac veriorem sententiam cum D. Thoma, etiamsi error dederit causam contractui (1); nam in hoc etiam casu habemus voluntarium simpliciter circa substantiam, quæ est persona: quamvis desit voluntarium secundum quid circa accidentia, quæ sunt fortuna et qualitas personæ ejusdem. Deinde si aliter esset, quot numero conjugia evaderent dubia et litibus exposita!

Diximus *per se;* nam si vel qualitas vel fortuna redundaret in substantiam, utique matrimonium esset nullum; quia tunc qualitas ac fortuna fieret objectum consensus, uti ait Angelicus. Ad dignoscendum autem an error afficiat ipsam substantiam, ita ut non habeatur matrimonium, tres regulas exhibemus cum communi: — 1ª est quando qui contrahit, aperte nunc exprimit, vel antecedenter expressit, quod non intendit contrahere, nisi sub conditione talis fortunæ et qualitatis: tunc deficiente conditione, deficit consensus. Hinc Pontius narrat, nullum fuisse declaratum ipso jure naturæ matrimonium puellæ, quæ protestabatur, se nolle uniri cum viro qui esset ex Judæo nato; sed postea cum tali juncta fuit, qui an esset talis, antea a puella ipsa interrogatus, aperte negavit; — 2ª quando adjuncta personæ non sunt communia cum aliis, sed propria et individualia ipsius: v. g. si quis crederet se contrahere cum primogenita Regis Hispaniæ, et illa non sit: tunc enim qualitas redundat in ipsam personam, cum illa qualitas fiat objectum consensus. Aliter esset in nostra sententia contra Sanchez et Bonaci-

(1) Suppl. q. 51, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1013.

nam, si quis putaret contrahere cum filia Regis Hispaniæ (non determinando qualem, si plures sint Regis filiæ); quia cum qualitas filiæ sit communis aliis filiabus Regis Hispaniæ, qualitas illa non est individualis, et ideo non redundaret in personam; — 3ª quando consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, ut si quis diceret: *volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam, volo ducere divitem et ideo duco Titiam;* tunc enim error qualitatis redundat in substantiam. Aliter est si dicat: *volo ducere Luciam quam puto esse nobilem;* tunc error non redundaret in substantiam. Cæterum in foro externo, nisi apertissime constet, personæ qualitatem fuisse principaliter intentam, locus non datur solutioni matrimonii; et merito, secus de pluribus matrimoniis actum esset, cum sæpe aliqua qualitas ignoretur (1).

Q. 2. *Quid de impedimento conditionis quoad matrimonium?*

Nota. Vocabulum *conditionis* agendo de impedimento matrimonii, indicat statum servitutis in alterutro e sponsis. Servorum quadruplex genus: 1 alii sunt *famuli*, qui locant operas suas, et dicuntur *domestici;* 2 alii sunt *servi glebæ* seu *adscriptitii*, qui nempe glebæ seu agro colendo in dominorum suorum utilitatem adscripti sunt; 3 alii sunt servi *stricti tales*, et nuncupantur *mancipia;* quia sunt in totali potestate domini ita, ut eos et vendere et locare valeat, eorumque lucra semper eidem domino acquirantur; 4 alii sunt *servi pœnæ* qui nempe ob crimina damnati sunt ad pœnam: v. g. ad triremes, exilium, etc. Hic quæstio est de mancipiis, non de aliis servis, quorum matrimonium nullo irritatur jure. Hoc posito:

R. Si persona libera contrahat cum mancipio, ejus servitutem ignorans, matrimonium nullum est, tum ecclesiastico jure (2), tum jure gentium, seu consuetudine ubique recepta; nam leges canonicæ hoc impedimentum non statuunt, sed jam supponunt. Inductum est, ut tollatur magna contractus inæqualitas inter personas, ac gravissima injuria, quæ liberæ personæ irrogaretur. Diximus: 1 *si persona libera;* nam serva valide servam ducit, etsi eam liberam putet. Id patet ex fine legis, ex aptitudine servorum ad essentialia matrimonii, et ex jure (3); 2 *ejus servitutem ignorans:* et adhuc foret nullum matrimonium, etsi compartis ignorantia sit crassa, ut docent probabilius Coninchius, Salmanticenses, Sanchez aliique. Secus si sciat aliam partem esse servam: vel si cognita servitute, matrimonium ratificet: valide tunc contraheret, sed fieret irregularis (4).

(1) «Cassandra Lucri se casó en 28 de noviembre de 1798 con Vicente Venturini de Tarfa, que decia ser hijo de Vicente Bellonch de Valencia. Cuando se descubrió que no pertenecia á esta rica y noble familia española; sino que era simplemente un aventurero, la mujer instaba para que se declarase nulo el matrimonio, *cum consensus non simpliciter in personam Venturini futuri viri, sed principaliter in eum tamquam nepotem divitis hispani Sacerdotis, qualem se gesserat, ab ipsa præstitutus fuisset.* La sagrada congregacion del Concilio resolvió, que debia probarse que Casandra atendió solo á esta cualidad, tanto antes de celebrarse el matrimonio como en el acto de celebrarse; de manera, que existiendo esto debiese interpretarse falta de consentimiento. No probándose, declaraba la sagrada Congregacion en 9 de Agosto de 1819, y de nuevo en 27 de Mayo de 1820, que el matrimonio subsistia en derecho.» *Schulte.*

(2) C. 4. *de conj. servor.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI n. 1017

(3) Can. 1, caus. 29, q. 2.

(4) Can. *si quis* dist. 33.

Q. 3. *Quodnam votum dirimit matrimonium?*

R. 1: *Votum*, quod matrimonium dirimit (præter illud, quod Ordini sacro adnexum est) est *votum solemne castitatis per solemnem professionem sponte emissam in Religione approbata.* Diximus *votum solemne*, quia votum *simplex* est quidem impedimentum, sed impediens, non vero dirimens, ut ait Cœlestinus Pp. III (1), si tamen excipias: 1 votum simplex castitatis, quod emittere debet uxor, quæ consentiat virum sacro Ordine initiari; tunc viro e vivis erepto, mulier non potest ratione illius voti alio matrimonio valide copulari: et hoc ecclesiastica lege constitutum est in reverentiam Ordinis suscepti a viro, prout docet communior et valde probabilis sententia (2); 2 votum simplex castitatis in Societate Jesu emissum post biennium novitiatus. Hoc item dirimit matrimonium ex Bulla Gregorii XIII *Ascendente*, nisi tamen Generalis dispenset. Hoc posito:

R. 2: Non est dubium, quin votum solemne castitatis in approbata Religione emissum dirimat jure ecclesiastico matrimonium; ait enim Tridentinum: *siquis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit* (3). Utrum autem hoc solemne votum sit adnexum statui religioso de jure divino, ita ut etiam divino jure matrimonium dirimat, negat Bouvier, Gerson, Sanchez, Scotus, etc.; nam certum est, quod votum solemne non dirimat matrimonium ratione voti: secus etiam votum simplex illud dirimeret; nam ex jure *votum simplex apud Deum non minus obligat quam solemne.* Ergo irritat tantum ratione solemnitatis, sed cum solemnitas sit tantum ex jure ecclesiastico (4), ideo solo jure ecclesiastico dirimit matrimonium.

Sed probabilius alii docent cum D. Thoma, Bonaventura, Billuart, Henriquez, Victoria. etc. votum solemne Religionis approbatæ matrimonium dirimere divino jure; nam in voto simplici corpus tantum promittitur Deo; sed in solemni, per acceptationem legitimam Prælatorum, corpus insuper traditur Deo: unde non jam est solemnitas per se, quæ facit divino jure irritum conjugium, sed Prælati acceptatio nomine Dei facta, quæ quidem in ea solemnitate locum habet. Hoc tamen non obstante, probabilius est cum Angelico, posse Pontificem ob suam supremam potestatem, gravissima urgente causa, in illo voto dispensare, seu declarare in ea facti specie, Deum votum illud relaxare, et revera Pontifex nonnumquam dispensavit (5).

(1) C. 6 *qui Clerici vel vov.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1025.

(2) C. *quia sunt*, d. 28; it c. *siqua vidua*, d. 28; et, c. *seriatim*, d. 32. Ita pro certo docet et fusius Sanchez cum Azorio, Paludano, D. Bonaventura, D. Antonino: et hoc ipsum supponit Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 12: ubi quærit, num id etiam valeat de viro, qui voto emisso consentit uxori, ut profiteatur, et postea uxor moriatur: quod dubium non solvit. — Sed satis probabiliter id alii negant, contendentes textus legis improbare quidem, non vero nullum declarare tale matrimonium. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 812.

(3) Sess. 24, can. 9.

(4) C. unic. *de votis* in 6.°

(5) *V. De virtute Relig.* ubi *de voto.*

Appendix IV. Schemata ad gradus cognationis dignoscendos.

1



Nota 1° Personæ quæ tractu conjunguntur sunt inter se in linea recta, cum cæteris in linea collaterali.

2° Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur.

Scevini Bibl. Hispana

ARTICULUS II—Cognatio.

Cognatio hic sumitur pro *vinculo personarum:* et alia est *naturalis,* quæ oritur a generatione carnali ; alia *spiritualis,* quæ oritur e Baptismo et Confirmatione; alia *legalis,* quæ oritur ex adoptione.

Q. 1. *Quid est cognatio naturalis?*

R. Cognatio naturalis (quæ dicitur etiam *consanguinitas,* quasi *sanguinis unitas)* definitur: *vinculum quarumdam personarum ex eodem proximo stipite descendentium carnali generatione contractum.* Dicitur: 1 *vinculum quarumdam personarum ex eodem proximo stipite descendentium.* Quia stipitis remoti in linea transversali (obliqua etiam, vel collaterali dicta) nulla habetur ratio ; alioquin omnes homines essent consanguinei, utpote ab uno Adamo procedentes; 2 *carnali generatione contractum,* idest ex copula carnali, quæ nihil refert ad consanguinitatem utrum licita an illicita; sicuti neque refert, utrum ex patre et matre simul, an vero ab alterutro tantum generatio deducatur, ut ab Innocentio III expresse declaratum fuit: ideoque matrimonium æque prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos et germanos (1).—Tria autem in consanguinitate consideranda sunt: *stipes* seu persona, ex qua aliæ originem ducunt; *gradus,* seu mensura distantiæ unius personæ ab altera; tandem *linea,* seu personarum series ab uno stipite descendentium. Linea duplex est: alia *recta,* et est series personarum, quarum una descendit ab alia: ut sunt pater et filius; alia *collateralis,* et est series personarum, quæ licet stipitem communem habeant, aliæ tamen ab aliis non descendunt, sed sunt quasi a latere juncti, ut sunt fratres. Ipsa linea collateralis est *æqualis* vel *inæqualis,* prout consanguinei æqualiter a communi stipite distant, vel inæqualiter.

Quo jure et gradu (quæres) *consanguinitas matrimonium dirimit?*

R. 1: Loquendo *de jure ecclesiastico* certum est consanguinitatem in quocumque lineæ rectæ gradu matrimonium dirimere (2). In linea autem collaterali olim Ecclesia matrimonium dirimebat usque ad septimum gradum ; sed in Lateranensi IV (anno 1215) illud restrictum fuit ad quartum inclusive, ut faciliores redderentur nuptiæ.

R. 2: Loquendo *de jure naturæ,* certum videtur matrimonium irritum esse in primo lineæ rectæ gradu, ut inter patrem et filiam, prout docent

(1) Ita in 2ª Decreti p. causa XXXV, q. X, can. 2. Hoc impedimentum, ex D. Thoma, inductum est, tum ut multiplicarentur amici, cum extraneis contrahendo; tum ne læderetur reverentia, quam sibi mutuo debent consanguinei; tum ne ipsi consanguinei in eadem domo minus caste viverent, nempe sub matrimonii spe (2, 2, q. 144, a. 9). —*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1029.

(2) Nicolaus V *ad consulta Bulgarorum.* Hic notanda sunt: 1, quoad matrimonium contrahendum solam canonicam computationem retinendam esse, ut expresse statuit Alexander III: quare civilis computatio (de qua in tract. *De justitia*) valet dumtaxat quoad civiles ipsos effectus, nempe pro successionibus, hæreditatibus, etc.; 2 consanguinitatem inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri posse: et tunc est multiplex sanguinis propinquitas in dispensatione aperienda: sic si duo fratres uxores ducant duas consobrinas, vel si vir uxorem ducat sibi consanguineam; hoc in casu filii orti ex tali matrimonio erunt ex duplici capite inter se consanguinei.

Ss. Ambrosius ac Thomas (1). Sane id intrinsecam refert turpitudinem; nam pugnat cum superioritate, quam ordine naturæ indelebiliter habent parentes in filios; siquidem matrimonium quamdam æqualitatem inter personas inducit: quin imo vel ipsis barbaris hoc conjugium opprobriosum est.— Quod vero spectat ad alios gradus, utrum nempe jure naturæ consanguinitas dirimat matrimonium in omnibus, quæstio est. Scotus id omnibus gradibus tribuit in linea recta. Sotus dumtaxat duobus primis. Sylvius id tradidit de primo gradu tum lineæ rectæ, tum lineæ transversalis, utinter patrem et filiam, inter fratrem et sororem. Verum satis probabiliter D. Thomas id nulli gradui tribuit præterquam primo lineæ rectæ; quia exceptis parentibus, inter alios non videtur adesse tanta indecentia, ut ipso naturali jure irritum esse debeat matrimonium; cum hæc non ita immediate cæteras attingat personas. Unde Innocentius III (uti observat Billuart) nulla facta linearum distinctione, indistincte permittit infidelibus ad fidem conversis, ut suas retineant uxores sibi in secundo gradu consanguineas (2). Dicit tamen Benedictus XIV Constitutione *Ætas anni,* nullum citari exemplum concessæ dispensationis quoad fratrem et sororem. Et sane *commixtio sororum et fratrum quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, Religione prohibente,* ait Angelicus (3).

Hic notandum est, quod scienter tentantes matrimonium contrahere in gradibus prohibitis consanguinitatis et affinitatis, ipso facto incurrunt excommunicationem, non tamen reservatam (4): imo ex Tridentino sunt separandi sine ulla spe dispensationis (5).

Quomodo (inquires) *inveniri facile possunt gradus consanguinitatis?*— R. Si cognitus sit stipes, seu homo a quo personæ de quibus quæritur, descendunt, tunc scribas illius nomen in charta, et infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usque dum pervenias ad eas personas, quæ connubio jungendæ sunt: facile inde gradus computabis. Si vero incognitus sit stipes, sic procedas: scribas in inferiori parte chartæ vel tabulæ nomen sponsi ad unum latus et nomen sponsæ ad alterum; dein adnotes supra nomen sponsi nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, ut aliqua intersit cognatio cum sponsa: idem facito quoad sponsam. Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte et videas utrum conveniant in communi principio seu stipite, ex quo sponsus et sponsa sint mediate generati. Hinc, postquam inveneris simulque animadverteris utrum sponsi sint in linea æquali vel in linea inæquali, applices regulas sequentes:

Regulæ 1ª: in linea recta tot numerantur gradus, quot personæ, dempto stipite: v. g. pater, filius, nepos et pronepos quatuor sunt personæ; sed tres tantum gradus, quia tres tantum sunt generationes et tres personæ, dempto stipite; 2ª in linea collaterali æquali tot sunt gradus, quot sunt personæ in una parte, dempto stipite: v. g. frater et soror sunt in primo gradu; quia in una parte una tantum habetur persona; 3ª in linea collaterali inæquali,

(1) Ep. LXVI ad Paternam. — In 4, d. 40, q. I, a. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 470.
(2) Cap. *Gaudemus* 8 de divort.
(3) 2, 2, q. 154, a. 9.
(4) Clem. un. *de consanguinit.*
(5) Sess. 24, c. 5.

3

SCHEMA COGNATIONIS SPIRITUALIS



Nota: contrahentes cognationem spiritualem hisce claudicantibus versiculis exprimi solent (quod de **Baptismo** idem de **Confirmatione**).

Baptizans, Baptizatus, Baptizatique parentes

Levans, Levatus, Levatique parentes

tot sunt gradus, quot personæ in parte remotiori inveniuntur : v. g. frater et filia fratris sunt in secundo gradu : quia in remotiori parte duæ habentur personæ, nempe frater et ejus filia *(H)*.

Q. 2. *Quid dicendum de cognatione spirituali?*

R. *Cognatio spiritualis* est *propinquitas personarum orta ex Sacramento Baptismi, vel Confirmationis.* Hæc dirimit matrimonium jure tantum ecclesiastico : tamen congruenter ; nam cum Baptismus sit quædam generatio spiritualis, et Confirmatio sit Baptismi ipsius complementum, congruum fuit, ut sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis ; ita ex generatione spirituali Ecclesia deduceret cognationem spiritualem. Olim inter plures cognatio spiritualis contrahebatur ; sed hodie ex Tridentino contrahitur tantum, si de Baptismo sit sermo, *inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem ; necnon inter susceptorem et susceptum, et hujus patrem et matrem.* Idem est de Confirmatione dicendum (1). At plures conditiones requiruntur, aliæ quidem ad valide, aliæ vero ad cognationem etiam licite contrahendam.

Quid (quæres) *requiritur ad valide cognationem spiritualem contrahendam?* —R. Ad valide in Baptismate contrahendam cognationem requiritur : 1 ut susceptores sint baptizati ; quia certe non potest esse pater, qui ipse nondum natus est (2) ; 2 ut habeant usum rationis, alioquin humanitus capaces non forent illius muneris suscipiendi ; 3 ut gerant intentionem tale obeundi officium ; secus actio illorum esset pure materialis ; 4 ut infantem de sacro suscipiant fonte ex Tridentini lege ; 5 ut sint a parentibus designati, vel a Parocho, cujus est supplere parentes : unde ex Tridentino : *si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt ;* 6 ut Baptismum reapse administretur ; quod enim nullum est nullum potest parere effectum. Hinc patrini, qui in solis supplendis cæremoniis adhibentur, cognationem non contrahunt certo.

Ad valide vero cognationem in Confirmatione contrahendam præter dicta de Baptismate, ut nempe susceptores sint baptizati, habeant usum rationis, sint designati, et habeant animum tale officium gerendi et de facto gerant in Confirmatione valida ; requiritur insuper ut jam confirmati sint, prout docet probabilius Renzi afferens declarationem S. Concilii Congregationis.

Quid vero (addes) *requiritur, ut etiam licite contrahatur cognatio spiritualis?*—R. Plura requiruntur, sine quibus, licet prohibeamur esse patrini, cognationem tamen contrahimus, si nihilominus hoc officio fungamur. Sic in

(1) Sess. 24, c. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1028. Ex quo patet patrinum et matrinam posse inter se contrahere ; cum nulla inter ipsos cognatio oriatur. Hinc etiam duo conjuges ex Angelico possunt alienam prolem suscipere : et consuetudine firmatum est. Cognatio spiritualis quæ contrahitur a baptizato vel confirmato cum baptizante vel confirmante, dicitur *paternitas ;* et quæ a baptizato vel confirmato contrahitur cum patrina vel matrina, dicitur *filiatio spiritualis.* Quæ vero contrahitur a patrina vel matrina cum patre et matre baptizati vel confirmati, dicitur *compaternitas ;* quæ tandem contrahitur a patre et matre baptizati vel confirmati cum ipso baptizante vel confirmante, in jure dicitur *commaternitas.*

(2) Hæc conditio etiam in baptizante requiritur : item secunda et ultima. Quod etiam de confirmante dicendum est. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 146 etc.

Baptismate prohibentur esse patrini: 1 monachi et moniales (1); publice criminosi aut infames; schismatici, apostatæ et hæretici (2); manifestim excommunicati vel interdicti; quique rudimenta fidei ignorant ex Rituali R.: 2 conjuges respectu propriæ prolis: Tridentinum enim vult tantum; ut parentes eos designent; 3 plures duobus, cum dicat idem Concilium, *sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una;* 4 insuper ex variis Constitutionibus Synodalibus (prout in ultima Synodo Novariensi, pag. 82) prohibentur Sacerdotes et Clerici sine speciali Episcopi licentia: item muti, impuberes, qui præcepto Paschali non fecerint satis, nondum confirmati. Item exteri ignotique.

In *Confirmatione* vero prohibetur esse patrinus: 1 patrinus Baptismatis, nisi adsit necessitas. Est commune; 2 persona diversi sexus a confirmando; vel pater aut mater: vel manifestus excommunicatus aut interdictus, aut gravioribus facinoribus alligatus, aut fidei rudimentorum ignarus, ex Pontificali R.; 3 prohibentur plures, cum unicus sit oportet, uti docent ex antiquo jure haud innovato (3); 4 ex Synodis Diœcesanis, uti ex Novariensi (pagg. 87 et 285), insuper debet esse patrinus saltem ejusdem ætatis ac confirmandus; nec eodem ipse die confirmatus. Item illi omnes excluduntur qui supra in Baptismate, si excipias Sacerdotes ac Clericos, qui ideo in Confirmatione, quin petant licentiam, patrini munus suscipere possunt.

Sed (quæres) *quinam actus requiritur in patrinis erga susceptum ad contrahendam cognationem?* — R. Censet Bouvier ad contrahendam cognationem satis esse, ut patrini adstent cum animo obligationem contrahendi, quin physice susceptum tangant. Sed communissime cum Angelico docent Sanchez, Salmanticenses et alii, contactum physicum requiri, licet agatur de baptizando vel confirmando adulto; tum quia textus juris canonici, qui hanc statuunt cognationem, semper utuntur vocabulis: *suscipit, accipit, tenet, levat* vel *tangit;* tum quia hæc cæremonia non est inducta ad supplendam imbecillitatem corporis; sed ad significandam imbecillitatem animæ: unde sine tactu physico deesset spiritualis significatio. *Licet ille, qui confirmatur*, ait Angelicus, *sit adultus corporaliter; nondum tamen est adultus spiritualiter* (4). Henriquez affert etiam declarationem S. C. C. (5).

(1) « Esto no tiene aplicacion sino á los que forman parte de una órden religiosa propiamente dicha: las personas que pertenecen á una Congregacion religiosa pero secular, como los hijos de San Vicente, las hermanas del Niño Jesus etc., no están comprendidas en esta prohibicion. » *Gousset.*

(2) Quare peccant qui advocant apostatas vel hæreticos pro patrinis suorum filiorum: neque Parochus potest eos admittere, licet hæretici et apostatæ per procuratores catholicos assistant: ita communius contra Layman. Observat Dens melius esse solemniter baptizare sine patrinis, si necessitas cogat, quam tales vocare; nam tunc, eligeretur minus malum; cum illorum patrinorum advocatio sit protestatio quasi falsæ religionis; etenim nonnisi de falsa religione ipsi sunt sponsuri: imo esset infantes tradere lupis, nam falsam religionem tantum sunt hæretici pueros edocturi. E contrario licite possunt Catholici baptizare; imo in Baptismo pueros hæreticorum, ipso baptizante protestante ministro; suscipere, modo hac re non intendant probare eorum ritus, idque saltem in Germania et ob rationabilem causam ex Laymano. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XIV, n. 37; et *Opus Mor.* l. VI, n. 156. — Clericatus, *Dicisiones Sacramentales*, dicisio 40. — *V.* Catalani, *Commentaria in Pontificale R.*

(3) Cap. fin. *de cogn. spir.*

(4) 3 p. q. 72, a. 10.

(5) Eadem S. C. C. 18 dec. 1688 apud Giraldi declaravit non oportere, ut infans immediate a

Quid (inquies) *si Baptismus fuerit tantum privatim collatus?* — Non est dubium, quod cognationem contrahat ipse baptizans: sed dubium est circa patrinos. Sententia communior et probabilior cum Bonacina, Salmanticensibus, Sanchez, Soto et Tournely contra Layman et Suarez negat; nam Tridentinum tradit cognationem non contrahi, nisi a suscipientibus *de sacro fonte*. Atqui *de sacro fonte* nemo suscipitur in Baptismo privatim collato; cum in eo nullus occurrat fons sacer, quippe qui institutus est ad conferendum Baptismum solemne. Et ita censuit S. C. C. teste Pyrro Corrado (1).

Quid (dices) *si Baptismus solemnis sit iteratus sub conditione?* — Quando sub conditione administratur Baptisma, generatim præsumitur tunc fieri Sacramentum; ideoque et cognationem contrahi. Excipe cum Sanchez, si dubium de primo Baptismo sit dumtaxat negativum, ita ut nulla urgeat ratio contra ejus validitatem; tunc præsumptio stat pro valore prioris, neque ideo in hoc secundo contrahitur cognatio. Cæterum curandum est, ut in utroque Baptismo sint iidem patrini; sic enim omnis difficultas evanescit (2).

Patrini (addes) *ad contrahendam cognationem sunt ne designandi?*—R. Loquendo de Baptismate (quod valet semper ac proportionatim de Confirmatione) Tridentinum declaravit, cognationem spiritualem non contrahi, *si alii ultra designatos baptizatum tetigerint.* Dubium est, si nemo designatus sit, et plures non designati tangant, an isti omnes cognationem contrahant? Subscribimus sententiæ communissimæ, quæ dicit omnes contrahere, qui simul tangunt; nam Tridentinum in hoc non derogavit juri antiquo, ex quo omnes simul tangentes contrahunt (3): et ita, teste Barbosa, declaravit S. C. C. — Diximus *qui simul tangunt;* nam si successive plures tangant, solum primus, vel primi qui una simul tangunt, contrahunt cognationem. Si vero incertum, quisnam primus tetigerit, omnes judicandi sunt cognationem contraxisse, ut censuit S. Congregatio penes Pignatelli. Ubi adnotamus, nos uti mortale habere cum Bonacina et aliis, designare pro patrinis duos mares vel duas fœminas pro infante diversi sexus; quia multiplicarentur cognationes contra finem Concilii Tridentini.

Sed quid (subjunges) *si infans suscipiatur procuratorio nomine?*—Communissima ac verior sententia cum Fagnano, Sanchez, etc. docet cognationem a solo mandante contrahi; etenim ex Tridentino ille cognationem contrahit, qui est a parentibus designatus; atqui a parentibus designatus est solus principalis seu mandans, non vero ejus procurator. Sic etiam definivit S. C. Congregatio, ut refert Pontius.

Quid (dices) *si quis ex errore unum infantem suscipiat pro alio?* — Si suscipiens habet expressam et absolutam voluntatem non suscipiendi alium: cum deficiat intentio, certum est cognationem non contrahi. Si vero hanc

baptizantis manibus suscipiatur; sed satis esse, si infans per patrinum suscipiatur a manibus obstetricis.

(1) Neque obstat, quod private baptizans contrahat cognationem. Disparitas est; quia qui private baptizat, vere baptizat et Sacramentum conficit; sed suscipiens private, non eo modo suscipit, quo ab Ecclesia statutum est.

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 151.

(3) Cap. fin. *de cog. spir.* in 6.°

expressam et absolutam voluntatem non habeat, videtur probabilius dicendum cum Pontio, Palao, etc. cognationem contrahi; nam generatim suscipiens videtur habere intentionem infantem, quem tangit, suscipiendi, quicumque sit.

Q. 3. *Quid est cognatio legalis, et an dirimat matrimonium?*

R. *Cognatio legalis* est *propinquitas personarum proveniens ex adoptione,* quæ definitur ab Angelico: *extraneæ personæ in filium, vel nepotem legitima assumptio* (1). Dicitur *extraneæ,* quæ nempe non sit neque filius, neque nepos, neque uno verbo hæres necessarius: hæc cognatio inventa est in solatium orbitatis filiorum; et primum inducta fuit a civilibus legibus, ac dein per Ss. Canones recepta: ideo etsi pro dispensatione semper sit recurrendum ad Ecclesiam quoad effectus canonicos, si tamen casus occurrat, in quo dubitetur de hac cognatione, ad leges civiles recurrendum est, atque ex earum tenore controversia definienda, ut docet Benedictus XIV (2). Porro hodie communiter receptum est, quod adoptio, quatenus canonicum impedimentum evasit, matrimonium dirimit: 1 inter adoptantem et adoptatum, hujusque descendentes ad quartum gradum, atque in perpetuum; 2 inter adoptantem et uxorem adoptati, pariterque inter uxorem adoptantis et filium adoptatum; item in perpetuum, adeo ut impedimentum maneat, etiam soluta adoptione; 3 inter adoptatum et filios adoptantis, sed quamdiu manet adoptio, vel filii sunt sub patria potestate: unde defuncto adoptante, vel emancipatis ejus filiis, cessat impedimentum. Inter ipsos adoptatos autem nulla exurgit cognatio (3).

Duplex adoptio distinguitur: una *perfecta,* quæ dicitur etiam *adrogatio,* qua nempe adoptandus sui juris existens, Principis rescripto transit in potestatem adoptantis, fitque illius hæres necessarius etiam ex testamento. Alia *imperfecta,* qua adoptandus adhuc sub patris potestate, magistratus inferioris auctoritate, assumitur in filium, quin transeat in familiam et potestatem adoptantis; sed ei succedit dumtaxat ab intestato (4). — Quæstio autem est an ex utraque adoptione cognatio illa oriatur. Alasia et Palaus cum aliis eam ex utraque adoptione oriri contendunt; quia jus indistincte loquitur. Sed Salmanticenses et Sanchez cum D. Thoma tenent probabilius cognationem ex sola adrogatione oriri; quia imperfecta adoptio vera adoptio non est, sed via ad illam. Cum tamen res non adhuc sit certa, *casu adveniente,* ait Bouvier, *petenda esset dispensatio ad cautelam (I).*

Adoptionem matrimonium dirimere in supranumeratis gradibus non videtur esse dubitandum; id enim, teste Carriere, fuit declaratum per S. Pœnitentiariam de adoptione inducta á Codice gallicano, *cui quidem in hac parte jus hispanum est conforme.*

Quid quæres *ex lege civili requiritur ad adoptionem?*

R. (*) In Hispania, ex parte *adoptantis* requiritur: 1 ut non sit voto religionis obstrictus, vel in sacris (5); 2 ut sit immunis a patria potestate, 18 an-

(1) In 4, d. 24, q. 2, a. 2. (2) *De Syn.* etc. l. IX, c. 10.
(3) Cap. unic. *de cogn. leg.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1027.
(4) § *Cum autem* 3 *inst. de adopt.* l. II *cod.* — § 2 vid. *Sed et hodie inst. de adopt.*
(5) Ley 3, tit. 22, lib. 4 Fuero Real.

4


SCHEMA COGNATIONIS LEGALIS
Adoptans
Consanguinei
Consanguinei
Uxor adoptantis
Filii adoptantis
Adoptatus
Filiæ adoptantis
Uxor adoptantis
1
Adoptati Filii
2
Nepotes Adoptati
3
Pronepotes Adoptati
4
Abnepotes Adoptati

nis superet ætatem adoptandi et non sit naturaliter impotens ad filios procreandos (1); 3 ut habeat parentum consensus, si filius, compartis si conjux; 4 ut nullos habeat filios, nepotes aut descendentes legitimos (2); 5 ut bona fama fruatur (3); 6 ut pupillus 25 annorum ætatem compleverit si sit tutor qui velit suum minorem adoptare et regalem veniam obtineat, ne in reddenda ratione tutelæ fraus intercedat (4).

Ex parte *adoptandi* requiritur: 1 ut nondum sit ab alio adoptatus nisi a conjuge adoptantis (5); 2 ut habeat saltem ætatem 18 annorum; 3 ut habeat consensum patris; vel avi paterni, illo deficiente; vel matris deficiente avo.

Ex parte tandem *modi* requiritur pro *adoptione* proprie dicta consensus judicis competentis (6); pro *arrogatione* consensus regalis (7) cum cognitione causæ (8).

Effectus autem *adoptionis* præcipui sunt; 1° adoptatus nomine familiæ suæ addit nomen familiæ adoptantis: non tamen desserit primam familiam, sed in ea uti prius omnibus gaudet juribus; 2° mutua obligatio quo subsistit inter filios et parentes quoad alimenta, extenditur quoque ad adoptantem et adoptatum; 3° adoptatus est hæres ab intestato adoptantis, qui non habet descendentes aut ascendentes legitimos nec naturales. Hoc jus successionis non est mutuum, sic adoptans non est hæres ab intestato adoptati (9).

Effectus specialis arrogationis sunt: 1° arrogatus manet sub patria potestate arrogantis tamquam si esset filius legitimus, et in persona et in bonis (10); 2° arrogatus est hæres arrogantis et ab intestato et in testamento, si non habeat ascendentes vel descendentes legitimos vel naturales; si sint descendentes, arrogatus quintam partem percipiet bonorum arrogatoris; si sint ascendentes tantum, tertiam partem (11); 3° arrogans sine justa causa nec ejicere (12) nec deshæredare arrogatum potest (13) (*).

(1) Ley 2 y 3 tit 16, part. 4.

(2) Ley 1, tit. 22, lib. 4 del Fuero Real.

(3) Ley 4, tit. 16. part. 4. Circa ætatem adoptantis lex tacet: attamen disponit (Ley 4, tit 16, part. 4) facultatem adoptandi non concedi, quin antea examinetur an adoptans filios habeat, vel in ætate sit qua possit illos habere, in quo casu animadvertit partes et utilitatem adoptandi esse præcipue attendendas, quin propterea talem facultatem esse negandam statuat.

(4) Ley 6. tit. 16. part. 4.

(5) Inter nos non est lex expressa quæ filium naturalem a patre vel matre adoptari prohibeat, e contra, ex eo quod statuat (Ley 1, tit. 16 part. 4) *que los hombres pueden ser hijos de otros por prohijamiento, aunque no lo sean por naturaleza*, MAGUER NON LO SEAN POR NATURALEZA, supponere videtur filios naturales posse quoque esse filios per adoptionem.

(6) Ley 7, tit. 7, part. 4. (7) Ley 4, tit. 16, part. 4.

(8) Discrimen inter *adoptionem* et *arrogationem* in eo stat. 1 circa subjectum, nam *adoptio* cadit super personam quæ est sub patria potestate constituta; non ita *arrogatio*. 2 circa modum, ratione in textu expressa.

(9) Ley 5, tit. 6, lib. 3, y 1, tit. 22, lib. 4 del Fuero Real. 8 y 9, tit. 16 de la part. 4. etc.

(10) Leyes 7 y 8 tit. 16, part. 4.

(11) Ley 8, tit 16, part. 4 del Fuero Real; y Leyes 1 y 7, tit. 20, lib. 10, Nov. Rec.

(12) Ley 7, tit. 16, part. 4. (13) Ley 8, tit. 16. part. 4.

ARTICULUS III — Crimen, cultus disparitas, vis ordo, ligamen, honestas, ætas, affinis.

Q. 1. *Quid est impedimentum criminis in ordine ad matrimonium?*

R. Impedimentum criminis definiri potest: *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium vel ex adulterio, vel ex conjugicidio, vel ex utroque simul orta inter eos, qui eadem crimina sub datis limitationibus perpetrarunt.* Id constat ex jure canonico (1), a quo tantummodo hoc impedimentum, ut ait Angelicus, inductum est (2). Illud ergo obtinet: vel ob solum adulterium, vel ob solum homicidium, vel ob utrumque simul, sed sub nonnullis limitationibus.

Quid (quæres) *de impedimento criminis si agatur de solo adulterio?*

R. Dupliciter impedimentum criminis ob solum adulterium contrahitur: 1 per adulterium una cum matrimonii promissione (3); 2 per adulterium una cum matrimonii attentatione.

Primo: *ut adulterium cum promissione matrimonii inducat criminis impedimentum*, alia requiruntur ex parte adulterii, alia ex parte promissionis. Ex parte adulterii requiritur: 1 ut illud sit verum, nimirum in matrimonio valido; 2 consummatum, sive ut vir et fœmina efficiantur una caro per seminum mixtionem, prout commune est cum D. Bonaventura et D. Thoma (4); 3 formale ex utraque parte, nempe ut uterque cognoscat alterutram partem esse conjugatam: quære si fœmina rem haberet cum conjugato, quem putabat solutum, impedimentum non contrahitur. An autem excuset tunc ignorantia crassa et culpabilis adulterii, alii negant; sed alii probabiliter affirmant cum Sanchez, quia ignorantia crassa, nisi fuerit etiam affectata, non includit dolum ad adulterium requisitum (5). Ex parte vero promissionis requiritur: 1 ut ea facta sit, vivente eodem conjuge: quia non contrahitur impedimentum, si promissio in uno matrimonio facta sit, et adulterium in alio perpetratum, aut vicissim. Hinc si Titius uxoratus promittat matrimonium Cajæ, si fiat viduus; dein viduus factus ducat Corneliam; et tunc adulterium cum ipsa Caja committat, impedimento non tenetur; 2 ut sit externa et acceptata: communius tamen et probabilius non requiritur repromissio; cum in jure sola requiratur *fides data* (6), quæ esse profecto potest sine repromissione; 3 ut nullo modo sit ante adulterium revocata; dixi *ante adulterium*, nam si fuerit revocata postea, tunc remanet impedimentum, cum jam contractum sit, sive promissio antecesserit, sive subsecuta fuerit adulterium; 4 ut promissio illa non fuerit ficta, prout probabilius et communius docent

(1) C. *De eo qui duxit*, Decret. l. IV, t. VII, — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1033.

(2) In 4, dist. 37, q. 2, a. 2.

(3) Ex *c. veniens de eo qui duxit*. Qui vero sibi mutuo paciscuntur (quin adulterentur), de contrahendo matrimonio post obitum conjugis, licet non contrahant impedimentum, secluso adulterio et conjugicidio; peccant tamen mortaliter ut docent Elbel, Layman, Sanchez. Quia hoc pactum inhonestum est, et a jure reprobatum; cum ansam præbeat machinandi vel saltem desiderandi mortem conjugis.

(4) Suppl. q. 55, a. 4.

(5) Ex glossa in l. *Magn.* ff. de verb. signif.; et ex l. pen. ff. ad l. Jul.

(6) Ex c. 1 et 6 *de eo qui duxit* etc.

contra Sanchez; jus enim positivum requirit *fidem datam,* sive veram promissionem matrimonii: atqui promissio ficta non est nec fides data, nec vera promissio (1); 5 ut non sit conditionata, uti docent item probabilius contra Collet; nam hic versamur in odiosis, ideoque est intelligenda vera, absoluta et consummata promissio; maxime cum per promissionem conditionatam non ita detur causa captandæ mortis conjugis. Exceptionem tamen appenunt communiter: et est si posita conditio verificata fuerit ante mortem conjugis, nondum promissione illa revocata; tunc enim ipsa fieret absoluta.

Secundo: *ut adulterium cum matrimonii attentatione inducat criminis impedimentum,* alia item requiruntur ex parte adulterii, alia ex parte attentationis (2). Ex parte *adulterii* requiritur quod supra, ut nempe illud sit verum, consummatum et formale. Ex parte autem *attentationis* requiritur probabilius, ut adulterium et matrimonii attentatio fiant, durante eodem conjugio (3), uti jam de promissione explicavimus.

Quid (dices) *de criminis impedimento, si agatur de solo homicidio, vel de homicidio una cum adulterio?*

R. Ad 1: Ut homicidium solum inducat criminis impedimentum, requiritur: 1 ut occisio secuta sit ex communi consilio viri et mulieris (4): nihil autem refert ferrone an veneno, propriisne manibus an alienis, ex consilione an mandato sit cædes illata; 2 ut fiat cum intentione matrimonii ineundi cum complice homicidii: ita communissime (5); secus non est ratio impedimenti. Hinc si vir uxorem occidat ex alia causa, v. g. ut liberius adulteram teneat, etiamsi ista in homicidium conspiraverit, sed sine matrimonii intentione, non contraheretur impedimentum. Sufficit autem ut hæc intentio sit ex parte unius; quia jam adest finis impedimenti: requiritur tamen, ut aliquo modo manifestetur intentio illa exterius, uti esset si præcesserint indicia sufficientia, v. g. munera, epistolæ amatoriæ, familiaritates; neque enim Ecclesia potest punire quod non potest cognoscere. Ex peculiari autem Cœlestini V dispositione etiam una tantum pars fidelis hoc impedimentum contrahit, illudque communicat infideli complici, quacum etiam ad fidem conversa contrahere nequit (6).

R. Ad 2: Ad inducendum criminis impedimentum ex homicidio una cum adulterio, alia requiruntur ex parte adulterii; alia ex parte homicidii. Ex

(1) Esto quod per talem fictam promissionem in adultera decepta non vitetur periculum captandæ mortis conjugis, in quo sita est causa impedimenti; sed cum agatur de lege prohibitiva, et de materia odiosa, semper facienda est interpretatio stricta, maxime cum finis præcepti non cadat sub ipso præcepto.

(2) *Attentatio matrimonii* tunc e. g. habetur, quando duo conscii matrimonii hic et nunc existentis, ante vel post adulterium, consensum emittunt de præsenti, et volunt haberi uti conjuges. Esto quod exterius omnia requisita observent, uti si fugerent, alibi domicilium sisterent, ac ibi coram decepto Parocho contraherent. Eo in casu non solum nullum esset sic attentatum matrimonium ob impedimentum ligaminis; sed nullum quoque foret, si postea vellent illud revalidare, conjuge mortua, ob criminis videlicet impedimentum, quod modo exposuimus. — Quæ matrimonii attentatio, non refert, sive ante sive post adulterium, sive coram Parocho, sive etiam clandestine contingat.

(3) C. ult. *de eo qui duxit.* — *V.* Liguori, *Opus Mor,* l. VI, nn. 1033 et seqq.

(4) Cap. *laudabilem* 1 de conv. infid. (5) Can. 5, causa 31, q. 1 *de conv. infid.*

(6) Cap. de *conv. infid.*

parte nempe *adulterii* semper requiritur, ut illud sit verum, consummatum atque formale. Ex parte vero *homicidii*, quando hoc est cum adulterio conjunctum, requiritur quidem certe, ut cum intentione matrimonii ineundi sit perpetratum: et probabilius ut hæc intentio sit comparti aliquo modo manifestata; non tamen requiritur, ut illud ex communi consilio secutum sit (1).

Q. 2. *Quænam cultus disparitas dirimit matrimonium* (2)?

R. Per *cultus disparitatem*, quæ matrimonium dirimit intelligitur illa *Religionis diversitas*, quæ existit inter baptizatum et non baptizatum: quare invalide contraheret baptizatus cum cathecumeno; vel cum invalide baptizato, licet id ignoretur. «Antiguamente, *ait Nardi*, este impedimento no existia, tal vez porque el escaso número de fieles esparcidos entre los paganos hubiera limitado demasiado la posibilidad de contraer matrimonio, y por otra parte la fe era tan viva que no habia de temerse la apostasía; entonces tal vez el matrimonio servia de medio para convertir al Cristianismo á la parte infiel: así leemos de personas santas que habian contraido matrimonio con infieles como Sta. Mónica con Patricio padre de S. Agustin, Santa Clotilde con Clodoveo. Pero en general los matrimonios con paganos eran desaprobados (3), y aun mas con los hebreos; de manera que las leyes romano-justinianas comparaban los matrimonios entre cristianos y hebreos á los adulterios (4).» Lex irritans cæpit primo inter Christianos et hebræos, dein inter omnes baptizatos et non baptizatos, non quidem jure sacrorum Canonum, cum nihil in illis habeatur constitutum; sed *generali Ecclesiæ more, qui pluribus abhinc sæculis viget, et vim legis obtinet* (id est a XII fere sæculo): verba sunt Benedicti XIV Constitutione *Singulare*.

Q. 3. *Quid de vi, prout est impedimentum dirimens matrimonii*?

R. *Vis*, prout constituit impedimentum dirimens matrimonii, intelligitur non solum vis absoluta, seu violenta coactio; sed etiam vis, ut ajunt, conditionalis: seu *metus gravis injuste incussus ab extrinseca et libera causa ad matrimonium extorquendum:* quo, jure saltem ecclesiastico, matrimonium dirimitur, licet accedat juramentum (5).

Dicimus: 1 *metus gravis*, qui nempe talis sit respective; nulla enim lege habetur, quod levis metus invalidet matrimonium, cum non auferat sufficientem ac necessariam deliberationem (6). Et idem dicendum est cum communi de *metu reverentiali*, nisi sit conjunctus cum timore gravis damni, ut diurni odii, etc.; nam metus mere reverentialis non est proprie metus, sed simplex reverentia, quæ per se quamdam solam erubescentiam importat, quæque ab intrinseco potius quam ab extrinseco ortum habet.

2. *Injuste incussus;* si enim metus incutiatur justa de causa, et qui eum

(1) C. *Si quis vivente* 5, caus. 31, q. 1. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. n. 1044.

(3) I Cor. 7; II Cor. 5; Tertullianus *ad Uxor.* l. II, etc.

(4) L. IV Cod. *de judæis*, l. IX; *Conc. Toletanum* IV, anno 633. Etiam in veteri Lege non permittebatur ut hebræi ducerent infideles. *V.* Veith, *Scriptura Sacra contra incredulos vindicata*, in Ruth.

(5) Cap. *Significavit; Veniens*, de eo; *Consultationi* de spons. et matrim.

(6) Suppl. q. 47, a. 3. —Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1045. Pro metu gravi intelligunt communiter periculum mortis, exilii, diuturni carceris, infamiæ; aut alterius damni gravis sibi vel conjunctis ad quartum gradum impendentis.

patitur, ipse de se matrimonium eligat ad metum effugiendum, valebit matrimonium; quia vel jam est sufficienter voluntarium in suo principio, vel certe nulla tunc intervenit injuria. Hinc valebit, si illud contrahat deflorator virginis ad vitandam mortem, vel alias pœnas ex criminis delatione futuras. Valebit item, siquis contrahat ex metu gehennæ aut mortis in morbo vel naufragio; quia nulla ei injuria infertur, sed liber ipse eligit conjugium.

3. *Ad matrimonium extorquendum;* quia matrimonium ex metu contractum etiam gravissimo, qui non sit incussus ad ipsum extorquendum, validum est; tunc enim non contrahitur matrimonium ex metu, sed ipsum eligitur ut medium ad declinandum malum, quod timetur: ideoque est voluntarium simpliciter. Sic si pater inveniat stupratorem filiæ suæ, et minas mortis incutiat ad matrimonium extorquendum, illud erit invalidum: sed si minas ipsas incutiat ad ulciscendum tantum injuriam sibimet irrogatam; et stuprator ad ejus iram sedandam, atque ad se liberandum, nuptias offerat easque celebret, valebit utique conjugium (1): quia licet metus fuerit injuste incussus (neque enim pertinet ad privatos ulcisci injurias); attamen, quia non fuit incussus ad matrimonium extorquendum, ideo non aufert ei libertatem relate ad illud eligendum.

4. *Jure saltem ecclesiastico;* nam de jure naturæ quæstio est. Negant de jure naturali metum invalidare conjugium Collet, Concina, Layman et Lessius; quia libertas ex tali metu minuitur tantum, et ita est de aliis contractibus. Verum non minus probabiliter, et forsan probabilius affirmant Bossius, Covarruvias, Holzman, Navarrus et Pontas cum D. Thoma (2); tum quia matrimonium est vinculum perpetui amoris, et repugnat ut amor a metu producatur; tum quia matrimonium (si semel esset validum), cum sit indissolubile, non posset amplius gaudere beneficio rescissionis (ut fit quoad alios contractus per injustum metum initos): unde a natura habere debet, quod per metum initum sit nullum; tum quia jus canonicum statuens hoc impedimentum, non videtur nisi jus naturale promulgare (3).

5. *Licet ei accedat juramentum;* nam juramentum sequitur naturam contractus (4).—Hæc tamen hic notanda: 1 metum non ita facile probari posse, ideoque judicandum esse ordinarie in favorem matrimonii (5); 2 matrimonium in facie Ecclesiæ rite celebratum, sed per metum, convalescere per

(1) Ita si quis juste ad mortem damnatus, ducat filiam judicis ei oblatam, ut mortem vitet, valebit conjugium; quia metus non infertur a judice, potius aufertur. Erit e contra irritum, si judex ut illum ad hoc induceret, injustam tulisset sententiam; quia in secundo hoc casu metus est ad matrimonium extorquendum illatus. Item irritum, si medicus nollet mederi puellam, nisi nubat sibi vel filio suo, saltem si urgeat medicinæ necessitas, vel medicus ex justitia mederi teneatur: patet ex dictis. «Ticio era por voz pública y por deposicion de Sempronia acusado de haberla embarazado; con este motivo fué encarcelado, y se le puso en la alternativa de casarse con ella ó de dotarla; de lo contrario hubiera sido condenado á presidio. No estando en el caso de dotarla escogió el primer partido, pero no consumó el matrimonio. La Congregacion del Concilio declaró nulo este matrimonio en 26 de Marzo de 1707, porque no habiéndose probado el estupro, el encarcelamiento fué injusto, y un medio directo para obligarle á tomarla por mujer.» *Schulte.*

(2) Suppl. q. 47, a. 3.

(3) Cap. *Cum locum* 14 de spons.

(4) Cap. 2 *de eo qui duxit.*

(5) Cap. 47 in fin de *test.*

spontaneam cohabitationem vel copulam; habentur enim hæc ut signa novi ac liberi consensus (1).

Q. 4. *Quid de impedimento Ordinis ad matrimonium?*

R. *Ordo*, qui ex jure dirimit matrimonium, est Ordo sacer seu major (2); imo qui dixerint Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regulares solemniter professos posse matrimonium valide contrahere, excommunicantur (3); sicut excommunicantur ipso facto Clerici in Sacris vel Religiosi solemniter professi, qui illud attentaverint; et si illud consummaverint, incurrunt etiam irregularitatem (4).—Attamen non ita certum est, quo jure Ordo sacer matrimonium dirimat, an jure divino, vel ecclesiastico tantum: prima sententia dicit matrimonium dirimere jure divino; quia votum solemne Ordinis sacri solet in jure canonico (5) æquiparari professioni religiosæ, quæ sic irritat matrimonium. Verum secunda sententia communior et probabilior cum D. Thoma, Billuart, Sanchez, Suarez, etc. docet votum Ordini sacro adnexum dirimere matrimonium solo jure Ecclesiæ; nam continentia non est Ordini de necessitate naturæ adnexa, sed tantum de Ecclesiæ ordinatione. Unde patet disparitas: nempe Ordinatio sacra ex se non dicit traditionem Ordinati ad continentiam, sed ad sacrum ministerium, de cujus essentia non est cælibatus, sicuti est de essentia Religionis.

Q. 5. *Quid de impedimento ligaminis quoad matrimonium?*

R. *Ligaminis* voce, prout est impedimentum dirimens matrimonii, intelligitur *vinculum, vi cujus ille, qui jam matrimonio ligatus est, non potest aliud inire.* Idque oritur ex jure tum ecclesiastico (6), tum divino, et ipsi voci naturæ congruum est (7). Unde qui bona fide contraxerit secundum matrimonium, putans priorem conjugem esse mortuam, si postea certo sciat ipsam vivere, etsi id firmiter probare non possit, debet a secunda conjuge separari (8). Si vero dubitat de vita prioris conjugis, tenetur ante diligentem veritatis inquisitionem abstinere a debito petendo.—Ex his patet, certa indicia requiri solutionis prioris conjugii, ut aliud permittatur. Nec sufficit sola et longa unius conjugis absentia; nam absentia non certo arguit mortem. Nec sola fama ex incerto rumore; quia dictum inane facile sequitur multitudo. Nec unicus testis; cum vox unius sit vox nullius, cum agitur de solvendo vinculo, quod omni jure arctissime colligatum est (9).

(1) Cap. 21 de *spons.* — C. 4 qui matr. accus.

(2) C. *Ex Diacono;* et c. *Ex litterar.* Qui Cler. vel vovent; et in Extrav. *Antiquæ* de voto; et Tridentinum, *sess.* 24, *can* 9. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1059; et l. I I, nn. 256 et seqq.

(3) Tridentinum, *sess.* 24, *can.* 9.

(4) C. un. *de consanguin. et affin.* 4, 1 *in Clement.;* tit. *de bigamis.* — Los derechos civiles de los paises católicos admiten tambien estos principios tácita ó expresamente: así por ejemplo, en Francia una serie de decisiones del tribunal de Casacion ha declarado nulos los matrimonios que querian contraer Sacerdotes ó Frailes apóstatas.» Nardi, § 420. — *V. Amico Cattolico*, vol. XII, pag. 158.

(5) C. unic. *de voto* in 6.° Vid. quæ dicta sunt *De Ordine*, ubi *de cælibatu*, ubi etiam erit de diversa Græcorum disciplina hac in re.

(6) Cap. 8. *de divort.* —In *Cod. pœn. hispano* art. 395 punitur qui contra agit.

(7) *V.* Tridentinum, *sess.* 24, c. 2. — Vid. dicta. *disp.* 1, c. 2, a. 3.

(8) Cap. 2 *de secundis nuptiis.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1060.

(9) Synodus Novariensis nonnulla præscripsit pag. 153 ad dubietatem auferendam.

Cæterum hic notamus, matrimonium ob aliquod impedimentum nullum, si sit ab una saltem parte bona fide contractum, non tantum a jure canonico (1), sed fere ubique ab ipsa civili lege (quoad suos respective effectus) haberi uti legitimum; si tamen fuerit præscriptis ab Ecclesia solemnitatibus celebratum.

Q. 6. *Quid de impedimento honestatis quoad matrimonium?*

R. Impedimentum *honestatis* est *quædam propinquitas personarum, quæ oritur tum ex sponsalibus, tum ex matrimonio rato nondum consummato.* Dicitur etiam *impedimentum publicæ honestatis*, quia jure ecclesiastico inductum est ob publicam decentiam quæ requirit, ut qui iniit sponsalia vel matrimonium cum muliere, aliam postea non debeat ducere ex consanguineis ejusdem (2). Hoc impedimentum perpetuum est, et durat etiam sponsalibus solutis ac matrimonio; non enim a contrahentibus pendet, sed ab Ecclesia. Et ita declaravit S. C. C. approbante Alexandro VII 6 julii 1658.

Quæres: *quousque extendatur publica honestas?*—R. Vel publica honestas provenit a sponsalibus, vel a matrimonio rato. Si 1, ex Tridentino matrimonium dirimit inter sponsos et eorum parentes legitimos vel illegitimos ad primum gradum tantummodo: sic v. g. si Cajus sponsalia contraxit cum Berta, invalide contraheret quidem cum matre vel sorore vel filia suæ sponsæ; valide autem cum ejus nepte vel consobrina vel avia (3). Ut tamen ex sponsalibus oriatur hoc impedimentum, necesse est ut ea sint: *certa*, id est cum determinata persona inita; *absoluta*, vel si conditionata, ut conditio verificata sit; et *valida* (4), etsi postea solvantur; nam Concilium hoc solum considerat, quod a principio valida sint, ut declaravit S. C. C.—Si 2, ex antiquo jure a Tridentino non innovato (ut declaravit Pius V Const. *Ad Romanum* 1 julii 1568) extenditur publica honestas usque ad quartum gradum inclusive, *sive validum* sit matrimonium *sive invalidum* ex aliquo impedimento dirimente, uti impotentiæ, raptus, clandestinitatis, etc.

Diximus *sive invalidum*; attamen excipe:—1 si invaliditas veniat ex impedimento honestatis orto ex sponsalibus jam valide contractis; tunc jure constitutum est, ut non oriatur impedimentum relate ad personam desponsatam (5). Hinc si Cajus, initis sponsalibus cum Lucia, eaque relicta, ejus sororem ducat, ad Luciam redire potest (imo et debet, ut satisfaciat promissis), quin indigeat dispensatione, quia ex tali matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis relate ad Luciam (6). Aliter tamen esset, si Cajus

(1) Cap. *Ex tenore.* Qui filii sint legit. (2) Cap. 3, 4 et 8 *de spons.*

(3) Sess. 24, c. 3. — «Pueden aun los desposados casarse con los afines de sus padres, cualquiera que sea el grado de su afinidad.» *Gousset.*

(4) Cap. unic. *de spons.* in 6.°; — et Tridentinum, *sess.* 24, *cap.* 3.

(5) Cap. unic. *de spons.* in 6.°; — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1064.

(6) Sed oritur relate ad ejus consanguineos; cum exceptio sit tantum inducta pro primis sponsalibus. *Quid vero si antequam Cajus Luciæ sororem duceret, fuissent jure soluta sponsalia inita inter ipsum et Luciam? posset adhuc Cajus redire ad ipsam Luciam?* Plures adhuc affirmant; nam canonico jure statutum est secunda sponsalia non habere vim retroagendi ad dirimendum matrimonium primitus promissum: nec refert quod soluta sint priora sponsalia; si enim nova contrahantur, non tam nova sunt, quam priorum renovatio et reviviscentia. Alii vero id negant, et contendunt id declaratum a S. C.; et ratio est (inquiunt), quia publica honestas tunc tantum habet hoc privile-

illud matrimonium etiam consummaverit: tunc neutram valet ducere: non Luciam ob exortam affinitatem ex illo commercio cum sorore; non sororem ob jam existens honestatis impedimentum;—2 excipe si invaliditas oriatur ex defectu consensus; eo in casu non oritur honestatis impedimentum: hinc non oritur ex matrimonio inito cum amente, cum ebrio, ex errore personæ, ex metu gravi, vel cum ficto consensu, ut declaravit S. C. C. 23 martii anni 1664 (1). Ratio quia in omnibus his deficit consensus omnis, vel saltem qualis requiritur.

An (quæres) *publica honestas oriatur a matrimonio nullo, eo quod fuerit clandestinum, uti esset matrimonium civiliter tantum contractum?*—R. Negat Sanchez, nam Bonifacius VIII definivit non oriri impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio nullo ob defectum consensus; tale est autem matrimonium clandestinum; cum careat eo consensu, quem exigit Ecclesia. Attamen verior sententia cum Concina, Continuatore Tournely, Laymano, Roncaglia et aliis affirmat oriri impedimentum, sive contrahentes intendant postea contrahere coram Ecclesia, sive non; nam si 1, censetur contractus sponsalitius, et honestas est ad primum gradum; si 2, est matrimonium clandestinum dirimens ad quartum gradum, licet invalidum sit; nam tantum ex matrimonio nullo præcise ob defectum consensus, non autem ex alia causa impedimentum cessat oriri; et sic declarasse S. Concilii Congregationem refert Holzman.

Q. 7. *Quid de impedimento ætatis quoad matrimonium?*

R. Impedimentum *ætatis* quoad matrimonium in eo consistit, quod ad valorem matrimonii jure canonico requiratur annus quartusdecimus in viro, et duodecimus in fœmina, et quidem completus (2). Diximus *jure canonico;* nam jure naturæ inspecto, non esset invalidum, si adesset discretio ante impubertatem in contrahentibus; nam contractum facit voluntas.

Si tamen malitia suppleat ætatem, nimirum si habeatur et doli capacitas, id est discretio ad intelligendam vim consensus conjugalis, et potentia naturalis seu physica ad copulam, sive ad consummandum conjugalem actum, quod quidem fieri posse probat D. Hieronymus, exemplo Regis Achaz, qui anno ætatis suæ undecimo genuit Ezechiam (3); tunc etiam ante pubertatem ipso canonico jure valide contrahitur (4): imo et licite ex Episcopi venia, qui auditis probationibus, potest declarare, an adsit potentia illa; quia tunc etsi adhuc impuberes lege, jam sunt natura puberes ob validas corporis vires. Verum cum id probare difficile sit (si casus excipiatur, quo fœmina conceperit), tutius erit supremam Sedem adire. Ita Benedictus XIV Const. *Magnæ nobis.* At pubertate legali completa, etsi nondum advenerit naturalis seu

gium non retroagendi, cum est in præjudicium priorum sponsalium; sed cum priora sponsalia in hypothesi non amplius existant, non possunt præjudicari; ergo eo in casu publica honestas impedimentum inducit, adeo ut Cajus nequeat amplius Luciam ducere sine dispensatione.

(1) *V.* Monacelli, *tit.* 16, *for.* 2; et Bonifacius VIII, in c. 4 et 8 *de spons.*

(2) Addunt tamen posse Papam dispensare cum principibus, si aliquando expedit conjungi impuberes ob bonum pacis. At si non adsit dispensatio, et impuberes contrahant, matrimonium est nullum, sed valet uti sponsalia ex c. unic. § *idem de spons. impub.*— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. nn. 841 et 1066.

(3) Ex IV Reg. 16 et 18.

(4) Ex cap. *de illis,* et cap. ult. de *desponsat. impub.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1065.

2

AFFINITATIS SCHEMA

Ascendentes

Descendentes

Maritus.

Uxor.

4
3
2
1
1
2
3
4

Consanguinei mariti (qui sunt affines uxoris)

Consanguinei uxoris (qui sunt affines mariti)

physica, valet matrimonium etiam jure ecclesiastico, quod tunc non requirit potentiam actu expeditam; sed potentiam, quæ possit aliquando expediri. Neque solet ab ipso jure impotentia perpetua declarari ante annum 18 viri, et annum fœminæ 14.

Q. 8. *Quid de affinitate dicendum est, prout dirimit matrimonium?*

R. *Affinitas*, quæ semper durat, est *propinquitas personarum quarumdam orta ex copula carnali completa, sive licita sive illicita.* Fundamentum habet in eo, quod duo fiunt una caro; et sic unus consanguineos alterius tangere censetur; et ideo affinitatem, sicuti et consanguinitatem contrahunt etiam infideles, qui ad fidem conversi cum tali impedimento conjungi non possunt sine dispensatione. Diximus: 1 *personarum quarumdam;* quia hæc propinquitas oritur tantum inter consanguineos viri, qui cognovit mulierem, ac mulierem ipsam; et inter consanguineos mulieris, ac ipsum virum (1); 2 *ex copula carnali completa*, id est ad producendum generationem sufficienti (2): neque refert, an ea habita sit cum invita vel amente; quia semper verificatur divisio carnis (3); 3 *sive licita*, hoc est ex matrimonio legitime contracto: *sive illicita*, nempe ex fornicatione, adulterio, vel incestu (4).—In linea recta affinitas matrimonium dirimit ad infinitum: unde Titius non potest ducere neque matrem, neque aviam, neque filias, neque filiarum filias (et sic successive) suæ uxoris. In linea vero collaterali, si affinitas provenit ex commercio licito, ea extenditur ad quartum gradum inclusive, sicut consanguinitas (5); si autem provenit ex commercio illicito, tunc extenditur tantum ad secundum gradum (6).

An (quæres) *affinitas dirimat matrimonium etiam jure naturæ?*—Consentiunt illud affinitatem dirimere solo jure canonico: 1 quando affinitas oritur ex copula illicita sive in linea recta sive in linea transversali; nam hæc nullam reverentiam vel amicitiam generat: et in ea datur dispensatio; 2 quando agitur de linea transversali, etiam in primo gradu, licet affinitas ex copula licita oriatur. Sane in veteri Lege non solum permittebatur, sed etiam præcipiebatur ut frater duceret uxorem fratris sui sine liberis defuncti (7): et Pontifices hic aliquando dispensant.—Quæstio tota est de primo lineæ rectæ gradu ex copula licita, v. g. inter privignum et novercam, inter soceram et generem. Sunt qui cum Bellarmino tuentur in hoc gradu affinitatem dirimere matrimonium de jure naturali; quia hic indecentia videtur manifesta, et ab ipsa natura inducta. Verum alii negant cum Angelico, Candido, Cor-

(1) « Conviene notar (ita *Gousset* n. 813), que no se contrae la afinidad sino con los padres propiamente dichos de la persona que se ha conocido licita ó ilicitamente; es decir: que no se estiende á sus afines: *affinitas non parit affinitatem:* (id est affinitas, quam contraho cum consanguineis, non facit me affinem cum affinibus eorumdem consanguineorum). Segun este principio, dos hermanos pueden casarse con dos hermanas; el padre y el hijo pueden casarse con la madre y la hija; un varon puede casarse sucesivamente con las viudas de dos hermanos. Del mismo modo el que se ha casado con una hermana de Ticio podrá despues de la muerte de su consorte, casarse con la viuda de este mismo Ticio. » — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1068.

(2) Can. 11, caus. 35, q. 2 et 3. (3) C. *Discretion.* 6 de eo qui cognov.

(4) Jure tamen civili affinitas oritur tantum ex copula maritali.

(5) Concil. Lateranense IV. (6) Tridentinum, *sess.* 24, *c.* 4 *de Ref. matr.*

(7) Deut. 25.

nejo, Gabriele, Gonet, Veracruce, etc.; quia in aliquibus Conciliis (uti sunt Agathense anno 506, et Aurelianense III an. 538 celebrata) prohibentur dissolvi matrimonia eorum, qui in infidelitate duxerunt sibi affines in primo lineæ rectæ gradu (1): quod factum non fuisset, si talis conjunctio vetita esset de jure naturæ.

Ad quem gradum (inquires) *ex jure ecclesiastico extenditur affinitas ex matrimonio, quod sit invalide contractum?* — Si matrimonium sit invalide contractum in mala fide, non videtur cur affinitas extendi debeat ultra secundum gradum; nam apud omnes habetur revera uti illicita copula. Si vero matrimonium sit invalide contractum in bona fide, alii tunc affinitatem extendunt ad 4^m^ gradum; quia cum fide bona nullum nefas seu illicitas est in copula. Alii extendunt ad gradum 2^m^ tantummodo, quia revera copula illa fornicaria est in se, et matrimonium nonnisi in fictione subsistit. Cum res dubia sit, ad cautelam petenda est dispensatio juxta alios: ubi advertimus, quod licet in aliquorum sententia ex matrimonio sic nulliter contracto non oriatur impedimentum affinitatis ad 4^m^ gradum; oritur tamen impedimentum quod dicitur *publicæ honestatis.*

Ad dignoscendum gradum, in quo quis cum alio est affinis, inservit regula notissima: *quo gradu consanguinitatis quis est junctus viro, eodem gradu affinitatis junctus est mulieri.* Vicissim: *quo gradu consanguinitatis quis junctus est mulieri, eodem gradu affinitatis junctus est viro.* Seu clarius: eo gradu una persona affinis est consanguineis alterius personæ quam cognovit, quo gradu illi ab ista persona carnaliter cognita distant: v. g. Petrus, qui Annam cognovit, est affinis cum matre et filia Annæ in primo lineæ rectæ gradu; cum sorore ejusdem in primo gradu lineæ collateralis, cum nepte in secundo, etc. Etiam notandum, quod quis alicui potest fieri affinis ex duplici capite, licet in eodem gradu, ut si carnaliter cognovisset duas sorores suæ sponsæ.

ARTICULUS IV — Si clandestinus.

Q. 1. *Quid de clandestinitatis impedimento quoad matrimonium?*

R. Impedimentum clandestinitatis situm est in illo Tridentini decreto, quo jussit, ut cuncta fidelium matrimonia celebrentur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia; et simul coram duobus vel tribus testibus. Matrimonia aliter contracta dicuntur *clandestina* id est *occulta*, opposita nempe huic publicitati, quam requirit Concilium. Porro iis in locis, ubi Tridentinum publicatum est, conjugia clandestine inita nulla sunt et invalida (imo neque in sponsalia transire possunt, ut declaravit S. C. Congregatio penes Fagnanum). En verba Concilii (2): *qui aliter*

(1) Adde: adversariis ipsis fatentibus, affinitas ex copula illicita, ne in ipso quidem primo gradu lineæ rectæ est impedimentum dirimens de jure naturali; ergo idem dicendum etiam pro affinitate orta ex copula licita in gradu eodem; una enim et eadem militat ratio. A tali tamen dispensatione, etsi pluries rogati, semper romani Pontifices abstinuerunt, referente Benedicto XIV, *De Syn. Diœc.* l. XI, c. 13.

(2) Sess. 24, cap. 1 de Ref. matr. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1078.

quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat (1).

Obligatio autem contrahendi coram Parocho atque testibus est et *localis* et *personalis*. Quatenus *localis* afficit territorium, et eos qui ibi matrimonio jungendi sunt, obligat; unde Catholici Angliæ, ubi non est promulgatum Concilium, in Italia nostra contrahentes, hanc legem servare tenentur. Quatenus vero *personalis* eos obligat, qui domicilium habentes in loco, ubi Tridentinum est promulgatum, in extraneo loco ubi illud promulgatum non est, contrahere vellent: hinc Itali per Angliam transeuntes inter se clandestine contrahere nequeunt. At possunt si domicilium vel quasi-domicilium ibi acquirant. Ita S. C. Congregatio approbante Urbano VIII 1627. Neque refert quod eo ideo venerint ut domicilium vel quasi-domicilium acquirerent et sic clandestine contraherent; hoc enim non est facere fraudem, sed conditionem ponere a Tridentino requisitam. Diximus autem *inter se;* quia si Italus cum Angla in Anglia contraheret, valeret conjugium clandestinum; nam cum Angla exempta sit ab illa lege, privilegium Italo communicat ob individuitatem contractus. Ita Clemens XIII anno 1767 ad archiepiscopum Mechlinensem.

Quid (quæres) *de locis, ubi Tridentinum non est promulgatum?* — In iis locis clandestinum matrimonium validum est, ut in Anglia, Scotia, Hibernia, Suevia, Dania, et pluribus Helvetiæ locis, Saxonia, Borussia aliisque provinciis septentrionalibus, quæ a fide defecerunt ante 1564, quo decreta Concilii confirmata et promulgata fuere; etenim Tridentinum statuit, ut illa lex non obtineat, nisi post 30 dies a facta in unaquaque Parochia promulgatione: quæ tamen promulgatio ex declaratione S. C. Congregationis, referente Zellinger, satis censetur obtinere, etiam per solam observantiam et usum decreti; et ita etiam respondit cardinalis Zelada nomine Pii VII ad episcopum Lucionensem 28 maji 1793 (2). Quæstio maxime esse potest de provinciis fœderatis Hollandiæ et Belgii *(Paises Bajos)*, ubi fuit Tridentina lex promulgata, et in praxim deducta; sed postea ibi calviniana hæresis principatum obtinuit. Benedictus XIV, Cons. *Matrimonia* quæstionem solvit statuens matrimonia clandestina in dictis provinciis celebrata non tantum ab hæreticis inter se, sed etiam a Catholicis cum hæreticis, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum pro validis habenda esse. Hæc tamen declaratio non respicit Catholicorum conjugia inter se, ut ipse Pontifex ali-

(1) Ratio, ob quam Tridentinum tulit hanc legem, fuit bonum commune, ut nempe evitarentur mala illa gravissima, quæ a matrimoniis clandestinis oriri solent; nam plerique, relicta uxore priori, quacum clam contraxerunt, cum alia contraherent palam: et sic perpetuo viverent in adulterio. Quæ proinde lex cum lata sit in præsumptione periculi universalis, non cessat in casu particulari, quo nullum tale timeatur damnum. Nam stat semper illa generalis periculi præsumptio.

(2) Ex qua ratione contra Grassi certissime tenendum in Gallia hoc decretum obtinere, etsi in illa non fuerit singulariter promulgatum, ut videre est penes Bouvier et Gousset, qui solide ac fuse agunt de hoc impedimiento.

bi docuit (1): item solas respicit *fœderatas illas provincias*, ut respondit Pius VII ad Vicarios generales Pictavienses 29 aug. 1818. Hoc tamen Pius VIII Constitutione *Litteris* 15 martii 1830 extendit etiam ad occidentales Borussiæ Diœceses *(J)*.

Quid (dices) *si neque ad Parochum neque ad Sacerdotem ab eo delegatum recurrere possint contrahentes?* — R. Si agatur de casu aliquo speciali, quo sit absens Parochus et urgeat matrimonium, puta moribundi ad legitimandam prolem, tunc matrimonium non potest valide celebrari; neque enim lex respicit accidentia. Si vero agatur non de aliquo accidente, sed de tota communitate, quæ non amplius Parochum vel ab eo delegatum habere possit, tunc matrimonia contracta tantummodo coram testibus valida sunt; idque merito, secus Tridentina lex vergeret in ruinam societatis. Ita declaravit Pius VI 28 maji 1793 ad episcopum Lucionensem: quod valet etiam *cum contrahentes ad Parochum aut Superiorem legitimum nonnisi dificillime seu periculosissime recurrere possint*, ex ejusdem Pontificis responsione 5 oct. 1793 ad episcopum Genevensem. Quæ quidem resolutiones datæ pro tempore perturbationis Gallicæ debent etiam applicari matrimoniis Catholicorum in India, apud Sinenses etc. qui ad Missionarium catholicum recurrere nequeunt.

Q. 2. *Quis Parochus matrimonio assistere debet?*

R. Ad validam assistentiam requiritur Parochus proprius, quo nomine intelligitur qui hic et nunc, nempe tempore celebrationis, habet ordinariam jurisdictionem in contrahentes; ideoque Parochus domicilii vel quasi-domicilii, non vero originis, ut declaravit sacra C. Congregatio. Nihil autem refert, si extra Parœciam vel Diœcesim assistat, etiam contradicente Parocho loci; actus enim assistendi actus est potestatis assistendi uti testis, non actus jurisdictionalis. Neque etiam refert, quod extra Ecclesiam assistat; quia nihil tale præcipitur ad ipsum matrimonii valorem.

Diximus: 1 *domicilii:* ad domicilium autem acquirendum requiritur factum habitationis cum animo in tali loco perpetuo manendi: et acquiritur ipso primo habitationis die (2); 2 *quasi-domicilii;* ad hoc acquirendum necessarium est factum habitationis simul cum intentione eo in loco manendi per majorem vel saltem dimidiam anni partem: sic qui timore belli ad aliam transit Parœciam, habetur in jure uti hujus parochianus (3). Ad contrahendum matrimonium, quasi-domicilium jam acquiritur cum supradicta intentione, spatio unius mensis ex Benedicto XIV Constit. *Paucis abhinc*, 19 martii anno 1758. An vero acquiratur minori tempore, res definita non est: in praxi si matrimonium ante mensem fuerit contractum, ait S. Concilii Congregatio *de novo referendum esse in Congregatione* (4). His positis, jam plures quæstiones resolvuntur:

1. *Gubernatores, judices, medici, scholastici* valide contrahunt in locis,

(1) *De Syn Diœc.* l. VI, c. 6. (2) L. XX *ff. ad municip.*; l. V, § 5 *de injur.*

(3) Ex cap. fin. *de Paroch.*

(4) *V.* Pavone, *Spicilegio canonico* eec. nn. 246 et seqq; nn. 304 et seqq. — Benedictus XIV *Notificationibus* XV, XXXIII et LXXXVIII. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 1090 et seqq. — Canestri, *La Rubrica de'Parochi.*

ubi ad tempus habitant, ratione quasi-domicilii; — 2 *Educandæ* valide contrahunt coram Parocho Ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium ratione item quasi-domicilii (1). Et idem valet de *famulis* et *ancillis*, quæ penes dominos suos quasi-domicilium contraxerunt; qui ideo eo in loco valide matrimonium celebrant; — 3 *Puellæ expositæ*, quæ sunt in hospitiis, contrahere debent coram Parocho loci illius. Idem ex antiqua, quæ est, consuetudine, dicit cardinalis Lambertini de *puellis, quæ vivunt in conservatoriis*, a quibus aluntur atque dotantur; — 4 *Vagus* potest contrahere coram quocumque Parocho, licet tantum alter sponsorum sit vagus, quia sponsus habens domicilium fixum alterius privilegio potest uti. Hoc tamen ex Tridentino (2), non sinant Parochi, *nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint:* quam quidem licentiam Episcopus ex Instructione S. C. C. non concedat, nisi ei de statu libero authentica fides Ordinarii originis exhibeatur; — 5 *Exteri carceribus detenti* non possunt ibi contrahere, si custodiæ tantum causa ibi detineantur. At possunt, si ibi in pœnam sit carcer ad debitum tempus eis assignatus; — 6 *Infirmi extranei* extra casum præcisæ necessitatis non possunt contrahere coram Parocho, in cujus loco hospitale situm est. At possunt (ex S. C. C. 22 apr. anno 1622), si ibi jam domicilium vel quasi-domicilium contraxerint; — 7 *Milites* ex pluribus S. C. C. decretis, sive sint in præsidiis, sive in stationibus, sive in castris, nequeunt contrahere coram Capellano; sed debent ad validitatem contrahere coram Parocho, in cujus Parochia actu consistunt. Excipe, nisi capellanus castrensis sit ad animarum curam deputatus, vel assistendi facultatem obtinuerit; sed tunc ejus potestas non est privativa, sed cumulativa cum potestate Parochi, ita ut et loci Parochus et ipse æque possint assistere: ita S. Concilii Congregatio 29 maji 1685. Generatim milites æquiparantur vagis, ideo eorum Matrimonia debent contrahi eodem modo.

Quid (quæres) *si duo sint Parochi ejusdem Paræciæ, vel contrahentes duo habeant domicilia?*—R. In primo casu uterque Parochus potest assumi, etiam invito altero; quia uterque est Parochus proprius: ita S. C. C. In secundo, licet aliqui teneant esse contrahendum in Paræcia, ubi tunc temporis habitant; communissime tamen et valde probabiliter tenent alii contrahi posse in utraque Paræcia, modo in utraque habuerint sponsi habitationem ita, ut non habeatur ratio habitationis actualis, sed æqualis: quæ quidem æqualitas non mathematice, bene vero moraliter accipienda erit. At notamus cum Benedicto XIV, *Parochum ruralem non esse proprium, quando rusticatur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis* (3), vel etiam valetudinis recu-

(1) Ita S. C. C. 19 dec. 1748. — Contraria autem dispositio, cujus neminit Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIII, respicit tantum Statum Romanum, cujus quidem talis est usus, ut nempe educandæ, collegiales, familiares ac famuli, si habent domum vel familiam in alia Paræcia, ad hanc pertineant tum quoad matrimonium, tum quoad funera; proclamationes tamen matrimonii in utraque Paræcia, fieri deberent. Educandæ tamen peccant in loco monasterii contrahendo; cum id sit prohibitum a S. C. C. 9 nov. 1545: quæ quidem vult, ut dictæ puellæ exeant a monasterio, et in domum parentum reventantur, ibique contrahant.

(2) Sess. 24, c. 7 de R. matr. — Liguori, *Homo Apost.* tr. XVIII, n. 72.

(3) *Notificatione.* XXXIII. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. n. 1086.

perandæ gratia: quod tamen intelligi recte dicunt, si sponsus aliquoties, sive per breve tempus ruri degit: ita Barbosa cum Lugo et aliis.

Quid (addes) *si sponsi ad diversas Parœcias pertineant?* — Tridentinum præcepit adhiberi Parochum illius contrahentis, in cujus Parœcia celebratur conjugium. Verum ex universali et antiquissima consuetudine illud celebrandum est in domicilio sponsæ; ideoque ab illius Parocho (1): ac recte; neque sane æquum est, ut sponsa paternam domum deserat, nisi jam conjuncta virò ab eoque desponsata. Hoc tamen ad validitatem non refert; sed uterque Parochus valide assistit, ut declaravit S. C. Congregatio 16 febr. anno 1595.

Q. 3. *Quænam esse debent qualitates Parochi assistentis?*

R. Ut valide assistat (vel facultatem assistendi tribuat) Parochus, satis est, quod communiter habeatur uti *verus Parochus,* seu quod titulum habeat coloratum, talem nempe qui per se aptus quidem est ad parochiale Beneficium conferendum, sed ob latens vitium, v. g. ob simoniam occultam, illud non confert; id sane fidelium bonum expostulat, secus pluries de matrimonii validitate dubitaretur. Hinc Parochus valide assistit, licet ab Episcopo prohibeatur, quia per hoc non desinit esse Parochus, etsi graviter peccaret violando grave superioris præceptum: item valide assistit, licet nondum Sacerdos, etsi Sacerdos esse debeat qui ab ipso delegatur (2): item est si sit irregularis, interdictus, suspensus, excommunicatus etiam vitandus; quia hæ censuræ non privant per se ipsa Parœcia. Aliunde hac in re Parochus non exercet aliquam jurisdictionem, sed assistit tantum uti testis qualificatus a Tridentino deputatus, ut de matrimonio possit, occurrente necessitate, testificari. Imo in probabiliori sententia potest ob eamdem rationem dare licentiam assistendi etiam alteri Sacerdoti.

Si tamen sit publicus ac declaratus hæreticus, non assisteret valide in loco, ubi Tridentinum promulgatum est; nam est privatus ipso jure Beneficio parochiali, ideo desinit esse Parochus. Item nec valide assisteret Parochus qui a parochiali officio depositus dignoscitur; tunc enim non est amplius verus Parochus; item nec intrusus, id est sine ulla legitima superioris auctoritate in Parochia positus; fideles enim non possunt habere ut verum Parochum, qui saltem apparentem non habet titulum: et hoc constat ex Instructione Pii VI ad Episcopos Galliæ 26 sept. 1791.

Q. 4. *Quinam præter Parochum potest assistere?*

R. Præter Parochum valide matrimonio assistit:

1. Episcopus pro tota Diœcesi: sane ipse potest alium Sacerdotem delegare; ergo poterit et ipse id agere per se, nam *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur* (3). Declaravit autem S. C. C. 9 sept. 1684, quod si Episcopus mandat Parocho credito Parocho domicilii, ut assistat matrimonio, licet non sit talis, valet matrimonium. Hanc etiam facultatem assistendi et delegandi habet Vicarius generalis: neque eum potest prohibere Episcopus ex declaratione ejusdem S. C. C. apud Croix.

(1) Item lege Synodali Novariensi præceptum est (*pag.* 155).

(2) Etsi non fuerit intra annum ad Sacerdotium promotus ex S. C. C. 12 martii 1583.

(3) Reg. 79 juris in 6.°

2. Vicarius capitularis, sede vacante. Abbates jurisdictione quasi Episcopali pollentes. Et Archiepiscopi in Diœcesi Suffraganeorum tempore visitationis et appellationis. Nam isti in jurisdictione sunt.

3. Quilibet Sacerdos tam propriæ quam alienæ Diœcesis, qui ab Ordinario (vel ejus Vicario), aut Parocho licentiam obtinuerit, ut ait Tridentinum. Hæc licentia debet esse expressa, non retractata; nec sufficeret tacita, nisi expressæ æquivaleret, ut si Parochus præsens esset Sacerdoti matrimonio assistenti atqui sileret. Nec etiam sufficit præsumpta, qua quis nempe secum ipse putat ratum postea a Parocho habendum fore quod agit; quia hæc non est actu licentia. Sufficit tamen licentia quæ sit data et acceptata, etsi metu extorta; cum satis sit voluntaria. Item ex declaratione S. C. C. sufficit generalis deputatio, et licentia ad cuncta munia parochialia obeunda; quia in hac continetur ipsa quoque facultas assistendi.

Hæc porro licentia vel deputatio adeo necessaria est ex Tridentino, ut si quis vel Parochus alienus, vel Sacerdos tam sæcularis quam regularis auderet sine ipsa alicui matrimonio assistere vel benedicere, incurreret suspensionem ipso facto tamdiu duraturam, quamdiu ab Ordinario illius Parochi, qui matrimonio interesse deberet, absolvatur (1). Quam suspensionem probabilius censet Alasia cum Sanchez, non esse ab officio simul et Beneficio, sed ab exercitio Sacerdotali tantum; nam juxta canonum intelligentiam ex subjecta materia determinatur pœna, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit.

Ubi notamus ex Synodo Novariensi, Coadjutores parochiales etiam titulares non posse valide matrimonii celebrationi præesse sine speciali mandato (*pag.* 361): quod tenet sive Parochus absens sit, sive moriatur, neque enim per ejus mortem ipsi Coadjutores veri Parochi evadunt.

Delegatus (quæres) *poteritne alterum subdelegare?* — Si agitur de Sacerdote delegato ad cuncta parochialia munia obeunda, sive, ut ajunt, ad universitatem causarum (ut si v. g. substituto diceret Parochus ad aliquod tempus a Parœcia discessurus: *Parœciam tibi commendo, fac ut alter ego*), jure poterit alterum subdelegare ad unum, vel ad alterum munus speciale: ideo etiam ad assistendum alicui matrimonio. Si vero agitur de delegato ad munus tantum speciale, v. g. ad conferendum Baptisma, ad assistendum matrimoniis, alium subdelegare non poterit ex dispositione juris positivi: sane tunc non jurisdictio, sed certum ministerium dumtaxat ei committitur (2).

Quid (dices) *si Parochus mitteret alicui assistendi licentiam, sed antequam delegatus licentiam acceperit, Parochus moriatur?*—R. Si Parochus per nuntium a se electum licentiam mitteret Sacerdoti, et interea ipse Parochus moriatur, antequam Sacerdos hanc licentiam acceperit, si mortem illam ignorans matrimonio assistit, probabilius invalide assistit, cum tunc licentiam nequeat amplius acceptare; nam quando recipit nuntium, mittentis voluntas per mortem extincta est. — Si autem nuntius fuisset ab ipso delegando Sacerdote missus, utrum, Sacerdos valide assistat matrimonio etiam post mortem Parochi, alii affirmant; nam statim ac licentia assistendi fuit accep-

(1) Sess. 24, c. 1 de R. matr.

(2) Ex c. *Quoniam* 43 de off. deleg. § *cæterum*.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 566.

tata a nuntio, censetur acceptata a Sacerdote, cum nuntius ejus personam gerat; et semel acceptata, non amplius expirat, neque morte concedentis, cum sit gratia seu quasi-donatio jam facta. Sed aliis contrarium videtur, nam esto quod iste Sacerdos valide assistat ante notitiam concessæ sibi licentiæ habitam a nuntio, si adhuc Parochus vivit; sed aliter est si Parochus, quando assistit, jam mortuus fuerit; tum quia hæc delegatio debet potius dici gratia facienda, seu facultas concessa in favorem alterius, quæ utique expirat morte concedentis, re adhuc integra (ad modum quo facultas alicui Sacerdoti concessa absolvendi aliquam determinatam personam, re integra, expirat concedentis morte); tum quia hæc delegatio non est concessio alicujus veræ jurisdictionis; nam Parochus hic agit tantum personam testis qualificati: hanc porro personam delegatus repræsentat; at repræsentari non potest qui jam defunctus est. Quare delegationem hanc volunt potius esse comparandam mandato alicui dato, v. g. de suscipiendo puero e sacro fonte nomine alterius; quod quidem mandatum expirat morte mandantis (1).

Q. 5. *Qualis esse debet præsentia testium et Parochi?*

R. Ad 1: Cum Tridentinum indicando testes, non dicat eos esse debere omni exceptione majores, inde deducunt sufficere etiam personas infames, fœminas, parentes, servos, infideles et pueros, usum tamen rationis habentes. Neque refert, quod sint per vim adducti, vel affectent non intelligere, vel sponsorum verba distincte non audiant; eo enim ipso, quod vident illos coram ministro libere sistere, et ritum Ecclesiæ celebrare, jam moraliter sunt præsentes, ita ut sufficienter testari possint de contracto matrimonio. Testes autem saltem duo esse debent, et simultanee cum Parocho præsentes.

R. Ad 2: Quod dictum est de testibus, idem currit de Parochis quoad modum præsentiæ: nempe hæc talis esse debet, ut Parochi advertere possint quid agatur, et de eo testari. Idcirco non sufficit præsentia materialis: unde dormientes, ebrii vel amentes invalide assisterent; sed requiritur præsentia moralis, nempe ut advertant ad ea quæ fiunt. Non tamen necesse est, ut videant contrahentes, modo eorum consensum clare audiant; hinc Parochus cæcus assistit valide, non tamen si cæcus simul et surdus. Quod si non rite intelligant sponsorum consensum, v. g. quia sunt diversi idiomatis, satis est ut Parochi per unum interpretem de vero consensu certiorentur. Non autem refert, etiamsi per dolum, metum, aut injuriam detineantur Parochi, et ipsi resistant et contradicant, ut sæpius fuit definitum a S. C. C. Sed peccarent graviter contrahentes, si vi aut dolo casu transeuntem Parochum detinerent, ut matrimonium coram eo contraherent; gravis enim irrogaretur injuria tam Sacramento, quam Ecclesiæ; cum Parochus tunc habeatur ut persona publico ministerio mancipata (2).

Ex Synodo Novariensi (*pag.* 156) ipso facto excommunicantur, qui eo temeritatis devenerint, ut neglectis denuntiationibus, aliisque omissis, coram Parocho inscio vel invito matrimonium celebrent: quam pœnam incurrunt

(1) *V.* Bonacina, Suarez et Liguori, *Opus Mor.* l. III, nn. 728 et seqq.

(2) Ex S. C. C. 6 maji 1741 *matrimonium initum a sponso faciem habente palliatam naso tenus, nullum est:* intellige si inde sponsus non aliter dignoscatur a Parocho. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1092.

etiam testes, cæterique opem præbentes.—Id etiam punit *Codex pœnalis hispanus* (1).

ARTICULUS V—Impos, raptave sit mulier.

Q. 1. *Quid est impotentia ut est impedimentum matrimonii* (2)?

R. *Impotentiæ* nomine hic intelligitur *incapacitas ad copulam maritalem;* oriri potest vel ex privatione membrorum: vel ex eorum improportione; vel ex frigiditate; vel ex maleficio. Dicimus *incapacitas ad copulam maritalem*, quia copulæ tantum capacitas ad essentiam matrimonii requiritur: unde sicut nullum est matrimonium inter eos qui nequeunt illud consummare eo actu, ex quo de se esset possibilis generatio; ita validum est inter eos qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare. Hinc Ecclesia permittit conjugia inter senes et steriles, qui licet non ad generationem; ad copulam tamen sunt idonei. Item inter moribundos, qui veram habent potentiam, licet morbo impeditam. Item inter eos, qui unum tantum habent testiculum; quia nihilominus verum semen emittunt. Pariter nec sunt impotentes fœminæ, quæ aut susceptum viri semen retinere, aut sine mortis periculo parere nequeunt; quia tum illa seminis susceptio, tum istud periculum jam ostendunt potentiam ad copulam consummatam.—Contra sunt impotentes eunuchi perfecti, qui nempe utroque carent testiculo, ut declaravit Sixtus V anno 1587: item qui contusos habent testículos, ita ut verum semen emittere nequeant.

Multiplex est impotentia ad copulam: 1 alia est *naturalis*, quæ provenit ex defectu naturali, puta ex nimia frigiditate in viro, vel nimia vasis coarctatione in fœmina; alia *accidentalis,* quæ provenit ex vitio extrinseco, accidentali, v. g. morbo: vel etiam maleficio, cujus casus, etsi rarissimus, contingere tamen posse non est dubium; 2 alia est *perpetua*, et talis habetur quæ mediis naturalibus et licitis tolli nequit, nempe nisi per miraculum aut per peccatum aut cum periculo mortis; alia *temporanea,* quæ mediis licitis, v. g. chirurgorum operationibus potest auferri; 3 alia *absoluta,* quæ est cum personis quibuscumque: hac laborat vir utroque testiculo carens; alia *respectiva*, quæ non est, nisi cum tali persona, sic mulier potest esse apta copulari cum uno, non cum alio; 4 alia *antecedens,* quæ matrimonii celebrationem præcessit: alia *subsequens*, quæ illam secuta est (3).

Impotentia antecedens et perpetua, sive naturalis sive accidentalis, dirimit profecto matrimonium. Et quidem respectu omnium, si sit absoluta, respectu vero illius tantum personæ, quacum coiri non potest, si sit relativa. Id autem habemus tam ex jure positivo Canonico (4), quam ex jure naturali:

(1) Art. 398. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 1095 et seqq.

(3) Si dubitetur, utrum impotentia præcesserit, an subsecuta sit, judicabitur præcessisse, si profecta sit a causa intrinseca; quia quod a natura est, semper inesse præsumitur. Si vero ortum habuerit a causa extrinseca, v. g. a mutilatione membri, judicabitur esse antecedens, si allegetur brevi tempore, v. g. uno vel altero mense post matrimonii celebrationem: subsequens vero, si post longum tempus: quia tempore matrimonii quisque præsumendus est potens, nisi contrarium illico ac certo probetur. (4) C. 5 *de frig. et maleſic.*

nam *sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc, quod non potest dare vel facere; ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit:* ita Angelicus (1). At idem dici non debet neque de impotentia temporanea; quia qui hac laborat, absolute loquendo, ad copulam perficiendam idoneus est: neque de impotentia subsequente; quia hæc jam invenit matrimonium validum, ideoque illud dissolvere non potest. Hic autem nonnulla notamus pro praxi:

1. Cognita impotentia certa et perpetua, sponsi, sine ulla temporis mora, possunt illico separari, etiam propria auctoritate (si tamen id possit fieri sine scandalo, secus requiritur auctoritas judicis ecclesiastici); imo tenentur, si adsit periculum incontinentiæ; nam matrimonium est certe nullum, ideo nulli actus matrimoniales amplius permittuntur. Olim, ait Alasia, his conjugibus, ceu potius contrahentibus, permittebatur, ut possent simul habitare non tamquam conjuges, sed tamquam frater et soror (2); sed ex hodierna Ecclesiæ disciplina nunc amplius ipsis non permittitur, præsertim si conjuges juvenes sint, licet non institerint pro declaratione nullitatis matrimonii. Hinc Sixtus V Litteris ad Episcopum novariensem apostolicæ Sedis in Hispania Legatum præcepit, ne tales contrahentes simul cohabitarent;—2 Si impotentia sit dubia, quæ superveniat seu cognita sit, matrimonio bona fide celebrato, tunc ex jure canonico datur triennium ad tentandam matrimonii consummationem; ideoque dubitantes uti veri conjuges haberi licite possunt et copulam intentare, etsi semen extra vas effundant, ut communiter dicunt: hoc autem tempus in veriori sententia incipit a tempore copulæ intentatæ; debet autem esse moraliter continuum, nempe ut conjuges secum cohabitent per majorem anni partem. Si vero dubium antecedit matrimonium, non potest de impotentia practice dubius illud inire ob gravem injuriam quam parti irrogaret: si tamen hoc non obstante, contraxerit, tunc adhuc conceditur triennalis experientia;—3 judicium de impotentia non ad Parochum neque Confessarium spectat, sed ad judicem ecclesiasticum, qui audire debet medicos et obstetrices, quorum etiam præscriptionibus standum est ab impotentia laborantibus, si non sint ita molestæ, dolorosæ ac gravissimæ (3);—4 elapso triennio, et adhuc perseverante impotentia, hæc judicatur perpetua, et conjuges sunt separandi, ut supra. At si Confessarius deprehendat conjuges in bona fide versari, et admonitos non esse obtemperaturos, prudenter abstineat a monitione, ne illi a peccato materiali in formali labantur.

Q. 2. *Quid de impedimento raptus quoad matrimonium?*

R. *Raptus*, prout est impedimentum dirimens matrimonii, definitur: *violenta abductio mulieris matrimonii ineundi causa.* Hoc impedimentum Ecclesiæ jure inductum est; ait enim Tridentinum: *decernitque sancta Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium* (4). Nihil autem refert, quod vir ad

(1) Suppl. q. 58, a. 1. (2) Cap. 5 *de frig. et malefic.*

(3) C. *Laudabilem* de frig. etc.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1099.

(4) Sess. 24, c. 6 de R. matr. — *V.* Gousset, *Theol Mor.* n. 797, ubi fuse. — Liguori, *Opus Mor.*

mulierem rapiendam utatur opera alterius; nam qui per alium facit, per se facere censetur.

Dicitur; 1 *violenta;* etenim si desit vis, vel si adsit consensus mulieris, cessat crimen raptus; quia tunc potius habetur fuga (1).

2. *Abductio*, id est traductio de loco in locum, vel etiam de domo in domum per aliquot inde passus distantem. Unde non sufficit quod mulier transferatur de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, etiamsi per vim ibi cognoscatur (tunc esset tantum vis, non adductio); sufficit vero si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri. Cessat autem impedimentum, si mulier loco sit reddita tuto; nam Tridentinum ait valere matrimonium, si sit *rapta a raptore separata; et in loco tuto, et libero constituta; et eum in virum habere consenserit.*

3. *Mulieris;* quia si rapiatur vir, nullum erit impedimentum raptus; cum de hoc casu non loquatur Concilium. Nec sane eadem ratio est, uti dicunt communiter; tum quia id raro accidit; tum quia vir non ita facile vinci potest.

4. *Matrimonii ineundi causa;* nam Concilium spectat raptum solummodo in ordine ad matrimonium, cujus libertatem assecurare voluit. Unde hoc impedimentum non extat, si mulier abducatur alia quacumque de causa, quæ non sit etiam matrimonii contrahendi. Hinc non erit impedimentum raptus, si mulier tantum rapiatur ad obtinendas ab ea pecunias, etsi postea conveniatur cum illa de matrimonio; idem est, si mulier tantum rapiatur ad libidinem explendam ac eam deflorandam; idem est si interveniat solus raptus seductionis, qui tunc locum habet, cum mulier blanditiis, muneribus, promissis, illecebra voluptatis aut quolibet alio modo illecta, invitis iis a quibus ipsa pendet, raptorem sequitur. Ita Tridentinum communiter interpretantur auctores (2): et hodie maxime firmatur ex Littera responsiva Pii VII 27 junii anno 1805 ad Napoleonem I, qui postulando dissolutionem matrimonii fratris sui Hieronymi, memorabat inter cæteras causas raptum seductionis cum parentum dissensu: «Es contrario á las máximas de la Iglesia el deducir la nulidad del matrimonio de las circunstancias del *rapto* ó *seduccion*: el impedimento producido por el rapto no tiene lugar sino en el caso en que el matrimonio haya sido contraido entre el raptor y la robada, antes de que esta haya sido puesta en plena libertad. Ahora bien, en el caso actual no hay rapto en manera alguna, y las palabras empleadas en la Memoria de *rapto* y de *seduccion* no significan otra cosa que la falta de consentimiento de los padres, de donde quiere deducirse la *seduccion* de una menor, y no pue-

l. VI, n. 1106. — Probabilius est tantum matrimonium, non vero sponsalia inter raptorem et raptam irrita esse; nam non eadem et adæquata ratio currit, cum sponsalia non tantam libertatem requirant, utpote rescindibilia. Ita Perez, Pikler, Krimer, etc. Verum alii communius cum Sanchez et Salmanticensibus contrarium docent; quia cum sponsalia sint via ad matrimonium, eamdem requirunt libertatem.

(1) Vis autem ista potest esse tam physica, v. g. violenta manuum injectio, quam moralis, v. g. metus gravis, sive inferatur per se sive per alios.

(2) Citat Alasia declarationes S. C. C. 3 martii 1714. — It. *v.* Giraldus, *Expositio jur. Pontificii.* — Zamboni, *Collectio Decretor. S. C. C.*

de por consiguiente constituir un obstáculo *dirimente* con respecto al vínculo del matrimonio (1).»

Sed (quæres) *quænam pœnæ constitutæ sunt contra raptores?*—R. Ex Tridentino (præter impedimentum dirimens, quod incurrit raptor) tum raptor tum omnes eidem consilium et favorem præbentes, si laici, incurrunt excommunicationem nemini reservatam : item infamiam perpetuam ac inhabilitatem ad omnes dignitates; et si Clerici sint, ejectionem insuper e proprio gradu. Imo raptor ligatur obligatione dotandi raptam. Ubi notandum est: 1 excommunicationem ipso facto incurri; cæteras pœnas nonnisi post sententiam, cum hæ nimiam acerbitatem contineant, ut illico, quis eas debeat in se exequi; 2 dictas pœnas non incurri ab eo, qui ab aliis jam raptam mulierem domi suæ retinet: quia raptus jam est consummatus. Quod si sponsus rapiat sponsam, censent Henriquez ac Ledesma ipsum nec impedimentum, nec cæteras pœnas incurrere ; quia id statuit jus antiquum (2). Sed verius id negant Concina, Sanchez et Salmanticenses, casu quo fœmina abducatur invita; nam ipsum Tridentinum (quod reformavit jus antiquum) indistincte loquitur.

An (addes) *si non impedimentum, saltem incurrat cæteras pœnas, qui abducit mulierem causa libidinis, vel alio malo fine, quam ad matrimonium?* Alii negant; quia Tridentinum solum intendit favere libertati matrimonii : sane ea in sessione loquitur de solo matrimonio. Alii vero gravissimi auctores affirmant; quia Tridentinum in illo speciali capite generaliter loquitur. Et quamvis quoad impedimentum inducendum Tridentina lex communi sensu sic fuerit recepta ; non ita tamen est quoad alias constitutas pœnas.

Hic notamus ex Codice pœnali hispano quarumcumque mulierum raptum gravissime puniri, habita circumstantiarum ratione (3).

COROLLARIUM.—*De Matrimonii denuntiationibus seu bannis* (4).

Q. 1. *Quid de denuntiationibus matrimonii ?*

R. Denuntiationes matrimonii fuerunt inductæ: 1 et maxime, ut detegantur, si quæ forte extent, impedimenta ; 2 ut eliminentur matrimonia clandestina ; 3 ut filiifamilias, invitis vel insciis parentibus, non contrahant. Si tamen omittantur, non ideo invalidant matrimonium ; cum illis clausula irritans non sit apposita. Hac de re Tridentinum *præcipit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum* (5).

(1) Artaud, *Storia di papa Pio VII*, vol. II.— Unde contraria opinio, quæ jamdiu in Gallia viguit, hodie passim in ipsa Gallia rejicitur; ac merito, consuetudo enim fundata in falsa legis interpretatione, non parit effectum. *V.* Gousset.

(2) Cap. penult. *de rapt.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1106. — Ferraris, *Bibl.* etc.

(3) Art. 368, 369 et 370.

(4) Vox *Ban* cujus usum Franci ex Franconia oriundi invexerunt in Gallias sæc. V, non aliud significat, quam *publicam denuntiationem futuri matrimonii.* Est ex præcepto Concilii Lateranensis in Tridentino confirmato. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 989.

(5) Sess. 24. c. 1 de R. matr. — «Los matrimonios mistos estan tambien sujetos á la regla

1. *Tribus continuis diebus festivis:* quæ continuitas ita est accipienda, ut nulli festi dies præsertim dominici inter unam alteramque denuntiationem intercedant; alioquin non excusaretur quis a veniali, quia jam contra præceptum faceret (1). Dies porro illi debent esse *festivi* sive ex præcepto generali, sive ex præcepto particulari alicujus loci, sive ex lege scripta, sive ex consuetudine (2). Episcopus tamen potest dispensare, ut fiant etiam diebus ferialibus (ut declaravit S. C. C. penes Barbosam) si æque servetur finis Concilii.

2. *In Ecclesia*, id est in Ecclesia parochiali contrahentium: possunt autem fieri probabiliter etiam in Oratorio, saltem cum aliqua causa, uti dicunt Barbosa, Navarrus et Sanchez: hoc utique liceret, si illuc generaliter venissent parochiani, et Missa parochialis ibi celebretur. Item ad januam Ecclesiæ; vel etiam alio loco, confluente magno populo; quia in eo casu non deviaretur a fine legis: quod quidem probabile videtur fieri posse saltem sine mortali; imo si adsit aliqua causa, sine ulla culpa.

3. *Inter Missarum solemnia*, id est in Missa parochiali, vel etiam conventuali, ut declaravit S. C. C. Quod si per oblivionem, vel alia de causa omittantur in Missa, *possunt etiam fieri diebus festivis, dum cantantur Vesperæ* ex eadem S. C. C. Dicunt etiam probabiliter Barbosa, Roncaglia et Sanchez, quod possunt etiam fieri, si adsit aliqua saltem causa, in Ecclesia tempore processionis, vel etiam concionis, etsi non sit inter Missarum solemnia.

4. *A proprio contrahentium Parocho:* quod si sponsi fuerint diversæ Parœciæ, etsi ejusdem Diœcesis, in utraque Parœcia fieri debent denuntiationes, ut dicit Rituale. Si vero alter sponsorum de brevi moretur in aliquo loco, denuntiationes sunt faciendæ etiam in Parœcia, unde discessit, uti declaravit S. C. C. Et hic notandum, quod si alter sponsorum ad aliam Diœcesim a qua ætate jam nubili discessit, pertineat, tunc externus ille debebit etiam referre *statum*, ut vocant, *liberum* exaratum ad normam Instructionis S. C. C. (3): et status iste debet prius recognosci, et approbari in propria etiam Curia episcopali, antequam Parochus matrimonio assistat. Imo status libertatem etiam illi Diœcesani probare debent, qui diu (ex Synodo Novariensi, si per quatuor menses continuos) post ætatem nubilem a Diœcesi abfuerint (4).

general y se publican en la Iglesia en los lugares donde el temor de causar admiracion, como sucederia entre nosotros, no facilita el camino á la dispensa. » Nardi.

(1) Verum si dies festi sibi ipsis proxime et immediate succederent, licet non ex necessitate, quia jam Concilii lex impleretur; at ex ipso legis fine, ex consensu Doctorum ac particularibus Synodis (ut ex Synodo Novariensi *pag.* 151), *unius saltem diei intervallum inter singulas denuntiationes interponi deberet.* Item Novariensis Synodus (*pag.* 154): statuit, ut matrimonium non celebretur eodem die, quo postrema denuntiatio facta est; excepto si amplius non possit celebrari ob tempus feriatum quod statim currit; sed eo in casu monendus populus de celebratione eadem die facienda.

(2) Etiam in *Festis suppressis* denuntiatio fieri potest; si tamen ob populi concursum videatur satis servari ratio ac finis Concilii; nam festa suppressa habentur tamquam de præcepto quoad ecclesiasticas functiones. (3) Extat in Synodo Novariensi, *pag.* 402.

(4) S. C. C. pluries declaravit proclamationes necessario faciendas esse etiam in loco originis; sed addit Croix, quod id hactenus non potuit (saltem ubique) deduci in praxim. Quidquid sit,

Parochus autem in denuntiatione facienda exprimere debet contrahentium nomen, cognomen, parochiam, patriam, domicilium; item diœcesim, si ad aliam spectent; et si de viduis sermo sit, defuncti conjugis nomen et cognomen. Insuper debet admonere de vice in vicem, an proclamatio, quam agit, sit prima an secunda an ultima: et quando, una vel altera peracta, speretur dispensatio in reliquis, pariter fidelibus indicandum est, ut si quod dignoscant impedimentum, apto tempore revelare possint. Innuere demum debet gravem obligationem revelandi impedimentum, si quod fideles norint, vel sibi vel suis ecclesiasticis superioribus. At quomodo denuntiabit, si quæ sint impedimenta, populus ignoret? hinc gravis in Parocho obligatio est suis aperiendi non tantum sanctitatem, virtutem ac legitimum finem matrimonii, sed etiam impedimenta, ea præsertim quæ frequentius occurrunt, et speciatim impedimenta cognationis spiritualis et publicæ honestatis, quæ ut plurimum ignorantur, ut monet Catechismus romanus (1).

Si duo menses integri effluxerint a bannis peractis, quin matrimonium celebretur, repetenda ea sunt, *nisi aliter Episcopo videatur*. Ita Rituale R.: porro ex pluribus Synodis (uti ex Novariensi, pag. 154), si duo menses effluxerint, una saltem denuntiatio repetenda est; omnes vero, si tres vel plures effluxerint menses.

Q. 2. *An promulgationes sint agendæ sub gravi?*

R. Affirmative: agitur enim de re gravi ac præcepta ob finem magni momenti. Hinc tam assistens, quam contrahentes illas transgredientes gravissime delinquunt; imo Parochus matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur; ipsis vero contrahentibus, qui hoc Ecclesiæ mandatum contemnunt, dignam pœnitentiam injungendam esse statuitur (2).—Attamen ex universali usu a proclamationibus excipiuntur Principes matrimonium contracturi; quia eorum genus satis notum est.

An (quæres) *peccet graviter Parochus, qui matrimonio assistit, omissis tribus denuntiationibus sine Episcopi licentia, si per diligentiam adhibitam certus sit nullum esse canonicum impedimentum?*—R. Barbosa, Roncaglia et Sanchez communissime et verius affirmant. Esto quod Parochus per suam diligentiam impleat finem Tridentini; transgreditur tamen illam diligentiæ formam, quam Concilium exigit: hæc vero cum sit in re gravissima, non excusatur a mortali, nisi adsit urgens necessitas, quæ moram non patiatur. Imo nec adæquate satisfacit fini præcepti, tum quia illa lex fundata est in præsumptione juris, quæ ideo in omni casu, quoad potest, servanda est: tum quia si postea casu aliquod detegatur impedimentum, filii inde exorti habentur illegitimi (3): ac conjugibus adimitur spes dispensationis; non enim

præstat saltem, ut Parochus matrimonii scribat ad Parochum originis, ut tutus procedat: fieri enim potest, ut quis celebret matrimonium in loco originis: sed statim, rupta concordia, discedat; ac tandem post longissimam moram in alio oppido, aliud matrimonium tentet, nemine suspicante. Casus recentissimus est.

(1) Adviértase sin embargo, que tratándose del impedimento *criminis* y del de *impotentia* conviene hablar con mucha prudencia, circunspeccion y decencia.» Careno.

(2) C. *Cum inhibitio* § finali de cland. despon. (3) Ex c. fin. § *si quis de cland. despon.*

dignus est, ut Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, qui ejus salubria præcepta temere contempsit (1); saltem nonnisi difficile hæc concedi solet. Et ideo ea circumstantia omissionis ex Curiæ stylo ad valorem est exprimenda.

Quid (quæres) *si Parochus duas vel unam tantum omittat proclamationem sine dispensatione, et sine causa?*—Duas omittere probabilius est mortale; quia duæ e tribus ut pars gravis totius præcepti habenda est. Utrum vero id sit etiam dicendum de omissione unius tantum, affirmant Escobar, Pontius, etc.; sed probabiliter alii negant, si Parochus aliunde sit certus nullum adesse impedimentum; quia respectu ad totum hæc non videtur materia gravis (2).

Q. 3. *An fideles debeant impedimenta, si norint, denuntiare?*

R. Sive fiant sive etiam omittantur proclamationes, omnes cujuscumque sexus ac loci, per se loquendo, sub mortali, si quod noverint impedimentum, tenentur denuntiare, quamvis secretum (3). Patet ex lege non tantum Ecclesiæ, sed ipsius naturæ, quæ præcipit ut prospiciatur et dignitati Sacramenti et bono proximi. Ergo omnes et singuli denuntiare tenentur, qui rationis usum habent; cum tunc illius præcepti sint capaces: etiam consanguinei et amici; imo strictius, ut patet, ipsi damnum tenentur impedire suorum amicorum et propinquorum: etiam alienigenæ; quia id præceptum est ad Ecclesiæ bonum: etiam qui jam scit impedimentum a S. Pœnitentiaria dispensatum fuisse utpote occultum, si postea publicum evaserit; ut tunc publice afferatur obtentæ dispensationis testimonium. Etiam si unus dumtaxat sit, qui sciat impedimentum sed nequeat probare (serviet enim ad indagandum): ita communissima et verior sententia cum Barbosa et Sanchez, qui id probant ex jure canonico, ubi dicitur: *matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi* (4).

Diximus: *per se loquendo* omnes teneri; datur enim exceptio: sic ab obligatione denuntiandi impedimenta excipiuntur: 1 Confessarii, quorum notitia non est hujus fori. Item qui revelare non possunt absque gravi detrimento sui vel suorum, ut si impedimentum proveniat ex illicita eorum copula; 2 qui impedimentum sciunt sub secreto consilii, ut sunt parochi, medici, obstetrices; nam societati interest hæc secreta tecta servari. Aliter esset ex Angelico, si sciatur illud sub secreto confidentiæ; nam nulla utilitas in Rempublicam ex hisce secretis (5); 3 qui illud audierunt a persona nulla omnino fide digna, cum nulla sit ratio hujus auditus.

Q. 4. *Quid agendum a Parocho, cognito impedimento?*

R. Si impedimentum ei fuerit denuntiatum ab aliis, certum est ex jure, Parochum teneri interdicere nuptias, rem Ordinario deferendo, ut cognos-

(1) Tridentinum, sess. 24, c. 5. (2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 990.

(3) Ex qua parte hæc lex fertur ab Ecclesia, ei subjiciuntur omnes Christiani; ex qua parte nititur præcepto charitatis; omnes omnino ea tenentur. Attamen si ex manifestatione periculum infamiæ alicui personæ immineret, præmittenda erit fraterna correctio, si tamen profutura prævidetur. Contracto matrimonio, lex denuntiandi cessat, quæ solum lata est ad præveniendam matrimonii nullitatem; remanet tamen semper lex charitatis, si inde speretur bonus effectus ex revelatione. (4) Cap. *Super eo* 22 de test. et attest.—*V.* de *dissolutione sponsalium.*

(5) 2, 2, q. 70. a. 1.

cat (1). Imo in veriori sententia ad hoc adhuc tenetur, etsi ipse solus impedimentum sciat extra Confessionem, tum ut bono Sacramenti prospiciat, tum ut bono suorum omnium consulat (2). Diximus *extra Confessionem,* cum enim arctissima sit sigilli lex, hujus notitiæ non est habenda ratio; sed debet Parochus in Confessione sponsos monere, ut a matrimonio abstineant, donec dispensentur. Excipe nisi sint in bona fide, et ex monitione desperetur fructus, et impedimentum tale sit, ut non de facili (contracto matrimonio) a sponsis dignoscatur (3); tunc est omittenda monitio, donec obtineatur dispensatio; quia melius est interim permittere peccatum materiale, quam præbere occasionem peccati formalis.

Quid (quæres) *si moniti sponsi non possent a matrimonio desistere sine magno scandalo, et omnia jam parata sint, factæ denuntiationes, amici invitati, etc.?* — Tunc Parochus, vel Confessarius suadeat illis, ut contrahant sub conditione: *si Papa dispenset,* animo interea cohabitanti ut frater et soror, donec veniat dispensatio, et sic iterum contrahant. Ita Beja, Pontius, etc. Si autem hoc remedium non obtineat, ut si v. g. cognitio impedimenti se teneat ex parte unius tantum, qui non vult prodere turpitudinem suam, docet Bossius, Sanchez, etc. suadendum esse pœnitenti, ut emittat votum castitatis ad tempus, illudque manifestet. Quia tamen hoc videtur periculosum propter suspicionem, quam aliis ingerere potest; ideo communissime ac valde probabiliter alii dicunt cum Anacleto, Antoine, Barbosa, Dejustis, Urtado et Sanchez, quod in tali rerum angustia, potest dispensare Episcopus, quia tunc recte præsumitur Pontifex ipse delegare facultatem. Cardenas hoc dicit *moraliter certum*, Benedictus XIV concedit id esse *fere commune* (4), Pyrrus Corradus testatur insuper id declarasse Sixtum V.

Quid (addes) *si neque ad Episcopum haberi possit recursus; quia nuptiæ omnino in crastinum celebrandæ sunt, et Episcopus longe distet?* — R. Tenet Roncaglia non sine fundamento cum Lugo et aliis, quod eo in casu posset Parochus vel Confessarius prudens utendo epicheja aperte declarare parti impedimento consciæ, talem humanam legem pro tunc non obligare; quia tunc lex cessat in particulari non tantum *privative,* quatenus redditur inutilis, quo in casu adhuc obligat; sed cessat etiam *contrarie,* quatenus fit nociva, unde cessat habere rationem veræ legis. Notant tamen quantocius, saltem pro majori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiæ leges, recurrendum esse ad sacram Pœnitentiariam, ut obtineatur dispensatio seu declaratio (5).

(1) Cap. *fin de cland.* — Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 1001.

(2 Nec obstat dicere, quod peccatori occulto non potest denegari Sacramentum, cum publice petit. Hoc enim evenit, cum aliud non currit malum, quam mala perceptio Sacramenti: secus autem cum interveniunt alia gravia damna, quæ plerumque accidunt ex matrimoniis invalidis, ut recte docent Bossius, Coninchius, Roncaglia, Sanchez, etc.

(3) Quæ omnia cum proportione sunt dicenda de alio confessario non Parocho, qui vel ex sponsorum confessione, vel ex aliis novit impedimentum: qui monere vel non monere debet, ratione circumstantiarum: et hoc currit, etiam matrimonio celebrato. *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 613 et 996. — Pavone, *La luce fra le tenebre* ecc.

(4) *De Syn.* etc. l. VII, c. 31. n. 2. — *V.* Ferraris, *Bibl.* V. Impedimentum.

(5) *V.* Pignatelli, t. III, *Consult.* 33. — V. Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 612.

Q. 5. *Quisnam potest dispensare super bannis?*

R. En Tridentini verba: *si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem, Parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur. Quod illius prudentiæ et judicio sancta Synodus relinquit.* Ex his habetur, Episcopum posse jure ordinario dispensare: quod pariter potest Capituli Vicarius: item Prælatus inferior, si jurisdictione quasi-episcopali sit insignitus. Quoad autem Episcopi Vicarium, Diana et Pontius hanc ei denegant facultatem; verum communius ac probabilius Barbosa, Elbel, Filliucius, Navarrus, Roncaglia aliique contrarium docent ex eo, quod ipse unum cum Episcopo efficit tribunal in iis, quæ de jure ordinario scripto ac patenti competunt suo principali (1). Omnes tamen id negant de Parocho, quia nullam in foro externo habet jurisdictionem. Ei id unum concedunt, ut cum Episcopus dispensare tenetur et adiri non potest, declaret præceptum tunc non obligare; si certo omnino sciat non adesse impedimentum.

Quænam (quæres) *sunt justæ dispensandi causæ?* — R. Unica a Tridentino assignatur legitima dispensandi causa; sed non ad exclusionem, bene vero ad exemplum, ut declaravit S. C. C. Unde duplicis generis communiter distinguuntur causæ: aliæ, quibus extantibus, Episcopus non solum potest, sed etiam tenetur dispensare; aliæ, ob quas non tenetur quidem dispensare, sed potest.

Causæ, ob quas *tenetur Episcopus* dispensare, sunt: 1 si probabilis adsit timor, ne matrimonium malitiose impediatur; 2 si matrimonium sit necessarium ad damnum vitandum: vel ad scandalum impediendum, v. g. si concubinarii jam reputarentur legitimi conjuges; si sponsa jam cognita fuerit, et ab aliquo tempore prægnans; si a morituro sit contrahendum ad prolem legitimandam; 3 si immineat periculum animæ, corporis aut fortunæ; 4 si sponsus statim sit in longinquas regiones profecturus, aliqua urgente causa; 5 si parentes vel tutor prætendant, ut virgo nubat indigno. Ita passim Barbosa, Bossius, Roncaglia, Salmanticenses, etc.

Causæ vero, ob quas *Episcopus potest*, sed non tenetur dispensare, sunt: 1 si nuptiæ sint contrahendæ inter magnates; horum enim conjugia non fiunt, nisi præcedente magna consideratione; 2 si sponsi sint valde senes, vel valde dispares conditione, ætate, divitiis, ne pudore perfundantur; 3 si certo moraliter constet, nullum adesse canonicum impedimentum; 4 si immineat tempus Quadragesimæ vel Adventus, et alias aliquod timeri possit præjudicium (2). Sic Barbosa, Bossius, Cabassutius, Sanchez, etc. Si vero

(1) Adversarii quamdam afferunt S. C. C. declarationem, sed valde dubia habetur. — *V.* Monacelli, *Formularium legale* (p. 1, tit. 8, d. 6), qui id ipsum tuetur, et asserit illud in praxi servari, et a se servatum fuisse, cum eo munere fungeretur.

(2) Solo imminente *tempore feriato*, melius est dispensare a nuptiarum prohibitione, quam a denuntiationibus. Ita S. C. C. in Novariensi, uti refert Alasia.

non adeo sit impellens causa, sat erit dispensare ab una vel altera denuntiatione; omnino enim dispensare Episcopis vetat Benedictus XIV Bulla *Nimiam licentiam,* 18 maji 1743, nisi *urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa, ut liquet ex Tridentino* (1).

Si sponsi sint ex diversa Diœcesi bannorum dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda est; possunt enim esse rationes dispensandi pro una parte, quin adsint pro altera: et si ex una parte non detegatur impedimentum, non sequitur non posse detegi ex altera. *Gury.*

CAPUT TERTIUM

DE DISPENSATIONIBUS SUPER IMPEDIMENTIS.

Q. 1. *Quisnam potest dispensare super impedimentis matrimonii?*

R. Tridentinum novatores damnavit asserentes Ecclesiam dispensare non posse in impedimentis, in iis nempe, quæ sunt ecclesiastici juris (2): et merito, qui enim legem condidit, ab eadem dispensare potest. Et Pius VI Bulla *Auctorem fidei* proscripsit propositionem 60 Synodi Pistoriensis supponentem Ecclesiam per civilem potestatem spoliari posse hac facultate. Porro circa præsentem quæstionem duo certa sunt:

1. Nihil posse Parochum hac de re; cum Parochus nulla polleat in foro externo jurisdictione; 2 totum posse Pontificem in impedimentis de jure ecclesiastico, cum sit caput totius Ecclesiæ, et universalem habeat jurisdictionem. Non tamen potest Pontifex (uti tradit communior et probabilior sententia cum D. Thoma) (3) dispensare in his, quorum jus ex sola divina voluntate pendet: item neque in iis, quæ sunt juris naturalis, vel juris tertii; nam inferior non dispensat in lege superioris, nec homo in lege naturæ; nec alter in alterius jure. Poterit tamen, urgente casu, dispensare R. Pontifex (et revera dispensat) in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et juramentis; tunc enim non aufert jus divinum, sed uti doctor universalis Ecclesiæ et supremus divinæ interpres voluntatis declarat, legem divinam eo in casu non obligare.

Q. 2. *An Episcopus possit dispensare super impedimentis* (4)?

R. 1: Quoad *impedimenta impedientia* Episcopus potest subditos universaliter dispensare ex consuetudine, imo et alteri dispensationem delegare. Si tamen excipiantur: 1 vetitum latum a Pontifice vel ab alio superiore, puta ab Archiepiscopo in appellationis causa: vel ab ipso jure propter alterius hæresim; nam in matrimoniis mixtis solius Pontificis est dispensare; 2 sponsalia, quia agitur de jure tertii, unde hujus remissio necessaria est; 3 ordi-

(1) Ita etiam Constitutione *Satis Vobis* 17 nov. 1741.

(2) Sess. 24, can. 3. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. n. 1119.

(3) 1, 2, q. 97, a. 4. — *V.* Pavone, *La luce fra le tenebre.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1119.— Perrone, Gualco, etc.

(4) *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. xx, nn. 29 et seqq. ubi omnes Episcoporum facultates ac privilegia fuse refert. Et *Opus Mor.* l. III, n. 258; l. VI, n. 987.

narie etiam votum absolutum, vel ingrediendæ Religionis, vel perpetuo castitatis servandæ; quia id sibi Pontifex reservavit. — Item ex consuetudine universali potest Episcopus dispensare vel per se vel per alium in impedimentis, quæ matrimonio inito superveniunt, et impediunt debiti petitionem, uti in affinitate. Ita etiam, matrimonio jam inito, in ordine ad debitum conjugale dispensare potest a voto castitatis perpetuæ, sive ante matrimonium sive postea votum illud emissum fuerit, modo non fuerit emissum mutuo conjugum consensu (1). Ita communiter Anacletus, Sanchez, Sporer et alii apud Lucium Ferraris (2).

R. 2 : Quod pertinet ad *impedimenta dirimentia*, distinguendum est: vel matrimonium nondum est celebratum, vel jam celebratum est.

Si 1, commune est, Episcopum in aliquo peculiari casu posse utique dispensare suos subditos, non quidem ordinario jure suo, sed ex tacita Pontificis concessione. Est nempe, quando vera urget necessitas, et agitur de impedimento occulto: v. g. si alias immineat periculum mortis, vel si matrimonium necessarium sit vel ad legitimandam prolem, vel ad vitandam fœminæ infamiam aut alia damna, vel si honesta mulier parata sit nuptias tali die contrahere, et in Confessione sacramentali manifestet impedimentum. In talibus rerum adjunctis vel cessat omnino reservatio, vel præsumitur Papa consentire, maxime cum ipse jam notam habeat hanc sententiam communiter ab auctoribus esse traditam atque receptam.

Si 2, adhuc posse Episcopum dispensare affirmant cum Benedicto XIV communiter Theologi et Canonistæ, eadem ratione, qua supra (3). Et episcopus Zerola in sua *Praxi episcopali* testatur sibi a romana Curia affirmative fuisse responsum, nonnullis tamen intervenientibus conditionibus: et sunt 1 ut matrimonium contractum sit cum ignorantia impedimenti, saltem ex una parte; 2 ut sit consummatum, quod recte supponitur, si jam ab aliquibus diebus, sit initum; 3 ut sit occultum, id est non publica fama vulgatum; 4 ut non sit facilis ad Papam recursus, uti v. g. si partes sint pauperes, quæ non habeant ad supplicandum expensas; 5 ut matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiæ, neque fuerint neglectæ proclamationes; 6 ut immineat periculum infamiæ aut scandali, si separentur putati conjuges, vel incontinentiæ, si non separentur (4). Si vero, addit Benedictus XIV ex

(1) Censent Salmanticenses etiam Vicarium generalem Episcopi posse dispensare in hujusmodi speciali voto ex concessione generali, quam ipse habet ad casus episcopales.

(2) *Biblioth.* V. Debitum conjugale, art. 2, ubi pluribus id probat.

(3) *De Syn.* etc. l. IX, c. 2. — Et hanc facultatem Episcopus non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurentibus delegare potest, ut ajunt Coninchius, Elbel, Guttier, Henriquez, Salmanticenses, Sanchez, Valentia, Vasquez. etc.; cum enim hæc potestas non personæ, sed officio sit adnexa, ipsa jam reputatur ordinaria: et ideo illa recte potest delegari. Eam tamen dispensandi facultatem non habent Vicarii generales Episcopi sine ejusdem speciali commissione; quia esto, quod hæc vim induat facultatis ordinariæ, cum tamen id sit tantum ex præsumpta Pontificis voluntate, non autem ex privilegio in jure expresso, ideo in generali commissione Vicariatus ea non intelligitur commissa. Aliter dicendum de Vicario capitulari, qui succedit in omnem ordinariam Episcopalem jurisdictionem. *Liguori.*

(4) Hisce casibus communi usu exceptis, dicimus Episcopum omnino nihil posse circa hæc impedimenta; ratio concludentissima est, quod inferior nihil potest in legem sui superioris. Ubi no-

Cabassutio, aliqua ex his circumstantiis non adsit, et personæ sint revera pauperes, rudes, rusticæ, Episcopalis charitatis erit prosequi hanc dispensationem in forma pauperum apud Sedem apostolicam, ut plane gratis obtineatur. — Advertunt ultimo dispensationem in prædictis casibus ab Episcopo obtentam, prodesse tantum pro foro conscientiæ; ideo si postea externe detegatur impedimentum et deducatur ad forum contentiosum, erit ad Pontificem recurrendum. Excipe nisi fidem facere possit Confessarius de dispensatione; sane quod semel sublatum est, non debet iterum reviviscere juxta illud juris: *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari* (1).

Quid (dices) *si agatur de impedimentis dubiis?* — R. Affirmant probabiliter posse Episcopum dispensare in impedimentis dubiis, de quibus scilicet quæstio est, an revera subsistant necne; idem communissime dicunt de omnibus impedimentis Pontifici reservatis, quotiescumque dubitatur, utrum necessaria sit Pontificis dispensatio; nam ex una parte, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, et restringenda ad casus certos; ex altera principium est inter Juristas commune in casibus dubiis, qui frequenter occurrunt, bene posse inferiorem dispensare in lege sui superioris. Ita Barbosa, Cabassutius, Continuator Tournely, Elbel, Merbesius, Pikler, etc. (2).

ARTICULUS I — De modo dispensationis impetrandæ (3).

Q. 1. *Quomodo impetrandæ sunt dispensationes?*

R. Quoad dispensationes, quæ de jure ordinario conceduntur ab Episcopo, id notasse sufficiat: nempe oportere, ut impedimentum cum suis circumstantiis clare exponatur, et causa supplicationis in veritate aperiatur; ne dispensatio nullitatis defectu laboret.

Quoad dispensationes vero, quæ a R. Pontifice obtinentur, sciendum est, quod duplex Romæ Tribunal erectum est pro matrimonialibus dispensationibus concedendis: unum quod dicitur *Datariæ Apostolicæ;* alterum quod dicitur *Sacræ Pœnitentiariæ.* A Dataria petuntur dispensationes pro foro externo, et pro impedimentis publicis, vel quæ publica fieri prævidentur; a Pœnitentiaria autem pro solo foro interno seu Pœnitentiæ, et pro impedimentis occultis. Illa cessat, defuncto Pontifice; ista vero non cessat. Item in Dataria, nisi dispensatio obtineatur *in forma pauperum*, uti ajunt, solvenda est taxa pecuniaria; nulla vero, ut plurimum, in Pœnitentiaria solvitur taxa. Hæc porro omnia Confessarii ac Parochi sedulo considerare debent, ne suos decipiant pœnitentes ac parochianos *(K)*.

Q. 2. *In quibusnam impedimentis dispensat Dataria et Pœnitentiaria?*

R. 1: Quoad *Datariam* pertinet, hæc generatim dispensat (nisi res sit de jure tertii) impedimenta publica tum impedientia, tum dirimentia, sive

tamus Pium VI Lit 28 nov. 1786 damnasse errorem Eybelli ajentis dispensationum reservationes indebitas, atque Episcopis injuriosas esse. — *V.* Devoti, *Ins. Can.* l. II. t. II, sectio 9.

(1) Reg. 72 juris in 6.°

(2) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 902.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1131.

agatur de contrahendo sive de jam contracto matrimonio. In Dataria autem habentur tria officia distincta: est officium *Minoris Gratiæ*, ubi remotiores gradus; officium *Cancellariæ*, ubi gradus medii; et officium *Præfecturæ Brevium*, ubi primi gradus dispensari solent (1).

R. 2: *Pœnitentiaria* quoad *impedimenta impedientia* facultatem habet ea dispensandi, si occulta sint nec agatur de jure tertii; consequenter dispensat super voto castitatis perpetuæ, aut Religionem ingrediendi. Quoad *impedimenta dirimentia* vero, si agatur de contrahendis matrimoniis, dispensat in impedimentis occultis tum publicæ honestatis, tum affinitatis ex copula illicita, tum criminis (2). Si autem agatur de matrimoniis jam contractis, ad illa revalidanda præter tria prædicta, dispensat quoque impedimenta occulta tum cognationis spiritualis, tum consanguinitatis et affinitatis, etiam ex copula licita in tertio et quarto gradu: imo etiam in secundo, si per decennium tale impedimentum duraverit occultum, et oratores ut veri conjuges habiti fuerint. Item potest dispensare super tertio et quarto gradibus publicis ad revalidandum matrimonium nullum ex causa subreptionis vel obreptionis occultæ Litterarum apostolicarum; attamen si falsitas consisteret in narratione præcedentis copulæ, quæ non extitisset, iterum esset ad Datariam recurrendum. Tandem tam in matrimonio contrahendo, quam in contracto potest convalidare dispensationem nullam *ex reticita copula occulta*, vel *publica narrata, sed tacendo intentionem, qua facta est ad faciliorem dispensationem*, si tamen copula adhuc sit secreta, et agatur de primo et secundo, aut secundo tantum gradu (3).—Cæterum S. Pœnitentiaria pro casu peculiarissimo obtinere potest a Pontifice facultates extraordinarias, si recurratur ad eam, etiam pro foro externo (tenuem taxam Datariæ solvendo), ut si agatur de absolute paupere: et tunc observentur clausulæ in speciali rescripto positæ.

Sed (quæres) *quomodo dispensatio petitur tum a Pœnitentiaria, tum a Dataria?*—R. Quod pertinet *ad sacram Pœnitentiariam*, recursus exhibetur em.° cardinali Pœnitentiario majori: et taceri debent nomina, cognomina, patria, Diœcesis et similia, quæ ad personas pertinent; cum agatur de foro tantum interno: sed ponuntur nomina ficta, v. g. *Titius*, *Berta*. Deinde exprimitur objectum dispensationis, et fiat latino idiomate. Additur ultimo tum nomen ac cognomen verum personæ ad quam rescriptum dirigendum est; tum nomen loci, in quo ipsa moratur; et hæc ad errorem vitandum exarantur idiomate vulgari. Quilibet recurrere potest sive Parochus sive Confessarius: imo

(1) Ex Chirographo Gregorii XVI ad Pro-Datarium 22 nov. 1836, habetur: *vel* in primo affinitatis gradu, ut si Titius, uxore defuncta, hujus sororem ducere velit; *vel* in primo consanguinitatis mixto cum secundo consanguinitatis, ut si Titius ducere velit filiam fratris sui aut sororis, scilicet suam neptem ex parte fratris aut sororis; *vel* in primo affinitatis mixto cum secundo affinitatis gradu, ut si Titius ducere velit filiam fratris suæ uxoris, scilicet suam neptem ex parte uxoris, non dispensari nisi urgentissima causa, et de ea expresse testante pro conscientia Episcopo. — In extensum rescriptum refert Salzano, *Lezione di diritto* ecc., p. 3ª, l. XXVI.

(2) At si conjugicidium interfuerit, raro admodum dispensatur ex Benedicto XIV Bulla *Pastor bonus*. Et si hoc fuerit publicum, ne per Datariam quidem solet relaxari, ex eodem Pontifice *Epistola* ad Ignatium Realem.

(3) Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus*, 13 apr. 1744; et *Notificatione* LXXXVII.

vel ipse qui dispensationem desiderat. Sed præstat, ut utatur opera experti, ac præsertim Curiæ episcopalis, ut vitetur omnis error.

Quando autem recurritur *ad Datariam apostolicam*, epistola supplex dirigitur ad ipsum Pontificem : et nomina, vel cognomina non finguntur, sed scribuntur vera ; et indicandum etiam si oratores sint diversæ Diœcesis, quia solet rescriptum dirigi ad Ordinarium sponsæ. Quamvis autem quilibet per se possit recurrere ; ad omne tamen erroris periculum declinandum, tutius est, ut res committatur officialibus Curiæ episcopalis, ut passim fit. Hic unum notamus, quod non raro a Dataria dispensatio petitur in *forma pauperum:* est quando oratores non habent quo solvant taxam pecuniariam; et tamen impellens causa urget, ut dispensentur, quia v. g. vel intervenit copula, vel gravis de illa adest suspicio, indeque scandalum. Tunc solent dispensari, solvendo modicissimam summam pro expensis necessario sustinendis; attamen pauperes sint oportet, et paupertas testium depositione probanda est. Quinam autem proprie habentur ut pauperes, audiendus Bouvier : *ex declaratione a Rectoribus apostolicæ Datariæ anno* 1841 *data, ii reputandi sunt pauperes quorum fortuna valorem circiter* 3000 *francorum non excedit ; ii vero, quorum fortuna* 10,000 *francorum valorem non excedit, dicuntur fere pauperes.*

An (addes) *valeat dispensatio, si sponsi eam obtinuerint in forma pauperum, falso exponendo se pauperes esse, cum non sint?*—Negant Alasia, Bouvier, Gousset, etc.: quia verificatio causarum est de valore dispensationis: et Pontifex non intendit dispensare sub illa forma, nisi eos, qui vere pauperes sunt. Sed affirmat Gury cum Alphonso nostro, qui id probat ex decreto S. C. C. 9 sept. 1679 apud Monacelli (1). Sane paupertas non est causa neque finalis neque impulsiva dispensationis; sed est tantum ratio, ob quam dispensatio ipsa conceditur gratis: unde semper aliunde adesse debet justa causa. Ad modum fere, quo valet dispensatio, si allegetur vera causa, sed ea probetur falsis testibus, cum veri haberi non possint: quia dolus non est circa causam impulsivam vel finalem ; sed preces revera veritate nituntur, ut argumentatur Alasia in hac facti specie (2).

Q. 3. *Quænam sunt causæ ad dispensationes impetrandas?*

R. Ad dispensandum in omni re legitima causa est tum necessitas, tum utilitas: prima facit necessariam, secunda reddit dispensationem convenientem. Pro præsenti tamen ex communi usu ac stylo Curiæ justæ causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus sunt: 1 extinctio magnæ litis vel odii. Item pacis confirmatio inter parentes aut propinquos ; 2 ablatio scandali. Item prolis susceptæ legitimatio; item matrimonium bona fide contractum, et etiam mala fide, si illud fuerit consummatum vel adsit fama de copula habita (3); 3 inæqualitas matrimonii, nisi consanguineis vel affinibus nubatur ; 4 defectus dotis competentis ; 5 conservatio bonorum in eadem familia et cognatione : 6 merita petentis dispensationem erga Ecclesiam. Item

(1) *Formularium legale-practicum fori Ecclesiastici,* tit. XVII, form. 2, n. 33. — Liguori, *Homo Ap.* tract. XVIII, n. 87.

(2) *De legibus,* diss. 5, c. 3, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 1129 et 1130.

(3) *V.* Liguori, *Opus Mor.* lib. VI, n. 1130.

est si ejus parentes Ecclesiæ obsequia præstiterint; nam æquum est, illam se gratam præbere, ut alii ad talia excitentur; 7 postulatio a magnis Principibus: quia Ecclesiæ congruit eos sibi beneficio obligatos habere: et hoc redundat in commune bonum; 8 necessitas auxilii, v. g. si mulier defectu viri nequeat rebus suis satis consulere, vel filiis providere; 9 ætas innuptæ (non tamen viduæ) excedens annum vigesimumquartum; 10 periculum perversionis in fide quod maxime currit pro iis locis, ubi Catholici cum hæreticis permixti vivunt; 11 angustia loci, si nempe fœmina nequeat in loco originis invenire paris conditionis virum, nisi consanguineum vel affinem: nomine loci non venit civitas quæ habeat Episcopum, nisi fortasse tercentum focolariorum numerum non excedat; nec veniunt suburbia, quæ una cum civitate computantur, nisi forsan milliare circiter distent a civitate; 12 larga eleemosyna in pias operas (1).

Hæc ultima causa, quæ a Curialibus dicitur etiam *causa sine causa,* quibusdam valde displicet; ea tamen communiter et merito Canonistæ atque Theologi admittunt cum Benedicto XIV, sicut enim potest Pontifex commutare in aliquam elemosynam, in aliquod pium opus votum, ita et vinculum impedimenti. Et sane hujusmodi elargitiones ex præcepto Innocentii X, non confunduntur cum aliis pecuniis thesauri Cameralis; sed reservantur in Monte Pietatis, et inde non extrahuntur, nisi de mandato Pontificis, ut in sola opera pia impendantur atque spirituales necessitates: quæ quidem cum in dies crescant; ideo erogatio pecuniæ ad illis occurrendum, fit causa satis justa, ut Ecclesia gratificatura dispenset. Quare solutione illa non emitur dispensatio, quod utique simoniacum esset: neque aliquid in dispensantis utilitatem occasione dispensationis cedit, quod quidem Tridentinum prohibuit; sed res ita est: eam tribuentes sanctum opus præstant: sane quid sanctius, quam ad Ecclesiæ decus atque incrementum concurrere? unde ratione illius boni operis, quod præstant, de Ecclesia bene merentur.—In ipsa civili Republica, qui in opera beneficentiæ opes consumunt; nonne prædicantur ubique, multisque prærogativis distinguuntur? Neque tamen conqueruntur cives; quia probe noscunt, eos non ideo extolli quia divites, sed quia divitiis bene uti sciunt. En casus. De cætero, quod divites multis fruantur supra pauperes, non est de Ecclesiæ acceptione; sed de rei natura. Adde: simul cum pecuniæ retributione aliqua alia semper requiritur causa, etsi non ita urgens. Adde: per hanc pecuniæ necessariam solutionem rariora ac difficiliora matrimonia inter personas conjunctas redduntur; cum pauci sint qui possint et velint solvere. Absit ergo, ut eos vel minimum probare possimus, qui hac de re blaterando parum reverenter se exhibent erga apostolicam Sedem.

Q. 4. *Quænam in supplicatione dispensationis explicanda sunt?*

R. Reticentia licet inculpata eorum quæ ex jure, consuetudine, aut stylo Curiæ romanæ aperienda essent, nullam faceret dispensationem ut docent omnes Canonistæ: ideo caute hac in re procedendum est, ac melius est abun-

(1) Alia nunc (ait pro Gallia ep. Bouvier) addi potest causa frequenter occurrens, nempe matrimonium civiliter contractum, vel periculum ne contrahatur: et tunc dispensatio conceditur præcipue in gratiam sponsæ, prolis natæ aut nascituræ et familiæ, vel ad vitandum scandalum Religioni et moribus perniciosum.

dare; cum res sit de valore Sacramenti. Hæc autem sunt de necessitate præcipue explicanda:

1. *Vera* et *legitima causa* movens ad impetrandam dispensationem; nam causarum expressio ad validitatem pertinet. Benedictus XIV Constitutione *Ad apostolicæ servitutis*, 25 febr. 1742.

2. *Genus impedimenti*, ut patet: unde v. g. si consanguinitas pro affinitate exprimatur, aut vicissim, nulla est dispensatio; nisi forsan in concessione dispensationis etiam affinitas nominetur, ut aliquando fit.

3. *Species distincta ejusdem impedimenti*, v. g. si sit cognatio, utrum ea sit carnalis, an legalis, an spiritualis; et si spiritualis, an proveniat a Baptismo vel Confirmatione, cum fortius vinculum ex Baptismo oriatur. Item si sit affinitas, an proveniat a copula licita vel illicita; si honestas an a sponsalibus vel matrimonio rato originem ducat.

4. *Modus specialissimus* quo contractum fuit impedimentum: v. g. in cognatione spirituali, an sit paternitas aut maternitas ex una parte et filiatio ex altera; vel an sit tantum compaternitas et commaternitas, nam longe indecentius est matrimonium inter patrem et filiam spiritualem, quam inter compatrem et matrem ejusdem filiæ. Item quoad crimen exprimendum an sit ex adulterio, aut ex machinatione, an ex utroque simul; quia difficilius in uno casu quam in alio conceditur dispensatio. Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus*.

5. *Numerus impedimentorum*, v. g. si præter cognationem adsit affinitas; quod valet etsi plura impedimenta sint ejusdem speciei et gradus: puta si quis duas ejus, quam ducere intendit, sorores cognovisset, tunc enim sunt duo; vel si duas sorores et matrem quoque sibi copulasset, quo in casa tria haberentur impedimenta, et ideo triplex illa copula exprimenda; ratio est, hæc impedimenta etsi non specie diversa, sunt tamen numero distincta. Item dicendum de cognatione spirituali, v. g. si quis tenuerit eumdem filium in Baptismo et Confirmatione, vel si quis tenuerit filios illius, qui filios suos tenuit; at necesse non est exprimere an plures tenuerit filios ejus quem ducere intendit, quia non multiplicatur cognatio. Hoc idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, publicæ honestatis, etc. Benedictus XIV, Brevi *Etsi matrimonialis*, 30 sept. 1755.

6. *Linea* et *gradus:* illa an sit recta an lateralis, hic in quo numero positus sit (1); et si gradus sit inæqualis debet exprimi sexus qui est stipiti proximior; quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam, quam patruus neptem; major enim perversio ordinis est, ut nepos constituatur suæ amitæ caput. Si tamen gradus propinquior in affinitate vel consanguinitate reticitus fuit, adhuc valet dispensatio, modo gradus reticitus non sit primus; sed pro foro externo ad scandalum vitandum eorum, qui forsitan credunt illam dispensationem nullam esse, essent obtinendæ Litteræ declaratoriæ ab apostolica Sede. Pius V, Constitutione *Sanctissimus*, et Benedictus XIV, Constit. *Etsi*, etc.

7. *Copula* habita inter impedimento detentos (2), si agatur de impedi-

(1) Si tamen ex errore poneretur gradus tertius pro quarto, commune est valere dispensationem; cum minus in majore jam contineatur.

(2) Si sponsi, qui quærunt dispensari, sint spectatæ conditionis ac benemorati, de copula non

mento consanguinitatis, affinitas, cognationis spiritualis vel publicæ honestatis, uti ex variis declarationibus S. C. C. probat Garcias: Palaus id quoque extendit cum Corrado ad impedimentum cognationis legalis. Est autem exprimenda sive habita fuerit sine intentione facilius obtinendæ dispensationis, sive cum hac intentione, etiamsi hæc intentio fuerit tantum mente concepta (1); non est tamen exprimendum quot vicibus copula intercesserit. Si copula sit publica, exprimenda est in Dataria simul cum publico impedimento; si autem impedimentum sit publicum, sed copula occulta, tunc ne quis infametur, a Dataria petitur dispensatio a solo impedimento, in Pœnitentiaria vero exponitur copula secreta una simul cum impedimento, super quo vel jam obtenta vel obtinenda est dispensatio a Dataria. Benedictus XIV, *Pastor bonus*, et stylus Curiæ (2).

8. *Jam obtenta dispensatio,* sed si sit super eadem materia et in re peccaminosa, puta in uno impedimento criminis; ratio quia tunc difficilius dispensatur ex jure (3). Secus si impedimentum non sit ex aliquo crimine, vel in crimine diverso, ut siquis ad contrahendum cum una jam fuerit dispensatus ab impedimento criminis, et nunc petat dispensari ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad contrahendum cum alia, prima jam defuncta; tunc potest petere secundam dispensationem, quin mentionem faciat de prima jam obtenta. Ita communiter cum Concina.

Cæterum si agatur de revalidando matrimonio nullo, hæc adhuc specialiter sunt exprimenda: 1 an partes (vel earum una) contraxerint cum bona vel mala fide, id est cum scientia impedimenti vel non; 2 an cum debitis proclamationibus; 3 an sub spe facilius dispensationem obtinendi; 4 an etiam matrimonium fuerit consummatum.

Quid (dices) *si plura simul concurrunt impedimenta, potestne divisim impetrari eorum dispensatio?* — R. In sententia probabiliori affirmandum, si impedimenta sint disparata et unum ex altero non augeatur, ut votum et consanguinitas aut consanguinitas et crimen; tunc sufficit divisim obtinere dispensationes, sive illæ obtineantur ab eodem tribunali sive a diverso, quin fiat mentio diversarum dispensationum. Secus autem si impedimenta sint talis rationis, ut conjuncta afferant majorem repugnantiam ad contrahendum; v. g. siquis vult ducere consanguineam cujus sororem turpiter cognovit; nam tunc

sunt interrogandi; offenderentur nimis, nec copula potest supponi. Si tamen aliqua suspicio illius habetur, interrogentur quidem, sed prudenter, ac nonnisi gradatim ad copulam veniendo. Si tamen sponsus esset rudis atque procax, clarius sine ulla offensione et scandalo posset interrogari.

(1) Probabilissime dicunt Salmanticenses cum aliis, quod si in petitione aliæ causæ per se jam sufficientes ad obtinendam dispensationem exponantur et simul exponatur copula (quæ semper exponenda), tunc non est opus ut allegetur, quod copula fuerit consummata ad dispensationem facilius impetrandam. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1134.

(2) Ut copula sit de necessitate exprimenda debet: 1 esse *consummata*, hoc pacto ut se conjungentes fiant una caro; 2 *incestuosa* formaliter, nempe ut habita fuerit cum scientia impedimenti; alioquin non esset nisi materialis, ut habet Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII, n. 23; quamquam Pyrrus Corradus aliter tueatur tum ex praxi quotidiana tum ex stylo Curiæ. Attamen si agatur de dispensatione in *forma pauperum* obtenta, copula semper est exprimenda, etsi cum ignorantia impedimenti habita, cum aliis supra dictis circumstantiis, ut pluribus probat laudatus Corradus.

(3) L. III *Cod.* de *Episc. aud.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1137.

difficilius redditur dispensatio. Attamen si unum impedimentum esset publicum, aliud occultum, uti siquis vult ducere consanguineam cujus sororem occulte cognovit, tum ne infamentur contrahentes recurrendo ad Datariam, si velint, possunt dispensationem petere divisim, nempe petitur dispensatio impedimenti publici a Dataria, tacito secreto; sed utrumque est exprimendum in supplicatione ad Pœnitentiariam. Ex Bulla *Pastor bonus* et praxi.

An (quæres) *si sponsi sint diversæ Diœcesis dispensatio sit obtinenda ab utroque Episcopo, si uterque ex indulto speciali dispensandi facultate gaudeat?* — R. Affirmat Sambovius; quia Episcopus unus jurisdictionem non habet in subditum alterius, ut cum eo dispenset. Sed probabiliter negat Continuator Tournely; quia Papa delegando Episcopum jus suum totum ipsi tribuit. Adde: cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, habilem eum reddit ad contrahendum cum altero impedito; sunt enim relativa, quorum unum sine altero esse non potest. Hac de re audiatur Bouvier: *ex pluribus S. Pœnitentiariæ decisionibus nuper obtentis, Episcopus, non ordinaria, sed facultate a sancta Sede absque ulla conditione sibi concessa, cum suis diœcesanis super aliquo impedimento canonico dispensans, facta mentione delegationis Apostolicæ, valide dispensat etiam in casu, in quo una pars est alterius Diœcesis, quia ea facultas procedit a Papa, et sublato impedimento ex una parte, altera pars fit libera.*

An (quæres) *siquis post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea suæ sponsæ, antequam eam duxerit, nova indigeat dispensatione?* — R. Si dispensatio nondum sit executa ab eo, cui dispensationis executio commissa est (1); conveniunt omnes non indigere; nam tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis, sed a die executionis. Imo probabilius dicunt non requiri novam dispensationem, etsi jam fuerit executa; quia illa affinitas jam sublata est per dispensationem quoad hunc effectum contrahendi matrimonium: et ita respondit S. Pœnitentiaria 21 sept. 1752 (2). Hoc autem valet etiam quando dispensatio obtenta est a Dataria atque executa in impedimento consanguinitatis; modo non agatur de dispensatione in *forma pauperum*, pro qua iterata copula est de novo exponenda, ut praxis et stylus Curiæ probat ex Pyrro Corrado.

Quid (dices) *si post obtentam dispensationem in gradu prohibito, antequam illa executioni mandetur, intercesserit copula inter sponsos, requirituruc nova dispensatio?* — Verius affirmant ex stylo Curiæ; nam major tunc pœnitentia imponitur; et ita declaravit S. C. C. anno 1635. Hujus autem sententiæ fundamentum non est, quod hæc copula incestuosa inducat aliquod ma-

(1) Dispensationis Litteræ dicuntur *executioni mandatæ*, quando delegatus a S. Sede ad dispensandum, reapse protulit sententiam dispensationis; non vero quando nuptiæ contractæ jam sunt.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1142.

(2) Alasia docet recessum esse ab hac declaratione; et hodie (in hoc casu) postulari et obtineri dispensationem. Verum quod *ad cautelam* peti soleat a nonnullis et obtineri dispensatio, non probat quod adsit impedimentum, cum id plerumque tantum fiat ad anxietates auferendas, ut notat Benedictus XIV cum Diana, *Notificatione* CI.

trimonii impedimentum; sed fundamentum hujus particularis casus est stylus Curiæ, quæ tunc non intendit, ut vim habeat dispensatio, uti probat Sanchez: est autem obtinenda a Dataria si copula sit manifesta, a Pœnitentiaria si copula occulta sit *(L)*.

ARTICULUS II — De modo dispensationis exequendæ (1).

Quoad executionem dispensationum, quæ ab Episcopo tribuuntur, veniunt observandæ ab ipso præscripta clausulæ, quæ eædem ferme esse solent, ac illæ, quæ a Curia romana statuuntur.

Q. 1. *Quomodo sunt exequendæ dispensationes Datariæ?*

R. Breve dispensationis ordinarie mittitur exequendum ad Episcopum vel ejus Vicarium: et quidem ad Vicarium vel Episcopum oratricis, si oratores sint diversæ Diœcesis; Episcopi autem nomine, venit Episcopus originis; et Sede episcopali vacante, non ad Vicarium capitularem, sed ad viciniorem Episcopum committi solet. Porro delegatus inquirere debet in causæ veritatem sub pœna nullitatis (2); atque ad tenorem Brevis sedulo attendere, omnesque illius clausulas implere. Quibus peractis, veniat ad dispensationem notans, se agere uti Sedis apostolicæ delegatum: inde mandet Parocho, ut servatis servandis, nuptiis assistat.

Quando dispensatio conceditur in *forma communi*, hæc præter jam dicta delegato præscribuntur: 1 ut oratores solvat a censuris sed ad effectum tantummodo obtinendæ dispensationis: unde ea obtenta, in eas reincidunt; 2 ut nihil accipiat muneris vel præmii occasione dispensationis: hoc Papa prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; 3 ut dispensatio accurate describatur, ac conservetur ad probandum canonicitatem matrimonii: hoc tamen non est ad validitatem. — Si vero dispensatio conceditur in *forma pauperum*, hæc insuper præstare debet delegatus sub pœna nullitatis: nempe et pœnitentiam publicam oratoribus injungere, et operam personalem ad servitium alicujus Ecclesiæ; et sic demum devenire ad dispensationem (3).

Q. 2. *Quomodo exequenda est dispensatio S. Pœnitentiariæ?*

R. Ad exequendam dispensationem a Pœnitentiaria obtentam, eligi solet Confessarius a pœnitente designandus, modo sit ex approbatis: et si Confessarius designatur uti laurea donatus, talis esse debet. Ait autem Pichler, quod si Confessarius electus dispensationem exequi recuset, vel nimis sit rigidus in pœnitentiæ impositione, potest orator seu pœnitens alium eligere Confessarium, etsi jam litteræ apertæ sint, modo nondum executioni manda-

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1148; et *Homo Apost.* tract. XVIII, n. 85.

(2) Benedictus XIV Const. *Ad Apostolicæ servitutis* 10 martii 1742. Probabilius est tamen dispensationem ab Officiali pronuntiatam, non factis perquisitionibus debitis, validam esse modo causæ summo Pontifici expositæ reipsa veræ sint; sed graviter peccaret Officialis, nisi aliqua suaderet necessitas hoc in casu particulari faciendum esse. Ita graves judicant viri; et reipsa Pontifex, non præcise informationem, sed rei veritatem sub pœna nullitatis præscribere videtur. *Bouvier.*

(3) Quoad hanc pœnitentiam et Ecclesiæ servitium vid. Alasia, *De matrimonio*, par. 2ª, c. 4; a. 2. Hæc autem hodie temperari solent in ipsis *Ap. Litteris*. Non tamen commutari potest in aliud opus diversum a dispensante; sed pro commutatione adhuc recurrendum ad Datariam, ut notat De-Justis.

tæ. Plurimæ autem in rescripto apponuntur conditiones sedulo attendendæ utpote essentiales: quarum quidem aliæ sunt ad effectum contrahendi matrimonium, aliæ ad effectum remanendi in jam contracto (1).

Primo: clausulæ matrimonii contrahendi explicatu maxime necessariæ ac sedulo attendendæ, sunt sequentes:

1ª *Si ita sit, si preces veritate nitantur*: quare executor investigare debet, num verum sit factum; num vera causa, aliaque necessaria adjuncta: quæ omnia tamen non est necesse, ut verificata fuerint, quando Romæ scriptum fuit; sed satis est ut vera fuerint et quando Romæ dispensatur, et quando dispensationem delegatus exequitur. In hac autem verificatione, non adhibentur testes; sed tota fides est adhibenda ipsi pœnitenti, nisi delegatus certo sciat contrarium, idque cognoverit extra sacramentalem Confessionem, ut Sanchez et Cabassutius recte docent. Neque est exigendum juramentum a pœnitente de veritate dicenda, nisi rescriptum id præcipiat.

2ª *Audita prius sacramentali Confessione:* ideo necessaria est pœnitentis Confessio ad ipsum valide dispensandum, etsi jam prius alteri confessus fuerit: ideo magis quia nonnisi in ipsa confessione Confessarius valide dispensare potest. Quid de absolutione? responsio S. Pœnitentiariæ apud Compans relata, statuit: *dispensationem validam fore etsi Confessio sit nulla et sacrilega; et absque Sacramentali absolutione concedi posse, si forte urgens aliqua necessitas id suadeat.*

3ª *Sublata occasione peccandi;* intelligitur occasio voluntaria et proxima, quæ de facto est tollenda; si vero occasio sit necessaria, auferri debet saltem ex animo; atque ex proxima fieri remota, ut recte explicat Tournely. Ait Talento, hanc clausulam non poni sub pœna nullitatis, sed ad monendum Confessarium, quid ipsi agendum sit.

4ª *Dummodo impedimentum sit occultum:* si dicat *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis, tunc non est amplius tale, si possit per duos testes probari. Si dicat simpliciter *occultum*, tunc non obstat juxta Fagnanum, si notum sit 4 aut 5 personis loci; imo alii dicunt esse occultum, si cognitum sit 7 aut 8 personis in civitate, sex solis personis in oppido. Potest autem delegatus exequi rescriptum, si olim publicum, nunc ex hominum memoria exciderit; sed exigunt pro dispensatione matrimoniali decennii, pro irregularitate viginti aut triginta annorum oblivionem. Non poterit autem dispensare, si prudens adsit timor, ne impedimentum ex occulto fiat publicum; vel si impedimentum sit materialiter publicum, sed occultum formaliter, veluti si pluribus notum sit aliquem, antequam matrimonio jungeretur, cum sorore uxoris suæ rem habuisse; ignoretur tamen inde exortum esse impedimentum dirimens. Ita Benedictus XIV, qui etiam docet, iterum recurrendum esse, si delictum in loco, quo est contrahendum matrimonium, sit occultum; sed alibi publicum (2).

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1143. — Synodus Novar. episc. Bertone, p. 333. — Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII. — *Biblioteca de' Parrochi di campagna*, v. II.

(2) Cæterum bene potest iterum recurri ad S. Pœnitentiariam, quando factum unde exurgit impedimentum est publicum materialiter, quia jam viciniæ cognitum est, sed formaliter occultum, quia ignoratur inde orire impedimentum. In eo casu, S. Pœnitentiaria solet adhuc dispensare

5ª *Injuncta pœnitenti pro suo gravi crimine gravi pœnitentia salutari:* id est juxta vires pœnitentis, quod quidem determinatur, habita ratione personarum, conditionis, ætatis et sexus; nam v. g. quæ pro robusto levis putatur, non ita erit pro fœmina tenere educata. Talis esset v. g. per sex menses jejunium semel in hebdomada, vel recitatio Rosarii ter in hebdomada, aut frequens Confessio saltem semel in mense, orationes, lectio spiritualis, eleemosyna, etc. Si autem pœnitens debitam pro suo peccato pœnitentiam jam egisset, poterit tunc pœnitentia moderari, modo illa jam non sit injuncta a Pœnitentiaria tamquam commutatio (1). Aliquando præcipitur pœnitentia *gravis* et *longa*, vel *diuturna:* recitatio Coronæ v. g. singulis hebdomadis per annum, est gravis et longa; per tres autem annos, est diuturna. *Bouvier* (2).

6ª *Et aliis de jure injungendis; aliudque non obstet:* 1 respicit alias obligationes quas potest habere pœnitens v. g. famæ restituendæ; 2 præcipit inquirendum esse, an aliud subsit impedimentum, quod ubi reperiatur, iterum est ad Pœnitentiariam confugiendum: et etiam ad Datariam, si publicum esset, nulla tunc facta occulti impedimenti mentione.

7ª *Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur:* unde si impedimentum fiat publicum, ad scandalum vitandum conjuges separentur, donec pro externo foro a Dataria obtineatur dispensatio: attamen secreto uti conjuges haberi possunt; quia revera impedimentum sublatum est. At si v. g. fides seu testimonium Confessarii accedat de dispensatione obtenta (hoc testimonium conjugibus ipsis petentibus), nullus amplius inferrendæ illis molestiæ locus erit; nam et Episcopus et Parochus et judex Confessarii attestationi acquiescunt.

8ª *Præsentibus laceratis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*, ne scilicet occultum pœnitentis peccatum in lucem veniat: hæc laceratio facienda est statim, id est saltem intra triduum ab executione dispensationis, vel saltem a matrimonio celebrato; etsi tamen sub gravi præcepta sit laceratio, non corruit dispensatio, casu quo litteræ non lacerentur. «Cuando se recorre por ambas partes, que se cree comunmente que son marido y mujer, pero que no son mas que concubinarios, no se pone la cláusula *laceratis;* y al Párroco

tamquam de occulto; sicut etiam nonnumquam dispensat, etsi impedimentum sit cognitum decem personis, si ad eam specialiter pro eo casu recurratur. Ita Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1111.

(1) Si Confessarius, ex culpabili negligentia, pœnitentiam delicto proportionatam non imponat, graviter peccat; verum, juxta fere omnes, dispensatio est nihilominus valida: non vero si pœnitens, gravem suscipiendo pœnitentiam, intentionem eam implendi non haberet. Quæ penitentia non potest ab alio Confessario mutari, cum inferior non possit cognoscere in rem superioris; excipiunt nisi necessitas urgeat vel suadeat utilitas ex præsumpta superioris voluntate. *V. Summa Sylvestrina*, V. Confessio, § 1, n. 31.

(2) Cavendum erit ne ea injungatur pœnitentia, unde pœnitentis delictum detegi possit. Quoties autem quolibet mense vel singulis mensibus injungenda dicitur Confessio, necesse est ut ad plures menses imponatur; et quamvis ad clausulæ veritatem suffiœre videatur, ut duobus tantum mensibus emittenda Confessio præscribatur; recte tamen monent graves auctores æquitati consentaneum esse ut plurimum, si ea per semestre injungatur. Cæterum indefinite præscripta singulis mensibus confessio non videtur in perpetuum esse imponenda: multo enim clarius in Litteris exprimit et designari solet oneris perpetuitas. Ita *Synodus Novariensis ep. Bertone.*

solamente y no al simple Confesor se comete la facultad de asistir al mismo matrimonio, en presencia de dos testigos y omitiendo las acostumbradas amonestaciones, á fin de poderse conservar testimonio del matrimonio secreto en el libro mandado formar al efecto por Benedicto XIV de feliz memoria en la Bula *Satis vobis*. Si los concubinarios tenidos por esposos, además de la facultad que acabamos de indicar, necesitasen otra dispensa por existir entre ellos algun impedimento dirimente, entonces la sagrada Penitenciaria acostumbra espedir dos distintos rescriptos, de los cuales aquel en que se dispensa el impedimento, contiene la palabra *laceratis;* y el otro que da facultad para contraer el matrimonio secreto, no contiene esta espresion, á fin de que pueda conservarse siempre un testimonio de haberse celebrado este matrimonio (1).»

Secundo: clausulæ speciales, quæ omnino verificari debent ad dispensandum in jam contracto matrimonio, hæ sunt:

1ª *Si separatio fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur.* Quæ clausula agitare non debet Confessarium; cum vix in praxi aliter res esse possit: unde rarissime aut numquam erit necessarium experiri, an conjuges possint separari et honeste vivere tamquam frater et soror.

2ª *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii; sed ita caute, ut oratoris delictum numquam cognoscatur.* Consensus autem compartis sic exigi potest: si nullum sit periculum infamiæ aut separationis, aperte dicat sponsa parti ignaræ: *nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum:* vel *dixit mihi Confessarius nullum esse; ideo renovemus consensum.* Quia tamen id raro fieri potest, cum raro conveniat monere partem ignaram, hinc assignantur communiter duo alii modi, qui etiam nobis arrident: 1 ut sponsa dicat: *quando ego nupsi tecum, non habui verum consensum; nunc verum præstare volo: vis præstare et tu?* Sine mendacio id dicit; quia consensus invalide præstitus est nullus; 2 ut hæc verba proferat: *scrupulis angor de valore matrimonii nostri, ideoque renovemus consensum;* id enim satis est, ut altera pars ponat consensum novum independentem a primo. — Quod si Confessarius videat hanc conditionem non posse verificari, id ab initio Pœnitentiariæ exprimat: vel postea ad eam scribat, ut obtineat dispensationem *in radice.*

3ª *Uterque inter se de novo secrete, ad evitanda scandala, contrahere valeat;* id est sine præsentia Parochi et testium *(M).*

(1) Ita Abrate, *Lo spirito del Parroco.* Roma; t. IV, pag. 117.

DISPUTATIO QUARTA

DE MATRIMONII CELEBRATIONE ET CONVALIDATIONE.

Q. 1. *Quid requiritur ex parte contrahentium matrimonium?*

R. Contrahentes matrimonium debent esse in statu gratiæ; quia suscipiunt Sacramentum vivorum; ideo præstat prius conscientiam Confessione expiare (1), atque ad uberiorem gratiam Eucharistiam suscipere, et Dei benedictionem in proprias nuptias suppliciter postulare. Imo congruum est, ut pro ea celebratione tempus eligant, quod faciendo Sacro constitutum est ab Ecclesia; adeo ut non modo virtute Sacramenti, verum etiam Sacrificii fructibus cumulentur (2).

Q. 2. *Quid requiritur ex parte Parochi, vel alterius legitimi assistentis ad matrimonium rite celebrandum?*

R. Hoc requiritur ex parte ministri assistentis, ut servet accuratissime quæ in Rituali R. præscripta sunt. Rituale autem præcipit, ut *in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem (quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet) de consensu in matrimonium interroget, utrumque singillatim vulgari sermone:* et cætera ibidem adnotata religiose curet. Matrimonio celebrato, *si nuptiæ sint benedicendæ*, Missam propriam (in qua scilicet ea nuptiarum benedictio habetur), legat, servatis tamen Rubricis (3).

Diximus *si nuptiæ sint benedicendæ;* nam vidua non benedicitur, etsi illius vir numquam uxorem duxerit; cum in hisce nuptiis desit plena significatio unius sponsi Christi cum una sponsa Ecclesia. Quod si mulier nemini umquam nupserit, sed jam alias nupserit vir ejus, nuptiæ benedicantur, ubi talis adest (prout in Novariensi Diœcesi) consuetudo (4). Benedictio autem non est concedenda: 1 *tempore feriato* (5), et graviter peccaret Parochus hoc tem-

(1) Non possunt tamen absolute loquendo exigere Parochi, ut Confessio matrimonio præmittatur, nisi præceptum Episcopi hoc statuat; nam ad gratiam recuperandam sufficit hic etiam contritio. Aliunde Parocho plerumque non constat, sponsos non esse in gratia. Imo etsi adsit lex, possunt quandoque occurrere casus, in quibus lex ista exceptionem admittere videatur, ad majora scilicet præcavenda mala. Ita Gousset, Gury.

(2) *V.* Novar. Synodus; Gousset, *Theol.* n. 896; et Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI.

(3) Circa rubricas *v. Appendix* in fine voluminis. Id unum notamus: si Missa sit de sponsis, tres dicendæ sunt Orationes; prima de sponsis; 2.ª et 3.ª diei currentis; id est 2.ª de Officio diei; 3.ª quæ dicenda foret secundo loco in Officio diei, si esset de simplici vel de semiduplici, quæ quidem variat juxta temporum et adjunctorum diversitatem, ut videre est in Rubrica Missalis, ubi *de commemorationibus et Orationibus.*

(4) Rituale romanum. Annulus tamen semper benedicitur etiam in secundis nuptiis ex S. R. C. apud Gardellini.

(5) Tridentinum, sess. 24, c. 10 *de R. matr.* — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1087.

pore nuptiarum benedictionem concedens, et sponsi eam recipientes; 2 extra Ecclesiam, quia illa benedictio nonnisi intra Missam fieri debet, quæ quidem extra Ecclesiam non est ordinarie celebranda; 3 non est danda extra Parœciam, sine expresso consensu Parochi loci; quia esto quod valide et licite Parochus assistere possit matrimonio suorum parochianorum etiam extra Diœcesim (quæ assistentia consistit in illis verbis: *ego vos conjungo,* et annuli traditione); non tamen licite extra Parœciam nuptias benedicere: nam assistentia est actus quietus neminem lædens; sed benedictio nuptiarum est actus solemnis, qui saltem functiones et ordinem perturbat; 4 nuptiarum benedictio non est danda in probabiliori sententia conjugibus jam benedictis, licet postea detegatur nullum fuisse eorum conjugium; quia benedictio primario personas respicit. Cæterum in omni casu hanc benedictionem omittere, commune est non esse mortale; cum hæc cæremonia (quæ tamen et antiquissima est, et jure canonum inducta) (1) non ita communiter sit recepta: sed eam adhibere valde præstat ad uberiores fructus percipiendos *(N).*

Q. 3. *Quid agendum a Confessario, si pœnitens matrimonium contracturus non possit absolvi?*

R. Vel pœnitens putat in bona fide se posse matrimonium licite contrahere, etsi non absolutus; vel cognoscit matrimonium requirere statum gratiæ, ut licite contrahatur. In *primo casu,* si prævideatur pœnitens monitioni obtemperaturus, moneatur se non posse sine gravi peccato matrimonium contrahere in statu peccati mortalis; si e contra prævideatur monitionem contempturus, in bona fide relinquatur, et Confessarius taceat de obligatione status gratiæ ad matrimonium licite contrahendum, ne peccet formaliter, ubi fortasse solum materialiter peccabit. Dicat tamen pœnitenti: si matrimonium ineas, contende, ut vero dolore conteraris, et contritionem perfectam habeas ante matrimonii celebrationem; et paulo post ad me revertaris, ut Confessionem tuam perficere possis. In *secundo casu*, Confessarius debet pœnitentem e matrimonio contrahendo retrahere usquedum absolvi possit, fortiter loquendo de sacrilegio, quod committunt matrimonium ineuntes in peccati mortalis statu. Si nihilominus matrimonium differre renuat, moneat ipsum Confessarius, ut curet sibi contritionem perfectam adsciscere. Confessarius ita se gerens, etsi non putet pœnitentem adeo eximiam comparaturum esse dispositionem, non censetur sacrilegium approbare; cum contendat ut vitetur per contritionem perfectam. Aliunde sic agendo, sacrilegium minuet: quia pœnitens, in illa acquirenda dispositione se provocans, minoris sacrilegii crimen incurret. Ad summum Confessarius posset dici consulere minus malum, ut gravius vitetur (2).

Q. 4. *An Parochus possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores, qui publice faciunt contra Ecclesiæ leges?*

R. Cum Benedicto XIV: *quamvis juxta communiorem magisque receptam sententiam non sit* (Parochus) *matrimonii minister; tamen in multis comparatur ministro, nec licite sua præsentia firmare potest contractum, quem scit*

(1) Cap. *Aliter.*

(2) Ita in Libro, *Examen raisonné ou decisions théologiques* etc. Lyon 1851.

a contrahentibus sacrilege iniri (1). Ratio est, tum quia de jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum jam interne consummaverit; tum quia Parochus tenetur ex justitia incumbere saluti spirituali suarum ovium eas avertendo a peccatis. Quod dictum est de Parochis, idem valet de testibus, qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi; cum ipsi non teneantur, nisi ex charitate impedire peccatum. Aliquando tamen vel ipse Parochus excusatur, si nempe urgeret ratio valde gravis et aliquo modo proportionata malo, quod permittitur in Sacramenti profanatione: v. g. si Parochus ad id cogeretur metu mali gravissimi, vel aliunde si imminerent gravia mala communitati, aut ipsis contrahentibus, uti si sponsi jam sint conjuncti civiliter (ut in Gallia evenire solet, ubi matrimonium civile ecclesiastico præire debet), et sponsus ad meliorem frugem resipiscere nolit.

Quid (quæres) *agere debet Parochus, si partes civiliter contraxerunt; at postea pars una recuset contrahere coram Ecclesia?* — R. En responsio cardinalis Caprara legati *a latere* in Galliis: tunc *ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad matrimonii sanationem in radice deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino cautum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit* (2) *(O).*

Q. 5. *Quid ex Synodo Novariensi quoad matrimonii celebrationem?*

R. Præter ea, quæ suis jam locis hic tradita sunt de consensu parentum, de mutua sponsorum familiaritate fugienda, de Confessione emittenda, de Communione sumenda, deque scientia rerum fidei, hæc a Parochis veniunt præsertim observanda ex Novariensi Synodo *(pagg.* 148 *et seqq):* quæ quidem alia præcedunt, alia comitantur, alia tandem subsequuntur ipsam matrimonii celebrationem.

Ante matrimonii celebrationem hæc Parochus curare debet:—1 sponsorum voluntatem, consensum, ac libertatem decenter atque circumspecte exquirat et separatim. Quod si alter ex sponsis sit alterius Parœciæ, id præstetur a Parocho sponsæ, a quo igitur habendæ sunt litteræ, priusquam alter Parochus ad proclamationes procedat;—2 si alter sponsorum vel uterque ab una in aliam Parœciam migraverit, in utraque Parœcia faciendæ sunt proclamationes, nisi saltem per semestre in nova Parœcia habitaverit. Si vero unus sponsorum sit alterius Diœcesis, licet finitimæ, non sufficiunt promulgationes ibidem factæ, sed requiritur insuper, ut referat *statum liberum* de-

(1) *De Synodo* etc. l. VIII. c. 14.— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI. n. 54; Bouvier, Gury, Gousset.

(2) Sponsi autem qui jam contraxerunt matrimonium juxta Ecclesiæ leges, ante ipsum contractum civilem matrimonialiter vivere possunt: quia contractus civilis ad Sacramenti validitatem non requiritur. Sic tamen juncti omnino urgendi sunt ad contrahendum etiam civiliter (si aliud non obstet) tum ut satisfaciant legi non injustæ (si respiciat solum civilia), tum ut provideant statui civili filiorum. Ita *Bouvier.* Et eminentissimus *Gousset* loquendo de civili lege, quæ in Galli prohibet Parochum, ne assistat matrimonio eorum, qui nondum civiliter conjuncti sunt, eam non approbat quidem, attamen pro praxi addit generatim loquendo: *Porque se puede seguir la ley civil de que se trata, sin contrariar el espíritu de la Iglesia mas tolerante que los que la acusan de intolerancia, es prudente que el Parroco se conforme á ella.*

bito modo a suo Episcopo probatum, et a nostro recognitum. Petitionem autem dispensationis super bannis ne suo suffragio muniat, nisi gravis extet causa; cujusmodi certe non est sola circumstantia instantis Adventus vel Quadragesimæ, ut declaravit sacra Concilii Congregatio *in Novariensi;*— 3 Diœcesanos, qui per quatuor continuos menses ætate nubili a Diœcesi abfuerint, ad conjugium non admittat, nec faciat proclamationes, nisi illi debitis modis status libertatem probaverint. Idem est de exteris, de vagis ignotisque. Extradiœcesanos tunc tantum admittat, cum profecti a patria ætate nondum nubili, in nostra Diœcesi permanenter habitaverint. Militum autem, qui stipendia faciunt, matrimonio non assistat, nisi antea facta venia ab Episcopo. Viduis vero novas nuptias ne permittat, quin authenticum habeant mortis prioris conjugis testimonium rite recognitum;—4 si deferatur dirimens impedimentum, quamvis dolo confictum videri poterit, supersedeat et Episcopum consulat; nisi cognoscat illud nullo prorsus fundamento inniti. Item ad Episcopum rem deferat, ubi circa matrimonii *libertatem* aliquid suspicionis subortum senserit. Ad Episcopum pariter vel Vicarium mittat *contendentes*, si evenerit, quod alii sese intrudant matrimonio contrahendo, nec eos potuerit amice componere.

Quoad ipsam celebrationem hæc Parochus præstare debet :—1 non celebret matrimonium eo die, quo ultima denuntiatio facta est, nisi postero die sit initium Adventus vel Quadragesimæ: quo in casu moneatur populus de eo die contrahendo matrimonio;—2 facta facultate ab Episcopo matrimonii contrahendi *tempore feriato;* non ideo tamen permittat solemnem nuptiarum benedictionem, neque publicam pompam in sponsæ deductione. Semper autem indecoras consuetudines, aut superstitiosas nugas prohibeat: neque campanas festivo more pulsari; aut armorum strepitum fieri, vel cujusvis generis instrumenta musica in Ecclesiam inferri sinat;—3 nuptiis assistat sponsæ Parochus, vel alius de ejus mandato Sacerdos juxta consuetudinem, nisi aliter visum fuerit Episcopo;—4 Sacramentum administret in parochiali Ecclesia; non autem in Oratoriis, multoque minus privatis in ædibus sine Ordinarii permissione;—5 in eo administrando servet quæ in Rituali R. præscripta sunt. Item sponsos gravi moneat sermone circa officii proprii munia.

Celebrato tandem matrimonio, hæc advertat Parochus :—1 statim illud cum omnibus circumstantiis juxta præscriptam formam describat;—2 dispensationum litteras, aliave ad hanc rem documenta caute servet, ut se purgare valeat, si opus fuerit. Item in apposito libro denuntiationes matrimoniorum peractas scribat;—3 curet, ut conjuges individuam vitæ consuetudinem servent. Et si, non probata ab Ecclesia causa, a communi cohabitatione recesserint, nec moniti obtemperaverint, eos denuntiet Episcopo, ut provideat.

Q. 6. *Quid si dignoscatur matrimonium nullum esse?*

R. Ut hac in re Parochus vel quivis alius cujus interest, partes suas rite adimpleat, videndum est, an impedimentum sit dispensabile vel non. Si *non est dispensabile*, tunc partibus præcipiat, casu quo impedimentum illud publicum sit, ut illico se separent quoad thorum atque habitationem, et cu-

rent obtinere sententiam a judice ecclesiastico de nullitate matrimonii. Quod si impedimentum sit occultum, et utrique parti incognitum, et non possint separari absque gravi scandalo et damno, erunt in bona fide relinquendi. Si autem uni tantum parti notum sit, debebit alteram monere, licet monitio non sit profutura: quæ nolens recedere ab usu conjugii, erit dimittenda, si cum ea habitare nequeat absque gravi periculo fornicandi, vel alterius gravis damni temporalis. Et interea erit recurrendum ad Superiorem ecclesiasticum pro matrimonii dissolutione. Quod si juridice ostendi non possit matrimonii nullitas, quamvis per excommunicationis fulminationem obligaretur ad reddendum alteri debitum, humiliter sustinere debebit potius hanc pœnam, quam Deum offendere (1): hæc autem censura, utpote ex errore lata, coram Deo non ligat. Si demum utrique sit notum, Parochus conjugii usum eis interdicat; et nullo extante incontinentiæ periculo, eis permittere poterit, ut simul adinstar fratris et sororis cohabitent. Secus separationem jubeat, eos obligando ad providendum proli, si quæ sit, eo meliori modo, quo fieri potest. Ita *Alasia*.

Si vero impedimentum *est dispensabile*, tunc si matrimonii nullitas est publica, ut scandalum auferatur, conjuges statim sunt quoad thorum et habitationem separandi, dein urgendi pro rerum adjunctis, ut dispensationem obtineant, atque iterum in faciem Ecclesiæ contrahant, idest coram Parocho et testibus (2); vel res ad Episcopum deferenda, qui visis circumstantiis, pronunciabit matrimonii nullitatem, vel ejus revalidationem urgebit. Si tamen matrimonii nullitas non sit publico nota, tunc agitur de matrimonio nullo vel ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum dirimens.

Quoad 1, si ex utraque contrahentium parte consensus defuit, utraque ipsum renovare debet; cum nullus sine mutuo consensu subsistat contractus. Si vero consensus ex parte unius tantum conjugis defuerit, quia v. g. ficte vel ex errore consensit, tunc Comitolus, Hurtadus, Palaus ac Pontas volunt partem ignaram esse monendam, ut ipsa quoque de novo consentiat; quia ejus consensus ab initio fuit nullus, cum ceciderit supra materiam inhabilem: at si nullus ab initio, neque in præsentiarum esse aut perseverare potest. Sed communiter et verius id cum D. Thoma (3) negant Alasia, Cuniliati, Layman, Navarrus, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Tournely aliique plures. Nam si pars inscia verum consensum posuit, uti supponitur, neque illum retractavit, adhuc ipse perseverat, licet quodammodo suspensus per defectum consensus alterius: hic ergo si accedat, ille evadit absolutus, totamque vim suam debet exercere. Id fortius probatur ex ipso jure canonico, in quo habetur, quod invite desponsata, si postea sponte sit cogni-

(1) Cap. 44 *de sent. excomm.*

(2) Quando nullitas matrimonii publica est, iterum celebrandum est matrimonium in faciem Ecclesiæ, ut publice constet de illo; et Eclesia non dispensat a clandestinate, si vix excipias aliquem casum. At si nullitas non sit manifesta, et jam matrimonium primitus fuerit celebratum in faciem Ecclesiæ, in probabiliori sententia ac communi non est iterum revalidandum coram Paroco et testibus; nam talis assistentia non fuit præscripta ad testandam matrimonii validitatem, sed tantum illius celebrationem, ne scilicet plura quis ineat fraudulenter. Ita S. C. C.; et talis est stylus s. Pœnitentiariæ, teste Benedicto XIV, *Notificatione* LXXXVII. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1110.

(3) Suppl. q. 47, a. 4. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 1009 etc.

ta, non auditur contra matrimonium, quia copula æquivalet libero consensui: nec tamen vir consensum suum renovavit (1). Si tamen certiorando compartem, mali exitus non timeantur, recte sentit Benedictus XIV primam sententiam uti tutiorem esse tenendam; cum nempe agatur de valore Sacramenti.

Quoad 2, dicimus: si impedimentum dispensabile utrique parti notum est, ab eo obtenta dispensatione, matrimonium erit de necessitate revalidandum per utriusque consensus renovationem; cognita enim matrimonii nullitate, jam partes sciunt eorum consensum fuisse sine effectu, ideoque illum renovare debent: et interim, quoadusque obtineatur dispensatio, separari debent, quoad thorum, cum usus conjugii sit eis omnino interdictus; et etiam quoad habitationem, si adsit aliquod incontinentiæ periculum; prudenter tamen ne publicus id dignoscat: poterit v. g. Confessor vel Parochus consulere, ut sub prætextu mercaturæ, una pars alio eat ad tempus.

At si impedimentum dispensabile uni tantum parti notum est, pars conscia debebit abstinere ab usu conjugii; et ordinarie loquendo alteri parti erit nullitas manifestanda, ut obtenta dispensatione, consensus mutuo renovetur: idque maxime, quia Pœnitentiaria in dispensationibus solet adjungere clausulam: *de certioranda comparte*, quæ probabilius ex Benedicto XIV non simplex instructio, sed positiva conditio est. Diximus *ordinarie loquendo*, quia id non est de absoluta necessitate; etenim prior consensus fuit jure naturæ validus, et adhuc perseverat, licet quodammodo suspensus per impedimenti obicem: quo quidem obice sublato, prior consensus evadit absolutus totamque vim suam naturalem exercendo unitur consensui alterius. Idque ea ferme ratione, qua magnes lapis, obice remoto, ferrum ad se trahit ex vi sua naturali, quam per obicis oppositionem non amiserat quidem, sed solum impeditam suspensamque retinebat. (2). In hac igitur sententia, si ex impedimenti manifestatione adsit periculum, ne compartis delictum manifestetur, atque inde timeantur dissidia, et maxime si suspicio suboriatur, quod alter non amplius velit contrahere; tunc ad supremam Sedem iterum confugiendum difficultatem exponendo. In illis porro adjunctis Papa, seu pro ipso S. Pœnitentiaria dispensat a clausula consueta de certioranda parte, indulgetque, ut etiam jure ecclesiastico validus habeatur consensus jam validus jure naturæ, illumque in sua radice sanat ab impedimento, ad ipsum videlicet matrimonii initium ascendendo: et hoc quidem est in more, et en dispensatio *in radice*, ut ajunt (3). Imo si gravissima urgeat necessitas, ut si non

(1) Cap. *Insuper* 4 qui matr.

(2) Id pluribus tuetur Barbosa in c. *Significatum*, l. III, t. XXXI. de Regular.

(3) Hanc dispensationem concessit Clemens XII 2 apr. 1705. Et etiam ante ipsum id factum narrat Rigantius ad *Reg.* 49. Id fieri posse docet Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII; idque ipse fecit 26 sept. 1755. Item Pius VII, Leo XII, aliique. Et hodie etiam si necessitas sit, facit s. Pœnitentiaria. Quo admisso, videtur temerarium hanc facultatem Pontifici denegare. — *V.* Liguori, *Hom. Ap.* tr. XVIII, n. 82.

Quid (dices) *si postea impedimentum detegatur in foro externo?* — Erit acquiescendum testimonio Confessarii. Quid si Confessarius moriatur? impossibile est, ut omnibus occurratur eventibus. Attamen ajunt, quod si casu detecto impedimento, suspicio esse possit, quod conjuges renuerent in conjugio manere cum gravi fidelium scandalo ac filiorum detrimento, peti potest a s. Pœniten-

possit hic et nunc vitari redditio debiti, et ex manifestatione immineat periculum separationis magno cum populi scandalo aut prolis detrimento, poterit ipse Episcopus dispensare sine dicta clausula certiorandi compartem. Vel etiam crescente temporis angustia, poterit Confessarius declarare Ecclesiam velle illam conditionem omissam, utpote moraliter impossibilem. Ita Benedictus XIV, Navarrus cæterique.

Si tandem impedimentum neutri parti notum sit, et in bona fide conjuges versentur, erunt monendi, ubi sit certa spes fore, ut matrimonium convalidetur. Secus ex Innocentii III rescripto *dissimulare poteris, ut remancant in copula sic contracta; cum ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere* (1). Quamquam dispensatio *in radice;* iis conjugibus nullitatem nescientibus poterit applicari, quin prius moneantur. Hoc fieri posse supponit Bouvier, nec immerito; nam quod valet pro unius consensu, et pro utriusque valere debet: quod si sedulus Parochus faciendum curaverit, illud non minimum obtinebit, ut et peccata materialia vitentur, et matrimonii impediatur dissolutio, si quando ejus vitium partibus innotuerit.

Dispensatio *in radice* differt a dispensatione simplici, quia hæc effectum non habet nisi a tempore concessionis, seu ex nunc, nec proinde eximit a renovatione consensus; illa vero convalidat matrimonium a tempore matrimonii contracti, seu *ex tunc*, id est fictione juris ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, ponit res in eodem statu ac si impedimentum nondum extitisset, et ideo destruit effectum impedimenti a radice seu a principio et sanando vitium consensus et validitatem matrimonio tribuendo et conferendo legitimitatem filiis. Ad hoc tamen requiritur: 1 ut conjunctio conjugum habuerit species externi matrimonii; ratio quia secus non adesset verus consensus, neque ideo radix matrimonii; 2 ut consensus utriusque perseveraverit, uti patet: censetur autem perseverare quoties non certo constet illum fuisse revocatum; 3 ut adsit urgens et gravissima causa: et evenit præcipue, quando una pars ad consensus revocationem adduci nequit, sed tamen exhibet de præsenti consensum remanendi in matrimonio; item quando uni parti tantum est notum impedimentum, quod sine gravi incommodo ac timore alteri nequit manifestari. Ita Carriere, Gury et alii ex Benedicto XIV (2).

tiaria facultas litteras dispensationis caute ac secreto custodiendi, quoadusque aliqua suspicio separationis esse possit. *V.* Benedictus XIV, de re fere simili, *Notificatione* LXXXVII, nn. 54 et seqq.

(1) Cap. VI *de cons. et affin.* Aliquando præstare potest, ut prius petatur dispensatio, et postea moneantur conjuges, qui etsi velint de novo contrahere; non tamen ita facile abstinebunt ab usu conjugii, expectando dispensationem. Certo prudentia magna necessaria est.

(2) *De Syn Diœc.* l. XIII, c. 21, n. 7.

DISPUTATIO QUINTA

DE MATRIMONII BONIS, EFFECTIBUS ET DEBITO CONJUGALI.

Q. 1. *Quænam sunt matrimonii bona et effectus?*

R. Cum Angelico: tria sunt bona matrimonii: *Sacramentum, fides* et *proles:* quibus bonis abunde compensantur tria incommoda, quæ in conjugio reperire est. Primum incommodum in matrimonio est *voluptas*, quæ rationem absorbet: et hoc compensatur procreatione liberorum, quibus genus humanum propagatur, et Deus perpetuo colitur. Secundum inconveniens est *molesta sollicitudo* comparti placendi, filios educandi, rebus domesticis providendi: et hoc compensatur bono fidei seu fidelitatis, qua alter alteri uniri debet et præsto esse. Tertium incommodum est *perpetua servitus*, qua unus alteri obligatur: et hoc compensatur bono Sacramenti, quo gratiam conjuges recipiunt, ut facilius vinculum illud perpetuo tolerent (1).

In his habes totidem matrimonii ipsius effectus: nempe *gratiam* in bono Sacramenti; *jura* et *onera* reciproca in bono fidei; *mutuam corporis traditionem* in bono prolis. Sunt igitur effectus:—1 *gratia:* est de fide ex Tridentino (2). Hæc autem est gratia *sanctificans secundaria;* cum matrimonium non sit directe ad remittenda peccata, unde nonnisi per accidens primam gratiam confert et mortale aufert; et *sacramentalis*, quæ fundatur in jure gratias actuales recipiendi conducentes ad finem hujus Sacramenti;—2 *jura* et *onera*, quæ necessario comitantur individuam illius vitæ societatem. Quæ porro sunt vel solius viri, uti jus potestatis maritalis et patriæ, atque onus familiam alendi, educandi et tuendi: vel sunt solius uxoris, uti jus participandi dignitatem, nobilitatem aliaque privilegia mariti, et onus subjectionis: vel utriusque simul, uti est jus et onus mutui amoris, fidelitatis et auxilii (3);—3 *obligatio debiti conjugalis*: monet enim Apostolus conjuges, ne fraudentur ad invicem (4).

Q. 2. *An conjuges teneantur simul cohabitare?*

R. Conjuges tenentur simul cohabitare domo, mensa et thoro: idque ex obligatione justitiæ ratione debiti ipsius, ac illius individuæ societatis, quam sibi mutuo coram Domino promiserunt: adde scandalum quod ex separatione solet maximum oriri. Si ergo non adsit legitima ac canonica causa, separatione illa, se reos constituunt gravissimi peccati. Hinc deducere est, virum non posse expellere domo uxorem: tanto minus debitum illi denegare, neque etiam ratione dotis non solutæ, etsi promissæ, ut dicunt probabilius et communius; quia hæc obligatio non oritur ex dotis solutione, sed ex lege

(1) Suppl. q. 49, a. 1 et seqq.
(2) Sess. 24, can. 1.
(3) *V.* Tract. *de Oblig. conjugum.*
(4) 1 Cor. 7.

naturali et divina. Item vir nequit diu abesse sine juxta causa; qua interveniente (si commode potest) tenetur secum uxorem ducere (1).

Diximus: 1 *diu abesse;* poterit enim vir suscipere brevem peregrinationem, v. g. devotionis causa, etiam invita uxore: non item uxor, invito viro; quia est subjecta illius voluntati;—2 *sine justa causa:* causa esset ad bonum publicum tuendum, ad familiam alendam, ad vitandum damnum ab inimicis, etc.;—3 *tenetur secum uxorem ducere,* ne fraudet jus illius quoad debitum. Et regulariter tenetur uxor sequi virum mutantem domicilium (licet mutet sine justa causa, quæ tamen non sit turpis); nam vir est caput familiæ (2). Imo probabilius docet Sanchez cum aliis, quod per se loquendo uxor illum debet sequi etiam in exilium; quia tenetur sufferre infortunium viri.

Q. 3. *Quid a tyronibus agendum, cum materiis periculosis student?*

R. Etsi officii ratio tyronibus tribuat, ut valeant absque ullo culpæ reatu ad periculosa se convertere; attamen ratio periculi jubet, ne vel minimum audeant operi manum admovere, quin se mediis tutissimis præmuniant: veh qui dum alios salvare recta doctrina student, ipsi malo opere reprobi efficiuntur! En autem tutissima media, quibus studiosi, Dei opitulante gratia, omne a se in his evolvendis perturbationis pravæ periculum avertere valebunt. Sunt:—1 ut speciali modo ad Dei præsentiam mente se sistant, dum ad talium rerum studium accedunt; et signo crucis se muniant;—2 ut sese Eucharistico cibo frequentissime roborent: et sæpius in studendo, precejaculatoria, Sanctissimum Jesu Nomen implorent; et Beatissimam ejus Matrem animo salutent Virginem ante partum, in partu et post partum: eorumdem imagines sub oculos habentes;—3 ut numquam omnino materiam hanc evolvant, nisi officio compulsi: tanto minus de ea secum invicem loquantur, nisi adsit vera et impellens necessitas: tunc vero latina loquela semper utantur, excludentes omnem et quamcumque importunam animi curiositatem, scientes non esse necesse, ut illico tanto cum discrimine universam materiam assequantur;—4 ut sancto Aloysio castitatis exemplari plane singularissimo; ac S. Alphonso nostro potentissimo apud Deum Patrono sese enixe commendent, ut quæ ipse ad utilitatem nostram scripsit sine ulla læsione sui, nos ad aliorum profectum ediscamus sine ulla nostra læsione.

« Piget me de hac materia, quæ tantam præsefert fœditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem. Sed utinam non esset hæc materia tam frequens in Confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino Confessarium plena tractatione; sed sufficeret compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar; et ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam. Quod si cui mirum videatur, auctores cæteroquin prudentes ac pios de hac re fusius pertractasse, et minutas etiam variorum casuum circumstantias descripsisse, audiat clarissimum virum Ludovicum Bail, qui ab hac censura doctissimi Thomæ Sanchez egregium Opus de matrimonio vindicat his

(1) Cap. 1 *de conj. lepr.*

(2) Excipe nisi brevi vir sit reversurus, vel vagari vellet: vel eam conducere ad malum finem, vel aliter promiserit in sponsalibus, ut dicunt Navarrus et alii multi, et ipsa res loquitur.—*V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 353; l. VI, nn. 939 et 977.

verbis: licet quædam de materia fœdorum actuum tangat, turpior est infernus; et si fœdus est sermo, fœdius est in peccato putrescere, ut ait Petrus Blessensis. Ille auctor aliquas spurcitias movet, sed ad ægrotantium curationem: si Angeli essent homines, talibus non indigerent.» Ita S. Alphonsus noster in *Opere Morali*, l. VI, n. 900 (1).

CAPUT PRIMUM

DE DEBITI HONESTATE, OBLIGATIONE AC CIRCUMSTANTIIS.

Q. 1. *An actus conjugalis licitus sit et honestus?*

R. Actus conjugalis per se licitus et honestus est, dicente Apostolo: *vir uxori debitum reddat, similiter et uxor viro* (2): at Apostolus non vult præcipere quod malum est. Adde actum conjugalem pertinere ad conservationem naturæ corporalis; ac ideo esse ab Auctore naturæ institutum: non ergo inhonestus esse potest. Imo potest esse meritorius: omnis enim actus virtutis, si aliud non obstet, talis est; atqui ita se habere potest actus conjugalis. Nam ad ipsum potest conducere vel justitia, si fiat ad debitum reddendum; vel Religio, si fiat ad prolem cultui Dei procurandam.

Q. 2. *Quænam obligatio conjugum quoad usum matrimonii?*

R. Tametsi conjuges per se loquendo nulla lege obligentur ad usum matrimonii; sub gravi tamen ordinarie tenentur, et ex justitia sibi invicem reddere debitum. Ratio prioris est, quod nemo ex se tenetur uti jure suo: ratio posterioris est, quod id oriatur ex natura contractus mutui, et ex præcepto Apostoli. Hinc peccaret graviter qui mediis etiam licitis impotentem se redderet, puta macerationibus: vel comparti serio et rationabiliter postulanti debitum sæpius negaret; est enim res gravis in se, et ex justitia proveniens (3).

Diximus: *si compars debitum negaret serio postulanti;* aliter enim esset, si pars peteret oscitanter, vel si precibus aut alia ratione honesta averti posset; nam tunc peteret quidem, sed non in rigore justitiæ (4). Excipe modo non sit periculum incontinentiæ, vel nullum aliud inconveniens timeatur ex tali negatione: quod tamen experti plerumque adesse testantur: quare volunt fortiter esse reprehendendas uxores, quæ maritis suis absque sufficienti et gravi causa debitum negant, etsi remisse petant; vel quæ non cedunt nisi coactæ, ac falso pietatis motu ductæ viro dure, ne dicam contumeliose, suas petitiones exprobrant: inde aversiones, jurgia in familia enas-

(1) *V. Annali delle scienze religiose*, Roma. — Serie 2.ª, t, III. pag. 210.

(2) 1 Cor. 7. — Neque tamen inde sequitur, hujusce actus suadendam esse frequentiam; quamvis enim bonus sit, non tamen est optimus, ut notat Billuart. Sic bonum est comedere; at melius aliquando a comedendo abstinere.

(3) Item graviter delinqueret qui diutius abesset, invita conjuge; cum hæc inde jure suo fraudetur (*Exc.* 1 de conj. lepr.). Excipe nisi id necessitas familiæ postulet; vel publicum officium; vel si conjux jam sciverit ratione muneris maritum solere discedere.

(4) Hoc in viro colligitur, cum facile quiescit: non tamen in uxore, quæ sæpe ob verecundiam tantum non urget. — *V.* Liguori, *Praxis Conf.* n. 35; et *Opus Mor.* l. VI, n. 929.

cuntur; inde etiam fit, ut maritus extra domum quærat quod domi suæ libenter obtinere non potest, et cum non possit bibere aquam de cisterna sua, bibit fluenta putei alieni (1).

Diximus: *si compars debitum sæpius negaret;* si enim neget tantummodo una aut altera vice, non satis conveniunt in definiendo utrum sit mortale, semper secluso periculo incontinentiæ, vel magni dissidii. Pontas et Sanchez negant id esse mortale; quia (inquiunt) res non est per se satis gravis ad lethale constituendum. Bossius vero et Croix affirmant ob rationem contrariam (2).

Diximus: *si debitum rationabiliter postulanti negaret;* sic enim intelligitur omnis humanus contractus, ut nemo velit se ad aliquid irrationabile obligare. Hac ratione Bonacina, Croix, Pontas, Sanchez et alii docent non esse saltem mortale, post tertium accessum eadem nocte negare quartum: quod etiam accommodandum est ei, qui paululum differet. Attamen non approbamus qui putant fas esse petenti quinquies in mense negare semel; cum ex una parte videatur petitio satis moderata: ex altera vero materia satis gravis.

Diximus: *quod per se loquendo conjuges non obligantur ad petendum;* nam commune est, ad hoc conjugem teneri per accidens: 1 *quando percipit per aliqua signa, quod* (compars sua) *vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet:* ita Angelicus (3); tunc adest petitio; 2 si proles est necessaria ad avertendum grave damnum Reipublicæ, vel Religionis, vel proprium; item merito, dicit Roncaglia, si hoc necessarium sit ad odia vitanda, ad mutuum amorem fovendum, etc. Ratio est; semper ac finis debitus non excluditur, ad alios bonos fines rem ordinare, non potest esse malum: imo erit bonum, si bonus finis apponatur. Si bonum; ergo cum id causa suadet, eligendum; 3 si alter cognoscit compartem versari in periculo incontinentiæ: quo in casu alii dicunt conjugem petere debere ex justitia; quia pertinet ad bonum fidei, ut vitetur alterius incontinentia: alii (et videtur probabilius) dicunt conjugem teneri tantum ex charitate; nam ubi nulla est petitio alterius conjugis neque tacita, nulla est obligatio justitiæ ad reddendum.

Si uxor (quæres) *ex odio non vult accedere ad virum, quem invincibiliter credit esse suum, licet revera non sit, et quam non expedit monere de nullitate matrimonii, quid agere debet cum illa Confessarius, qui conjugii nullitatem sciat?* — Nec potest nec debet illi jubere aut suadere petitionem debiti; quia quoad hoc est sui juris, et aliunde est peccatum materiale, quod saltem sine urgentissima causa suaderi non potest: sed potest et debet illi suadere, imo et præcipere redditionem debiti; quia si non reddat, peccat formaliter: si autem reddat, peccat tantum materialiter. *Billuart* (4).

Q. 3. *An filiorum multiplicitas sit justa causa negandi debitum?*

(1) Prov. 5.

(2) Licet hæc secunda sententia suos habeat defensores valde spectabiles; nobis non videtur improbabilis etiam illa prima; cum gravitas materiæ pendeat ab hominum æstimatione, et tot alii non minus spectabiles et docti teneant hanc esse materiam levem.

(3) In 4 Sent. d. 32, q. 1, a. 1 ad 1.

(4) Vel juxta alios in genere dicat, quod omnis uxor tenetur debitum reddere.

R. Conveniunt multiplicitatem filiorum non esse justam negandi causam, si sit in alterutro periculum incontinentiæ, vel aliud grave inconveniens, puta dissidiarum; quod vix dici poterit non adesse, quando conjuges simul una cohabitent, et debitum perseveranter denegetur. Hoc secluso periculo, Bonacina, Pontas et Sanchez affirmant ob filiorum multiplicitatem juste debitum denegari; quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Sed Billuart, Layman, Roncaglia et Sporer, quibus magis adhæremus, negant; nam prolis procreatio pertinet ad præcipuum matrimonii finem, cui idcirco postponendum est quodvis incommodum (1).

Quid (quæres) *si mater jam experta sit, se filios mortuos parere?* — R. Alasia, Layman et Voit adhuc obligant conjugem ad debitum reddendum; quia illa mors est per accidens: aliunde experientia constat, mulieres post plures abortus feliciter tandem peperisse. Sed præcluso periculo incontinentiæ, id communius negant Billuart, Bossius, Rodriguez, Victoria, etc.; nam est gravissimum damnum et spirituale et corporale afferre proli. Caveant tamen, quidquid sit, ne ideo viri male tractent uxores, ut aliquendo lugere est; sed potius orationibus simul conjuges vacent, quibus desuper benedictionem efflagitare valeant (2).

Q. 4. *An conjux teneatur reddere illicite petenti?*

R. Certum est conjugem non teneri ad reddendum cum peccato proprio, neque veniali; nemo enim potest obligari ad peccandum. Si vero peccatum sit in ipso petente, et peccatum petentis sit mortale, tunc si illud se teneat ex parte modi actus ipsius, v. g. si petitio fiat in loco sacro contra reverentiam illi debitam (3), commune est et certum nullimode posse reddi petenti; quia cum reddens poneret copulam sicut ipse petens, concurreret cum ipso ad eumdem actum malum. Si vero culpa se teneat tantum ex parte personæ petentis, v. g. si hæc sit ligata voto, vel ad pravum finem petat, conciliantes quodammodo diversas sententias, sic probabilius resolvimus: casu quo commode potest pars innocens, tenetur admonere compartem, ut a petendo desistat; nam unusquisque ex lege charitatis tenetur de proximo suo, quando gravis non excusat difficultas. At si compars desistere nolit, et ex negatione gravia timeantur incommoda, iræ, indignationes, adulteria, etc. (uti sæpe evenire solet), tunc compars innocens tenetur reddere; quia ex

(1) Deinde vel conjux hoc in casu negaret diu, vel aliquando tantum. Si 1, exponeret compartem periculo certo incontinentiæ; si 2, negaret frustra, cum doceat experientia conjuges rarius coëuntes facilius concipere. Tandem melius est ut proles vivat inops, quam ut non sit; præsertim cum vix extrema eveniat paupertas facienti quantum in se est. Hinc etiam verius et communiter docent cum D. Thoma, quod sit reddendum debitum, licet prævideatur proles infirma nascitura; nam *melius est ei sic esse, quam penitus non esse.* (In 4, d. 32, q. un. a. 1.) — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 644.

(2) Sumens vel dans potionem vel aliud efficiens quo prolis conceptio impediatur et sterilis evadat conjux, peccat mortaliter, quocumque fine id fiat, puta quia uxor solet parere cum mortis periculo; ratio est quia data opera impeditur semen a suo naturali fine generationis, et contra naturam est. Ita Cajetanus *in* 2, 2, *q.* 154, *a.* 1, *ad* 2; Sanchez, *De matrimonio*, l. IX, disp. 20, n. 2. — Et constat ex c. *Aliquando* 32, q. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 954.

(3) Vel cum scandalo, ut si fiat publice: aut in secreto, sed cum scandalo filiorum præsertim in eodem cubiculo commorantium, quod penes pauperes evenire solet: vel si fiat in vase præpostero: vel si fiat cum periculo abortus, aut sanitatis propriæ.

una parte petens adhuc retinet jus ad copulam; ex altera reddens directe actui licito et ex justitia debito operam dat, peccato alterius se habens dumtaxat permissive (1).

Diximus: *et peccatum petentis sit mortale;* nam si peccatum sit tantum veniale, distinguendum. Nempe si actus est leviter illicitus ex parte personæ petentis, v. g. si petat ob finem leviter malum, tenetur eidem reddere; quia agitur de actu per se honesto, et debito ex justitia. — Si vero actus est leviter illicitus ex parte sui ipsius, v. g. si petatur situ innaturali, tunc utique potest reddere, cum adest justa causa, v. g. ne incurrat indignationem compartis; quælibet enim causa rationabilis excusat profecto a culpa veniali. Diximus *potest reddere;* potest, inquam, at non tenetur; nam licet vinculum justitiæ fortius sit vinculo charitatis; attamen cum actus sit tali modo *per se* illicitus, alter non habet jus ad illum. Excipe nisi petens habeat causam sic petendi, puta si petat copulam situ innaturali, quia uxor est prægnans aut ipse pinguis; vel periculum sit scandali, etc.: tunc altera pars tenetur reddere.

Q. 5. *An liceat uxori sine peccato petere vel reddere viro volenti seminare extra vas post copulam inceptam?*

R. Alii negant id uxori licitum esse, quia uxor tenetur impedire peccatum viri, qui more nefando Onam se gerit semen fundendo in terram. Alii affirmant, quia ipsa dat operam rei in se licitæ. Sed puto distinguendum inter ipsam petitionem et redditionem (2). In reddendo, etsi probabile sit cum Roncaglia et Elbel, quod uxor possit negare debitum et etiam teneatur, si potest sine suo magno incommodo, quia vir cum sit abusurus re debita, non habet jus ad illam; tamen probabilius est cum Sanchez, quod post monitionem teneatur reddere; cum culpa se teneat non ex parte actus, sed ex parte personæ. — In petendo vero dicimus cum Roncaglia et Elbel, uxorem non posse petere ab hujusmodi viro; quia tenetur ex charitate illius peccatum impedire. Excipe nisi gravem haberet causam petendi, nempe si esset in periculo incontinentiæ, vel si alioquin perpetuo abstinere deberet a suo jure petendi; charitas enim cum tanto onere non obligat: unde non videtur teneri ad abstinendum; nisi per paucas vices (3) *(P)*.

Q. 6. *Quid si alteruter conjugum sit amens, vel ebrius?*

R. Concedunt communiter non esse illicitum accessum ad conjugem amentem vel ebrium, si nullum adsit periculum scandali vel abortus, aut alterius damni; quia usus conjugii per se licitus est. Verum probabilius ac communissime dicunt talem accessum non esse in præcepto; quia tempore ebrie-

(1) Hic tamen tutius erit consulere, ut cum conjux innocens prævidet compartem esse illicite petituram, ipse prior petat convertendo redditionem in petitionem, dicendo: *volo ut mihi reddas.* Id tamen raro convenit mulieri ob naturalem verecundiam.

(2) Verba Alphonsi nostri, *Homo Ap.* tr. XVIII, n. 47. — *V.* Gousset, *Giustificazione della Morale di S. Alfonso* (Monza 1833, pag. 111), ubi habetur ipsa auctoritas card. De-Petro pœnitentiarii majoris, 15 nov. 1816.

(3) Licet sane rem in se bonam recta intentione, et ob graves rationes ab eo petere, qui eam sine peccato reddere potest; quamvis per abusum illam sine peccato non præstiturus sit. Sic Sacramenta ab indigno Sacerdote, mutuum ab usurario, juramentum a pagano, etc. petere licet, quando sufficientes adsunt rationes; ergo a pari. *Billuart.*

tatis (intellige perfectæ) atque amentiæ, qui petit, non petit ut homo et rationabiliter, sed ut bestia: esto quod dominium adhuc retineat; est tamen actu incapax ejusdem usus. Excipe nisi aliunde incontinentiæ periculum adsit: tunc urget charitas ad debitum reddendum, ut ita etiam actus materialiter malus impediantur.

Quid (inquies) *si agatur de conjuge excommunicato?* — Certum est licere comparti innocenti petere debitum a conjuge excommunicato: id expresse definivit Gregorius VII (1). An vero id liceat etiam eidem excommunicato, nobis videtur communior et verior sententia, quæ affirmat: lex enim Ecclesiastica non intendit obligare cum tanto periculo, in quo indesinenter versaretur pars ista, si non posset ab altera separari. Ita Filliucius, Sanchez, Suarez et alii.

Q. 7. *Quid si ex debiti redditione oriatur damnum in conjuge?*

R. Si ex debiti redditione damnum grave in se vel in comparte merito timeatur, conjux per se loquendo non tenetur, nec potest reddere. Non *tenetur:* ratio est, *quia hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in se ipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet: et hic est etiam ordo charitatis, quæ naturam perficit* (2). Non *potest;* quia nemo est dominus vitæ suæ, aut salutis: et quisque tenetur impedire grave damnum, vel ejus periculum etiam in alio, licet iste in illud consentiat (3). Diximus: 1 *si damnum grave;* nam levi damno præponderat lex justitiæ; hinc non attenditur v. g. levis dolor dentium, infirmitates parientibus communes, etc.; 2 *per se loquendo;* quia si morbus esset diuturnus, nec ita proximum mortis periculum esset ex una parte, ex altera vero justa extaret petendi causa, v. g. periculum incontinentiæ; tunc bene liceret petere, et altera pars tenetur reddere: et sane esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu conjugii, quod vix esse potest sine peccato incontinentiæ. Animadvertendum tamen plus periculi aut incommodi requiri, ut quis prohibeatur, quam ut excusetur a petendo vel reddendo, præsertim si agatur de proprio damno vel periculo.

Q. 8. *Quid de tactibus, aspectibus et verbis turpibus inter conjuges?*

R. Si tactus, aspectus et verba turpia ordinantur ad copulam et cum ea conjunguntur, utique conjugibus licent: cui enim licitus est finis, licita sunt etiam media ad ipsum. Excipe nisi sermo sit de quibusdam actibus enormiter turpibus, v. g. affectum sodomiticum præseferentibus; tunc enim docent mortaliter eum peccare, qui iisdem utitur: et quamvis aliis id adhuc forsan videatur veniale; semper tamen graviter increpandi sunt conjuges, ut se ab iis omnino abstineant. — Si vero tactus, aspectus et verba turpia ad copulam non ordinentur, sed habeantur ad invicem causa voluptatis, seclu-

(1) C. *Quoniam multos*, causa 11, q. 3.

(2) S. Thomas, 3 p. q. 63, a. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 909 et 950.

(3) Et bene (ait Bossius), quod dupliciter peccat qui laborans morbo gallico fornicationem committeret, et teneretur expensas compensare pro curatione alterius partis. Probabiliter tamen excusat meretrices, nisi ipsæ requisitæ fraudulenter suum morbum tegerent; cum ad istas personas publicas accedentes bene de hoc dubitare debeant. Hinc, ut communiter ajunt, uxor non tenetur, imo nec potest reddere, si experta sit se non posse parere sine periculo mortis proximo. Hinc neuter debet aut potest reddere alteri laboranti morbo contagioso, v. g. gallico, peste, lepra alioque simili.

so periculo pollutionis et alia speciali prohibitione, venialia tantum esse docent communius et verius Alasia, Layman, Lessius, Fagnanus, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Vasquez, Victoria aliique plures contra Sylvium. Sane matrimonium præbens jus ad copulam, etiam jus ad hosce actus præbere debet: unde res in se licita est; sola ergo deficit debiti finis ultima intentio; sed hic defectus non potest dici mortalis (1). Alias cum tanta sit inter conjuges societas et multoties, v. g. ob morbum, non possint copulari, ipsi jugiter essent periculis expositi. Attamen si ex talibus actibus prævideatur (ut timendum est) secutura pollutio, quamvis involuntaria, probabilius tunc dicimus eos esse mortales; quia quisque tenetur cavere seminis dispersionem. Imo certe erunt mortales, si conjugibus sit interdictus conjugii usus, ut si voto castitatis sint ligati; quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream (2).

An (quæres) *sint mortalia tactus et aspectus turpes unius conjugis cum se ipso, altero absente, ac secluso periculo pollutionis?* — Alii negant cum Palao, quia tales actus cohonestat conjugalis status; sed probabilior et omnino suadenda sententia in praxi affirmat, nam conjuges non habent jus ad se tangendos, nisi in ordine ad copulam, quæ quidem tunc est impossibilis.

Quid (dices) *de delectatione morosa in conjuge circa copulam habitam, vel habendam; quæ tamen haberi nunc non potest, quia abest conjux?* — Hortandi sunt conjuges, ut abstineant omnino a tali morosa delectatione; sed non sunt illico damnandi de mortali, si non abstineant. Ita communius docent D. Antoninus, Bonacina, Croix, Filliucius, Gerson, Sanchez et Suarez cum D. Thoma, qui sic fere arguit: *delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab objecto; sed cum copula licita sit conjugatis, non potest esse eis graviter illicita illius delectatio* (3). — Excipe semper, si adsit periculum pollutionis, quod adesse censetur, si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione, seu voluptate venerea.

Q. 9. *Quid de fine pravo in usu conjugii?*

R. Finis totum inficit opus: unde si malus sit finis, et opus malum erit. Atque ideo jam patet uti matrimonio, v. g. ob solam voluptatem, peccatum esse; quia non esset secundum rationem intendere voluptatem, uti finem, quæ a natura tantum uti medium intenta est. Id deducitur etiam ex hac n. 9 propositione proscripta ab Innocentio XI: *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* Est tamen commune apud omnes cum D. Thoma (4), id non esse mortale; sed veniale tantum. Est veniale, quia voluptatem solam in actu etiam licito quærere, est quædam finis subversio et inordinata delectatio; attamen veniale non excedit, quia

(1) «Hoc de petente (ait S. Alponsus, *Homo Apost.* tr. XVIII, n. 42); sed reddens in hujusmodi tactibus videtur semper excusari; cum alter habeat jus ad illos, nisi adeo sint impudici, ut videantur quasi inchoata pollutio.»

(2) Dicunt tamen Salmanticenses, quod si inter conjuges actus illi sint pudici, liciti sunt (quamvis adsit proximum periculum pollutionis; semper tamen secluso periculo consensus in eam): si nempe fiant ex causa gravi, puta ad fovendum mutuum amorem; quia tunc satis cohonestantur a suo fine.

(3) De malo, q. 15, a. 2, ad 17. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 933 et seqq.

(4) Suppl. q. 64, a. 6.

voluptas non quæritur extra matrimonium, et actus est natura sua ordinatus ad copulam licitam: unde non deest nisi circumstantia debiti finis in operante; qui quidem defectus nonnisi levis est deordinatio. — Imo nullum est peccatum, si conjux intendat principaliter procreationem prolis, et utatur voluptate (eam moderate intendens), ut se excitet ad consummationem actus. Ea pari ratione, qua minime peccat qui intendit moderatam delectationem in cibo sumendo ad dandum videlicet corpori conveniens alimentum, ut recte dicunt.

Quid (quæres) *si actus conjugalis exerceatur mente adultera?* — Omnes fatentur et merito, illud peccare mortaliter, qui mente adultera utitur matrimonio suo, v. g. si accedens ad uxorem sibi aliam imaginetur, ut animum pascat; pascitur enim de objecto vetito graviter (1).

Q. 10. *Quid de tempore improprio in usu conjugii?*

R. Ad actum conjugalem tempus nocturnum ac secretum naturalis verecundia suadet: hoc tamen non est in præcepto, sed tempore quocumque, alio inconvenienti præcluso, ille haberi potest. An autem liceat usus conjugii festis diebus, est commune licere debitum reddere: *cum mulier* (inquit Angelicus) *habeat potestatem in corpore viri et e converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quacumque hora.* Sed quæstio est, an etiam licitum sit petere? D. Thomas (2) id putat esse veniale; *quia id dum rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia.* Verum D. Bonaventura, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Palaus, Pontas et alii communius docent nullum esse peccatum; id enim non videtur prohibitum ullo jure neque divino, neque humano (3).

Quid (quæres) *de tempore prægnationis?* — Commune est, si nullum adest periculum abortus, non peccare lethaliter virum tunc temporis accedentem ad conjugem; nam actus per se adhuc est ad generationem idoneus, et fit inter personas jure habiles. Neque ulla lex id positive prohibens adduci potest: ita Alasia, Concina, Pontas, Roncaglia, Sanchez cum Ss. Patribus (4). Sed utrum vir peccet saltem venialiter, nobis arridet sententia affirmans, nisi excuset causa aliqua rationabilis, v. g. periculum incontinentiæ; quia stante fœtu concepto, fine suo frustrari videtur semen. Cæterum periculum

(1) Excusant nonnulli a mortali, si ipse accedens ad uxorem propriam morose cogitet de pulchritudine alterius personæ, sed absque affectu turpi. Nos vero dicimus hoc valde periculosum esse, ideo non permittendum. Sicut neque permittendum, ut quis se excitet ad usum conjugii respiciendo imagines diversi sexus, maxime si essent sacræ: quod recte docent plerique esse mortale ob gravem irreverentiam.

Quid (dices) *si maritus moroso cogitet de copula aliena animo concepta, ut se excitet ad usum matrimonii cum uxore propria?* — Ex una parte id videtur damnandum: cum objectum, de quo delectatur, sit per se turpe; ex alia non ita, cum ex tali cogitatione non oriatur, nisi quædam commotio spirituum generationi deservientium, quæ quidem conjugatis non videtur prohibita saltem sub gravi. Nos hoc dubium sapientibus remittimus definiendum: id unum dicimus, quod nempe hanc cogitationem, si esset de copula inter personas determinatas, non excusaremus a peccato lethali ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum conjuge aliena.

(2) Suppl. q. 64, a. 7.

(3) Canones et Patres nonnulli citantur in contraria sententia; sed id nunc habetur ut merum consilium. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.* etc. l. V, c. 2.

(4) *V.* Alasia *De Mart.* p. 1ª, c. 2. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 924.

abortus non ita facile præsumendum est: ideo conjuges vexandi non sunt importunis interrogationibus, ut se abstineant tempore prægnationis.

Quid (dices) *de tempore menstrui?* — Fluxus menstruus in muliere duplicis est generis: alius ordinarius, qui proprie dicitur menstruus; quia singulis mensibus solet evenire et durat (ut plurimum) per duos vel tres dies: alius extraordinarius seu innaturalis qui provenit ex morbo diuturno, et durat ad duodecim dies et amplius. Hinc: 1 si agatur de *menstruo extraordinario*, certum est licere petere et reddere: tum quia nullum damnum proli imminet, cum tunc fœmina sit inepta ad concipiendum; tum quia cum talis morbus diuturnus sit, et sæpe continuus, durissimum esset conjugibus perpetuo vel diu abstinere: ita Angelicus (1); 2 si sermo sit de *menstruo ordinario*, D. Antoninus, Alasia, Concina, Bossius, Bonacina, Palaus, Pontas, Roncaglia, Vega, Victoria, Vivaldus, etc., communissime et probabilius docent accessum ad conjugem non esse quidem peccatum mortale; sed non posse a veniali excusari, nisi adsit causa cohonestans (2). Quod non sit mortale patet, quia nullo jure prohibetur: non naturali; cum ex jure naturæ ad coitum cohonestandum sufficiat, ut ipse per se sit aptus ad generationem, licet per accidens hæc non sequatur: non Divino, quia Levitici lex, adveniente lege Nova, cessavit: non Ecclesiastico, quia prohibitio Gregorii VII, quæ extat penes Gratianum, hodie exsolevit (3). — Quod vero non possit excusari a veniali, ideo constat, quia talis concubitus involvit quamdam turpitudinem et deordinationem; nam tunc minus convenit fini generationis.

Quod dictum est de menstruo ordinario, idem tenent probabilius ac communius de tempore purgationis post partum: nempe docent tunc accessum ad uxorem veniale quidem esse; quia continet aliquam indecentiam: non autem mortale, quia talis indecentia non videtur gravis. Excipe aliquod accidens, si ex eo gravis morbus vel notabilis morbi aggravatio immineret, uti si accessus haberetur ipso die partus, vel die subsequenti, ut ait Roncaglia.

Sed (quæres) *quid de tempore lactationis?* — Conjugio tunc uti licere communissime affirmant; tum quia periculum inficiendi lac, et sic nocendi proli rarum est; tum quia lex nulla id vetat (4).

Quid (dices) *de tempore statim post balneum, vel sectionem venæ, vel prandium aut cœnam?* — Ad balneum quod attinet et venæ sectionem, videntur consentire non licere accessum conjugalem; cum sit notabiliter periculosus: idem dicunt, si conjux febri laboret. Quod respicit tempus post prandium aut cœnam, non videtur in hoc adesse grave damnum, ipsis fatentibus medicis, et ideo non audemus damnare debitum eo tempore postu-

(1) In 4, d. 32, q. unica.

(2) Diximus *nisi adsit causa cohonestans;* quia ea causa extante, v. g. ad vitanda dissidia vel incontinentiam, conveniunt omnes nullum esse peccatum matrimonio uti.

(3) *Can. fin.* dist. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 925.

(4) Et nimis durum esset, si toto eo tempore deberent conjuges abstinere; neque enim satis esset illis provisum; cum adeo secum familiariter utantur. Textum autem Gregorii VII (*Can. fin. d.* 5), qui aliter docet, ajunt explicandum esse de mero consilio, non autem de præcepto. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 909.

lantem vel reddentem, nisi ex experientia revera constaret de gravi illo damno.

Q. 11. *Quid de loco inconvenienti ac modo innaturali in usu conjugii?*

R. Ad 1: Ad actum conjugalem exercendum verecundia locum remotum ac secretissimum requirit: neque omnia quæ licent, licent ubique. Unde illum publice habere, grave esset scandalum ac libidinis incentivum; habere autem in loco sacro, gravis irreverentia: imo et sacrilegium, licet occulte exerceatur, ut docent probabilius Croix, Lessius, Sanchez, Suarez, etc.; cum graviter Dei domum dedeceat, ideoque et Ecclesia polluatur. Non est tamen abstinendum a divinis; si hoc non innotescat (1).

R. Ad 2: Modus seu situs naturalis in usu conjugii est, ut mulier sit succuba et vir incubus; cum sit aptior ad effundendum et recipiendum semen: unde modum hunc violare peccatum est, cum sit inversio ordinis naturæ. Est tamen commune cum D. Thoma, esse dumtaxat veniale per se loquendo, si actus exerceatur situ indebito, vel stando, vel sedendo, vel more pecudum, vel a latere, vel viro succumbente, modo semper fiat in vase naturali; nam mutatio situs jacendi generationem non impedit; cum semen virile in matricem mulieris ex se et naturaliter attrahatur. Et ideo nullum etiam erit peccatum, si modus naturalis mutetur ob aliquam justam causam, v. g. ægritudinis, periculi abortus, scandali, difficultatis, etc., uti ait Concina. Diximus: 1 *per se loquendo non excedere culpam venialem;* quia docet Angelicus evadere posse etiam mortalem, si fiat ex prava concupiscentia, v. g. ex affectu bestialitatis aut sodomiæ, vel si hujusmodi voluptas haberetur uti finis ultimus; 2 *modo semper fiat in vase naturali;* nam communiter et verius est mortale copulam inchoare in vase præpostero, in ore, in aure, etc., ut dein in vase naturali consummetur. Imo flagitium grande est contra naturam involvens rationem adulterii ac sodomiæ, licet imperfectæ (2).

An liceat aliquando (quæres) *impedire generationem effundendo semen?* — Numquam licet directe semen effundere, neque ad mortem vitandam; cum hoc sit intrinsece malum, contra finem conjugii: unde peccat mortaliter mulier, quæ statim post copulam mingit, surgit, vel quid aliud facit animo semen expellendi; frustraret enim finem naturæ. Diximus: 1 *statim post copulam;* neque debet diu immota et resupina manere; cum brevissime matrix semen attrahat et claudatur; 2 *animo expellendi semen;* si enim id ageret ex necessitate, quia irruit hostis, quia alii superveniunt, non esset peccatum; nam non esset directe impedire generationem: unde nonnisi indirecte impediretur et citra intentionem (3).

Quid si conjuges, incepta copula, seminationem cohibeant? — Si ambo non

(1) *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. III, n. 458; et l. VI, n. 920.

(2) Et idem putamus dicendum de confricatione virilium circa vas præposterum uxoris. Saltem talis actus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico. Et Sanchez, qui illam habebat ut tactum simpliciter impudicum, se retractavit, testante Moya.

(3) Hinc Sotus et Billuart excusant virum, qui dum festinanter conatur congredi, extra vas seminat; hoc enim festinationi naturæ tribuendum est. Hinc Sanchez et Sporer probabiliter excusant conjuges, qui ob senectutem vel aliam indispositionem extra vas seminant, quamdiu adest spes intra vas seminandi. Quia cum tali spe jus habent ad copulam; et effusio præter intentionem, ac nonnisi per accidens evenit.

consentiunt, sed unus se retrahat, altero repugnante, retrahens peccabit mortaliter, ut fatentur omnes; cum alium jure suo fraudet. Si ambo consentiant, et adsit periculum aliquod pollutionis, peccatum erit mortale ex utraque parte, ratione illius periculi: secus (per se loquendo) mortale non erit; cum in hoc casu illa vasis penetratio habeatur instar tactus verendorum, qui saltem mortalis non est, secluso periculo pollutionis. Cæterum hoc periculum ordinarie adest in hoc casu, ut sapienter notat Sanchez.

Quid (dices) *si vir se retrahat post seminis effusionem, quin adhuc mulier seminaverit?* — Commune est, posse se tactibus mulierem statim ad seminandum excitare; quia hoc pertinet ad complementum actus conjugalis. Esto quod seminatio mulieris non sit necessaria: sed summopere confert; cum natura nihil moliatur frustra. Atque ex hoc deducere est peccare mulieres, quæ in actu copulæ animum ad alia divertunt, ne concitentur ad seminationem: sicuti vir peccat, qui mulieris seminationem non expectat.

CAPUT SECUNDUM

CAUSÆ QUIBUS JUS AD DEBITUM AMITTITUR.

Solent adnumerari sequentes: nullitas ac dubietas matrimonii, incestus et adulterium (de conjuge baptizante aut suscipiente prole disputatur). Hinc illud:

Si liber, dubiusque vetat, si incestus, adulter.

Q. 1. *Quid resolvendum, si matrimonii dignoscatur nullitas?*

R. Cognita matrimonii nullitate, etiam ab una tantum parte, fit illicita ac fornicaria copula. Hinc omnes dicunt, quod compars, si non potest sine vitæ periculo aut famæ aperire nullitatem, aut obtinere dispensationem, debet vel Religionem ingredi, si adhuc sit in tempore habili; vel fugam arripere; vel divortium petere, si quæ adsit causa; vel demum potius quam fornicari, omnia sustinere, causam suam Domino commendans, qui neminem deserit.

Q. 2. *Quid si circa validitatem matrimonii oriatur dubium?*

R. Si matrimonium sit contractum bona fide, ac postea de legitimitate illius superveniat dubium, non quidem leve et scrupulosum (quod est contemnendum), sed verum et plausibile, tunc videndum, num uterque, an vero una tantum pars dubitet. Si 1, neuter potest conjugio uti *ante adhibitam debitam diligentiam;* quia esset se discrimini committere. Si 2, tunc esto quod non possit ipsa petere *ante adhibitam debitam diligentiam* ad dubium vincendum; sed tenetur reddere alteri parti petenti in bona fide. Quia secus esset gravi se discrimini committere alterius jus violandi: unde quamdiu non certo probetur ejus nullitas, illius urget certa possessio. Id probatur ex canonico jure, ubi habetur quod mulier, quæ non est certa de vita primi mariti, tenetur reddere secundo viro petenti; ipsa autem ab exigendo se abstinere (1).

(1) *Dominus de secundis nupt.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI nn. 901 et 1102.

Diximus *ante adhibitam debitam diligentiam;* nam si dubitans contraxit in bona fide, et post diligentiam non potuit dubium vincere, probabilissime et communissime eum posse non tantum debitum reddere, sed etiam petere docent Habert, Layman, Lessius, Lugo, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, etc. (contra Concinam, Navarrum, Antoine et alios, qui volunt ipsum posse reddere, sed non exigere, donec ad cautelam obtineatur dispensatio (1). Sane: qui contraxit bona fide, non debet privari jure suo, donec constet de veri impedimenti existentia; licet enim superveniente dubio, suspendatur jus possessionis usquedum veritas inquiratur; dubio tamen durante post diligentem illam inquisitionem (cum tunc ignorantia fiat invincibilis) manet possessio pro valore matrimonii, et consequenter pro illius usu: possessor nempe bonæ fidei, uti dicunt Juristæ, sicut potest rem retinere post adhibitam diligentiam, ita etiam eadem uti (2).

Quid (quæres) *si matrimonium contractum sit cum dubio de ejus validitate, idcoque in mala fide?*—Tunc communius negant Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, etc. posse dubitantem etiam post adhibitam diligentiam petere debitum, si ipsum dubium in se omnino non auferatur; quia nemo potest uti re, quam mala fide incepit possidere: unde tunc satis est debitum reddere comparti, quæ contraxit in bona fide. Verum satis probabiliter affirmant cum Elbel, Holzmano, etc.; quia tametsi dubitans nequeat deponere dubium ex titulo possessionis, potest ex alio principio, nempe quod in dubio standum est pro valore actus, præsertim matrimonii, in cujus favorem in foro tam interno quam externo semper in dubio judicandum est: si causam excipias, quo dubitetur de morte prioris conjugis; nam tunc potius est jus prioris matrimonii contracti (3).

Q. 3. *Quid de incestu, prout impedit usum conjugii?*

R. *Incestus formalis et completus unius conjugis cum consanguineis alterius in primo vel secundo gradu, per se privat reum jure petendi debitum, quoadusque non restituatur in jure a legitimo superiore.* Id lege ecclesiastica merito statutum est (4): ex tali enim copula cum propria conjuge exurgit affinitas, quæ non dirimit quidem ipsum matrimonium, cum jam sit valide contractum, ejus tamen usum impedit. Unde si incestuosus a debito petendo

(1) Opponunt cap. *Inquisitioni de sent. excomm.;* at textus dicendo non posse conjugem dubitantem petere, supponit eum nondum sibi efformasse judicium practicum conscientiæ; cum subdat non posse petere, *ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

(2) Idque eadem ratione obtinere dicunt Anacletus, Cardenas, Henriquez aliique, non obstante quacumque probabilitate in contrarium. Liguori, *Opus Mor,* l. VI, n. 905.

(3) *An* (quæres) *cum errore vel dubio facti consistere possit consensus sufficiens ad matrimonium? puta Titius credens vel dubitans suam primam conjugem adhuc vivere, contrahit; prima tamen conjux, ipso nesciente, revera mortua est.*—R. Si cum errore, probabilius tenent contra Sanchez, non valere tale matrimonium; nam nemo vultaut velle potest sincere quod firmiter credit sibi esse impossibile; cum intentio numquam possit sequi in voluntate, nisi secundum quod præcessit in intellectu. Si vero sit cum dubio tantum, valet matrimonium; quia tunc vult homo contrahere quantum potest, nec judicat se prorsus id non posse; etsi tamen peccet exponens se periculo invalide contrahendi. *Continuator Tournely.*

(4) Cap. 4 et 10 *de eo qui cong. consang.*— *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 930 et 945; l. VII, n. 48.

non abstinet, graviter delinquit; et toties, quoties petit non restitutus in suo jure.

Dicitur: 1 *Incestus formalis*, id est cum culpa perpetratus: ideo non incurreret hanc pœnam mulier, si fuisset per vim oppressa; quia ubi nulla culpa, ibi nulla pœna. Imo in sententia communiori et probabiliori, etiamsi fuisset inducta per metum gravem; sicut enim hic metus generatim excusat a lege ecclesiastica, sic etiam a pœna ab ipsa imposita. Excusat item ignorantia etiam crassa (non tamen crassissima vel affectata) sive *juris*, uti docent probabilius et communius; est si vir accedit ad consanguineam uxoris, nesciens adesse legem humanam id prohibentem; sive *facti*, ut dicunt communiter, nempe si vir sciat legem Ecclesiæ prohibentem petitionem debiti, sed nesciat illam ad quam accedit, esse consanguineam suæ uxoris; sive *pœnæ*, ut satis probabiliter tuentur, nempe si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat adesse pœnam non petendi. Ratio horum est, quia hæc privatio imponitur tantum *scienter* peccanti in jure, et agitur de pœna extraordinaria; 2 *completus*, id est cum seminis effusione intra vas. Quia cum jura volunt sufficere actum incompletum, id solent exprimere: in casu autem nostro nihil tale expressum invenitur; 3 *cum consanguineis alterius conjugis in primo vel secundo gradu:* et ideo qui cognosceret consanguineam propriam, pœnam hanc non incurreret; quia nihil de ea habetur in jure; 4 *privat reum:* unde si uterque conjux incestum committit, uterque hoc jure privatur; quia in utroque reapse verificatur incestus (1); 5 *per se privat;* nam commune est, conjugem impeditum vel voto vel affinitate, adhuc posse per accidens petere, tam si *mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem*, ut ait D. Thomas (2): imo tunc esset interpretative reddere; quam si adsit periculum incontinentiæ in comparte; neque enim pars innocens hoc subsidio est privanda ob crimen alterius: imo alii dicunt tunc adesse obligationem petendi. Si vero periculum incontinentiæ sit in ipso incestuoso, non videtur improbabilis sententia Viguerii et Quintandi, qui docent in hoc casu fas esse petere, si brevi haberi non possit dispensatio, et aliunde periculum esset in mora; lex enim Ecclesiastica in tanto discrimine non censetur obligare (3); 6 *quoadusque non restituatur in jure a legitimo superiore:* qua in re animadverte, superiorem dispensare solum in lege ecclesiastica, non autem in jure naturali vel tertii, quod a delinquenti conjuge violatum est accedendo ad aliam: hinc innocens poterit nocenti etiam dispensationem adepto debitum negare

(1) Si alteruter incestum quidem non commisserit, sed in crimen alterius consenserit, consentientem non incurrere privationem illam (quamvis graviter peccet) probabilius videtur cum Alasia. Quia in pœnis, saltem Ecclesiasticis, non valet argumentum a rationis paritate, vel a sensu contrario, ut vocant Philosophi.

(2) In 4, d. 38, q. 1, a. 3, q. 2. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 930 et 1071.

(3) Sed quomodo se gerere debet pars innocens, si conjux incestuosus illicite petat? —Communius ac probabilius cum S. Antonino docent Layman, Salmanticenses, Sanchez, Sylvius et Victoria partem innocentem non teneri quidem ex justitia reddere, quia nocens excidit a jure suo; sed posse, saltem si quod incommodum alioquin pateretur uxor præsertim ex verecundia petendi. Imo et teneri ex charitate, cum se eximere nequeat sine timore magni dissidii, aut incontinentiæ, quorum incommodorum vitatio sive in se sive in alio recte excusat a peccato cooperationis in alterius peccatum. Cæterum in praxi melius erit ac tutius, si conjux innocens tunc ipse primo per se petat.

ratione adulterii, quod adest in tali incestu. Quamvis autem hæc pœna sit imposita a Pontifice, ab ea tamen pro semper et absolute (saltem ex consuetudine generali) potest Episcopus dispensare etiam per delegatum: quare si casus contingat, et pœnitenti placuerit, Confessarius ipse eam facultatem poterit postulare, supplicem libellum Episcopo exhibendo *(Q)*.

Q. 4. *An adulter privetur jure petendi?*

R. Adulter non sic privatur jure petendi, quod petendo peccet: cum nullo jure de facto hæc illi pœna indicta sit. Sed sic, quod hæc pœna possit illi infligi. Unde qui adulter, licet non possit stricte exigere debitum ab altero conjuge innocente, quia frangenti fidem fides merito non servatur; potest tamen benevole petere, et stricte etiam exigere, si alter conjux adulterium eidem remiserit, vel ipse quoque in idem crimen prolapsus sit; quia tunc est compensatio injuriæ. Imo quamdiu conjux innocens nihil excipiat, ideo quia crimen ignorat compartis, tamdiu poterit adulter licite exigere debitum; quia non tenetur sibi pœnam infligere, nemine excipiente.

Q. 5. *Quid de conjuge, qui baptizat, vel suscipit in Baptismo aut Confirmatione filium communem; vel filium ab alio conjuge in alio matrimonio genitum? Privaturne jure petendi ob cognationem, quam contrahit?*

R. Certum est: 1 conjugem illum non privari jure petendi, si id fecit in necessitate; nam *est inculpabile judicandum, quod necessitas intulit* (1); 2 item conjugem non privari, si id egerit ex ignorantia; quia non est detinendus pœna, qui ignoravit culpam; 3 conjugem graviter peccare, si id egit ex industria et sine necessitate; id enim sub gravi prohibitum est (2). Et est conforme rationi, ut pater carnalis sit alter a patre spirituali.

Tota quæ disputatur quæstio est, an qui ita egit culpabiliter, sciens prohibitionem, et citra necessitatem, præter culpam incurrat etiam pœnam privationis debiti petendi. Affirmant Bonacina, Concina, Guttier, Petrocorensis aliique cum Ss. Bonaventura et Thoma: « *La opinion mas comun entre los Canonistas,* ait Gousset, *está por la afirmativa*, segun el sentido de la ley que establece el vínculo de afinidad entre el que bautiza, y el padre y madre del bautizado»: porro affinitas quæ dirimit matrimonium contrahendum, impedit usum matrimonii jam contracti.—Alii vero (et quidem satis probabiliter) negant pœnam incurri; qui hæc pœna nullibi pro hoc casu invenitur expressa, sicuti habetur de aliis casibus; at nulla pœna incurritur, nisi a jure sit expressa: nec valet argumentari de casu ad casum in pœnalibus. Id cum pluribus ac gravibus DD. tenent Pontas, Roncaglia, Salmanticenses, Suarez ac Viva: *id tutum et magis pietati conforme* appellat Sanchez; *absolute* probat Alasia; *late* ostendit Dicastillus; et *docte* tuetur Coninchius. Imo non aliter respondit Alexander III, qui habet: *si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit* (quod idem est, ut patet, de baptizante vel tenente in Confirmatione), *an propter hoc separari debeant? Consultationi tuæ taliter respondemus, quod quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari; quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt. Ideo nobis videtur, quod*

(1) C. *ad limina* 7, causa 30, q. 1.
(2) C. *de his qui*, caus. 30, q. 1.

sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere (1).

Dicitur *ideo nobis videtur;* unde si qui erant contrarii canones, iis vis adempta est, ut bene arguit Alasia. Dicitur *nec alter alteri* etc. Ergo si utrique, etiam nocenti fas est et petere et reddere, ut recte inferunt Salmanticenses. Idem tenet Glossa: *non invenimus in hoc casu, quod non exigat; ergo nec nos prohibemus* (2).

DISPUTATIO SEXTA

DE MATRIMONII DISSOLUTIONE.

Q. 1. *An matrimonium aliquando possit dissolvi?*

R. Tria in matrimonio consideranda sunt: 1 *vinculum*, quo vir et mulier quodam veluti nexu secum invicem conjunguntur; 2 *cohabitatio*, quæ consistit in illa individuæ vitæ consuetudine, quæ matrimonio inhæret; 3 *torum*, cujus videlicet usu liberorum procreationi conjuges vacant. Quamvis naturæ admodum consentaneum sit, ut hæc indissolubiliter in matrimonio obtineant; id tamen non est eodem jure stricte omnino imperatum. Hinc contingit, ut dissolvantur conjugia aliquando quoad vinculum, ut liceat conjugibus nuptias alias celebrare; aliquando quoad habitationem simul et torum; aliquando quoad torum dumtaxat. Istæ dissolutiones solent in Scholis *divortii* nomine nuncupari, quasi *a diversitate mentium;* quia in partes diversas abeunt qui illud dissolvunt.

Q. 2. *Quid de matrimonii dissolutione quoad vinculum?*

R. Certum est: 1 *propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse matrimonii vinculum*, ut Tridentinum definivit (3). Hæc constans fuit praxis et doctrina Ecclesiæ, quæ semper repudiavit contrarias Imperatorum leges. Hinc D. Hieronymus: *aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit* (4). Et D. Augustinus scribit, habere uxores, quarum priores mariti vivunt, adulterina esse conjugia, si non jure fori, id est civili, utique jure poli nempe cœli (5). Certum est: 2 e contrario matrimonii vinculum solvi tum per unius conjugis mortem juxta illud Apostoli: *si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat* (6); tum per religiosam professionem; tum per

(1) C. *si vir* 2 de cogn.spirit. — *V.* Liguori, *Homo Ap.*, tr. XIV. n. 34

(2) In cit. cap. *si vir* vid. debitum. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 150.

(3) Sess. 24, can. 5. — Liguori, *Opus Mor.* l. VI, nn. 955 et seqq.

(4) Ep. 79 ad Ocean. (5) Serm. 392.

(6) 1 *Corinth.* 7. — Hinc si mortuus per miraculum resuscitaret, adhuc esset pater erga filios, quia vinculum sanguinis non rumpitur: sed non amplius esset maritus erga conjugem, neque

conversionem unius infidelis ad fidem, comparte manente infideli.—An etiam solvatur per dispensationem romani Pontificis, disputant.

Q. 3. *An conjugii vinculum solvatur per professionem religiosam?*

R. Affirmative: per solemnem religionis professionem, matrimonium si ratum tantummodo sit, etiam quoad vinculum dissolvi, de fide est a Tridentino sic definitum: *siquis dixerit matrimonium ratum et non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit* (1). Id jam definierat sæculo XII Alexander III, qui id probat exemplo Sanctorum: item Innocentius III asserens, se in hoc sequi vestigia suorum antecessorum (2).—Quod quidem privilegium Bellarminus et Paludanus repetunt ab ipso jure naturæ; nam ratio dictat, quod quilibet potest ad meliorem statum transire, cum nulli fit injuria; id autem hic evenit: neque enim injuria fit proli, quæ nulla est: neque conjugi, quæ libera remanet, ut cum alio contrahat. Suarez vero et Layman id repetunt ab Ecclesiæ statuto immediate, ipso Deo concedente; neque repugnat ut hanc conditionem conjugio Ecclesia apponat: *nisi vota Religionis emiserim;* in hac hypotesi indissolubilitas vinculi incipit existere in momento consummationis contracti matrimonii. Tandem Billuart, Tournely aliique id tribuunt soli divino juri; nullus enim homo separare potest quod Deus conjunxit: et tale jus Alexander III ait, ad se transmissum *secundum interpretationem sacri eloquii.*

Diximus: 1 *matrimonium ratum:* id enim jura non tribuunt jam consummato; tunc enim significatio irrevocabiliter completa est, et conjuges facti sunt una caro. Si tamen sit per vim consummatum ante elapsum bimestre, adhuc pars innocens poterit eo jure uti, ne culpa alterius puniatur: sed pars nocens non poterit de novo nubere; quia jam verificata est matrimonii consummatio; 2 *per solemnem professionem:* unde solus non sufficit ingressus; per solemnitatem enim professionis tantummodo res alteri traditur, et ab illo possidetur. Ad hoc privilegium conjugibus jure conceduntur duo menses a matrimonii celebratione, in quibus non tenentur reddere debitum (3). Hoc tamen intelligitur, modo matrimonium non sit necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut sponsæ infamiam (4).

bona ipsi adjudicata repetere posset; nam vinculum matrimonii morte solvitur et translatio bonorum legitime consummata est. Ad diversitatem Baptismi, Confirmationis et Ordinis, quæ Sacramenta cum imprimant characterem, neque in homine miraculose resuscitato sunt iteranda; character enim cum sit in anima impressus, morte haud deletur; quia anima numquam moritur. Hinc ad vitam revocatus non est amplius baptizandus, confirmandus, ordinandus: si tamen suscitatus Sacerdos fuisset antea beneficiatus, amplius non esset; quia beneficium morter amittitur.

(1) Sess. 24, can. 6. — Et c. *Commissum* de spons.

(2) Cap. *Verum* 2. *Ex publico* 7. *Ex parte tua* 14 de convers. conjug. — *Y en esto no se hace injuria á la otra parte, porque el cristiano sabe* vel scire debet *que al contraer el matrimonio es ya con la condicion implícita de una separacion posible por este motivo.* Nardi.

(3) Adhuc, bimestri elapso, si conjux non consummavit, etsi illicite; videtur quod valide adhuc possit ingredi Religionem, ipsa invita comparte; quia Tridentinum absolute statuit illam solutionem in Religionis favorem. — *V.* Liguori, *Homo Ap.* tr. XVIII, n. 90.

(4) Hic notamus: — 1 Culpa fornicaria habita inter sponsos antequam ipsi contrahant matrimonium, probabilius non impedit hoc privilegium, ni aliud obstet; nam per illam copulam matrimo-

Q. 4. *An matrimonium infidelium quoad vinculum solvatur per unius conversionem ad fidem?*

R. *Certum est infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per apostolum Paulum* (I *Cor.* 7) *promulgato, dissolvi, cum conjugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero (in sua infidelitate obdurato) cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris:* ita Benedictus XIV (1). Sic nempe ait Apostolus: *siquis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa non dimittat virum... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Qui discessus etiam de vinculi solutione est intelligendus, ut fuse ostendit A-Lapide; tum ex communi Interpretum expositione; tum ex ipso contextu: si enim secus esset, adhuc fidelis remaneret subjectus. Adde Pontificum declarationes: adde S. C. Concilii resolutiones, ut refert Benedictus XIV (2). Adde communem sensum Doctorum; tota enim antiquitas hanc tradidit doctrinam; eam sæculo IX tenuit Teophilactus; sæculo XI Hugo Victorinus; sæculo XII Petrus Lombardus sententiarum magister, una cum quatuor circiter millibus scriptorum, qui super ipsum commentaria ediderunt (3).

Dictum est: 1 *cum conjugum alter;* si enim ambo convertuntur, firmatur, non solvitur conjugium (4): neque amplius fides periclitatur. Ut tamen fiat insolubile omnino, consummari debet post susceptam fidem (5); secus Pontifex ex urgentissima causa bene potest in eo dispensare, ut fuse defendit Benedictus XIV: idque in praxim deduxerunt Pius V et Gregorius XIII; 2 cum *christianam fidem amplectitur;* nempe tunc incipit jus insistendi contra alteram partem. Cæterum matrimonium non tunc proprie solvitur (cum per Baptismum non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur): bene vero momento, quo secundum initur, ut declaravit S. C. C. Proles autem in

nium non potest dici consummatum; — 2 qui contrahit matrimonium cum intentione ingrediendi Religionem peccat, si compartem non moneat (etsi adhuc possit, jure suo utendo, per bimestre debitum negare); tum ob notabile incommodum illi impositum expectandi per annum et amplius (usque ad professionem) antequam ejus solvatur conjugium; tum ob alias multas expensas; — 3 bimestre probabilius non conceditur iis, qui hic et nunc animum non habent Religionem ingrediendi, nec habebunt; quia conceditur illis tantum qui ad Religionem transire intendunt; — 4 sponsa, si traducta jam ad domum viri velit ingredi Religionem, non auditur si vidua aut jam corrupta; creditur enim jam a sponso cognita. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 958.

(1) *De Syn. Diœc.* l. VI, c. 4; l. XIII, c. 21. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 956.

(2) Et hinc commendandus Germanus Binterim, qui novissime contrarium defenderat. Hic cum rescivisset Gregorium XVI ægre tulisse suam sententiam, illico, eam 16 oct. anno 1832 retractavit ex animo vere catholicus, ut refert eruditissimus Perrone, *De Matrimonio*, c. 2, n. 66. — Est ergo rejicienda contraria dissertatio, quam habet *Biblia* di Vence, vol. VI *Dissertazioni*; ubi frustra demonstrare conatur per illud *discedat* solam habitationis separationem, non vero vinculi conjugalis dissolutionem intelligi.

(3) Primo hæc doctrina fuit impugnata circa medium sæculi XVIII a Jansenistis, ex quibus pariter prodiere deinceps plures libelli eamdem insectantes: qui tamen fere omnes in Indicem librorum prohibitorum relati sunt.

(4) Cap. *de infidelib. consang.* (5) C. *Quanto* de divortio.

infidelitate suscepta, si nondum habeat usum rationis, traditur parti fideli in fidei favorem (1); si jam habeat rationis usum, ipsa eligat, nemo enim cogendus est ad fidem (2); 3 *cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris:* hoc autem contingit, vel si nullimode infidelis cohabitare velit, vel si cohabitando Dei nomen blasphemet, vel si compartem ad mortale inducat (3): hisce in casibus, infidelis, si non physice, discedit moraliter a conjuge converso. Hinc illud :

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.

Quid (quæres) *si infidelis interpellatus nolit converti, sed tamen velit pacifice habitare cum parte conversa; licetne fideli ab eo separari etiam quoad vinculum?*—R. Negant id licere D. Thomas, D. Antoninus, D. Bonaventura, idque probant ex illo Apostoli: *siquis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam* (4). Alii autem cum Bellarmino, Martini et D. Augustino (5) explicando illud Apostoli non de præcepto legis, sed de consilio charitatis, ajunt partem conversam non teneri discedere, sed posse. Verum communius et probabilius docent Concina, Pontas, Sanchez, Salmanticenses, Tournely et alii, quod utique olim non poterat fidelis discedere ab infideli parte, si quiete cohabitare volebat, cum per miracula, quæ frequentius tunc per fideles fiebant, plures infideles ad fidem converterentur; sed hodie cum cessaverint miracula tam frequentia, illicitum est ei cohabitare ex recepta Ecclesiæ consuetudine, ideo inducta, quia experientia docuit non modicum perversionis periculum ex tali consortio imminere parti fideli. Unde hodie si infidelis monitus (6) converti recuset, fidelis debet eum relinquere, et potest etiam ad alias nuptias transire ex Instructione Gregorii XII et Pii V (7).

Q. 5. *An vinculum matrimonii solvi possit per R. Pontificem?*

R. Certum est R. Pontificem non posse solvere matrimonium consummatum; tum quia per hoc perfectissime completa est significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia; tum quid de hoc saltem illud est intelligendum: *quod Deus conjunxit, homo non separet;* tum quia nullus id umquam voluit Pontifex concedere, etsi pluries urgentissima causa adesset, uti ex historia constat.

Tota quæstio est de matrimonio rato. Alasia, Billuart, Gonet, etc. adhuc negant posse Pontificem illud dissolvere; cum matrimonium ratum sit ejusdem naturæ ac consummatum : unde probanda est hæc Papæ potestas in jure divino. Affirmant vero Bellarminus, Collet, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Tournely et Vasquez; nam Pontifex uti Christi Vicarius ob bonum

(1) C. 10, caus. 28, q. 4, c. 2 *de conv. conj.*
(2) S. Thomas, *In* 4, *d.* 39, *q.* 1, *a*, 5.
(3) C. *Quanto* de divort.
(4) I Corinth. 7
(5) *De adulter. conjug.* l. I, c. 18.
(6) Si infidelis non possit moneri, tunc recurrendum ad Pontificem, cujus est declarare, an pro tali casu cesset præceptum interpellationis. Ita Gregorius XIII.
(7) Excipiunt Tournely et Sanchez, si Episcopus dispenset ad cohabitandum proper probabilem spem conversionis infidelis. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 957.

commune ac gravissimum dispensare potest in his, quæ sunt juris divini, si hæc humanos actus concernunt: et revera pluries Pontifices dispensarunt; at numquid dicendum eos errasse in re tam gravi, totque adulteria permisisse? Nos ideo lubentissime assentimur hisce verbis clar. Perrone: *cum iidem auctores* (qui denegant hanc Pontifici facultatem) *fateantur sæpius Rr. Pontifices in hujusmodi conjugiis dispensasse, incipientes saltem a Martino V usque ad Pium VII*, ut refert Carrière, *non video quare ab auctoribus catholicis hæc potestas Rr. Pontificibus denegari possit, aut etiam in dubium revocari. Huc enim apprime facit principium laudatum a Benedicto XIV, quod habet Veracrux (in Spec. p. 2, a. 27)*: « de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii est; esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset (1).»

Q. 6. *An propter adulterium vinculum matrimonii solvatur?*

R. Certum est vinculum matrimonii non dissolvi per adulterium; Christus ait: *omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur* (2). Et Apostolus: *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam* (3): quæ verba non admittunt exceptionem. Hinc Tridentinum (4): *siquis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi..., anathema sit* (5). Qui canon cum directe sit adversus Lutheranos et Calvinistas, qui hac de re doctrinam Ecclesiæ erroris insimulabant, adhuc aliquo modo salvantur Græci et Orientales, qui per adulterium matrimonium solvunt, putantes legem contrariam esse tantum disciplinarem pro latina Ecclesia.

Dices: ob adulterium matrimonii vinculum solvi posse probavit Christus, cum dixit: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* (6).—R. Textus Scripturæ cum obscuriores apparent, alii per alios sunt explicandi. Cum porro in textibus hac de re correspondentibus (7) generatim habeatur, eum mœchari qui uxorem dimittit, dicendum exceptionem: *nisi ob fornicationem* cadere in verbum *dimiserit*; non vero in ea: *et aliam duxerit*. Ut sensus sit: *vir non potest uxorem dimittere, nisi ob fornicationem* (8): *et si eam dimittit, alteram ducere non potest*. Ita communiter interpretes cum D. Ambrosio, Augustino, Basilio et Chrysostomo.—Sunt autem ex recentioribus, inter quos Joseph Motta et Ludovicus Nachi, qui autumant clausulam: *nisi ob fornicationem*, restringi debere ad legem Mosaicam, quæ viro permittebat dare libellum repudii uxori, *in qua fœditatem aliquam invenisset* (9). Sane Judæi, qui interrogaverant Chris-

(1) De matr. n. 119. — *V.* Liguori, *Op. M.* l. VI, n. 959. (2) Luc. 16.
(3) I Cor. 7. (4) Sess. 24. can. 7.
(5) Quod si aliqui sunt Patres, qui non ita firmiter locuti sunt; plures tamen antiquiores ac celebriores in hanc certam doctrinam descendunt, ut Ss. Justinus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Hieronymus et Augustinus, quos indicat Bellarminus, et fusse expendit Tournely. — Tandem Benedictus XIV Const. *Etsi pastoralis* vult, ut Episcopi irrita declarent matrimonia Italo-græcorum sic contracta.
(6) Matth. 19. (7) Marci 10, et Luc. 16.
(8) Sola fornicatio innuitur; quia hæc est præcipua, imo sola causa, qua divortium fit ipso matrimoniali jure et in perpetuum. (9) Deut. 24.

tum, utique juxta normam legis propriæ loquebantur : porro eam latius interpretantes sciscitabantur, an liceret *quacumque de causa* uxorem dimittere. Christus igitur ad mentem ipsorum respondens, dimissionem ad eam tantum causam coarctavit, de qua lex loquitur : ideoque unam exceptam et ipse unam excepit fornicationem, quin tamen tunc adjiceret quod postea ipse constituit (1).

Q. 7. *An matrimonium quoad torum et habitationem solvi possit?*

R. Affirmative, et de fide est. Sic enim habet Tridentinum : *siquis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit* (2). Causæ sunt :

1ª *Hæresis ;* quod valet ex Salmanticensibus etsi, adhibita diligentia, absit periculum perversionis ; nam jura non distinguunt (3) : id statutum est in pœnam infidelitatis. Nomine hæresis multo magis intelligitur apostasia. Separatio fieri etiam potest auctoritate propria, etsi hæresis occulta sit : si autem hæresis sit auctoritate Ecclesiæ declarata, hoc innocens gaudet, ut non teneatur recipere partem conversam, et possit etiam fieri Religiosus (4).

2ª *Periculum damni gravis ex parte animæ vel corporis :* primo ex parte animæ, ut si conjux incitetur ad graviora peccata, v. g. sodomiam, pollutionem (5) : sane quisque spiritualem salutem omnibus præponere debet. Secundo ex parte corporis, v. g. si altera pars sit sæva, ut procedat ad percussiones atroces : amens, furiosa, malefica, ut grave timendum sit damnum : item si sit morbo contagioso infecta, ut illum contrahendi periculum sit (6).

3ª *Mutuus consensus ;* sed tunc separatio ordinarie permitti non solet, nisi ambo ingrediantur Religionem ; aut saltem nisi, altero Religionem profitente aut sacros Ordines suscipiente, compars ad minimum castitatem voveat. Hoc est juxta illud Christi : *omnis qui reliquerit uxorem... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (7).

(1) *V.* Perrone, *De matrimonio*, n. 136. — Porro quacumque interpretatione admissa, stat quod Ecclesia non errat, dum docet juxta Evangelicum præceptum matrimonii vinculum per adulterium non solvi. (2) Sess. 24, can. 8. — *V.* Liguori, *Opus Mor.* l. VI, n. 964.

(3) C. ult. *de conv. conj. ;* c. *Quanto* de divort. etc.

(4) C. *de illa* de divortio. — Si hæresis sit ex utraque parte, neutra potest divertere ; quia hoc jus est tantum Catholici. Si pars catholica labatur in adulterium, non ideo tenetur redire ad hæreticam ; nam sunt diversa delicta, unum contra Deum, aliud contra conjugium. Hinc tunc pars hæretica potest recedere a catholica ratione adulterii, catholica autem ab hæretica ratione hæresis ; quia utrumque crimen dat jus separationis.

(5) C. *de divortio ;* cap. *idolol.* 26.

(6) C. 8 et 13 *de rest. spoliat.* Hæc mala gravia esse debent saltem relate ad personas, ut advertunt Sanchez et Roncaglia ; nec transeuntia. Secus quot dissensiones ! quot lites ! quot perturbationes passim orirentur ! Hinc hæc separatio, si periculum non sit in mora, fieri debet judicis ecclesiastici auctoritate : et cessat, cessante periculo ; cum hoc tota sit illius separationis causa. Si tamen perpetua causa illa judicetur, compars remanet libera, et poterit fieri Religiosus vel Clericus.

(7) Matth. 10. — Si tamen uxor vetula sit, id est saltem quinquaginta annos nata, nec periculum timeatur incontinentiæ, dicunt Barbosa, Bonacina, Sanchez, Viva, etc. quod ipsa poterit in sæculo remanere, viro profitente Religionem vel Ordines suscipiente ; modo tamen et votum emittat simplicis castitatis saltem coram Episcopo, ita ut de illius nuncupatione dubitari non possit. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn Diœc.* l. XIII, c. 12.

4ª *Adulterium :* hæc causa a Christo ipso assignatur : *omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari* (1): quod valet etiam de muliere, quia quoad debitum et vir et mulier sunt pares (2). Ratio autem est, quia ex jure naturali non est obligatio servandi fidem ei qui illam frangit. Malitia autem hujus criminis consistit in divisione carnis; atque ideo communius docent cum D. Thoma (et probabilius, spectata probabilitate extrinseca) hanc pœnam incurri etiam ob sodomiam ac bestialitatem. Facta juridica separatione ob adulterium, pars innocens potest (ut communiter dicunt cum Angelico) (3) adulteram cogere, ut ad se redeat, si ejus status mutatus non sit; ne scilicet cedat in ejus detrimentum quod in ejus favorem inductum est. Item potest innocens vel Religionem ingredi, vel Ss. Ordines suscipere (4): quod si id agere velit etiam pars adultera, consensus innocentis requiritur : qui tunc votum simplex castitatis emittere debet ad vitam uxoris duraturum (5).

Quid (quæres) *requiritur, ut adulterium præbeat parti innocenti justam causam divortii?*—R. Requiritur : 1 ut adulterium sit cum seminis effusione, uti probabilius dicendum est cum Bonacina, Salmanticensibus, Sanchez, etc. Secus non fieret carnis divisio, nec esset adulterium perfecte tale; 2 ut sit certum; nam in dubio nemo suo certo jure privandus est. Excipe nisi suspiciones sint vehementissimæ, ut si inveniatur solus cum sola in eodem lecto; 3 ut sit formale, id est culpabile; nam ubi non est culpa, non debet esse pœna. Non excusaret tamen metus incussus, ut dicit Sanchez; quia adhuc cum eo voluntas adest et consensus, ideoque etiam gravis culpa (6); 4 ut sit alterutrius tantum : alioquin si reciprocum, fieret compensatio : neque refert, quod unus pluries adulteraverit; quia attenditur ad fidei fractionem (7). Item non collaudatum, seu ut delicto non consentiat compars (8); nam consentienti quæ injuria? Item non remissum neque expresse, seu conceptis verbis; neque tacite, v. g. copula post cognitum adulterium sponte habita. Quod enim semel condonatum est, nequit amplius in culpam vocari (9).

Sed (quæres) *an vir, cognito uxoris suæ adulterio, teneatur eam judice dimittere? Et vicissim uxor virum adulterum?*

R. Ad 1 : Per se loquendo, et ratione ipsius adulterii potest quidem vir dimittere uxorem, sed non tenetur; nam Christus permisit utique, sed non

(1) Matth. 5. (2) C. *Præcepit* 32, q. 5; et c. *Idolol.* 38, q. 1.

(3) In 4, d. 35, q. un. a. 6. (4) C. *Agatosa* 27, q. 2. —C. 15 et 16 *de conv. conj.*

(5) Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. XIII, c. 12, ex S. C. C. 2 maji 1722.

Delegatus a Parocho valide assistit, etsi metu vel dolo licentiam obtinuerit; at si re adhuc integra, revocata fuit data facultas, et revocatio ipsi delegato fuerit notificata, non quidem per simplicem rumorem; sed vel per ipsum delegantem vel ejus litteram aut nuntium tunc nequit amplius valide matrimonium celebrari a tali Sacerdote (l. 77, *ff. de offic. præs.;* et c. 13 de *procurat.*) — S. C. C. in *Tricaricens.* 27 junii 1733 declaravit validum matrimonium celebratum a delegato, cui a Parocho fuit revocata licentia ante celebrationem, quæ quidem revocatio fuerat quidem ipsi delegato denuntiata a Parocho, non tamen ipsis sponsis, quibus nota erat facultas tali Sacerdoti matrimoniis generatim assistendi tributa. Attamen hanc resolutionem explicant non quidem de matrimonii validitate, in se considerati, sed de ejus tantum validitate in ordine ad prolis legitimitatem: et revera de hac erat quæstio; nam contendebatur filios a tali matrimonio procreatos non esse legitimos, utpote a matrimonio nullo, quamvis unus sponsorum esset in bona fide. Responsio fuit: matrimonium illud validum esse; et sane receptum est, ut matrimonium etsi nullum in se, habeatur uti validum quoad legitimationem prolis, si saltem una contrahentium pars fuerit in bona fine, cum nupta fuit. — *V.* Ferraris *Biblioth. can.* etc. V. matrimonium, impedimenta (in additionibus). — Helfert, *Intorno alla influenza del domicilio, sulla giurisdizione ecclesiastica.* Darmstadt, 1835. — Schulte, *Manuale del diritto matrimoniale cattolico secondo il diritto ecclesiastico comune e il diritto particolare austriaco, prussiano, francese,* etc. Milano 1858.

(K) Pag. 716.

Quoad dispensationes, quæ a Sede apostolica postulantur, plura notamus: ac 1 ab initio nulla ad matrimonium dabatur dispensatio; *nulla tunc* (ait Christianus Lupus) *etiam regia vel augusta, licet in sexto dumtaxat aut septimo affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda matrimonia dispensabantur, sed cuncta dirimebantur juxta vigorem canonum.* Primus dispensavit Innocentius III cum rege Othone IV in quinto consanguinitatis gradu, ad quem tunc extendebatur cognatio; at nonnisi difficulter, maxima impellente causa, et *ea lege, ut duo amplissima monasteria*

Otho fundaret, omneque imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istud ecclesiasticæ disciplinæ vulnus compensaret (vid. Christianus Lupus, *ad can.* 2. *Conc. Rem.* p. 3). Sed temporum processu quod erat vulnus legis, evasit hominum medicina. Quoad hasce dispensationes vid. Benedictus XIV, tum Bulla *Pastor bonus;* tum Const. *Gravissimum Ecclesiæ;* et ejus *Institutio* 87 per totum.—Pyrrus Corradus, *Praxis dispensationum Apostolicarum.*—Amyden, *Tractatus de officio et jurisdictione Datarii.*—De-Justis, *De dispensationibus matrimonialibus.* Parmæ.—Marcus Leo, *Praxis ad litteras Pœnitentiarii.*—Notandum est nullam ordinarie expediri dispensationem diebus dominicis aliisque diebus festivis; neque per duos menses vacationum in autumno, neque per tres hebdomades a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi incipientes; neque per tres hebdomades ante Quadragesimam; neque per duas hebdomades in Pascha, duas in Pentecoste et duas in festo sancti Petri.

2. Pro dispensationibus matrimonialibus aliisque gratiis a S. Sede obtinendis duo maxime tribunalia Romæ constituta sunt, nempe Dataria et Pœnitentiaria; illa pro rebus in foro externo, ista præcipue pro foro interno et conscientiæ. Primo *Dataria:* Datarii munus excelsius sublimiusque cunctis censetur, licet ejus officium per obitum Pontificis cesset; et Datarius dicitur organum mentis et vocis Papæ, quia quæ Papa agit, medio ipsius agit; si tamen sit Cardinalis qui hoc munus exerceat, tunc non amplius Datarius, sed Pro-datarius se inscribit. Secundo *Pœnitentiaria:* cujus plurimæ sunt facultates ex Bulla *Pastor bonus;* quas quidem præcipuas recenset Liguori *(Ho. Apost.* l. XIX, n. 148), et quas præstat ut Confessarius sciat, ut ita, adveniente necessitate, ad illam recurrere valeat. Nempe præter facultates quas habet quoad matrimonia sive contrahenda sive jam contracta, Pœnitentiaria absolvit pro utroque foro ab omnibus casibus et censuris reservatis; absolvit hæreticos occultos; dispensat in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus; dispensat cum homicidis, cum male promotis, cum occultis simoniace ordinatis; convalidat titulos Beneficiorum, si res occulta; condonat, componit, et etiam partem debiti incerti remittit; relaxat juramenta, vota simplicia dispensando commutat; divinum Officium commutando dispensat, concedit Regularibus transitum ad mitiorem Religionem nonnullis exceptis; concedit Monialibus Confessarium, etc. Demum in citata Bulla confirmantur omnia privilegia et indulta S. Pœnitentiariæ concessa etiam vivæ vocis oraculo ab omnibus Pontificibus. Vacante autem Sede apostolica, ipsa facultatem habet in foro conscientiæ etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice, non habebat; attamen cum reincidentia, si nempe ad novum Pontificem dispensati non se præsentent.

Sed aliquando circa nonnullos conscientiæ casus sacra Pœnitentiaria interrogata respondet: *orator rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat.* Quid hæc verba importent anno 1857 ipsa Pœnitentiaria interrogata, respondit: «Cuando esta Penitenciaria responde á las súplicas *rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat*, no da alguna facultad; sino simplemente remite el recurrente al Ordinario, quien, si tiene facultad sobre el caso espuesto, provee segun la propia prudencia; sino la tiene y cree deber

favorecer la instancia, entonces la recomienda al tribunal competente; y si no cree favorecerla, añade lo que su deber le dicte. »

3. Stylus romanæ Curiæ ita se habet,ut litteræ dispensationis committantur pro executione vel Ordinario seu Episcopo, vel ejus Vicario generali; si Episcopus sit delegatus, ejus Vicarius non potest se ingerere in tali dispensatione, nisi specialiter ab ipso subdelegetur; et idem currit e converso, si sit delegatus Vicarius; quia in causis delegatis Episcopus et Vicarius non faciunt unum tribunal. Atque ita res se habet sistendo in generalibus juris regulis; attamen ex hodierna praxi obtinet doctrina Piasæcii, *Praxis episcopalis*, et Sbrozzii *De Vicario generali*, et aliorum (quam etiam innuit S. Alphonsus *Op. Mor.* l. VII, n. 224): nempe si litteræ dispensatoriæ in delegando utuntur verbo *Episcopo* vel *Diœcesano*, delegatur solus Episcopus vel successor in Episcopatu; sub hoc enim nomine, rigorose, in causis delegatis soli Episcopi et Archiepiscopi veniunt, non alii etsi habentes ordinariam jurisdictionem, ideoque non veniunt eorum Vicarii generales. Poterunt tamen Episcopi generatim loquendo suos Vicarios subdelegare de vice in vice; nam executorem Litterarum apostolicarum uti delegatum Principis posse subdelegare indubium est, ut multis probat Sanchez, *De matrimonio*. Diximus *generatim loquendo*, etenim excipe si in delegatione sit electa industria personæ, uti esset (prout habet Monacelli cum Graffio), si electio sit facta ratione confidentiæ, si conscientia oneretur et nomen delegati exprimatur, si præstatio consilii requiritur in certo actu ad certum tempus, si mandatur negotium non determinatum, si delegatus esset datus ad partis instantiam, si gravia et ardua mandantur, denique si agatur de re et controversia, quæ ingenium et hominis peritiam exposcat: tunc nec poterit Episcopus subdelegare, nec potest hanc causam cognoscere ejus successor. Diximus *de vice in vice;* adeo ut (ait Sperelli) nequeat ab initio Episcopus deputare Vicarium generalem ad omnes causas in futurum sibi delegandas; sed dumtaxat post singulorum delegationem, illum specialiter subdelegare; neque enim potest alteri committere quod nondum sibi neque actu neque habitu commissum est, ut cum aliis docet Garcias. Patet autem quod subdelegatus Vicarius non potest alterum iterum subdelegare. Quod porro diximus de Episcopo, idem valet de Vicario, si ipse delegatur; ipse solus cognoscere potest causam sibi commissam, vel ejus successor in Vicariatu, non autem illius Episcopus, nisi ab ipso Vicario subdelegetur, ut supra dictum est.

Si vero Litteræ utuntur verbo: *committimus Ordinario*, tunc non tantum Episcopo, sed etiam ejus Vicario generali competit illas exequi; nam sub nomine *Ordinarii* veniunt illi omnes qui habent jurisdictionem ordinariam. Unde tum æquali jure potest dispensationem exequi sive Episcopus sive Vicarius, alium etiam ad illam subdelegando. Genuensis, Gratianus, Guttier. etc. Vicarius, inquiunt, censetur quasi Ordinarius, cum habeat delegationem ad universitatem causarum; et hac ratione deducunt Vicarium posse exequi ea omnia, quæ Tridentinum committit exequenda Ordinario.

(*L*) *Pag.* 723.

«Pidiendo la dispensa á la Dataria (ait Salzano, *Lezioni di diritto* ecc., p. 3ª, l. XXVI), se puede pedir *in forma pauperum, honestorum et nobilium*, llamándose pobres los que viven con el trabajo de sus manos; honestos los que tienen algunas pocas rentas, que con la profesion liberal, pueden vivir con decencia; y nobles aquellos que viven de renta... Se concede la dispensa bajo dos formas, esto es, *in forma commissoria*, cuando se encarga á otro el dispensar, *et in forma gratiosa*, que es verdaderamente la dispensa concedida etc.» Et Gousset habet n. 866: «No se miran como pobres sino aquellos que estan reducidos á vivir de su trabajo é industria: así son representados en la súplica: *Oratores pauperes et miserabiles existunt, et ex labore et industria sua tantum vivunt;* empero no se han de tomar demasiado al pié de la letra las palabras *pauperes et miserabiles*. Se cuentan tambien entre los pobres aquellos que tienen alguna renta, cuando esta no es suficiente para hacerles vivir y sostener las cargas del matrimonio sin el trabajo y la industria. Pero se dan á conocer aproximadamente sus facultades para que puedan obtener la dispensa *in forma pauperum*, pagando una ténue retribucion.

Taxa quæ pro dispensatione exigitur solet appellari *componenda*, quia illi componitur atque proportionatur ad varias tum personas, tum impedimenta, tum etiam causarum circumstantias. Hac de re *v.* Pallavini, *Storia del Conc. di Trento*, l. XXIII, c. 8.—Marchetti, *Del denaro straniero, che viene a Roma e va per cause ecclesiastiche:* Calcolo ragionato.—Tassoni, *La Religione dimostrata*, ecc. t. III, p. ultim. c. 39.—De-Luca, *De officiis venalibus vacabilibus r. Curiæ*.—Scotti, *Teoremi* ecc. Teorema VI, parte 2.—*Il Cattolico*, Giorn. di Genova 12 et 18 gen. 1854: dell'uso del denaro, che si manda a Roma inter cætera habet: «notarémos solamente, para tener un ejemplo de la inmensa mole de asuntos que deben resolverse en las Congregaciones de Roma lo que hallamos espresado por el arriba mencionado Marchetti:—He pedido, una nota (dice él) del número de espedientes que se despachan cada año por la sola Penitenciaria, y he hallado que suben á cerca veinte y tres mil. Así pues, estos 23,000 asuntos de Religion católica, con frecuencia necesitan una grave y docta consulta, y en el decurso de cada año para servicio de la Cristiandad se examinan, se deciden y se espiden por un solo tribunal de Roma sin el menor gasto de los recurrentes. Pero ¿quién da de vivir á tantos hombres doctos? ¿quién paga á tantos empleados que son indispensables? Para no buscar otras razones, que son muchas, esta sola, que la Iglesia romana no es la Iglesia de Roma, sino por institucion divina la Iglesia de todo el mundo católico deberá bastar, etc.»

Nunc *de formulis* ad obtinendas dispensationes.

1) Pro matrimonio contrahendo, en formula verborum adhibenda ad obtinendam dispensationem a S. Pœnitentiaria:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Titius cognovit Bertam; postea gnarus (vel *ignarus) impedimenti, tractatum habuit de matrimonio contrahendo cum sorore ejusdem. Cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus vero sit publicus; et nisi matrimonium contrahatur, scandala timeantur, de præmissis, de quibus maxime dolet, cupit absolvi et secum dispensari.*

Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me.

Humilissimum Servum
N. N.

---

2) Pro matrimonio vero jam contracto erit formula pro Pœnitentiaria:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Titius conscius (vel *ignarus) impedimenti contraxit in faciem Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus sororem carnaliter cognoverat. Quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio.*

Dignetur etc. ut supra.

3) Si vero agatur de voto castitatis, sic ejus relaxatio petitur (ubi notamus cum Pontas ac Continuatore Tournely, sufficere pro legitima causa, si quis propter gravem tentationem sit in probabili periculo unius lapsus, quia vel per unum lapsum castitas amittitur) a S. Pœnitentiaria:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Titius annos viginti natus vovit castitatem perpetuam; cum autem in gravi incontinentiæ periculo versetur, supplicat pro commutatione aut dispensatione voti, ut inde valeat matrimonium inire.

Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me dirigere.

Humilissimum Servum
N. N.

(Foris.)
Eminentissimo et Reverendissimo D. D.
D. Cardinali Majori Pœnitentiario
Romam.

---

4) Exemplum ponimus cum Alasia pro impetrandâ dispensatione a Dataria.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum oratorum Petri Boschis *Diœcesis Astensis, et* Catharinæ Rodes *Diœcesis Taurinensis ex op-*

pido Avilianæ, quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendit.

Sed quia tertio gradu æquali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Ideo supplicant, quatenus dignetur cum ipsis, ut impedimento hoc non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, ac in eo postmodum remanere libere, ac licite valeant, dispensare.

Datum N. die N. mensis N. anno N.

---

5) En exemplum dispensationis obtinendæ *in forma pauperum* a Dataria:

BEATISSIME PATER.

Exponitur Sanctitati Vestræ humiliter pro parte devotorum oratorum (ponuntur nomina eorum, Diœcesis, Civitas, Parochia, ut supra) *quod dicti oratores orthodoxæ fidei cultores vere pauperes ac miserabiles, et labore suo et industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente conjunctos esse, se invicem, non quidem data opera, ut crimine admisso Sedem apostolicam ad misericordiam, et gratiam erga ipsos faciliorem redderent; sed solum vesana libidine victi carnaliter cognoverint, prolemque susceperint.*

Cum autem, Sanctissime Pater, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata innuptaque, et proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt supradicti oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis apostolicæ dispensatione, ideo supplicant etc. ut supra etc.

(Foris.)

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Romam.

---

6) Ponamus exemplum, de duobus impedimentis, uno publico, alio occulto ; sic scribitur ad Pœnitentiariam :

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

Jacobus et Berta, consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt. Nunc vero Berta a Joanne fratre Jacobi in matrimonium requisita, ei nubere cupit: 1 *quia ætate jam est provecta, nempe triginta annorum nata ;* 2 *quia sufficientem non habet dotem, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat ;* 3 *quia ex hac unione rixæ familiarum probabiliter cessabunt. Ambo supplicant Sanctissimo Domino nostro in Dataria, ut digne-*

tur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare.

Eminentiæ autem Vestræ humiliter supplicat oratrix, ut non obstante dicto affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite ac valide matrimonium contrahere atque in eo contracto manere valeat.

(M) Pag. 726.

Formula pro dispensatione exequenda hæc vel alia similis esse poterit. Nimirum post absolutionem a peccatis, Confessarius dicat :

Primo pro matrimonio contrahendo: *et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum super impedimento* (hic quale sit, et unde proveniat exprimatur) *ut eo non obstante, matrimonium cum illa contrahere possis, et prolem si jam ex ea suscepisti, legitimam declaro. In nomine Patris* etc.

Secundo pro matrimonio jam contracto : *et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum super impedimento* (hic exprimatur, ut supra) *ut eo non obstante, matrimonium cum illa, renovato consensu, rursus contrahere possis, et prolem* etc.

Tertio pro voto castitatis in contrahendo: *et insuper tibi votum castitatis quod emisisti* (exprimitur quale) *Apostolica auctoritate mihi specialiter concessa dispensando commuto, ita ut valeas matrimonium contrahere, et eo uti. In nomine* etc.

Quarto pro voto castitatis in matrimonio contracto : *et insuper non obstante castitatis voto, quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, Apostolica auctoritate tecum dispenso. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Etiam *Auditor Cameræ Apostolicæ* pro foro externo est executor omnium Litterarum apostolicarum, ubi quidem nullus alius est deputatus, solus et privative ; ubi vero deputati sunt alii, cumulative. Remissiorias et compulsorias dat, monitoria ad partes decernit, censuras promulgat, ac solus cognoscit de causis et litibus ortis vigore obligationis Cameralis. Cæterum loquendo de Auditoribus in genere, ii hoc nomine solent indicari, quibus cura demandatur causam audiendi et examinandi (c. *super quæst.* art. 27, § *intentionis de off. et potest. jud. deleg.);* at ordinarie nequeunt causam definire, nisi delegatam habeant facultatem *(Clement.* Auditor, cap. de 3 *de rescript).* —Plura Auditorum genera : est Auditor Nuntii, sed plerumque hic non est nisi theologus a privatis consiliis, qui tamen solet etiam Secretarii munus apud illum exercere ; quamquam alicubi, uti in Hispania jurisdictione aliqua gaudeat ; qua de re vid. Concordata ac initæ Conventiones. Et Cardinales et Episcopi sibi assumere possunt Auditorem; sed non ad modum quo Vicarium generalem assumunt; hic enim est a jure, et ideo semel electus ordinariam habet jurisdictionem ; ille vero non esset nisi a privata Episcopi vel Cardinalis voluntate, atque ad splendorem potius, ut ita dicam assumptus, qui proinde nonnisi causas sibi specialiter a Prælato delegatas valet cognoscere. Sed hic maxime veniunt tum *Auditores Rotæ,* qui duodecim

sunt, tum *Auditor Cameræ*, qui unus est: omnes veri judices, quibus principaliores et universaliores causæ competunt in Curia romana.—*V.* Ferraris, *Biblioth. canon.* etc. *V.* Auditor.—Moreri, *Supplem. ad Dictionar. universale* etc. V. Auditor.

(N) Pag. 728.

Quoad Ecclesiasticas cæremonias in matrimonii celebratione servandas sic perbelle Diarium, *La Civiltà Cattolica* (t. x, pag. 159): «Si á tanto decoro y dignidad quiso Cristo elevar las bodas entre los fieles, ¡qué maravilla que la Iglesia haya tambien querido rodearlas de brillantez, engrandecerlas con la majestad de sus ritos, y consagrarlas con la santidad de sus ceremonias! Ved ahí á dos jóvenes que se han dado mutuamente palabra de casamiento, que purificada su conciencia en el Sacramento de la Penitencia, nutrida el alma en la mesa de los Angeles, respirando alegre candor, como palomas entran en el templo. En su semblante puedes leer los sentimientos de una devota piedad que el corazon y el entendimiento han comprendido, y descubrir la profunda inteligencia en que están absortos por el sublime acto que van á verificar. Como á visible delegado de Dios, les acoge el Sacerdote con las vestiduras sagradas, y conduciéndoles ante el altar á la presencia del Señor aquí presente á la faz de los Angeles que le adoran, hace pronunciar á entrambos la palabra irrevocable, que pone el sello á su recíproca union. Luego mandándoles unir sus diestras, confirma de parte de Dios las bodas contraidas, y las bendice *en el nombre del Padre, del Hijo y del Espíritu Santo*. De este modo aquel acto, que se verifica en la tierra, es ratificado en el cielo.

«Tan bella como llena de grandes significaciones es la ceremonía del anillo, uso antiguo, conservado por la Iglesia y elevado á mas alto honor. El Sacerdote toma un anillo, y con los ojos vueltos al cielo lo bendice profiriendo aquella afectuosa súplica: Dígnate, Señor, bendecir este anillo, que yo bendigo en tu nombre; para que aquella que lo llevare, conservando íntegra la fidelidad á su esposo, permanezca en tu paz y voluntad, y viva siempre en recíproco amor. Hecho esto entrega el sagrado anillo al esposo, el cual despues de haberlo recibido de la mano del Sacerdote lo pone en el dedo de su esposa. El anillo, como observa Vico, es un noble símbolo de cadena. En esta circunstancia de las bodas sirve para espresar la indisoluble union que entonces enlaza dos corazones inflamados de casto y santo amor; y esto se verifica entre los fieles á la faz de la Iglesia, á la presencia de Dios, bajo el sello de la Religion y con la dedicacion Sacerdotal. Quién dirá entonces imposible ó difícil á aquellos dos jóvenes amantes el levantar los ojos al cielo y en un ímpetu de piadoso afecto esclamar con el jovencito Tobías: tú, ó Señor, eres testigo que yo no me uno hoy en matrimonio para desahogar una vil pasion, sino por deseo de procrear y criar hijos, que bendigan tu nombre para siempre.»

«Estos sentimientos tan arduos, tan superiores á la simple naturaleza, se despiertan sin dificultad en el que casándose está animado de la gracia del

Sacramento y enlaza aquel vínculo en la casa del Señor, entre las bendiciones Sacerdotales, bajo las espiaciones y ofertas de un sacrificio, en el cual el mismo Hijo de Dios se inmola por nosotros hostia propiciatoria y precio sobreabundante de todo don mas elegido. Vé ahora, y separa el contrato matrimonial de la idea religiosa! vuelve solamente humano, civil, natural aquel acto ennoblecido por Dios y la Iglesia, y hecho casi escelso, casi divino! ¿Qué podrá sustituir el Estado y la sociedad á estos ritos tan sagrados, á estas tutelas tan válidas, á estos ausilios tan poderosos? En lugar del Sacerdote os presentará un empleado público. A la influencia de la gracia subrogará el respeto á la ley. A las oraciones sagradas y al augusto Sacrificio de la Misa sustituirá un festin de bodas, y risas obscenas de los convidados. Al Dios de los cristianos el himeneo de los gentiles, al Hijo de Maria el hijo de Venus.»

In nuptiali Christianorum annulo jam a sæculo II insculpta erant hæc religiosa verba, ut magno Sacramento convenit: *vivas in Deo*, et in vitreo nuptiali numismate, in quo vir et mulier per manus conjunctionem pingebantur simul maritalem fidem dantes, hæc legebantur: *vivatis in Deo*, quasi diceretur: *sicut in Deo conjuncti estis, ita in Deo semper vivite.*— *V.* Mozzoni, *Tavole cronologiche critiche della Storia della Chiesa universale, illustrate con argomenti d'archeologia e di geografia*, secolo II. Venezia 1856.

(O) Pag. 729.

Pro praxi nonnullos ponimus casus, ac monita gravissima:

1. «*¿Qué debe responder un Párroco, cuando es consultado sobre el proyecto de un matrimonio?*—R. Todos convienen, en que nosotros no debemos entrometernos en los matrimonios: nos espondríamos á arrepentirnos y á oir reproches y aun maldiciones de aquellos á quienes hubiésemos persuadido hacer ó dejar de hacer tales uniones; y la esperiencia lo confirma. A nosotros toca bendecir los matrimonios de los cristianos, y no ser los medianeros: esta era la máxima de san Ambrosio y san Agustin. Un Sacerdote respetable, consumado en el santo ministerio, decia que nosotros no deberíamos mezclarnos en matrimonios, testamentos, criados y nodrizas. Tal vez podria añadirse, que con frecuencia se suele esponerse á reproches, proporcionando coadjutores ó maestros de escuela.

«Si somos consultados sobre un matrimonio entre dos personas de la Parroquia, pocas veces sucede que pueda sin inconveniente decirse espresamente: *no tomeis el tal ó la tal:* no se guardará el secreto; y si el matrimonio se verifica contra nuestro parecer, se dirá: *el Párroco no lo queria:* si no se verifica, aquel á quien habeis disuadido dirá en confianza á alguno: *el Párroco no me ha aconsejado esta union;* y en poco tiempo toda la parentela sabrá, que habeis dado este parecer; se perderá la confianza que se tenia en vos, y tal vez tendréis que sufrir mucho por ello. Por lo que, vale mas en tales casos atenerse á algunos avisos generales y decir al que consulta: *pedid al Señor que os ilumine: examinad si la persona que se os propone, tiene las calidades y virtudes que santifican los matrimonios. ¿Está adornada de piedad y*

mansedumbre? ¿Frecuenta los Sacramentos? ¿Hay conformidad entre vosotros, en cuanto al carácter, nacimiento, haberes, etc.? Pensad en todo esto á la presencia de Dios, y luego haced lo que querríais haber hecho en la hora de la muerte.

«Si sucediese que los desórdenes de una hija ó de un jóven hubiesen sido graves y públicos, ó bien que hubiese una enorme desproporcion por lo que mira á los intereses, nacimiento y edad, podríais decir al que os consulta, que no teneis valor de aconsejarle que se case con tal persona. Cuando os consulten sobre el propósito de una persona, que no es de vuestra parroquia, y cuya parentela os es estraña, podeis decir vuestra opinion mas libremente, pero con prudencia: en este caso no teneis que temer aquellos inconvenientes que ordinariamente hay de temer tratándose de vuestros parroquianos.— Si se tratare de un matrimonio en proyecto, que creeis conveniente y aun deseais, á menudo es del caso no dar á conocer espresamente todo lo que de él pensais: por lo menos, si lo haceis, sea con mucha moderacion: se puede decir que parece conveniente sin dar á conocer que se desea. Un Sacerdote en toda ocasion, pero especialmente cuando es consultado sobre un matrimonio, debe dar ejemplo de la mas grande modestia: debe poner muchísimo cuidado en no decir cosas de broma, para no hablar del matrimonio sino con una gravedad capaz de imponer, y para tener á raya al hombre mas descarado: para no decir sino la que inspire respeto al Sacramento y con verdadero temor de profanarlo. Estas palabras: *no es la hora de ser casado: tú darás bien pronto que hacer*, y semejantes espresiones, jamás salgan de su boca: ellas darian que reir contra la modestia, y harian pensar que su corazon no es puro. El debe cerrar la boca al que en semejantes ocasiones proferiese una palabra libre.» Ita in libro, *Metodo per la direzione della anime... e del buon governo delle Parrocchie*. Mil. Boniardi e Pogliani, 1848.

2. «*¿Qué método debe tener el Párroco en instruir á los prometidos, cuando se le presentan para dicho consentimiento?* — R. Antequam denuntiationes inchoet Parochus habere debet consensum eorum qui contracturi sunt, inquirendo nimirum, an liberi sint, an ullo impedimento ligati, an parentes consentientes sint, an sufficienter instructi, etc. Quo quidem in examine, nonnisi caste, distincte et separatim sponsi sunt interrogandi; fœmina autem in loco honesto et omnino aperto ostio (monitum maximi momenti!), et quoad potest in propinquorum conspectu, quin tamen ipsi aliquid audiant. Hac de re S. Carolus (*Actorum* p. 4: *instructio matrimonii)*, et D. Salesius (*Filotea*, par. 3, c. 38 et 39), saluberrima monita habent. Nos hujusce interrogationis, utpote admodum delicatæ, pro nupero Parocho exemplum dabimus, quod quidem peritissimus Archipresbyter animarum zelo succensus nostris annuens precibus nobis suppeditavit his verbis: «Si la calidad de la persona lo requiere, hago antes alguna pregunta, si tienen alguna obligacion con otros por promesas hechas, si hacen el tal matrimonio de plena voluntad, si saben que sean parientes. Paso luego á las preguntas sobre el Catecismo mas ó menos segun la necesidad. Con los poco instruidos procuro asegurarme si entienden el misterio de la encarnacion, de la muerte y resurreccion del Señor; porque con frecuencia sucede que saben que N. S. Jesucristo es Dios, pero no sa-

ben que es la segunda persona de la SS. Trinidad: y conviene hacerles entender esta palabra *se encarnó*. Pregunto despues sobre el pecado, de cuántas maneras se comete, y por cuántos pecados mortales se va al infierno: qué se debe hacer para volver en gracia de Dios despues del pecado: cuántas cosas son necesarias para hacer una buena confesion, qué es dolor, propósito etc.; qué reciben cuando comulgan, y cuáles son las disposiciones para comulgar santamente. En fin, paso á la instruccion sobre el matrimonio.

«*Ahora quieres recibir el Sacramento del matrimonio: Dime pues ¿en qué consiste este Sacramento? ¿qué gracia da á los esposos? ¿qué obra en vuestra alma el Sacramento del matrimonio?* —Pocos saben responder: las muchachas bajan la cabeza; los jóvenes dicen, que en otro tiempo sabian muy bien la doctrina: alguna que otra vez he visto á alguno sonreirse con un poco de malicia, guardándose mucho de dar indicios de haberlo advertido... ¿Querrias pues ir á recibir un Sacramento sin saber lo que vas á hacer ó recibir? Yo te lo diré: escucha con atencion: el matrimonio no es ya una cosa del mundo, como muchos piensan: muy al revés; es una cosa santa, santa, santísima como el bautismo, la confesion, etc.: porque es un verdadero Sacramento el cual se hace sentir en el alma y obra en el alma. ¿Qué hace el bautismo? purifica el alma del pecado original, del pecado de Adan nuestro primer padre, por el cual hemos venido al mundo. ¿Qué hace la confirmacion? nos hace fuertes y animosos para apartar el mal, obrar el bien, y resistir á la tentacion. ¿Y el órden que hace? hace sacerdotes, y les da gracia para ser buenos ministros del Señor. Así el matrimonio une á los esposos, ata el uno con la otra, de modo que solo la muerte puede separarlos, y les da gracia para cumplir bien las obligaciones de su estado..... Escuchad, que ahora viene lo mejor: debeis saber que casándoos, cargais sobre vuestros hombros graves obligaciones, que ahora no teneis: 1 cargais con la obligacion de amaros el uno al otro y no por algunos dias, meses ó años, sino para siempre, por toda la vida, jóvenes y ancianos, sanos y enfermos, felices ó desgraciados. 2 Cargais con la obligacion de sufriros y compadeceros en vuestros defectos y faltas: mientras sois prometidos solo veis en vuestro prometido y prometida las buenas calidades: ¡Oh qué bravo jóven! ¡qué linda jóven! seréis muy buenos, pero ya saldrán fuera los defectos: cada uno tiene los suyos. Mas ay! ¡si en vez de compadeceros mutuamente, prorumpis en palabrotas! nacerán amenazas, iras, discordias, y así, una vez perdida la buena armonía, vuestro matrimonio pasará á ser una vida de infierno. Debeis pues compadeceros uno á otro, y os compadeceréis, si os respetais, si os amais en el Señor: guardaos mucho de perderos el respeto una sola vez: es verdad que el marido es superior; pero la mujer no es una esclava: es verdad que la mujer no es una esclava, pero es cierto que debe estar sujeta, como dice S. Pablo: 3 Cargais con la obligacion de daros buen ejemplo, de ayudaros á salvar el alma, de excitaros uno á otro á ser buenos cristianos, á asistir á la Iglesia, etc., porque el matrimonio, lo repito, no es cosa del mundo. Dios lo ha hecho Sacramento, para que os ayude á ganar el paraiso: lo cargais con la obligacion de estar siempre unidos: y entendámonos, cuando os hubiereis casado con este hombre... con esta mujer... de no pensar

mas en otro, ni mirar á otra, como si en el mundo no hubiese otro hombre, ni otra mujer: 5 Finalmente, cargais con la obligacion gravísima de criar en el temor de Dios á vuestros hijos, si Dios os los concediese; y para enseñar á los hijos el temor de Dios, debeis antes tenerlo vosotros. ¿Comprendeis las grandes obligaciones que cargais sobre vuestras espaldas con el matrimonio? Ora bien, ¿sois capaces de cumplirlas por vosotros mismos? ¿Teneis valor para tanto? No señor, no señor.

Pues bien, Dios ha provisto: ha hecho del matrimonio un Sacramento, y por esto aquel dia que iréis al altar, si os presentais bien preparados, por medio de este Sacramento empieza á volverse mas santa y mas bella vuestra alma, y al mismo tiempo os da una ayuda, un socorro, que os acompañará toda la vida para cumplir y satisfacer estas obligaciones. Mas para recibir esta ayuda es indispensable estar bien dispuestos: el matrimonio es Sacramento de vivos, esto es, para recibirlo, es preciso estar en gracia de Dios como cuando se va á comulgar: del contrario se comete un sacrilegio: si teneis un pecado mortal en el alma, el matrimonio es válido, habeis hecho el matrimonio, pero no bajarán sobre vosotros las bendiciones de Dios; antes bien Dios os maldeciria. En estos dias preparaos para recibir este Sacramento con muchas obras buenas; guardaos de todo pecado, de toda familiaridad entre vosotros: rogad y rogad mucho; sobre todo haced con tiempo una buena confesion, y aun una buena confesion general, si nunca la habeis hecho, etc.

«He aquí poco mas ó menos lo que digo á los prometidos; aun á los señores, segun la necesidad y las circunstancias, *demptis demendis*, y en esto vario, porque en vez de preguntarles, que entienden por Sacramento del matrimonio, uso de esta otra espresion: *instruidos como son, saben que el matrimonio no es una cosa de mundo*, etc. — Segun la diversa calidad de las personas se puede variar la instruccion ó añadir; si la esposa entra en una casa de mucha gente, recomendarla la caridad, el respeto á los padres del marido; si se casa con un viudo con hijos, dar avisos sobre el modo de arreglarse con estos, esto es, amarlos y tenerlos como propios: á los viudos encomendarles que no alaben demasiado la mujer ó marido difuntos etc.

¿Si conviene á los Párrocos y á los Ecclesiásticos asistir á los convites nupciales? — R. Aquí se alega el ejemplo de Jesucristo que asistió á las bodas de Caná en Galilea; pero el divino Redentor asistió á aquella comida de bodas para canonizar el matrimonio, y declararlo un estado legítimo, que viene de Dios, y en el cual los esposos pueden santificarse; y defenderlo de la censura de aquellos herejes, que algun dia lo impugnarian. Era pues un convite al cual presidia la modestia, la templanza y la caridad fraterna en las palabras. En nuestros dias en los convites nupciales se observa poca decencia en el vestir, poca moderacion en el hablar y poco pudor en el conversar. En ocupar los asientos de la mesa se hacen alternar hombres con mujeres: se dejan escapar palabras sino abiertamente licenciosas, á lo menos equívocas: palabras alusivas á las circunstancias, y alguna vez se entrevé alguna momentánea libertad clandestina, porque precisamente se aprovecha el plan ordinario de entremezclar un hombre y una mujer. No es

no poco frecuente la intemperancia en el comer y aun mas en el beber: á la comida se sigue un baile. ¿Cómo pues un Párroco, un Eclesiástico puede intervenir á estos banquetes sin menoscabo del decoro conveniente al propio estado? — Si el convite fuese decididamente morigerado, y presidiese en él la decencia, la modestia, la templanza, y la caridad, entonces se podria asistir; pero antes aseguraos bien de ello. A mas de que, si el intervenir el Párroco ó un sacerdote acreditado está dispuesto con el fin de imponer á los seculares, cuando hubiere necesidad, y de impedir los desórdenes si algunos ocurrieren, no desaprobaria su intervencion; pero apenas acabado el convite debe partir, si prevé que á él debe seguir inmediatamente el baile.

4. *¿Cómo debe portarse un Párroco, un Confesor respeto á los cónyujes, que viven separados sin sentencia judicial?* — R. 1. no se debe apartar de los Sacramentos á una mujer, la cual, á los ojos del público, se juzga haber sido echada injustamente por su marido. Bien puede en su desgracia recurrir al *Dios de toda consolacion, aquel que nos conforta en todos nuestros afanes.* Mas no es así, por lo que mira al marido: no se puede evidentemente absolverle á menos que haga resultar jurídicamente, que tenia motivos legítimos de despedir á su mujer; —2 no se debe inquietar al marido, que se ha separado de la mujer, ni á la mujer, que se ha separado del marido, cuando la separacion ha tenido lugar por motivo de adulterio... Pero el culpable no será admitido á la participacion de los Sacramentos, hasta que haya reparado suficientemente la propia culpa y escándalo con la penitencia; —3 se mirarán como indignos de la absolucion los cónyuges, que por efecto de un matrimonio desgraciado, por ejemplo, por sus naturales opuestos, se han separado por su autoridad particular, y aun de comun consentimiento. Pero se usaria indulgencia con aquel que hubiese hecho todo lo posible, moralmente hablando, para reunirse con su consorte y cohabitar con él, si sus disposiciones y pasos fuesen públicamente conocidos.» *Gousset.*

5. «*¿Qué conducta debe tenerse, cuando una de las partes casadas civilmente rehusa hacer los pasos necesarios para la revalidacion de su matrimonio, no quiere separarse de su cónyuje, ni renovar su consentimiento?* — R. No hay otro partido que tomar que el de recurrir á la santa Sede para obtener una dispensa *in radice*, por la cual un matrimonio nulo puede revalidarse sin renovar el consentimiento. Basta que el consentimiento dado al principio persevere virtualmente; y esto se juzga por las disposiciones actuales de los cónyujes. Si hubiese motivo de creer, que una de las partes ha revocado el propio consentimiento, la dispensa seria inútil: esta no podria legitimar un consentimiento que ya no existe.—Luego de obtenida la dispensa *in radice*, la parte que la ha pedido, lo avisa á la otra, para que esta pueda cumplir el propio deber sin obrar contra conciencia. Si el matrimonio así revalidado se creyese públicamente como no contraido legítimamente, se deberia dar á conocer la revalidacion: esto es necesario para hacer cesar el escándalo. El párroco, pues, tendrá cuidado de remitir á la parte interesada la dispensa que se le ha concedido, ó la declaracion escrita, que su matrimonio ha sido legitimado por una dispensa del sumo Pontífice, encomendándole que la comunique á su consorte, á sus padres, y á las personas correspondientes; de este mo-

do el escándalo se reparará prontamente. Pero hasta que esta reparacion haya tenido lugar, la parte arrepentida y bien dispuesta no debe acercarse á la sagrada Mesa (quia adhuc publice non censetur legitimum ejus matrimonium, sed reputatur concubinatus): puede recibir no obstante la absolucion (quia de facto jam existit dispensatio, etsi non adhuc publico nota).» *Gousset.*

6. *¿Qué hará el Párroco, cuando se presentan para servir de padrino personas notoriamente censuradas y escandalosas?* — R. Hæc notat pro praxi card. Gousset quoad patrinos (quod maxime currit pro iis locis, ubi plures sunt malemorati, nec civilis potestas Ecclesiæ disciplinam sustinere curat): «atendido que se necesita mucha prudencia en desechar á los pecadores públicos, el Párroco tendrá cuidado de informarse, cuanto le sea posible, de la conducta de las personas escogidas por los padres para padrinos ó madrinas; y si descubre que no puede admitirlas, les advertirá, antes de la ceremonia, que no se presenten. Con todo, en caso de que uno que solo se hubiese casado civilmente desease ser padrino, se podria absolutamente admitirle, si se consintiese en contraer, inmediatamente antes de la administracion del Bautimo, delante de dos testimonios, la obligacion de prepararse, lo mas pronto posible, á recibir la bendicion nupcial. Muchas veces, con esta condescendencia, se ha logrado hacer casar eclesiásticamente á personas, que hasta entonces se habian contentado con el acto civil. Cuando el padrino y la madrina han llegado á la Iglesia con el infante, si el Párroco se cree obligado á rehusar á uno ú otro, lo hará, pero sin estrépito: sobre todo evitará dar á conocer el motivo de rehusarle para evitar cualquier litigio. Dirá solamente, que le sabe mal el no poderle admitir como padrino (ó madrina), añadiendo que nada se opone á que pueda asistir como testimonio á la ceremonia del Bautismo. Pero tanto si este se queda, como si se va, si se deja el infante en la Iglesia, el Párroco hará la ceremonia: porque basta que haya un padrino ó una madrina.» *(V. De censuris.)*

In libro, *Vita del card. di Cheverus arciv. di Bordò,* Udine 1845, legitur: « Habiendo oido un dia (el Arzobispo) que un Párroco estaba en pugna abierta con su parroquia, encaminóse al lugar para procurar unir los corazones y hacer paces. Aquel Párroco unia á una conducta del todo irreprensible un celo mas bien demasiado ardiente que frio, un cáracter estremadamante vivo, trasportándole mas allá de los limites razonables, habia ocasionado aquella division. Observante demasiado rígido de las reglas antiguas irritaba á una familia rehusando tomar una madrina, porque no habia comulgado por Pascua; y los Padres obstinados preferian no hacer bautizar la criatura antes que nombrar á otra. El Arzobispo llegando en esta circunstancia, enseña al Párroco que la acepte, y rehusándolo aquel, encarga á uno de los Sacerdotes que le acompañaban á bautizar, para poner en buen estado el alma de la criatura. A esto se enojó el Párroco, y cediendo á la viveza de su carácter, pasa hasta prorumpir en palabras ofensivas á su Arzobispo, profiriendo espresiones las mas ultrajosas. A tal tempestad el Prelado opone el silencio, la calma, y la dulzura: y dirigiéndose á la Iglesia para empezar la funcion, sube al púlpito, escita á todos los parroquianos á la paz y amor

con su pastor, del cual hace un pomposo elogio refiriendo todas sus buenas calidades, que realmente tenia: vosotros teneis, añadió prosiguiendo, una sola queja contra vuestro venerable Pastor: él tiene, decis, un caracter violento é iracundo. ¡Ah! hermanos mios, ¿y quién carece de defectos? Si yo me quedase veinte y cuatro horas entre vosotros, quizás descubririais tantos en mí, que no podriais sufrirme: vosotros solo hallais uno en vuestro Párroco; tened pues indulgencia por este defecto en atencion á todas sus virtudes. Sin una tolerancia mutua, no puede subsistir sociedad alguna. Despues de este discurso el Prelado baja del púlpito y va á la sacristía, donde halla al Párroco avergonzado y confuso, y abrázandole con ternura y efusion de corazon, querido Párroco, le dice, os amo y soy todo vuestro: ¿por donde gustais que empecemos la funcion? procurando con tales palabras apartar de su mente la memoria de su falta y darle pruebas de su condescendencia en todo lo que no era contrario á su deber.»

7. *¿Qué hará el Confesor, si el enfermo* (ad quem accedit) *solo está casado civilmente?*—Iterum Gousset: «Yo pienso que, si no hay impedimento *dirimente* del matrimonio, el Párroco puede entonces dar la bendicion nupcial, con tal que las partes consientan en recibirla. La ceremonia se hará en presencia de dos testigos. Si el enfermo reusa la bendicion nupcial, se le negará la absolucion, á menos que declare en presencia de algunas personas, que quiere recibirla en la Iglesia, luego que haya recobrado la salud. En este último caso, que no es muy verosímil, se podria tambien absolverle sin exigir la separacion *quoad tectum:* y cuantas veces se puede absolver á un enfermo que está en peligro urgente, hay obligacion de hacerlo: vale mas esponer el Sacramento á la profanacion, que el hombre á la condenacion eterna: *Sacramenta propter homines*. Si las partes que solo han contraido matrimonio ante un empleado civil, están ligadas por un impedimento *dirimente* de derecho *eclesiástico*, y el enfermo, despues de haber pedido perdon en presencia de algunos fieles del escándalo que ha cometido, promete hacer todo lo que de él dependiere para conformarse á las leyes de la Iglesia dado caso que recobre la salud, se le dará la absolucion. Se supone que el peligro sea urgente: que si el estado del enfermo permite recurrir al Ordinario, conviene escribirle lo mas pronto posible, para obtener la dispensa, si cree poder concederla.»

8. «Finalmente, ¿qué hará el Párroco ó Confesor en el caso en que se trata de impedimento, del cual la Iglesia no dispensa, ni puede dispensar? Ejemplo: en virtud de una ley civil que permitia el divorcio, un hombre se separa de la mujer, y pasa á segundas bodas; y algun tiempo despues, viviendo aun la legítima mujer, cae enfermo de peligro. Se presenta el Párroco: el enfermo pide confesarse, declara á los que le visitan que se arrepiente del grande escándalo cometido, repite que no mira mas á la mujer *legal* como á esposa suya, que no quiere tener con ella otras relaciones que las que traen consigo las convenciones matrimoniales sobre la comunion de bienes: el peligro es urgente. ¿Se le puede absolver?—R. *Creo que sí, pero con condicion, que hará á la presencia de los circunstantes la promesa de conformarse exactamente, si sobreviviere, á lo que estableciere el Obispo, en órden á la conducta que debe tener en tan triste condicion.*»

(P) Pag. 739:

Erit grave incommodum, et ideo a peccato excusans (ex Bouvier) ad reddendum viro volenti seminare extra vas: —1 si mors, verbera aut graves sævitia timeantur; —2 si detur locus timendi ne maritus concubinam in domo conjugali habeat et cum illa maritaliter vivat; quia nulla est uxor sensata quæ sævitias vel etiam verbera non mallet sufferre, quam commercium adeo sibi injuriosum in propria domo videre; —3 etiamsi maritus, concubinam in domo non habiturus esset, si timeretur ne illam alibi frequentaret, vel ad meretrices accederet: quia certe hoc valde molestum est mulieri ratione jurgii, dissensionis, dissipationis rei domesticæ, scandali, etc.; — 4 notandum est gravitatem molestiarum ex circumstantiis personarum judicandam esse; quod enim respectu unius reputatur leve, gravissimum esse potest respectu alterius. Sic rixæ transitoriæ, dissensiones, et etiam quædam verbera non multum ponderantur inter rusticos: at prorsus intolerabilia forent mulieri timidæ, exquisita disciplina instructæ et urbanitati assuefactæ. Metus ergo notabilium jurgiorum in his conditionibus esset causa sufficiens debitum reddendi; —5 pariter si mulier certo sciat virum ex repulsa iratum, blasphemias in Deum et in Religionem, injurias erga Confessarium et Sacerdotes in genere, verba scandalosa coram famulis aut liberis pronuntiaturum, tunc debitum reddere potest. Quia unum peccatum impedire volens, in causa esset, quod alia æque gravia vel graviora patrarentur: nihil ergo proficeret, et grave incommodum frustra subiret; —6 a fortiori metus divortii, aut separationis aut infamiæ, aut gravis scandali esset causa sufficiens; —7 non necesse est quod mulier virum repellat, donec sævitias, molestias, aliave incommoda superius memorata experta fuerit; tunc enim debitum reddendo vel offerendo, malum jam existens sæpe non averteret: et aliunde illud subire non tenetur ad peccatum mariti impediendum. Sufficit ergo ut illud rationabiliter timeat; — 8 similiter virum debitum cum intentione se retrahendi petentem, singulis vicibus monere non tenetur, quando ex adjunctis certo cognoscit se ab illo nihil obtenturam: debet tamen, saltem aliquoties, ostendere se crimini ejus non assentire. Verum sedulo cavendum est, ne illa metu prolis, molestiarum graviditatis, aliove motivo sibi illudens, interius peccato mariti assentiat, vel in illo sibi complaceat. Sic disposita esse debet, ut mallet mori quam generationem impedire, si hoc ab ipsa penderet. Hic tandem non absre erit proferre sequens responsum datum episcopo Bouvier, ut ipse refert, in *Supplem. ad Tract de matrimonio.*

Beatissime Pater.

«Episcopus cenomanensis, ad pedes Sanctitatis Vestræ summa cum reverentia provolutus ea quæ sequuntur humillime repræsentat:

«Fere omnes juniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt; et tamen ab actu conjugali abstinere moraliter nequeunt. A Confessariis interrogati, circa modum quo juribus matrimonii utuntur, graviter communius

offendi solent. Et moniti, nec ab actu conjugali temperantur, nec ad nimiam prolis multiplicationem determinari queunt. Tunc adversus Confessarios mussitantes Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ derelinquunt, malum præbent exemplum liberis, famulis aliisque Christifidelibus. Lugendum inde oritur detrimentum. Numerus eorum, qui ad sacrum Tribunal accedunt, multis in locis, ab anno in annum decrescit, præsertim ob hanc causam, fatentibus plerisque Parochis pietate, scientia et experientia magis conspicuis. Quomodo ergo olim agebant Confessarii, ajunt multi? Non plures, quam hodie communiter nascebantur liberi ex singulis matrimoniis. Conjugati non erant castiores; et nihilominus præceptis annuæ Confessionis ac Communionis paschalis non deerant. Omnes libenter admittunt infidelitatem erga compartem, et abortus intentationem maxima esse peccata. At vix quidam persuaderi possunt se teneri sub peccato mortali aut perfectam in matrimonio servare castitatem, aut incurrere periculum innumeram generandi prolem.

«Præfatus cenomanensis Episcopus ingentia hinc obventura esse mala prævidens, et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra solicite exquirit: — 1 An conjuges qui matrimonio eo utuntur modo ut conceptionem præcaveant, actum per se mortaliter malum exerceant? — 2 An actus habendus sit ut per se mortaliter malus; et an conjuges de illo se non accusantes considerari possint tamquam in ea constituti bona fide, quæ eos a gravi culpa excuset? — 3 An probanda sit agendi ratio Confessariorum qui, ne conjugatos offendant, illos circa modum quo matrimonii juribus utuntur, non interrogant?

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis propositis quæstionibus:

Ad 1^am^ respondet: cum tota actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem, poterit ipsa (ut probati Theologi docent) citra peccatum passive se præbere; cum in iis rerum adjunctis, ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa quæ eam excusat; quoniam charitas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat. — Ad 2^am^ autem et 3^am^ respondet: quod præfatus Confessarius in mentem revocet adagium illud: *Sancta sancte esse tractanda.* Atque etiam perpendat verba S. Alphonsi de Ligorio, viri docti et harum rerum peritissimi, qui in *Praxi confessarii* (§ 4, n. 7) inquit: *circa autem peccata conjugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxorem an illud reddiderit, modestiori modo quo possit.... De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit.* Nec non alios probatos auctores consulere non omittet.

Datum Romæ, 8 junii 1842.

Quia autem plurima, quæ ad debitum conjugale pertinent, fundantur in physicorum doctrina, quæ in dies firmior evadit, hinc audiamus medicum Debreyne, *Essai sur la Théologie Morale,* chapitre 5.

S. Liguori l. VI, n. 918, quærit: *Si autem vir jam seminaverit, dubium fit*

an fœmina lethaliter peccet si se retrahat a seminando? aut peccet lethaliter vir non expectando seminationem uxoris?—En nóstram hisce dubitationibus responsionem: cum fœminæ quasi spermatisatio nullatenus ad generationem necessaria videatur; soliditatem videre nescimus rationum, quas pro lethalis peccati imputatione in speciebus adducunt Theologi, etenim materia quæ fœminæ spermatisationem constituit nequaquam verum est semen, sed tantum quædam vaginales uterinæque mucositates. Videtur Illustrissimum Bouvier, in quæstione super mulieris semine, subscribere etiam opinioni, aut potius errori, inter Theologos communi; dicit namque, pag. 157: *Peccatum est mortale... si mulier semen ejiciat, vel ejicere conetur, si* PROPRIUM *semen exterius profundat,* etc. Ratio qua innituntur Theologi eruitur ex scriptis Hipocratis, Galeni, Valesci, etc.; sed tales auctores (licet medici) nostris temporibus, communiter considerantur, tamquam auctoritates, in his materiis, nullæ, quibusque non competit de hac quæstione judicare. Una tantum physiologica observatio debet sufficere ad subvertendum hoc totum chaos opinionum erronearum ævi medii: et hæc est: mulier, juxta omnes recentiores physiologos Europæ, imo et universi orbis, incapax est veræ secretionis seminalis sive spermaticæ; caret etenim speciali organo ad hunc effectum producendum idoneo. Tantum præstat ovulum sive germen ab ovario procedens, et etiam communiter quantitatem aliquam mucositatum seu humorum lubricantium, qui ab orgasmo erotico proveniunt, suntque valde proprii ad fovendum et complendum actum conjugalem, qui vero fœcundationi essentiales minime videntur.

Quærunt demum Theologi: *Utrum fœminæ licitum sit post retractionem et seminationem viri sese tactibus excitare ad propriam seminationem ut sibi levamem necessarium procuret?*—Responsis: Judicamus illud ei minime permissum esse, talis namque actio solitaria nullum physiologicum objectum habet, neque relationem aliquam ad conjugalem actum ideoque vera pollutio deveniret: Quantum ad levamen sive necessitatem cui supponitur satisfaciendum esse, nihil oportunius meliusque videmus, quam ad actus conjugalis prolongationem recurrere sive novum actum ponere, qui completus normalisque sit. Theologi qui idipsam sectantur opinionem, hanc adducunt rationem: quia semen mulieris non est necessarium ad generationem et quia effusio ista mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro. S. Liguori addit: si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viro, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret et vir maneret irritatus. Lib. VI, n.° 919.

(Q) Pag. 748.

Sic ab Episcopo peti potest facultas conjuges restituendi in integrum:

EXCELLENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Titius vel *Titia* (nomen fingitur) *conjux in culpam incestus incidit. Facti summopere pœnitet: et per me infrascriptum humillime petit dispensationem*

super contracto impedimento una cum restitutione in pristino jure petendi. Dignetur rescriptum ad me dirigere.

Novariæ, die . . . .

Obsequentissimum Servum

N. N.

Hic autem advertendum: — 1 quod rescriptum statim post executionem est destruendum omnino: — 2 quod ex Synodo Novariensi (pag. 322) reservatus est *incestus inter consanguineos sive in primo sive in secundo gradu: inter affines in primo gradu: et inter cognatos spirituales.* Item quando generatim tribuitur facultas alicui absolvendi ab hoc crimine, non ideo facultas includitur restituendi conjuges in jure suo; sed hæc distinctis vicibus est postulanda; — 3 quod de impedimento incestus dictum est relate ad dispensationem, idem valet de voto; nisi tamen illud fuerit perpetuum et utroque conjuge consentiente emissum, ut innuimus *disput,* 3ª, *c.* 3.

(R) Pag. 757.

Ultimo hic tres quæstiones ponimus: unam de *divortio*, alteram de *agnitione et legitimatione filiorum,* tertiam de *statu civili.*

1. Quod *divortium,* quocumque modo sumatur (una excepta separatione tori ex mutuo consensu) dicimus illud non permitti, neque aliter posse proponi, quam apud Judices eclesiasticos (Tridentinum, sess. 24, c. 20 de R.; et can. 12. *It.* Instructio Benedictina, § 7. Et supra ubi de causis matrimonialibus et legitimo judice): et quidem apud Episcopos, non vero Prælatos inferiores (Tridentinum, sess. 24, c. 20). Aliter factum nullius roboris habetur (c. 3 *de divort.*; c. 5 et 6 *de adult.;* c. 9 *de int. rest.*); agitur enim de summa re, videlicet de conjugiorum firmitate tuenda, de scandalo avertendo, ac de pœna publica et magna infligenda. Ratio autem dissolutionis, quæ in judicio proponitur, vel privatum tantummodo jus respicit, vel publicum.— Si 1, id est si proponatur matrimonium nullum esse ex errore, vi, metu et raptu; item irritandum esse causa ineundæ religiosæ vitæ; aut dissolvendam habitationem ob mariti sævitiem; vel quæstio tantum sit de sponsalium valore: tunc solis tantum conjugibus permittitur agere in judicio ad dissolutionem conjugii pro qualitate rei, exclusis extraneis, propterea quod tantum interest ipsorum (c. 26 *de spons.;* c. 2 et 4 *de conj. servor.;* c. 5 *de frigid.;* etc.) — Si 2, hoc est si petatur, ut matrimonium nullum declaretur ob religiosam professionem, Ordinem sacrum, cultus disparitatem, cognationem, affinitatem, honestatem publicam, etc.; tunc ab Advocato, fiscali Episcopi, et a quocumque alio etiam extraneo, dummodo legitimis documentis quod proponit, probaturus sit, neque sit de dolo aut mala fide suspectus, introduci quæstio poterit. Agitur enim de causa publica, in qua non actio. sed accusatio proponitur (ut docet vel ipse titulus Decretalium: *qui matrim. accusare*).

Dissolutionis causæ summario modo et sine strepitu peraguntur (c. 1 *ut lite non constet.* Clem. 2 *judiciis*). At regula est, ut semper præsumatur in favo-

rem matrimonii jam contracti; non autem contra illud: unde contra non sunt admittendæ probationes, quæ quidem non sint omnium gravissimæ. Et Benedictus XIV Constitutione *Dei miseratione*, 3 nov. 1741, statuit, ut in singulis Diœcesibus designentur matrimoniorum defensores. Isti causæ semper intersunt, sicque judiciis officium adjuvatur, atque insuper a prima sententia, si forte sit contra matrimonium lata, appellare semper debent. Defensor autem, cum munus ejusmodi committetur, juramentum præstabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contingerit, ut in judicio adesse debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum præbebit. — *V.* Bouix, *De Judicii*, tom. II, ubi fuse.

2. *Agnitio* est actus civili lege inductus, quo parentes vel propria sponte vel judicis auctoritate filios suos naturales agnoscunt vel debent agnoscere: hinc agnitio alia est voluntaria, alia judicialis. Quæ fieri debet vel in ipsis nativitatis tabulis, vel alio authentico actu ante vel post filii naturalis nativitatem. Filius, si a beneficio agnitionis excludatur, compellere potest matrem ad ipsum agnoscendum, probando se illius filium esse; at non potest compellere patrem, quia investigatio paternæ originis est moribus invisa: excipe 1 si pater se talem scripto affirmaverit, vel si constet aliqua actuum serie se erga filium, ut patrem gessisse: hæc tamen inquisitio solum vivente patre permittitur; 2 si qui pater dicitur, raptum vel stuprum violentum in matrem filii comisisse constet, et delicti tempus conceptionis tempori respondeat. Si tamen pater agnoscendo filium et matrem nominaret, hujus nominationis nulla per se habetur ratio. — Ab agnitionis beneficio excluduntur a jure: 1° Nati ex parentibus, quorum alteruter conceptionis tempore conjugali vinculo obstrictus erat. 2° Nati ex genitoribus ab ineundo matrimonio prohibitis ob arctius consanguinitatis, vel affinitatis vinculum in linea recta in infinitum, vel ratione consanguinitatis in linea transversa ad secundum usque gradum civiliter computandum. 3° Nati ex iis, quorum vel unus eodem conceptionis tempore solemni castitatis voto obstrictus erat ob religiosam professionem, vel ob sacrorum Ordinum susceptionem. Cæteri omnes ex patrio jure ad agnitionis beneficium admittuntur, ideoque etiam nati ex iis, qui conceptionis tempore matrimonium inire non poterant ob aliquod dirimens impedimentum, quod pontificia dispensatione tolli potest; qua in re juri antiquo derogatum est. — Effectus agnitionis sunt, ut filius naturalis assequatur statum certum, jus habeat quoad aliqua in bona parentum, et fiat capax legitimationis beneficio; etsi enim agnitus, nondum tamen habetur ut filius legitimus, nisi ipsa legitimatio sequatur.

Ligitimatio est actus, quo naturales filii, forma a lege præscripta legitimi fiunt, patriæ potestati subduntur, et omnia jura acquirunt ad legitimos spectantia. Ex hodierno civili jure fieri potest tum per subsequens matrimonium tum per Principis rescriptum. Sed ab omni legitimationis beneficio excluduntur, qui excluduntur a beneficio agnitionis. Excluduntur insuper a legitimatione per subsequens matrimonium: 1° Nati ex iis, qui conceptionis tempore consanguinitatis vinculo in tertio gradu, vel secundo affinitatis in laterali linea juxta civilem computationem sunt conjuncti. 2° Nati ex conjun-

ctione inter adoptantem et adoptatum, et adoptantis conjugem. Isti proinde solo Principis rescripto legitimi fieri possunt. Etiam pro filiis jam mortuis potest habere locum legitimatio, in favorem nempe eorum descendentium. Quod tamen pertinet ad Principis rescriptum, illud a patre postulandum est, si vivat; item oportet, ut pater non habeat alios filios sive legitimos sive legitimatos, vel ab istis descendentes; item ut per subsequens matrimonium ex gravi causa non possit filios legitimare. *V. De just. et jure,* ubi *de hæred.* quoad jura in parentum bonis, quæ habent filii tum legitimi aut legitimati, tum naturales.

Ut hactenus dicta plenius intelligantur, et utrique civili et canonico juri applicentur, breviter dicendum de multiplici filiorum nomine. Maxima ac prima distinctio est in filios legitimos ac illegitimos : *legitimi*, dicuntur qui ex valido conjugio vel saltem putative valido, procreati sunt; *illegitimi* autem, qui ex nuptiis nec vere nec putative validis geniti sunt. Illegitimi a civili lege generali nomine appellantur filii *naturales;* a jure vero canonico filii naturales dicuntur ii solummodo, qui nati sunt ex iis qui vel prolis conceptionis vel nativitatis vel intermedio tempore, valide inter se nubere poterant, utpote nullo dirimente impedimento detenti. Si secus est, id est si filii nati sint ab iis, qui aliquo ex memoratis temporibus impediti erant, dicuntur *spurii:* et quidem *adulterini*, si ex adulterio; *incestuosi*, si ex incestu; *sacrilegi*, seu ex sacrilega copula, puta cum persona voto castitatis solemni ligata; *nefarii* demum, si ex parentibus in linea recta, ut ex patre et filia, nati sunt. — Ubi notamus : jus canonicum omnes spurios excludit a legitimatione per subsequens matrimonium; e contrario lex civilis exceptionem facit ex dictis supra. Hinc concludunt: quoad effectus civiles, idest quoad successionem, hæreditates, etc., standum est civili lege; quoad effectus vero canonicos, idest quoad ordines, impedimenta matrimonii, dignitates et beneficia ecclesiastica, adhuc standum est lege ecclesiastica.

3. *Status civilis* est illarum conditionum complexio, quæ a jure civili requiruntur, ut quis civilibus juribus frui possit, ac civitatis oneribus subjici a positivis Regni legibus statutis. Civilia jura habent non tantum singuli subditi, sed etiam corpora moralia, ut collegia, universitates, quæ publica auctoritate probata sunt; cum ut totidem personæ habeantur. Status civilis acquiritur, seu subditi censentur vel qui tales nascuntur, vel qui tales postea fiunt. *Nascuntur subditi* qui patrem vel matrem habent subditam, ejusque sequuntur conditionem, etsi in extera ditione nati. Paternam conditionem sequuntur filii legitimi, legitimati, vel naturales legaliter a patre agniti : maternam vero conditionem sequuntur filii naturales a matre tantum agniti. Non censentur subditi qui nascuntur ex extero patre intra ditionem nostram, nisi hic exterus domicilium in dictione fixerit cum animo ibi perpetuo manendi, qui tunc adesse præsumitur cum continuo per decennium permanserit, non tamen mercaturæ causa. Filii etiam expositi, qui matrem habent incertam, si in territorio nati sint, a matre subdita præsumuntur nati. *Subditi autem fiunt:* 1 legis beneficio ii, qui nascuntur ex patre, qui ob culpam jura civilia amiserit: isti enim etsi uti extranei habeantur, si tamen intra annum ab adepta majori ætate profiteantur se velle permanere in

domicilio, quod apud nos jam habent: vel illud, si alibi morentur, penes nos transferre et reapse intra hujusce anni spatium transferant a declarationis die computandum, tunc subditi qualitatem acquirunt; 2 matrimonii vi extera fœmina, quæ vero subdito nupserit, et ipsa subdita fit; 3 Principis rescripto subditi fiunt qui Litteras *naturalitatis* obtinent, modo tamen domicilium fixerint, Principi fidelitatem juraverint etc. (V. pro Hispania art. 11, Const. modif. 28 Maj. 1845 et Reg. Decret. 22 Sept. 1845).

Civilis autem status probatur ex nobilitatis, matrimonii et obitus actis a respectivis Parochis describendis, quæ quidem in externo foro plenam fidem faciunt. Hinc patet quanta esse debet Parochorum cura in iis exarandis accurate, quamque graviter delinquent, si in hoc culpabiliter deficiant. Omnes qui ea acta immutarent, vitiarent etc., coram judice conveniri possunt pro damnis et eo quod interest, præter pœnas a Codice pœnali statutas (pro Hispania v. art. 226). Quod si prædicta acta deficiant, tunc locus datur probationi ex documentis præsertim a defunctis genitoribus provenientibus vel aliorum certis testimoniis; etc. etc. V. L. Ferraris, Bibliotheca etc. V. *civis, civilitas* etc.

APPENDIX I.

Series cronologica propositionum ab Ap. Sede damnatarum (1).

N. 1 — *Propositiones ab Alexandro* VII *proscriptæ 10 jan. 1659* (2).

1. Concilium Trid. non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint: neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt; cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus Fidei, neque etiam Bulla Pii IV pro confirmatione illius Concilii promulgata. *Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim et schisma inducens, sacro Concilio Tridentino et Sedi Apostolicæ injuriosa.*

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimmo Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; et si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset. *Complexe accepta est falsa, temeraria, scandalosa et erronea.*

3. Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsis indulta non fuerit. *Quoad primam partem est falsa, et saluti animarum perniciosa: quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum, et Sedi Apostolicæ injuriosa.*

4. Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, Fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur, et docentur. *Quoad primam, et secundam partem simpliciter accepta, est erronea, et temeraria: suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.*

(1) Ad assequendum genuinum sensum damnatarum propositionum vid. Anacletus Reiffenstuel, *In initio ejusd. Theol.* Edit Antuerpiæ 1758, item *sub fin.* ubi ea de re habetur *Dissertatio Massæi Kresstinger.* — Carboneanus, *Notio critica sensus omnium propositionum Moralium ac Dogmaticarum* etc.—Campioni, *Instructio pro se præparantibus ad audiendas confessiones, pars* 2.ª, Romæ 1704. —Sed præ omnibus vid. *eximiæ sapientiæ vir* (ut eum appellat Benedictus XIV, Notif. VII et LXXII) Dominicus Viva, *Damnatæ theses ab Alexandro* VII, *Innocentio* XI, *et Alexandro* VIII; *necnon Jansenii ad Theologicam trutinam revocatæ juxta pondus Sanctuarii, Ed.* 8.ª, *in qua Baji. Michaëlis de Molinos, et aliæ item theses recensentur* etc. Patavii, 1717.

(2) *V.* Alasia, *Comment. Th. Mor.* — *Compend. Theol. Mor.*, Iriæ edit. 1840 ad App. — Filalete, *Prolegomeni di Theologia Canonico—Morale* ecc. Lucca 1843, *par.* 2.ª *et* 3.ª ubi expletissimus habetur cathalogus omnium errorum, ab initio ad nostra usque tempora, etc.

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum vel Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt. *Suppositis itidem privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram; verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta.*

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a Judicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsi mandata concedant ad prædicandum in Adventu, et Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi, decretum Judicum sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset. *Est falsa, erronea, et in hæresim ac schisma inducens.*

Aliæ ab eodem Pontifice damnatæ 24 *sept. anno* 1665.

1. Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629 18 julii in Concistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, et tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ tradantur, per alium satisfacere; collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam (promissione etiam juramento firmata) danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio v imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii; sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Damnatæ die 18 *martii anno* 1666.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V, hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et aliæ famulæ nimis difficile invenirentur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti *donec expurgentur*, possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur.

N. 2 — *Propositiones damnatæ ab Innocentio IX 2 mart. 1676.*

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut pe-

riculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigurose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solus actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur; fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta et testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum

est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retro-venditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur, tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur pro hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consciente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, et si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere: quinimmo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam cupabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Aliæ ab eodem Pontifice damnatæ die 23 *nov. ejusdem anni.*

1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.

N. 3 — *Propositiones Michaëlis de Molinos damnatæ ab Innoc.* XI *Const.* Cœlestis 20 *nov. anno* 1686 (1).

1. Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens; et ideo opus est se ipsum in Deo totum, et totaliter derelinquere, et postea permanere, velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfeccionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit, et ad

(1) *V.* Bergier. *Dizionario, etc.* V° Molinosismo.

suam originem, dum est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in seipso remanet, quia non tunc sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum; et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad proprios defectus.

10. Si proprii defectus alios scandalizent, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia quæ occurrunt, an recte procedatur necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii, *petite et accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura, et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria, et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptionibus, non adorat Deum in spiritu, et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura, et universali, cum quiete et oblivione cujusque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia in his Deus sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, sed postea cognoscit illam se habuisse; et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum sancto Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, et Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et Sacramenta; si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, et dormiatur, nihilominus fit oratio, et contemplatio actualis, quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, et Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mistica; cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum, et male agit, cum eam desiderat, et eam habere conatur; quia per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est: siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo et virtutes, et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurium, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solita re-

signatione passiva; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, et lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu *Pater noster*, recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione et activitate: alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, et possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et pœnitentiæ quas peregerunt Sancti non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. B. Virgo nullum umquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus Sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice illorum manus et alia membra contra eorum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et fœminæ, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonis, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: *non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via; et hæc est via facilior et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscœni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est se ipsum inquietari, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit, non confitendo; quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet inde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. XVI Job).

50. David, Jeremias et multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, uti illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est; quæ alias erant prohibita, et peccata fuissent. De Juditha, quæ Olopherni mentita fuit. De Elisæo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Acab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse quod in iis consenserint, et videre quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumo a lumine quodam actuali, cognitione humana ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, et ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia ad purgandas, et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentiant, nihil, nihil; nec ullam sentiant inquietudinem sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, et duæ cupiditates, animæ una, et amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, et duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad ejusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, et a casibus conscientiæ, a Theologia, et Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia perseverante, quantam in Sacramento reciperent: et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult; quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum, quinimmo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non representent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativum; primo quia non habet fidem adeo puram: secundo quia non est adeo humilis: tertio quia non adeo curat propriam salutem: quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit; in interiore vero aliter res se habet quia solus Deus et Director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo; quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi beneviſum.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori tribunali præpo-

sitorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus præjudicant his deceptionibus, et simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur epistolæ Directoris quoad internum animæ, et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ etc.

N. 4—*Damnatæ ab Alexandro VIII 24 augusti anno 1690.*

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in confirmatione actuum cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in suum finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi; Theologicum vero, et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Aliæ ab eodem damnatæ 7 dec. anno 1690.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, et etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ plerumque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris etc.* prætermissis illis: *ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.

31. Bulla Urbani VIII *In Eminenti* est subreptitia (1).

(1) In hac Bulla data 1641 Urbanus VIII confirmat Constitut. Pii V et Greg. XIII, quibus damnantur 79 propositiones Baji: iterum prohibet librum Corn. Jansenii.

N. 5—*Propositiones super amore erga Deum purissimo damnatæ ab Innocentio* XII *Brevi* Cum alias 21 *martii anno* 1699.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id quod est essentiale in directione animæ, est non ali ud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, et subtilitate: oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quod interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quammaxime desinteressatis circa æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione

desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed numquam amittit in parte superiori, id est in suis actibus directis, et intimis spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis perturbationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione; nam totum, quod est involuntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat spiritualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo in fervore nascente earum contemplationis... Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distincte, non cogitando, quod sint virtutes; quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec umquam sit adeo virtute præditus, quam virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, et desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina *(de puro amore)* esset pura, et simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata; antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitationem amoris interessati eorum gratiæ proportionatam.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

N 6—*Quesnellii propositiones damnatæ a Clemente* XI *Constitutione* Unigenitus 8 *sept. anno* 1713 (1).

1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

4. Ita, Domine: omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes et gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter fœdus Judaicum et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero facilitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum numquam possumus, et cum qua numquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, et suam æternam locutionem comita-

(1) *V.* SS. D. N. Clementis Papæ XI Constitutio *Unigenitus* Theologice propugnata etc. Romæ typ. Salvioni, Tom. 2. Celebris hæc Constitutio tantam in Ecclesia auctoritatem sibi conciliavit, *ut* quemadmodum ait Benedictus XIV Encyc. 10 oct. 1756 ad Episcopos Galliæ, *nemo fidelium possit absque salutis æternæ discrimine a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari.*

tur unctione sui Spiritus, et interiori vi gratiæ suæ, operatur illam in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis, et resucitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam qua creaturam a nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, et eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate: jubet, et ipsa obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum semper pro suo sanguine primogenitos, idest electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, et sibimet ipsi renuntiasse ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem et mysteria, ut fecit Sanctus Paulus, dicens: *qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me!*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et status Innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum... est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei : sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriatur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ propeccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones corrumpat.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisia aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, et sine Christo, et sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum *Pater mi*, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis remedia continentur in fide, tamquam in suo germine et semine, sed hæc fides non est absque amore et fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, et Jesum Christum.

54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato adjicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo; et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, et Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium: cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem, sicut bestiæ; sed per fidem et per amorem, sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et præmium Fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Numquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ad sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos cœli, et omnes electos et justos terræ, et omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in eo sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri sæculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput; omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona: unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum et Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi et Justi omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, et Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo Electo, cujus figura fuit populus Judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem, et Mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses.

84. Abripere e Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis illius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius Corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato, Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium. Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata: sed justus vivit ex Fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis et pœnarum, quas quis tolerat tamquam hæreticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria, utpotequæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem ejusque discipulos, tempus hoc advenit..... Haberi et tractari a Religionis Ministris, tamquam impium, et indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, atque abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

N. 7—*Propositiones damnatæ a Benedicto XIV Const.* Detestabilem 10 *nov. anno* 1752 (1).

1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad Officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur: vel promotionis alias sibi debi-

(1) Præter plurimas Constitutiones, quas Benedictus XIV dedit uti Pontifex, duo sunt præcipua Opera (quæ in re morali maxime inserviunt), quæ edidit uti privatus.

Sunt primo *Institutiones Ecclesiasticæ* numero 107, quæ primum seorsim Bononiæ italico sermone exaratæ prodierunt, cum Auctor illi Ecclesiæ præesset; quæque aliquando *Notificationum*, sed frequentius etiam *Edictorum* nomine donantur. In latinum versæ sunt studio P. Ildefonsi a S. Ca-

tæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux vel Officialis Militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

N. 8—*Propositiones Synodi Pistoriensis a Pio VI Bulla* Auctorem Fidei 28 *augusti anno* 1794 *damnatæ* (2).

1. *Propositio, quæ asserit* postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religionem, et quæ sunt bassis fidei et moralis doctrinæ Jesu Cristi, *Hæretica.*

2. *Propositio, quæ statuit* potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum:

Sic intellecta ut a communitate Fidelium in Pastores derivetur Ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, *Hæretica.*

3. *Insuper quæ statuit* Romanum Pontificem esse caput ministeriale:

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia, *Hæretica.*

4. *Propositio affirmans*, abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exterio-

rolo Scholarum Piarum; quem laborem liberaliter excepit ipse Pontifex, ac valde gratum habuit.

Est secundum Opus *De Synodo Diœcesana*, quod jampridem excogitatum atque paratum, sed variis distractus curis Auctor non edidit, nisi septimo sui Pontificatus anno. Illa prima editio septem continebatur libris, ac paucos post annos aliam auctam de novo vulgavit in tredecim libros distributam.

Summatim ejus doctrinam exhibet Mansi, *Epitome Doctrinæ Moralis et Canonicæ ex Operibus Benedicti* XIV, ad calcem Moralis S. Alphonsi. — It. *Constitutiones selectæ, nec non Bullæ, Decreta, Epistolæ etc. Parochis, Confessariis etc. utiliores ac necessariæ. Venet.* 1773. — It. *De Syn. Diœc. Opus egregium.... contractum*, Venetiis, 1765.

(1) Hoc solemne ac dogmaticum Sanctæ Apostolicæ Sedis judicium fusius vindicat cel. Card. Gerdil, *Tomo* XIV *omnium ejus Operum.* Romæ edit. 1809, typ. Pioggioli.— It. vid. Can. Guasco, *Dizionario Ricciano ed Anti-Ricciano*, Edizione II, Vercelli 1794.—It. passim *Dizionario Enciclopedico della Teologia, della Storia della Chiesa ec. ec.* del celebre Ab. Bergier, cui quidem innumera ad rem nostram additamenta accedunt, Romæ primum an. 1794, dein Venetiis an. 1827, ac tandem Mediol. 1845-46 nobis itemque doctissimis notis italico reddito.

res, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde; *tum etiam*, multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis Decretis.

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda, et sancienda, *Hæretica.*

5. *Qua parte insinuat*, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis Decretis exigendæ aliter quam per media, quæ pendent a persuasione.

Quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia, et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus pœnis coërcendi atque cogendi, *Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.*

6. *Doctrina synodi, qua profitetur* persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ Diœcesis:

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque Diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices et Concilia Generalia pro universa Ecclesia, *Schismatica, ad minus erronea.*

7. *Item in eo*, quod hortatur Episcopum ad prosequendam naviter perfectiorem Ecclesiasticæ disciplinæ Constitutionem, *idque*, contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini Diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi Fidelium:

Per id quod supponit Episcopo fas esse proprio suo judicio, et arbitratu statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ Potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent, *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

8. *Item quod et sibi persuasum esse ait*, jura Episcopi a J. C. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ:

In eo quod innuit jurium Episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coërceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ, *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

9. *Doctrina quæ statuit* reformationem abusuum circa Ecclesiasticam disciplinam in Synodis Diœcesanis ab Episcopo, et Parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum, *Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ a Calvino innovatæ.*

10. *Item doctrina*, qua Parochi aliive Sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium

in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per Ordinationem accepto, *Falsa, temeraria, Ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.*

11. *Sententia enuntians* veteri majorum instituto ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse ut decreta aut definitiones aut sententiæ etiam majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent, et approbatæ a Synodo Diœcesana, *Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ Constitutionibus Apostolicis, tum et sententiis ab hierarchia superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.*

12. *Assertiones Synodi complexive acceptæ* circa decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia, *Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.*

13. *Propositio relata inter acta Synodi,* quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti, *Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.*

14. *Quatenus vero ei distinctioni suffragatur*, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando, *Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

15. *Doctrina, quæ proponit* Ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus Sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate:

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate, *Hæretica.*

16. *Doctrina Synodi* de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam:

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium, *falsa, alias damnata in Bajo et Quesnellio, erronea, favens hæresi Pelagianæ.*

17. *Propositio his verbis enuntiata:* edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis.

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati per justam subtractionem

immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio, *Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.*

18. *Doctrina Synodi enuntians* post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam J. C. allaturus erat, *tamen* Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum; *ac primum ut in statu naturæ* homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis:

Doctrina, ut jacet, *Captiosa;* atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere, *Suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

19. *Item quæ subjungit,* hominem sub lege, cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis quæ sanctissima erat, sed culpa hominis qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit, *superadditque*, legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris:

Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est, *Falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.*

20. *Qua parte datur intelligi*, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi non ipsa gratia facit ut invocetur a nobis, *Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

21. *Propositio, quæ asserit* lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti: hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam J. C., inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus: hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam Novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit Filios Dei:

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati, constituitur Filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trident. sess. 6, cap. 5); nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur, *Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.*

22. *Propositio, quæ innuit* fidem a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam, esse ipsam-

met excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt.

Perinde ac prior non esset gratia illa, quæ ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem, *Suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

23. *Doctrina Synodi* de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere:

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur, et corrumpantur: aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata:

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati, *Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum: iterum in Bajo damnatum art.* 40.

24. *Qua vero parte* inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponuntur effectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiæ imaginis Dei:

Perinde ac si inter dilectionem Divinam, quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur, *non daretur* dilectio humana licita, quæ nos reprehenditur, *Falsa, alias damnata.*

25. *Doctrina,* quæ timorem pœnarum generatim perhibet dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum:

Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ, *Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ,* opus esse, *juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, ut intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.*

26. *Doctrina,* quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum, (quem Limbi puerorum nomine fideles passim designant) in quo animæ decedentium cum soli originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur:

Perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ, et pœnæ inter regnum Dei, et damnationem æternam, qualem fabulantur Pelagiani, *Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.*

27. *Deliberatio Synodi,* qua prætextu adhæsionis ad antiquos Canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione, *Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.*

28. *Propositio Synodi,* qua postquam statuit Victimæ participationem esse partem Sacrificio essentialem, *subjungit,* non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo

quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo:

Quatenus insinuat ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant, et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ, in quibus, solo Sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet, *Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.*

29. *Doctrina Synodi*, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1° Christum post Consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2° tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remantibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemni fidei professione continetur:

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica, *Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transubstantiationis, favens hæreticis.*

30. *Doctrina Synodi*, qua dum profitetur credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis; *dein continuo subjicit*: non tamen quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet: *unde et consequenter traducit velut* falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant:

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem, et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a Sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a Pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino præcepto descendens a Sacra Tridentina Synodo diserte est expressum, *Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

31. *Propositio Synodi enuntians* conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit Altare, sibique adeo placere morem illum restituere, *Temeraria, perantiquo*

pio, multis sæculis in Ecclesia præsertim Latina, vigenti, et probato mori injuriosa.

32. *Item præscriptio vetans*, ne super Altaria Sacrarum Reliquiarum thecæ floresve apponantur, *Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.*

33. *Propositio Synodi, qua cupere se ostendit*, ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiæ ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et elata voce proferendo :

Quasi vigens ordo Liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet, *Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.*

34. *Declaratio Synodi*, qua postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt :

Quasi per ordinem quo, sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta, *Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.*

35. *Propositio his verbis concepta:* si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati : redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem : longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas : si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis ?

Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis : quasi (ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen servetur) oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem, *Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.*

36. *Doctrina Synodi, qua postquam præmisit;* quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum, qui admittatur ad participationem Sanguinis Jesu Christi,

quæ fit in Sacramentis, *subdit*, suppositiias conversiones, quæ fiunt per attritionem nec efficaces esse solere nec durabiles. *Consequenter* pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos pœnitentes ad Sacramenta, *quæ signa, ut deinde tradit* § 17, Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis, *quem insuper* fervorem charitatis *perhibet* (de Pœnit. § 10), *velut dispositionem quæ* debet præcedere absolutionem:

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata; sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad Sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur, *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.*

37. *Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat*, post institutionem Diœcesium et Parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorii sive jure quodam personali, *propterea quod* aliter confusio induceretur et perturbatio.

Quatenus post institutas Diœceses et Parochias enuntiat tantummodo, conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos: sic intellecta tamquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam, *Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

38. *Item doctrina*, qua postquam Synodus professa est, se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ, *ut ait*, ad pœnitentiam non ita facile et forte numquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, *subjungit*, per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent, *Contraria Canoni* 13 *Concilii Nicæni* I, *decretali Inocentii* I *ad Exuperium Tholos.*, *tum et decretali Cœlestini* I *ad Episcopos Viennenses et Narbonen. provinciæ, redolens praviatem, quam in ea decretali Sanctus Pontifex exhorret.*

39. *Declaratio Synodi* de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones, *Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a Sacro Concilio Trid. probatæ contraria.*

40. *Propositio asserens*, Indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti:

Quasi Indulgentiam præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam

valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam, *Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in articulo* 19 *Lutheri damnata.*

41. *Item in eo quod subditur,* Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum.

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, *Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulo* 17 *Lutheri damnata.*

42. *Item in eo quod superaddit,* luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos, *Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in articulo* 22 *Lutheri.*

43. *In eo demum,* quod impudentissime invehitur in tabellas Indulgentiarum, Altaria privilegiata etc., *Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices atque in praxim a tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.*

44. *Propositio Synodi asserens*, reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem, *Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.*

45. *Item* de spe quam ostendit fore, ut reformato Rituali et ordine pœnitentiæ, nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes:

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab Episcopo, vel Synodo oboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare, *Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino, et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.*

46. *Propositio asserens*, effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ:

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in Cœlo, animas obligans, *Falsa, perniciosa, in articulo* 23 *Lutheri damnata, ad minus erronea.*

47. *Item quæ tradit,* necessarium esse juxta leges naturales et Divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu, *Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.*

48. *Item quæ pronuntiat*, inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset, *Falsa, temeraria, Ecclesiæ praxi injuriosa.*

49. *Item quæ damnat* ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia, *Falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.*

50. *Item in eo quod insinuat,* soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1 de Ref.) suspensionis ex informata conscientia legitime infligendæ, *Jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva.*

51. *Doctrina Synodi*, quæ perhibet in promovendis ad Ordines, hanc de more, et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, ut si quis Clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur, qui ad Ordines Sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque tum talis Ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.

52. *Item quæ innuit,* non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Calced.; subjungens § 6, quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, Ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu Ministrorum Sanctuarii:

53. *Item* quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait § 3, Ecclesia insistens Apostoli vestigiis, neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem:

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta, et instituta:

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitæ sunt:

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino Ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia, qua sic Ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab Apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit:

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab Ecclesiastico Ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent: *Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, Ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Tridentini Decreta probata injuriosa.*

54. *Item* quæ velut turpem abusum notat umquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *Stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur:

Quasi turpis abusus crimine notandi essent Ministri Ecclesiæ, dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem, et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur, *Falsa, temeraria, Ecclesiastici Pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque Ministros injuriosa.*

55. *Item qua vehementer optare se profitetur,* ut aliqua ratio inveniretur minutuli Cleri (quo nomine inferiorum Ordinum Clericos designat), a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, velut Acolythi etc. ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia, non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant:

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur ut minorum Ordinum functiones per eos tantum præstentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt (Concilium Prov. IV Mediol.): idque ad mentem Tridentini (sess. 23, c. 17), ut Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ, juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tamquam otiosæ traducantur, *Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, Ecclesiastici Ministerii perturbativa, servandæ quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum Ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per Canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis, et calumniis.*

56. *Doctrina, quæ statuit* conveniens videri in impedimentis Canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam umquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem, *æquitatis et moderationis canonicæ a Sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.*

57. *Præscriptio Synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum* rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni, eidemque conferatur: item in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum, plus quam uno beneficio, tametsi simplici, neminem frui posse, *Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini sess. 7, c. 5, et sess. 24, c. 17.*

58. *Propositio quæ statuit* sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ; *Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.*

59. *Doctrina Synodi asserens,* ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, *quod* jus originarium *prælerea dicitur cum* jure dispensandi essentialiter connexum, *subjungens,* supposito assensu vel conniventia Principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obs-

tricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare, *Canonum* 3, 4, 9, 12 *sess.* 24 *Concilii Trid. Eversiva, Hæretica.*

60. *Item rogatio Synodi* ad potestatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani, *tum ut* restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum, juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis, *Libertatis ac Potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria ex hæreticali supra damnato principio profecta.*

61. *Propositio, quæ asserit,* adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem Divinum datum creaturæ;

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se, et tamquam nuda caro, sed prout unita Divinitati, foret honor Divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, *Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.*

62. *Doctrina,* quæ devotionem erga Sacratissimum cor Jesu rejici inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas:

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, *Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.*

63. *Item* in eo, quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant SS. Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a Divinitate adorari non posse cultu latriæ:

Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione, vel præcisione a Divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe Personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a Divinitate adorabile fuit in sepulchro, *Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.*

64. *Doctrina, quæ velut* superstitiosam universe notat quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum:

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum, vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex

ordine peragendo, *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.*

65. *Propositio enuntians,* irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Excercitia vel Missiones... forte numquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur ; et exteriores illos commotionis actus qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura, *Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie et salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.*

66. *Propositio asserens,* fore contra Apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ :

Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ, *Falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

67. *Doctrina perhibens* a lectione Sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subjungens ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates Religionis, *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.*

68. *Laudatio,* qua summopere Synodus commendat Quesnellii commentationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta ; eademque Parochis proponit, ut ea tamquam solidis religionis principiis referta, in suis quisque parœciis populo post reliquas functiones perlegat, *Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

69. *Præscriptio,* quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis, *Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines Sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ.*

70. *Item doctrina, et præscriptio* generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere, *Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordini injuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

71. *Item quæ velat,* ne imagines præsertim Beatæ Virginis ullis titulis distinguantur præterquam denominationibus, quæ sint analogæ Mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio :

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat, *Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. præsertim Virgini debitæ injuriosa.*

72. *Item quæ velut* abusum extirpari vult morem, quo velatæ asservantur certæ imagines, *Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

73. *Propositio enuntians* novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem so-

lemnitatum originem duxisse, *Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.*

74. *Deliberatio Synodi* de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis : idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam Ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales ; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum ; tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum Episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis :

Quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis, jejuniisve celebrandis : aut inductum Missæ audiendæ præceptum abrogare, *Propositio falsa, juris Conciliorum Generalium, et Summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.*

75. *Doctrina, quæ perhibet* beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis Divini Præceptoris, atque ab aurea Evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet jurare sine extrema, et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus : *insuper* continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse, indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia Ecclesiastica Jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta in investituris, et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit, statuitque adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam Ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali, *Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris Ecclesiastici læsiva, disciplinæ per Canones inductæ, et probatæ subversiva.*

76. *Insectatio, quæ Synodus* scholasticam exagitat velut eam, quæ viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et laxismum:

Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt, *Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno Catholicæ Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.*

77. *Item in eo quod subdit,* mutationem formæ regiminis Ecclesiastici, qua factum est, ut Ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones Ministerii Ecclesiastici, et solicitudinis pastoralis :

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ, et probatæ obliterari umquam potuerit, et amitti primitiva notio Ecclesiastici Ministerii, pastoralisve sollicitudinis, *Propositio falsa, temeraria, erronea.*

78. *Præscriptio Synodi* de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam præmisit, in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem, et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ, *subjungit,* in hac ipsa *(disciplina)* distinguendum quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile, aut onerosius quam libertas filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo, quod est

periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum :

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam, et probatam, quasi Ecclesia quæ spiritu Dei regitur; disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem, et materialismum, *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ, ac spiritui Dei quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.*

79. *Assertio,* quæ conviciis, et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil aliud adhuc definiendum, aut pronuntiandum censuit, *Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ Apostolicis constitutionibus obedientiæ derogans.*

80. *Regula* 1ª, quæ statuit universe et indiscriminatim statum Regularem aut Monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis, *Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres, et Præsules qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, Summorumque Pontificum sanctionibus contraria: quasi Monaci, quos morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ clericorum officiis aggregentur.*

81. *Item in ea quod subjungit,* sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium Institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuiset, *Scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

82. *Regula* 2ª, multiplicationem Ordinum, ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem, et confusionem : item in eo quod præmittit § 4. Regularium fundatores, *qui post monastica instituta prodierunt,* Ordines superaddentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud effecisse quam primariam mali causam magis magisque dilatare :

Intellecta de Ordinibus, et institutis a S. Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem, et confusionem parere debeat, *Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices injuriosa.*

83. *Regula* 3ª, qua postquam præmisit, parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum, subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias, *Falsa, temeraria, regularibus institutis a Sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

84. *Art.* 1. De uno dumtaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ cæteris regula Sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius Ordinis merita: sic tamen ut in his, quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat:

2. Ne compotes fiant Ecclesiasticæ Hierarchiæ, qui se huic Ordini adjunxerint, nec ad Sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unus vel duo, initiandi tamquam Curati, vel Capellani Monasterii, reliquis in simplici Laicarum ordine remanentibus:

3. Unum tantum in unaquaque civitate admittendum Monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis additioribus, et remotioribus collocandum:

4. Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore Psalmodiæ impendendo, aut etiam si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam. evagationem. Quo plus auctæ sunt Psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque Regularium:

5. Nulla foret admittenda distinctio Monacos inter sive choro, sive ministeriis addictos, inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus Regularium spiritum charitatis expulit:

6. Votum perpetuæ stabilitatis numquam tolerandum. Non illud norant veteres Monaci, qui tamen Ecclesiæ consolatio, et Christianismi ornamentum extiterunt. Vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ non admittentur instar communis, et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium, et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen numquam permittet, ut perpetua sint: nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus:

7. Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit Monacos admittere, et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio:

8. Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet Sacerdotes in hoc Monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num 2° statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque cæteris Sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare:

Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ: a carnali spiritualitate, qua pleræque detinentur, avocandæ: expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret Monasterium in civitate relinqui:

Systema vigentis, atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus Apostolicis, et plurium Conciliorum etiam Generalium, tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota, et regularia instituta stabi-

liori consiliorum Evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

85. *Propositio enuntians* qualemcumque cognitionem Ecclesiasticæ Historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem Concilii Nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum Nationum controversiæ spectantes ad Religionem.

Sic intellecta, ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ, per Nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus Nationali Concilio competeret, *Schismatica, Hæretica.*

Conclusio Bullæ, ubi alia adnotantur.

« Cæterum per hanc expressam præfatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in eo complures deprehensæ fuerint propositiones et doctrinæ sive illis, quæ supra damnatæ sunt affines, sive quæ communis et probatæ cum doctrinæ et disciplinæ temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et Apostolicam Sedem animum præseferunt. — Duo autem speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo Sanctissimæ Trinitatis Mysterio § 2 decreti de fide, si non pravo animo, inprudentius certe Synodo exciderunt, quæ facile rudes præsertim et incautos in fraudem impellere valent.

«1. Dum posteaquam rite præmisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus Personis distingui, perperam discedit a communi, et probata in christianæ doctrinæ Institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus Personis distinctis dicitur, non in tribus Personis distinctus; cujus formulæ commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut Essentia distincta in Personis putetur, quam fides Catholica sic unam in Personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam; — 2 quod de ipsismet tribus divinis Personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum: quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e cœlo et a nube delapsa, tunc formula Baptismi a Christo præscripta tum et præclara illa confessione qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus: ac non potius retinendum esset quod, edoctus a b. Augustino, Angelicus præceptor (1 *p. q.* 34, *a.* 2) vicissim ipse docuit, *in nomine Verbi eumdem proprietatem importari quæ in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino *(de Trin. VII*, c. 2): *eo dicitur Verbum quo Filius.*

«Neque silentio prætermittenda insignis ea fraudis plena Synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab Apostolica Sede Conventus Gallicani Declarationem anni 1682 ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in Decretum *de fide* inscriptum insidiose includere, articulos illos in illa contentos plane adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum pu-

blica et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de Synodo, quam Prædecessoribus nostris fuerit de Comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanæ Ecclesiæ non levis injuria irrogatur, quam dignam Synodus extimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum Decretum.— Quamobrem quæ Acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, Prædecessor Noster Venerabilis Innocentius XI per Litteras in forma Brevis die 11 apr. 1682; post autem expressius Alexander VIII Constitutione *Inter multiplices* 4 aug. 1690 pro Apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiis affectam adoptionem veluti temerariam, scandalosam ac præsertim, post editam Prædecessorum Nostrorum Decreta, huic Apostolicæ Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsenti hac nostra Constitutione reprobamus et damnamus ac per reprobata et damnata haberi volumus (1).»

(1) Pontifex Benedictus XIV scribens ad supremum Hispaniæ Inquisitorem 31 julii 1748 circa defensionem hujus declarationis a Bossuet confectam, ajebat: *Difficile profecto est aliud opus reperire, quod æque adversetur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ de S. Pontificis ex cathedra definientis infallibilitate, de ejus excellentia super quodcumque Concilium œcumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum religionis et Ecclesiæ commodum id exigat, super juribus temporalibus Principum supremorum.* Vid. *Memorie di religione e di morale e di Letterati*. Modena, t. XIV: *afforismi sui quattro articoli della dichiarazione del* 1682, *diretta ai giovani teologi.*— Voith, *De Primatu R. Pontificis*, etc.

A Romano Pontifice quæsitum fuit: « N. Confessarius in Galliis consulit, num ipse queat et debeat absolvere illos Ecclesiasticos, qui se subjicere recusant condemnationi, quam sancta Sedes edidit quatuor celeberrimarum propositionum cleri Gallicani. Ita multæ tollentur quæstiones et conscientiæ quiescent. » Respondit per sacram Pœnitentiariam ut sequitur: *S. Pœnitentiaria, diligenter perpensa proposita quæstione, respondendum censuit: Declarationem conventus Gallicani anni* 1682. *ab Apostolica Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata; nullam tamen theologicæ censuræ notam doctrinæ Declaratione illa contentæ inustam fuisse: propterea nihil obstare quominus sacramentali absolutione donentur sacerdotes illi, qui bona fide et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc adhærent, modo absolutione digni aliunde videantur. Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria,* die 27 sept. 1825. — Michael Cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarius. »

APPENDIX II.

Sanctæ Apostolicæ Sedis Responsa quædam recentiora circa Jejunium (1).

1. Ad Quæsitum: *Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam* X *aut* XI *matutinam, prandium vero differendo ad* IV *vel* V *horam vespertinam;*

S. Pœnitentiaria 10 jan. 1834 respondendum censuit: *Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua extet causa, pœnitentes qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.*

2. Ad quæsitum: *Si los padres de familia, cuando se halla en la misma alguna persona, que tenga dispensado el uso de carnes, pueden estender la dispensa indistintamente á todos los individuos de la familia;*

S. Pœnitentiaria anno..... respondendum censuit: *Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque Medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus.*

3. Ad Quæsitum: *Si en la Cuaresma, teniendo el gefe de la familia dispensa para comer carne, y no pudiendo ó no queriendo él mismo hacer dos comidas una de carne y otra de pescado, pueden los hijos de familia y las personas que estén á su servicio comer carne;*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834 respondendum censuit: *Posse personis, quæ sunt in potestate patris familias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis: adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis; et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.*

4. Ad Quæsitum: *Si los que se hallan dispensados de la observancia del ayuno, por ejercer oficios fatigosos, pueden en la Cuaresma en los dias en que está permitido el uso de carnes y lacticinios* (pro unica comestione), *comer carnes y lacticinios tantas veces cuantas tengan necesidad de comer durante el dia, como se hace en los Domingos de la misma Cuaresma en que no se está obligado al ayuno;*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834, de mandato felicis recordationis Pii Papæ VII respondit: *Fideles qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt.*

(1) Excerpta sunt e perutili Opusculo Righetti *Dei digiuno e della Quaresima.*

Quanti autem ea facienda sint, vel ex hoc liquet, quod Benedictus XIV Encyclica, *Libentissime* 10 jan. an. 1745, mentionem faciens de quæstionibus, quæ super Jejunio proponebantur, habet: *Sacro Tribunali nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus; quibus omnibus plene cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.*

5. Ad Quæsitum: *Utrum ii, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, subjiciantur Legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur;*

S. Pœnitentiaria 13 februarii anno 1834 respondit: *Consulat* (quisque) *probatos Auctores* (1).

6. Ad Quæsitum: *Un Confesor pregunta á Vuestra Santidad, si á los dispensados* (ad esum carnium) *en los viérnes y sábados del año, en los cuales no hay obligacion de ayunar, sea permitido el promiscuar los manjares, no obstante la respuesta de* Benedicto XIV *al Arzobispo de Zaragoza por conducto de la Secretaria de los Memoriales en* 5 *enero de* 1755.

S. Pœnitentiaria 15 febr. 1834, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis suæ mandato respondit: *Permitti.*

(*) BEATISSIME PATER.

Archiepiscopus Compostellanus, humiliter provolutus ad pedes Smæ. Bnis. Vestræ, devote postulat solutionem dubii, nimirum an omnes illi qui gaudent indulto Cruciatæ in Regno Hispano, virtute ejusdem possint edere diebus veneris et sabbati non jejunio consecratis, sed per annum, carnes et pisces eadem in mensa, non obstante responso dato a Sanct. mem. Benedicti XIV Archiepiscopo Cæsaraugustano: Deus ecc.

Sac. Pœnit. attente consideratis expositis, Ven. in Christo Patri Archiepiscopo Compostellano respondet; ex oraculo Sanct. mem. Gregorii XVI diei 15 februarii 1834 *Permitti.*

Prælaudatus tamen Archiepiscopus explicare non dedignetur, an adsit consuetudo in Regno Hispaniæ in contrarium obligatoria. — Datum Romæ in Sac. Pœnit. die 11 *Augusti* 1855. — P. de Silvestri, Sac. Pœnit. Rs. — L. Veirano Sac. Pœnit. Serius.

EMINENTISSIME DOMINE:

Sac. Pœnit. rescripto sub die 11 augusti 1855 constat diebus abstinentiæ sine jejunio carnes et pisces in eadem mensa apponere licitum esse, his qui virtute Cruciatæ ab abstinentia sunt dispensati.

At Emin. Ves. a me quærit, an adsit in Regno Hispaniæ consuetudo in contrarium obligatoria.

Pro responso dissertationem mitto ab hujus almæ Ecclesiæ Pœnitentiario

(1) *Alii* docent illos quoque subjici; nam lex *qualitatem* ciborum respiciens omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut si indultum non esset, etiam ab illis a carnibus esset abstinendum: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quæ *una vice* comedere possunt jejunantes, ea *toties quoties* voluerint, valeant comedere a jejunio liberati.

Alii cum ipso Righetti, contrarium tenent: nam Encyclicæ Benedicti XIV, quibus ea mixtio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur; ergo non ultra sunt extendendæ: alioquin si nimis essent urgendæ; a jejunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendæ carnes; cum id semel tantum ibi indulgeatur.

de hac re concinnatam. — Datum Compostellæ die 7 maji 1856. — Michael Archiep. Compost.

Sac. Pœnit. mature consideratis expositis, et perpensis quæ circa propositum dubium ab Archiepiscopo Compostellano fuerunt deducta, respondet: *Permitti.* — Datum Romæ in Sac. Pœnit. die 18 julii 1856. *P.* de Silvestri, Sac. Pœnit. Rs. — L. Peirano, Sac. Pœnit Serius (*).

7. Ad Quæsitum: *Utrum in diebus jejunii tempore Adventus a Pio* VI *præscripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium;*

S. Pœnitentiaria 8 jan. 1834 respondit: *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.*

8. Ad Quæsitum: *Utrum Lege vetitæ permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati* (*vulgo* salarones, *idest* anchoas, atun, salado, huevas de pescado, arenques, sorra, *aliaque his similia*), *an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi;*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834 respondit: *Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

9. Quæsitum: *Utrum tempore jejunii cui licitus est usus carnium, liceat miscere testacea marina, quæ improprie* fructus maris *dicuntur, sed vulgo pisces censentur* (*idest* ostras, almejas, conchas, lapas, cangrejos y otros mariscos).

S. Pœnitentiaria 16 januarii 1834 respondit: *Testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

10. Ad Quæsitum: *Los que tienen dispensa por la cualidad de los manjares, pueden en los dias de ayuno comer solamente sopa de caldo por exigirlo su salud y en lo demás hacer uso de manjares cuaresmales para conservar en lo posible la observancia de la Ley sobre los alimentos;*

S. Pœnitentiaria die 8 februarii anno 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative.*

11. Ad Quæsitum: *Utrum tempore jejunii liceat mixtio carnis cum leguminibus;*

S. Pœnitentiaria anno... respondit: *Carnes cum quibuscumque leguminum speciebus misceri posse, extra omne dubium est.*

12. Ad Quæsitum: *Si los que están dispensados para comer de carne, en los dias en que solo hacen uso de lacticinios, pueden por condimento emplear manteca de cerdo.*

S. Pœnitentiaria 8. feb. 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative.*

13. Ad Quæsitum: *Utrum, quum sive per Bullam Cruciatæ, sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti* (*vulgo* manteca de cerdo) *solo titulo condimenti, ii qui ad jejunium tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione;*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834 de expresso sanctæ memoriæ Papæ Leonis XII oraculo respondit: *Quod iis, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa vi in-*

dulti olei locum tenent: dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.

14. Ad Dubium: *Utrum avis aquatilis, cui nomen Fulica* (*vulgo* Zarzeta ó polla de agua) *inter pisces computanda sit, illaque vesci liceat iis diebus, quibus vetitæ sunt carnes.* — *Religiosi Ordinis Minimorum S. Francisci a Paula, quibus carnes omnino interdictæ sunt, ad tollendam perplexitatem, qua eorum conscientiæ hac super re angebantur, supplicationem porrexerunt Pio* VII, *ut sibi concederetur* posse libere uti *eo cibo;*

Quibus per S. Congregationem Regularis Disciplinæ 22 febr. anno 1804 *Sanctissimus, veris existentibus narratis, benigne annuit* PRO GRATIA *juxta petita, Constitutionibus Ordinis, aliisque omnibus non obstantibus, etc.*

APPENDIX III.

Romanarum Congregationum responsa plurima ac novissima ad praxim maxime spectantia (1).

1. Absolutio.—Illud *Deinde,* quod absolutioni peccatorum immediate præmittitur, recitandum est simul cum ipsa absolutione, veluti ejusdem contextus. *S. R. C. in Viglevanensi*, 27 febr. anno 1847.

An dicendum sit in fine absolutionis mortuorum *requiescat,* vel *requiescant?* Quando absolutio est pro uno defuncto, in singulari ; pro pluribus, in plurali. In Misa vero semper *requiescant*, *S. C. R.* 22 jan. anno 1678.

2. Administratio Sacramentorum.—Tempore paschali in domo infirmi non dicitur *Vidi aquam*, nec oratio *Spiritum,* sed servandum Rituale. *S. R. C.* 11 febr. anno 1702.

Parochus seclusa Episcopi reservatione, potest dare simplici Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, excepta Pœnitentia: neque sine causa prohibendus est ab Episcopo. *S. C. E.* 20 aug. anno 1602.

Pro Sacramentorum administratione nil est accipiendum *hoc titulo*, etiam a sponte dantibus; quod autem offertur sponte, pro eleemosyna accipi potest. *S. C. C.* 1 febr. anno 1593.

Eucharistia omnino servanda est in qualibet Parochiali: quod si reditus non sufficiant, instituatur quæstor, vel eleemosynarum collector. *S. C. E.* 14 martii anno 1614.

Curatus non debet dare licentiam generalem, ut quilibet Parochianus in ipso die Paschatis communicare possit in Ecclesiis Regularium. *S. C. C.* die 7 sept. anno 1615.

An toleranda sit vel eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit sic sacris vestibus Sacrificii indutum et jam præ manibus calicem habentem, ascendere in transitu Altare, in quo adest SS. Eucharistia, ut ibi Communionem distribuat? Et quatenus non sit toleranda, utrum depositis planeta et manipulo in sacristia accedere possit cum alba et stola? *S. R. C.* respondit, *si adsit necessitas, posse tolerari* : 12 martii 1836.

S. C. C. post maturam discussionem censuit non posse prohiberi Regularibus habentibus privilegia apostolica, ut a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive, non valeant ministrare sæcularibus Communionem in suis Ecclesiis; posse tamen iisdem prohiberi, ut sæcularibus, die Paschatis administrant, etsi dicti sæculares fecissent satis præcepto Paschali: 11 junii 1650 (2).

(1) An decreta SS. Rituum Congregationis, dum eduntur, derogent cuicumque contrariæ consuetudini etiam immemorabili ; et in casu affirmativo, obligent in conscientia? *Affirmative; at recurrendum in particulari.* — *S. R. C.* 11 sept. 1847.

(2) *V.* Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. IX, c. 16. Hoc tamen cum sit Regularibus concessum ob privilegia apostolica quæ habent, non militat pro aliis qui regulares non sunt: qui utique

Prohibetur Regularibus administrare sæcularibus Sacramentum Communionis ipso die Paschatis. *S. C. E.* 10 sept. 1627.

Laici non possunt in die Paschatis de manu Regularium Sanctissimam Communionem accipere, etiamsi alia die satisfecerint præcepto. *S. C. C.* 31 jan. anno 1682 (1).

Quæritur 1: An tempore Missæ Sacrificii in administratione Viatici præsertim in Xenodochiis liceat ab Altare recedere usque ad ægrotorum lectum, recitando interim Psalmum *Miserere*, uti fieri solet extra Missam?—2 Utrum tempore etiam Sacrificii Missæ administrari possit Sanctissimum Viaticum in paramentis nigris?—3 Quum occasione mortis alicujus Episcopi præscribat Cæremoniale Episcoporum, quod ipso sepulto, preces pro opportuna electione Deo fundantur, quæritur utrum hæc *Collecta* pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem Consecrationis, an electionis tantum?

Ad 1: *Negative quoad Psalmum* Miserere *recitandum. Insuper animadvertendum, quod si Celebrans pro Viatici administratione intra Missam, Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere.*—Ad 2: *Affirmative.*—Ad 3: *Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies Concistorii secreti. S. R. C.* 19 dec. anno 1829.

An in Communione fidelibus ministranda post versiculum *Panem de cœlo*, dici omnino debeant ante Orationem alii versiculi *Domine exaudi*, et *Dominus vobiscum?* R. *Affirmative;* 24 sept. 1842 (2).

In Communione Monialium habentium fenestrellam in parte Evangelii, Sacerdos debet descendere, et reverti per gradus anteriores, non laterales Altaris. *S. C. R.* 15 sept. 1736.

Patenæ suppositio per Sacerdotem cotta indutum in Communione generali, quæ per dignitates agitur, licita est. *S. C. R.* 3 sept. 1661.

In infusione sacrorum Oleorum in aquam baptismalem servetur omnino Rituale. *S. R. C.* 16 dec. 1726.

Super adultum valide baptizatum, si supplendæ sint cæremoniæ, adhibentur illæ quæ pertinent ad Baptismum infantium. Si vero supplendæ sint super adultum ab hæreticis baptizatum, servandæ erunt illæ, quæ sunt pro Baptismo adultorum. *S. R. C.* 27 aug. 1836.

In aquam baptismalem infundi debent Olea sacra nondum renovata, si attentis omnibus temporum circumstantiis, difficulter recipi possint Olea noviter consecrata.—In casu prædicto Baptisma conferri debet cum aqua recens consecrata, licet in ipsam infusa sint Olea præcedentis anni.—Aqua sic benedicta in Sabato sancto, debet reservari usque ad vigiliam Pentecostes, in quo benedicitur fons cum novis Oleis *S. R. C.* 23 sept. 1837.

Parochus, etiam absente indultario, potest in casu necessitatis celebrare

prohiberi poterunt, sic judicante Episcopo, ne in propriis Ecclesiis non parochialibus, illis diebus Communionem distribuant.

(1) Sed Roncaglia et Wigandt, in hoc peculiari casu, dicunt constantem esse consuetudinem in contrarium, quæ jurisdictionem præbet. Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 240: unde de novo esset urgenda legis observantia.

(2) Hæc de re *vid.* Gardellini, *Decreta authentica S. R. C.* tom. VI, pag. 205, ubi rationem indicat, atque varias hac de re Auctorum opiniones notat, quæ ante hanc declarationem obtinebant.

in Oratorio privato, ut Viaticum ministret. *S. R. C.* 23 sept. 1836.

Omnes de Clero inservientes Missæ Pontificali feria v in Cœna Domini tenentur Communionem recipere de manu Celebrantis. *S. R. C.* 22 sept. 1837.

In Missis defunctorum cum paramentis nigris non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo pyxidem e custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando fidelibus præbetur Communio cum particulis in eadem Missa consecratis. Ita *S. R. C.* 2 sept. 1741.

Sed alia Decreta habentur, quæ etsi semper prohibeant dare Communionem cum paramentis nigris ex particulis præconsecratis ante vel post Missam, permittunt tamen si hoc fiat in ipsa Missa: in qua sententia consentit Benedictus XIV, *De sacrificio Missæ*. Verum hac de re varia semper fuit Doctorum opinio, et pluries adhuc recursum est ad S. Congregationem; ultimo in Mutinensi 23 sept. 1837 sic quæsitum fuit: perdurat adhuc in quibusdam Ecclesiis mos communicandi in Missa defunctorum cum particulis præconsecratis, quia Decreta hac de re non censentur a multis authentica aut saltem revocata: quæritur 1 an idem mos possit permitti, vel saltem ab Episcopo prohibendus, adeo ut solum liceat communicare in dictis Missis cum particulis in ipsis Missis consecratis; 2 an saltem toleranda consuetudo celebrandi prædictas Missas in paramentis violaceis, ad hoc ut possit præberi Communio cum particulis præconsecratis.—R. *ad* 1 *dilata; ad* 2 *serventur Rubricæ*, quæ dicunt Missas de requiem dicendas cum nigro colore (1).

Nequit negari Communio fidelibus extra Missam. *S. R. C.* 7 dec. 1844.

In Communione extra Missam decet, quod bursa cum corporale deferatur a Sacerdote. *S. R. C.* 24 sept. 1842.

In Communione extra Missam semper adhibenda bursa cum corporale; et Rubrica Ritualis Romani pro hac praxi est præceptiva; neque sufficit palla super Altare posita loco corporalis. Ita *S. R. C.* 27 febr. 1847.

In Communione fidelium extra Missam Sacerdos antequam populo benedicat, osculari non debet Altare. *S. R. C.* 15 martii 1833.

An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel jubilæum possit ministrari Communio aliqua hora ante auroram, et post meridiem?—R. *in casu de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missæ celebrantur vel ad formam Rubricæ vel ad formam Indulti:* 7 sept. 1816.

Non est reprobandus Parochus qui defert Viaticum infirmo feria VI in Parasceve, dummodo private et submissa voce, quinimo submississima voce recitet Psalmos consuetos, per vias publicas, etiamsi dicat *Gloria Patri;* quia in tali circumstantia actio talis nil habet esse cum functionibus Ecclesiæ hujus diei: et considerandum est, quod defert cum stola et pluviali albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiæ functionibus; ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reproban-

(1) Nullius momenti restat dicenda eorum opinio, qui in Missis defunctorum prohibitam etiam volunt renovationem aut meram consummationem SS. Sacramenti, imo et aperitionem tabernaculi; cum circa ista omnia numquam noscatur motam fuisse quæstionem; nec aliquis inveniatur in rebus liturgicis vel leviter versatus, qui hoc inficietur. Ita in libro, *Manuale Decretorum* Ed. 3ª Romæ typis Propagandæ, 1853, cap. 3.

dus, si populum sine Benedictione dimittat feria VI Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi : 15 maji 1745 *in Lucana.*

3. Adoratio.—In adoratione Crucis feria VI in Parasceve celebrans et ministri debent deponere etiam manipulum. *S. R. C.* 15 sept. anno 1736.

4. Altare.—Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur sepulcrum Reliquiarum. *S. R. C.* 5 martii, anno 1603.

Celebrari non potest super Altare, a quo furtim (non amota vel fracta mensa), subtractæ fuerunt Reliquiæ a militibus, nisi Altare de novo consacretur. *S. R. C.* 5 martii 1623.

Altare portatile cujus sepulcrum, aliis remanentibus consecrationis vestigiis, invenitur sacris Reliquiis vacuum, est denuo consecrandum. Item est, si deleto tantum Episcopali sigillo super sepulcrum hispanica cera impresso, obseratæ adhuc inveniantur Reliquiæ, quia non constaret de illarum identitate et authenticitate. *S. R. C.* 23 maji 1846.

Consuetudo denudandi Altaria post Vesperas a celebrante stola et cotta induto servari potest. *S. R. C.* 11 sept. 1847.

5. Anniversaria.—An anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, si contingat transferri ultra aliquas octavas privilegiatas, gaudeant adhuc ut possint celebrari in duplici majori? *S. R. C.* respondit *negative:* 3 dec. anno 1701.

An in anniversario translato ob festum de præcepto variari debeat Oratio, in qua vitiatur veritas verborum, seu potius omittere sufficiat illa verba: *cujus anniversarium depositionis diem commemoramus?*—R. *Recitandam Orationem prout in Missali.* Ita *S. R. C.* 4 maji 1686.

6. Aqua lustralis.—In ultimo majoris hebdomadæ triduo removendane est a vasis Ecclesiæ aqua benedicta? *Affirmative: S.R. C.* 12 nov. anno 1831.

7. Benedictio.—«Cuando se ha de bendecir una cosa que no tiene en el Ritual romano fórmula alguna particular, podrá usarse para ello la que se encuentra en el suplemento del mismo Ritual :» *Deus cujus verbo sanctificantur omnia? S. C. R.* respondit: *negative;* anno 1851.

Ad benedictionem fontis in Oratione et Præfatione manus teneantur junctæ. *S. R. C.* 25 sept. 1806.

Benedictio cum SS. Sacramento non est danda in janua, non obstante consuetudine. *S. R. C.* 9 julii, anno 1687 (1).

Benedictio fontis facienda est etiam in vigilia Pentecostes, et quævis contraria consuetudo declaratur abusus. *S. R. C.* 7 dec. 1844.

Consuetudo benedicendi aquam baptismalem extra vas baptisterii, retineri potest. *S. R. C.* 7 apr. 1832; modo antequam ponatur Chrisma, mittatur aqua in suum fontem.

Sacra Pixis in benedictione debet cooperiri extremitatibus veli humeralis. *S. R. C.* 23 febr. 1839.

In benedictione cum S. Pyxide potest omitti thurificatio, et est conformior Ecclesiæ praxi: non tamen cum impertitur benedictio cum Ostensorio. *S. R. C.* 11 sept. 1847.

(1) Si aliquod contingat Festum feria VI majoris hebdomadæ, potest dari Benedictio cum Sanctissimo, ante Completorium tamen; non postea, quia postea jam incæptum est Officium tenebrarum.

An conveniat cantare aliquas cantiones vulgàri sermone, non tamen profanas, in festivitate SS. Sacramenti? *S. R. C.* respondit: *non convenire;* 21 martii anno 1609.

An in benedictione populo impertienda cum Augustissimo Sacramento permitti possit cantus alicujus versiculi, vernacula lingua concepti, ante vel post benedictionem? *S. R. C.* respondit: *permitti posse post benedictionem;* 3 augusti 1839 (1).

Benedictiones mulierum post partum (2) et fontis Baptismalis fieri debent a Parochis. *S. R. C.* 10 dec. 1700.

Utrum liber, *Collectio sive apparatus absolutionum, benedictionum, conjurationum*, etc. auctore Bernardus Sannig, sit prohibitus vigore decreti seu regulæ Indicis? aliqui enim affirmant, alii negant. Et quid de aliis libris Benedictionum habentibus quidem aliquam approbationem, sed non illam istius Congregationis? *Illi soli libri adhibendi et in illis tantum benedictionibus, quæ Rituali Romano sunt conformes.* Ita *S. R. C.* 7 apr. 1832.

Dum datur Benedictio cum SS. Sacramento, Celebrans nihil dicere debet, nihilque vocibus modulari a cantoribus ad præscriptum Ritualis et Cæremonialis, non obstante quacumque contraria consuetudine. *S. R. C.* die 9 febr. 1662.

In benedictione Sanctissimi Sacramenti ante orationem dici non debet *Dominus vobiscum. S. R. C.* die 16 jan. anno 1663.

An Benedictio in articulo mortis impertienda sit pueris, qui defectu ætatis primam Communionem nondum instituerunt? *S. R. C.* respondit: *affirmative;* 16 dec. 1826.

Cruces Altarium seu processionum non sunt benedicendæ de præcepto. Potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim, sed non solemniter (ea nempe benedictione, quæ fit in pontificalibus vel publice cum populi concursu). *S. R. C.* 12 julii 1704.

En nova formula benedictionis *viæ ferreæ et curruum* nuperrime a S. C. Rituum approbata:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*—℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Dominus vobiscum.*—℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. *Omnipotens sempiterne Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam, utilitatemque hominum condidisti; dignare quæsumus hanc viam ferream ejusque instrumenta bene✝dicere, et benigna semper tua providentia tueri; et dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes, et viam mandatorum tuorum currentes, ad cœlestem patriam feliciter pervenire*

(1) Et talis revera est ferme ubique usus, ut nempe post benedictionem, nondum reposito Sacramento, canatur: *Vi adoro.* Romæ et alibi recitantur laudes, *Dio sia benedetto* etc.

(2) Commendandæ mulieres christianæ, quæ post partum *sive* ex reverentia erga Ecclesiam ac divina mysteria, quæ in ipsa peraguntur, *sive* exemplo B. V. quæ ex humilitate legi purificationis se subjecit, cum non esset obnoxia, *sive* ad gratias Deo agendas pro incolumitate, ad tempus aliquod ab Ecclesiæ ingressu se abstinent, nec in eam intrant, nisi a Paro ho petita benedictione.—*V.* Innocentius III, *Epist. relata in* c. *unico* de Purific. p. part. l. III, *Decret.* t. XLVII. —S. Carolus *Concil. Prov.* I, p. 2. Laudabilis hæc consuetudo perantiqua est; imo ab ipsa veteri lege ipsam oriri satis patet ex c. 12 *Levitici.* Sed tunc erat in præcepto; hodie autem in laudabili usu.—*V.* Catalanus. *Rit. Romanum Comment. exornatum.* — Barrufaldus, *Ad Rit. R. Commentarium.*

valeant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Oremus. *Propitiare Domine Deus supplicationibus nostris, et bene✠dic currus istos dextera tua sancta; adjunge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis; et quemadmodum viro Æthiopi super currum suum sedenti et sacra eloquia legenti, per Apostolum tuum fidem et gratiam contulisti; ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adjuti bonisque operibus jugiter intenti, post omnes viæ et vitæ hujus varietates æterna gaudia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*—Deinde Sacerdos aspergat viam et currus aqua benedicta.

8. Bona Ecclesiastica.—«N. N. Confessarius Diœcesis Mediolanensis, videns viros pios æque ac doctos in diversam abire sententiam circa licitam retentionem Bonorum ecclesiasticorum, quæ sub fine præteriti sæculi ac sub initio præsentis a Gubernio laico usurpata fuerunt, ac postmodum alienata (sunt enim qui docent, exceptis iis bonis, quæ a Gubernio laico post Concordatum italicum occupata fuere, cætera posse tuta conscientia retineri; et sunt qui varias afferunt distinctiones: adeo ut alii omnem hujusmodi acquisitionem illegitimam, nec adhuc in ullo Concordato sancitam tradant): humiliter quærit, utrum possint tuta conscientia retineri: 1 Bona ecclesiastica, quæ a Gubernio laico in Longobardia usurpata fuere et alienata, ante primam Gallorum invasionem factam anno 1796; 2 Bona ecclesiastica, quæ ante dictam invasionem occupata quidem, sed nondum alienata, in potestatem Gubernii Gallici devenerunt, ac deinde alienata ante vel post Concordatum italicum; 3 Bona ecclesiastica, quæ a Gubernio gallico ante italicum Concordatum anni 1803 usurpata fuere, ac deinceps ante vel post ipsum Concordatum alienata; 4 Bona ecclesiastica post ipsum italicum Concordatum de novo usurpata?—Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, Oratori respondet, alienationes bonorum Ecclesiasticorum in ditione vulgo *Regno italico* a Gallico Gubernio factas. Apostolica postmodum Auctoritate sanatas fuisse; ac propterea ipsa sacra Pœnitentiaria declarat licere iis, qui bona eadem acquisiverint (modo illorum alienatio fuerit omnino consentanea legibus, quæ obtinebant, quo tempore alienatio ipsa perfecta est), tamquam propria et in suum dominium ac potestatem translata habere, deque iis libere disponere. Verum sacra eadem Pœnitentiaria ipsos hujusmodi Bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet, ut pro ea pietate ac Religione qua catholicum quemque flagrare decet, pia onera, si quæ Bonis illis inhærebant, adimplere non negligant. In reliquis autem recurrendum est in casibus particularibus.—Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, die 7 julii 1845.»

«In rescriptis S. Pœnitentiariæ, quæ referuntur ad bona Ecclesiastica, vertente sæculo XVIII et ineunte sæculo XIX, a Gubernio laico in alta Italia usurpata, mentio plerumque fit cujusdam sanationis, quæ Apostolica auctoritate facta est circa illegitimam eorumdem possessionem. Ad dirimendas controversias de facili enascentes in re tam gravi, quæritur: 1 *quo præciso tempore sanatio hæc a Sede Apostolica benigne concessa sit? utrum unica tantum sanatio interfuerit* (*ea scilicet, quæ in Concordato cum Republica cisal-*

pina extat); an aliqua posterior sub regno Italico? 2 utrum ea sanatio sese extendat tantum ad bona, quæ tunc temporis jam divendita privatis fuerunt; an etiam ad ea bona, quæ occupata quidem tunc temporis jam erant, sed postea sunt divendita, vel forte modo et in posterum divendentur? 3 utrum hæc sanatio referatur etiam ad bona Ecclesiastica ante invasionem Gallorum usurpata et alienata?—Sacra Pœnitentiaria, mature expensis expositis, Venerabili in Christo Patri Episc. Mantuæ respondet: alienationes bonorum Ecclesiæ in ditione vulgo Regno Italico, a Gallico gubernio factas ante Concordatum, 16 sept. 1803, Apostolica postmodum auctoritate sanatas fuisse; ac propterea S. Pœnitentiaria declarat licere iis, qui bona eadem acquisiverint, modo illorum alienatio fuerit omnino consentanea legibus, quæ obtinebant quo tempore alienatio ipsa perfecta est, tamquam propria et in suum dominium ac potestatem translata retinere, deque iis libere disponere. Verum eadem S. Pœnitentiaria ipsos hujusmodi Bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet, ut, pro ea pietate ac Religione, qua catholicum quemque flagrare decet, pia onera si quæ Bonis illis inhærebant, adimplere non negligant.—In reliquis autem, recurrat in casibus particularibus indicando tempus et modum venditionis et acquisitionis, necnon valorem Bonorum, de quibus agitur, et pia onera ex testatorum dispositionibus iisdem inhærentia: 17 julii 1847.»

Nota: ut hoc plenius intelligatur, sciendum est, omnium bonorum Ecclesiæ, uti confraternitatum, monasteriorum, beneficiorum, legatorum, etc. quæ tempore publicæ perturbationis a Gubernio sacrilege usurpata sunt, et invalide alienata (1) (ad quascumque tandem manus ea Ecclesiastica bona devenerint), summi Pontifices de plenitudine potestatis venditionem confirmasse etiam pro foro interno ad bonum pacis ac fidelium tranquillitatem; modo tamen illorum acquisitio facta sit juxta leges tunc vigentes (2). Quod vero pertinet ad opera pia ipsis bonis adnexa, ut celebrandi Missas, elargiendi eleemosynam, etc. utrum teneantur acquisitores ad ea adimplenda, S. Pœnitentiaria 20 martii anno 1818 de expressa Pontificis auctoritate Episcopo Bouvier respondit, dumtaxat *hortandos esse* (3). Hic autem advertunt:— 1 hanc Pontificis convalidationem eos, qui jam ea bona usurparunt, non liberasse ab ecclesiastica censura: unde adhuc erunt absolvendi. Attamen Leo XII Bulla *Gravissimæ calamitates* 14 maji 1828 pro Regno Sabaudiæ omnes sive laicos sive Ecclesiasticos absolvit a quibuscumque censuris et pœnis,

(1) *V. La restituzione dei beni Ecclesiastici necessaria* ecc. Roma 1824.

(2) Pro regno Galliarum habetur Breve 15 jan. 1801: et 18 julii 1817 *Ubi primum.*— Pro regno Italico Breve 16 sept. 1803. Speciatim vero pro regno Sabaudiæ tum Breve 20 dec. 1816; tum Bulla 14 maji 1828. *Vid.* etiam *Lit. Patent.* 22 sept. 1818.— Pro Belgio habetur *Breve* 19 sept. 1833.

(3) Onera dictis bonis adnexa triplicis generis distingui possunt: — 1 vel respiciunt onera spiritualia, v. g. fundationes Missarum, eleemosynarum elargitiones: et quoad hæc bonorum possessores ex S. Pœnitentiaria tantum sunt hortandi; —2 vel respiciunt onera temporalia erga Ecclesiam, v. g. census alicui Ecclesiæ vel religiosæ communitati debitas: et quoad hæc Pontifex bona condonando censetur etiam condonasse talia onera, quæ erant veluti illorum pars aut saltem accessorium, et sic pluries eadem Pœnitentiaria respondit; 3 vel respiciunt onera temporalia erga privatos, et tunc Pontifex nec potuit nec voluit sancire spoliationem jurium, quæ tertiis competere poterant: et sic oraliter respondisse fertur Pius VII. Ita Talento et Lyonnet.

et ab irregularitate exinde forsan ab Ecclesiasticis viris incursa ;—2 bona, quæ tempore Concordatorum adhuc a Gubernio erant occupata, habenda sunt ut alienata juxta responsionem S. Pœnitentiariæ: unde ea postmodum privati valide et licite emere poterant, quin ad pia onera tenerentur iisdem bonis adnexa (1); in Concordatis enim pro omnibus hisce oneribus jam fuerat imposita compensatio, supplendo de cætero ex thesauro Ecclesiæ.

9. Breviaria, Missalia, Horæ Diurnæ. — NOVARIEN. Em. et Reverend. Domine Observantissime.

Sacrorum Rituum Congregationi supplex exhibitus fuit Libellus pro parte Sacerdotis Joseph De-Vecchi Cærimoniarii istius Cathedralis Novariensis et Rectoris Kalendarii Diœcesis, qui advertens ab anno 1788 ad hanc usque diem *Breviaria*, *Horas Diurnas*, *Missalia, Officia parva Beatæ Mariæ Virginis*, *Officia Hebdomadæ majoris*, quæ denuo prælo mandantur, non continere Ordinariorum attestationes, queis declaretur, *hæc exemplaria concordare cum his*, *quæ hic Romæ sunt impressa ad tramites Bullarum sancti Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII*, quæ in fronte Breviarii Romani reperiuntur, postulabat declarari, utrum etiam nunc servari debeant recensitæ Constitutiones Pontificiæ; et an transgressores pœnas inibi inflictas incurrant, præsertim ex eo, quod in præsentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria præ oculis in cusione habeantur, eo vel magis, quod maxime torquerentur conscientiæ tum eorum, qui lucrum ex venditione librorum liturgicorum percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce attestationibus muniti: proptereaque cupiebat demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum librorum usum sibi permittere valeret.

Sacra vero Congregatio in ordinario Cœtu ad Vaticanum die inferius posita coadunata, audita relatione ab infrascriptio Secretario facta, omnibus mature porpensis accurateque consideratis, Eminentiæ Vestræ scribendum esse censuit ac declarari: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.* Hæc ejusdem sacræ Congregationis mandata, lubentissimo animo dum exequor, Eminentiæ Vestræ manus humillime deosculor. *Romæ* 7 apr. 1832. — Eminent. Morozzo Episcopo Novariensi.— Gardellini, n. 4541.

Decretum generale;... Hujusmodi declarationi minime acquiescentes qui primitus supplicarunt, et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum; iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, quin inflictas pœnas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera Ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16 martii 1833 coacta, Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis præpositi satius duxerunt super re judicium differre. — Coadunata demum apud Vaticanas Ædes juxta morem eadem Ss. Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque jam tertio audita relatione a me infrascripto Secretario Facta, omnibus accurate libratis, rescribendum et decernendum censuit: *Detur Generale Decretum juxta*

(1) Confirmatur ex l. II *Cod. de quadr. præscript.* Et pro Regno Pedemontano ex *RR. Constit.* l. VI. — t. x, § 8. Sed maxime ex Bulla *Gravissimæ.*

Mentem. Mens est; ut Ordinarii locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Liturgici libri sine attestatione a Pontificiis Constitutionibus præscripta, et quoad illos, qui hujusmodi attestatione destituuntur et ab anno præsertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod Exemplar ex supradictis examini probatæ personæ ecclesiasticæ subjiciant, quæ illud conferat cum iis, qui in urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis Contedini ac Missali anno 1826 prælo De Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum prædictis inveniantur suo Clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia, etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat..... *Atque ita declaravit et servari mandavit*, die 26 apr. anno 1834. — Gardell. n. 4581.

In Brixiensi 27 febr. 1847 quæsitum fuit; 1 an Rreviariis, Missalibus, etc. memoratis in Decreto an. 1834, debita attestatione destitutis, uti quis possit sine peccato et incurrendæ excommunicationis periculo? 2 in casu negativo excusentur saltem ii de Clero qui iis libris utuntur, quia approbatis conformes eos arbitrentur, vel quia communiter adhibentur quocumque secluso metu? 3 an idem dicendum de Missalibus *de requiem?* Responsum fuit: *Episcopo Brixiensi, qui ad tramites Decreti exarati* 26 apr. 1834 *omnino prorideat.*

10. Canonicus. — An teneantur Canonici Cappam deponere tam intra quam extra Cathedralem, dum Verbum Dei prædicant vel dum Officium Sacerdotis assistentis in Missa novi celebrantis, aliasque quascumque functiones exercent? — R. Negative *in propria Ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus, excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum superpelliceo et stola.* Affirmative *extra propriam Ecclesiam.* Pluries *S. C. C.*, et novissime 17 sept. 1822, confirmante Pio VII.

Utrum canonicus assistens Choro sed non decantans Canonicas preces, peccet mortaliter et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni respondentis? Resp. *Canonicum in casu, juxta alias decreta, obligationi non satisfacere:* 22 maji 1841.

Si justa causa intercedat, possunt Canonici extra Chorum, in aliqua Capella vel alio loco honesto in ipsa Ecclesia Officia divina celebrare. *S. C. C.* 18 nov. anno 1645.

Aliud est psallere in Choro, aliud canere alta voce; ad hoc postremum sunt canonici hortandi, non cogendi ab Episcopo, sed ad primum omnino tenentur. *S. R. C.* 23 nov. 1602.

Absens a Choro lucratur etiam distributiones, si *senio confectus* (*S. C.* penes Fagnanum), si *cæcus* (*S. C.* 29 jan. 1661); non si *surdus* (12 martii 1619).

Canonicus, qui per annos 40 *laudabiliter* chorum frequenta vit, potest abstinere a servitio, quin amittat fructus aut distributiones, obtenta prius a S. C. absolutione. Si tamen cultus *detrimentum patiatur*, adhuc cogi potest ad inserviendum *S. C.* 18 dec. 1718 (1).

(1) De canonicis jubilatis *V.* Benedictus XIV. *De Synod.* l. VIII, *Notificazione* CIX. n. 64. — Scarfantonius, t. I, p. 134.

Necessaria non est *licentia Episccopi,* ut trium mensium spatio a Choro abesse possint Canonici, si in Diœcesi maneant, secus si extra Diœcesim. Sed Episcopus non debet licentiam absque causa negare. *S. C. C.* 9 maji 1626.

Ad constituendam absentiam trium mensium necesse non est, ut dies sint *continui*, sed sufficit ut sint *interpolati S. C C.* 10 maji 1573.

Tres menses vacationis permissi incidere non debent in Natale Domini, in Pascha, vel in similes magnas solemnitates earumque Octavas, scilicet Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi; neque in tempus Adventus aut Quadragesimæ. Neque Canonici ultra tertiam partem Capituli abesse possunt. *S. C. C.* 12 julii 1631.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiatæ, etiam intra eamdem collegiatam, non obstante consuetudine. *S. R. C.* 19 aug. 1619.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis interessentes concionibus, præsertim quadragesimalibus, debent esse induti habitu canonicali, dum sedent in propriis stalis. *S. C. R.* 31 martii 1703.

Post continuum et laudabile servitium annorum 40 in Ecclesia Metropolitana Senensi Fabius Ballatus consuetum jubilationis indultum obtinuit, et jam septem anni elapsi sunt, ex quo fruitur prædicto indulto; cumque idem modo obtinuerit Dignitatem Decanatus in eadem Ecclesia, et supplicaverit huic sacræ Congregationi pro continuatione prædicti indulti jubilationis, scriptum fuit Archiepiscopo pro informatione et voto. Archiepiscopus fuit in sensu, quod erat annuendum petitis et eo fortius, quia Oratoris merita et præstitum antecedenter continuum et laudabile servitium plene suadent ipsum, quamdiu poterit, non defuturum officio suo, in solemnioribus in quibus Decani præsentia maxime desideratur.

Super hoc articulo adest resolutio hujus S. C. 22 nov. 1691 *in Fulginat.: Joann. Bapt. De Justis, attento servitio* 40 *annorum et ultra uti Canonicus et decanus Eccl. Chatedralis præstito, jubilationem obtinuit, nuper autem collato sibi a Sanctissimo Prioratu ejusdem Cathedralis, supplicat vel sibi novam jubilationem concedi, vel potius declarari eamdem sibi prodesse jubilationem respectu prioratus. Audita relatione Episcopi Fulginat. et attento quadragenario exercitio et ultra laudabiliter et continuo præstito in eadem Cathedrali, censuit oratorem nova jubilatione non indigere, sed jam obtentam sub die* 18 *dec.* 1688 *eidem suffragari etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper provisus, in omnibus et per omnia servata forma ejusdem indulti.* Quam resolutionem laudat et sequitur modernus Scarfantonius in animadversionibus ad Cecoper, t. I, l. II, tit. 6, n. 20. — His positis dignabuntur EE. VV. decernere: *an indultum jubilationis concessum Fabio Ballato olim canonico Ecclesiæ Metropolitanæ Senensis eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia dignitatem Decanatus in casu* etc. *Res. S. C. C.* 16 martii 1726, *affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat.*

11. Cantus. — An Capellani de Massa debeant possidere cantum firmum, ita ut eligi non debeant, neque possint imperiti hujusmodi cantus? *Affirmative, et in posterum examinentur a deputandis per Ordinarium.*

An sit facienda reformatio Capellanorum nunc existentium, qui carent peritia cantus firmi? R. *Lectum: S. R. C.* 13 dec. 1660 in Januen.

An conveniat inter Missarum solemnia canère Laudes idiomate sermone compositas *S. R. C.* respondit: *non convenire, imo omnino prohibendas, prout prohiberi mandavit;* 21 martii 1639.

Ad ad verba Invitatorii *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, ad verba Symboli *Et incarnatus est*, et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a cantoribus ad ambonem aut Chorum regentibus, dum ea proferuntur actualiter, et alii genuflectunt, vel post finitum versum qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc non canentium levationem? *Serventur Rubricæ Missalis, Breviarii et Ceremonialis Episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, hæc fiat dum verba quæ cantantur, genuflexionem exquirunt. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum;* 8 martii 1738.

Cantores non possunt in Choro incipere Introitum Missæ, priusquam Sacerdos celebraturus ad Altare pervenerit, *S. R. C.* 14 apr. 1753.

12. Capellanus.—Si capitale pro Missis otiosum et infructiferum remaneat absque culpa Ecclesiæ vel Capellani: puta si capitale in censo consistereret qui fuit restitutus, donec capitale fuerit versum in bona frugifera, Ecclesia vel Capellanus non tenebitur ad Missas. *S. C.* 7 junii 1687.

Pereunte capitali Capellaniæ, cessare quoque debet Missæ celebrandæ obligatio. *S. C. ibidem.*

Si fundator, instituta Capellania, dicit ut Sacerdos celebrans oret pro se in Missa, ab applicatione non poterit abstinere; quia hæc applicatio est optimum orationis genus *S. C.* 1729.

Capellanus non tenetur per se ipsum celebrare, nisi id cautum sit in fundatione, non tenetur, si in fundatione dicatur tantum: *ut Missæ celebrentur ab eo Capellano qui fuerit electus,* vel *hæres teneatur eligere Capellanum qui hebdomada celebret Missas quatuor.* Ita *S. C.* jan. 1669; 18 martii 1684.

Capellanus, qui tenetur quotidie per se ipsum celebrare, iis diebus quibus potest licite a celebratione vacare, non potest Missam pro se ipso vel pro alio celebrare, et tanto minus stipendium accipere. *S. C.* 18 sept. 1683.

Ratione honestatis et causa devotionis Capellanus qui tenetur per se quotidie celebrare, potest semel in hebdomada per alium celebrare. *S. C.* martii 1623.—Quoties autem hic possit in anno a celebratione abstinere, quin teneatur per alium celebrare *S. C.* distulit resolutionem (unde consulendi probati Auctores). *S. C.* 18 sept. 1683.—Sed quid si Capellanus onus habeat celebrandi quotidie, et si non celebret, solvat duos julios pro Missa non celebrata, poterit ex supradictis causis aliquando vacare? *Non posse: S. C.* 17 sept. 1665.

13. Color Paramentorum (1). — « Para distinguir un color de otro, debe atenderse al principal, que forma el fondo de los ornamentos, y no á los bordados, dibujos y flores de los otros adornos, los cuales por mas que abunden, no pueden servir para un color diferente de aquel. Así es que una casulla negra con el fondo blanco enriquecida de adornos encarnados solo podrá

(1) V. *L. Amico cattolico.* Milano 1845, vol. VIII et seqq. art. Del simbolismo dei colori nei monumenti cristiani e ne' riti della Chiesa.

servir para el primer color, nunca para el segundo. Igualmente en aquellos ornamentos que son entretegidos de varios colores, debe atenderse al que domina; y si dominan igualmente, se tolera su uso en aquellas Iglesias, que con dificultad pueden hacer frente á los gastos que ocurren en proveerse de todos los ornamentos sagrados requiridos mayormente para el Sacrificio.» —(Post colorum diversitatem introductam Rubricistæ putant, extra casum necessitatis non licere uti veste in Sacrario, quæ participet de singulis coloribus ita, ut in neutro illorum determinationem sumere particularem possit. Ast si unus ex ipsis prævaleat cæteris, vestis reputanda est coloris qui prævalet, et tunc ut talis adhibenda).

«Si las Vísperas no fuesen enteras, entonces se usará aquel color que conviene al rezo, del cual se dice el Capítulo. Si el rezo y la Misa no están acordes, el color del Altar seguirá al rezo; pero el color de las vestiduras Sacerdotales será conforme á la Misa; cuya diversidad sucede regularmente en la feria III de las Rogaciones, y en las vigilias dentro de las octavas. En las misas solemnes conviene que el dosel del altar tambien se conforme con el color de los ornamentos de la Misa.

«Se pregunta, *si el color de oro es equivalente á todos los colores?* — Responde afirmativamente el padre Quarti, y dice, que el oro tiene en sí una brillantez que se asemeja al blanco, un no sé qué de ígneo que se acerca al rojo, de aquí concluye, que á escepcion del morado y del negro, el oro puede ser equivalente á todos los otros colores (1).»

An liceat ubique terrarum in fimbriis et manicis Albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere; vel an sit privilegium Italiæ, Hispaniæ, etc. *Negative?* 17 aug. 1833.

An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixto auro vel argento? *Negative;* 11 sept. 1847.

Stola pro administranda SS. Eucharistia populo extra Missam, debet esse coloris Officio diei convenientis ex Rituali. *S. R. C.* 12 martii 1836. — Eaque est praxis, ait Catalani, quam omnes fere tenent Ecclesiæ, si Mediolanensem excipias, in qua ex D. Carolo (in Conc. prov. V) Sacerdos uti debet Stola alba, si ritus est romanus: rubra vero, si ritus ambrosianus est.

Stola et Pluviale pro administrando Viatico et benedictione SS. Sacramenti in Ecclesia Romani ritus sint albi coloris ex R. Rituali.

1. An paramenta coloris flavi valeant pro quocumque colore, nigro excepto? 2 num paramenta confecta ex serico et aliis coloribus, floribusque intertexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et prædominans, usurpari valeant mixtim saltem pro albo, rubro et viridi? 3 num Planetæ, Stolæ et Manipula possint confici ex tela linea vel gossypio vulgo *algodon,* coloribus præcipuis tincta aut depicta? — *S. R. C.* 25 sept. 1838 respondit: *ad* 1 *negative; ad* 2 *negative;* 3 *serventur Rubricæ et usus omnium Ecclesiarum, quæ hujusmodi Casulas non admittunt.*

In Missis votivis B. M. V. semper adhibendus color albus. *S. R. C.* 31 aug. anno 1838.

(1) *V.* Diclich, *Dizionario liturgico.* — P. Vincentius a Massa, *Institutiones liturgicæ.* — Morozzo *Delle sacre cerimonie* ecc.

Casulæ non comprenhenduntur in Decreto generali, quo prohibetur usus gossypii in sacra suppellectile. *S. R. C.* 23 maji 1835.

Si ob Ecclesiæ paupertatem paramenta distincta haberi non possint, recurrendum ad Episcopum pro facultate utendi planetis plurium colorum. Ita *S. R. C.* 23 maji 1846.

Missæ defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro (juxta Rubricas) vel saltem violaceo. *In Oritana* 21 julii 1670. Illud *saltem* Pitonius explicat pro casu Ecclesiæ paupertatis tantum.

14. Confraternitas. — In erectione confraternitatum vel novarum Ecclesiarum debet semper apponi clausula: *sine præjudicio jurium Parochialium;* quia jura Parochi illæsa servanda sunt, et ideo non aliter, quam sub ista conditione societates hujusmodi vel novæ Ecclesiæ erigendæ sunt *S. C. E. in Cajetana;* 12 dec. anno 1631.

Confraternitates in eorum Oratoriis possunt retinere sedem confessionalem, de licentia tamen Episcopi. *In Papien.* 9 martii 1711.

Ordinarius seu Episcopus potest per se ipsum, vel per suum delegatum intervenire et assistere congregationibus confraternitatum et electionibus officialium, modo non faciat novitates. *S. C. C. in Novariensi;* 16 apr. 1692.

1. An liceat Confratribus celebrare seu canere facere Missas in festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore seu Capellano Confraternitatis, privative ad Parochum et absque ulla ejus dependentia: 2 an ibidem possint exponi facere Venerabile in singulis quartis Dominicis cujuslibet mensis et populo benedicere, absque licentia et dependentia dicti Parochi? — *S. R. C.* 9 martii 1711, respondit: *ad* 1 *affirmative; ad* 2 *licere de licentia Episcopi.*

Diversæ confraternitates ex speciali S. Sedis facultate ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectæ; nomina confratrum et consororum in particularibus registris inscribuntur, sed ad directorem Arciconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquaque fraternitate eliguntur. His positis, *quæritur* 1 an aliqua determinata formula necessaria fuerit sub pœna nullitatis? 2 an necesse sit sub eadem pœna, ut administratores eligantur? 3 an Episcopus designare possit directorem uniuscujusque confraternitatis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectæ? 4 an director ab Episcopo sic designatus, eo ipso Rosaria cum applicatione Indulgentiarum, et Scapularia benedicere ac imponere possit? — *S. R. C.* respondendum esse duxit: *ad* 1 negative, *quia formula præscribitur tantum pro erectione sodalitatum a Regularibus peragenda. Ad* 2 negative, *quia administratorum electio erit tantum ad bonum sodalitatum regimen; minime vero ad validitatem erectionis necessaria. Ad* 3 affirmative. *Ad* 4 negative, *nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradenda pro Rosariorum, Coronarum, seu Scapularium benedictione.* Die 18 nov. 1842.

15. Consecratio seu Dedicatio Ecclesiæ. — *S. R.* Congregationi proposita fuerunt sequentia dubia (1):

(1) De Ecclesiæ dedicatione ejusque significatione *V.* Bellarminus, *De Ecclesia.* — Bona, *Rerum Liturgicarum,* lib. I, c. 24. — Catalani, *Pontif. Rom.* — D. Thomas, Gaume, etc.

1. An jejunium in Pontificali Romano præscriptum iis, a quibus consecratur Ecclesia, sitne strictæ obligationis, seu potius tantum de consilio?—2 an sit locale tantum, an personale; seu potius locale, et personale simul?—3 an si Ecclesia consecretur die feriali, sit ne festum observandum in Populo tali die cum obligatione in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus, et audiendi Sacrum?—4 an in loco consecrandæ Ecclesiæ officium de communi Dedicationis Ecclesiæ sit celebrandum a primis Vesperis die præcedenti recitandis inclusive, seu potius dumtaxat inchoandum finita scilicet in Vesperis subsequentibus?—5 an eo casu de feria, vel de festo occurrente Vesperæ, Matutinum, ac aliæ Horæ præcedentes Consecrationem Ecclesiæ recitandæ sint?—6 si Officium a primis Vesperis die præcedente Consecrationem celebrandum sit de communi Dedicationis Ecclesiæ; quæritur: an Pastor aut alius Sacerdos ruri, deficientibus aliis Ecclesiis, in ipsa Ecclesia consecranda summo mane celebrans pro populi commoditate die Consecrationis peragendæ Missam de Consecratione Ecclesiæ celebrare valeat et teneatur?—7 si nec valeat, nec teneatur, quæritur, an Missam de festo alias occurrente, aut de Dominica, et quo ritu celebrari debeat?

Et sacra eadem Congregatio, audito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Archinto Ponentis rescribendum censuit: Ad 1, *Jejunium in Pontificali Romano præscriptum esse strictæ obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die præcedente Consecrationi ad formam Rubricæ Pontificalis.* Ad 2, *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.* Ad 3, *negative.* Ad 4, *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.* Ad 5, *Vesperas, Matutinum, Laudes, et Horas consecrationem præcedentes recitandas esse vel de feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Kalendario.* Ad 6, *negative juxta modum. Et modus est, ut ibi nulla alia sit Ecclesia, vel Capella, Parochus aut Sacerdos celebret post peractam Consecrationem; sin minus ea die se abstineat a Missæ celebratione, et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum.* Ad 7, *Missam non esse celebrandam de Dedicatione Ecclesiæ, sed de feria, vel de Sancto prout descriptum fuerit in Kalendario.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 19 *julii* 1780. Gardell. n. 1251.

Vigiliæ pro Dedicatione Ecclesiæ sunt faciendæ juxta Pontificale, id est celebrentur cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi sine nomine expresso, cum non sint partes Officii.—Officium Dedicationis Ecclesiæ, non Altaris solum, inchoandum est, peracta consecratione, ab Hora Minori Tertia. *S. R. C.* 7 dec. 1844; et 14 junii 1845.

A Decretis omnino prohibetur in Beatorum honorem Ecclesias vel Altaria dicare. *In Vercellensi S. R. C.* 11 apr. 1840.

Officium Dedicationis Ecclesiæ dirutæ non amplius celebrandum: 15 sept. 1815. Oratorium domesticum non debet benedici: martii 1820.

16. Ecclesia.—Ecclesia consecrata, quæ militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, an censenda profanata, et ideo reconcilianda?

Affirmative ad cautelam: *S. R. C.* 27 febr. 1857.

Per celebrationem Missæ in Ecclesia polluta non potest dici ipsa Ecclesia reconciliata: 19 aug. 1634.

Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente jurisdictionem, dicitur bene reconciliata. *S. R. C.* 19 aug. 1634.

Si reparanda est Ecclesia, primo loco debent expendi reditus pro fabrica adsignati, antequam compellantur particulares: quod si Ecclesia reditus proprios pro fabrica non habeat, tenentur Rector et beneficiati pro rata redituum. *S. C. E.* 14 januarii, anno 1605.

Altaria juris patronatus sine dote, paramentis et aliis necessariis, statuto brevi tempore dotentur, ornenturque a patronis; alioquin jure suo priventur, aut demoliantur. *S. C. R.* 16 jan. anno 1604.

Quoad fenestram in ipsis parietibus Ecclesiæ, ex qua prospici possit in Ecclesiam, indulgendum est Patrono; Parocho vero licet. *S. C. S. in Urbi nat.* 10 martii, anno 1663.

Si a sancta Sede indultum locale Altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello nec in rescripto de qualitate Altaris, sitne fixum vel portatile: an Altare censeri possit privilegiatum, etiamsi sit portatile? *Resp. S. C. C.* negative; anno 1841.

17. Expositio Eucharistiæ.—An retineri possit pallium coloris rubri in Altari, in quo exponitur SS. Sacramentum, dominica Pentecostes, et duabus sequentibus feriis? *Obstant Decreta: S. R. C.* 19 dec. 1829.

Non licet illuminare Sacram Hostiam a parte postica Hostensorii: 31 mar. 1821.

Toleranda consuetudo, si adsit, recitandi preces pro defunctis in expositione SS. Sacramenti: 16 decemb. 1828.

Si quandoque privata ex causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo numquam extrahatur; sed Pixide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicujus Sacerdotis stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in Ecclesiis Regularium servari mandamus. *S. C. Episc. et Regular.* die 9 dec. 1820.

Super altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, crux de more collocari debet, cum imagine Crucifixi apposita: 14 martii 1707 (1).

18. Extrema Unctio.—Q. 1. An Extrema Unctio cum stola super vestem communem absque cotta administrari possit? 2 an Sacerdos curam animarum exercens pro sua commoditate apud se in domo sua retinere possit Oleum Infirmorum, saltem attenta consuetudine?—R. Ad 1 negative *ut ad proximum;* ad 2 negative et *servetur Rituale R., excepto tamen casu magnæ distantiæ ab Ecclesia, quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam. S. R. C.* 16 dec. 1826. Gard. n. 4474.

Dubium propositum fuit a R. D. D. Episcopo Veronensi.—*Utrum deficiente Oleo Infirmorum, liceat administrare sub conditione Sacramentum Extremæ*

(1) Cum autem hoc decretum non ita sit receptum, subdit Benedictus XIV: *quælibet Ecclesia vel Diœcesis suam retineat consuetudinem.* De expositione 40 horarum vid. *Manuale Decretorum*, Romæ, cap. XI.

Unctionis Oleo a simplici Sacerdote benedicto saltem in casu extremæ necessitatis, ut cum moribundus sensibus destitutus nullum doloris signum neque ante dedit, neque præbet?—Semper responsum fuit: *Negative:* ita *C. S.* Officii 13 jan. 1611 coram Paulo V; 14 sept. 1842 coram Gregorio XVI; 12 jan. 1850 coram Pio IX.

19. Festa.—Patroni cujusvis provinciæ, aut loci an sint de præcepto?

Cum nonnulli ex Parochis intra fines ducatus et Diœcesis Camerinensis unum dumtaxat principem Patronum in unoquoque loco sub utroque præcepto venerandum colendumque contenderent, scilicet Sanctum Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cujusque loci patronis principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro populo, prout per plures annos egerant, petitum propterea fuit in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum pro declaratione: *An festum utriusque principis patroni Status, scilicet Camerinensis, et uniuscujusque loci, celebrandum foret sub utroque præcepto? Et num Parochi omnes in præfatis festis tenerentur applicationi Missæ pro populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? ut in supplici libello sequentis tenoris:*

Si patronus sit solius parochiæ, non erit Festum de præcepto servandum, et Officium primæ classis cum Octava recitandum solummodo erit a Sacerdotibus servitio Parochiæ addictis (*S. C.* 15 sept. 1742) (1).—De patrono seu Titulari Ecclesiæ debet fieri Officium ritu duplici primæ Classis cum octava a Clero ipsi adscripto, etiamsi Ecclesia non fuerit consecrata. *S. R. C.* 21 martii anno 1711.

An Festum Titularis Capellarum publicarum et Oratoriorum, quæ existunt in ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus regularium, domibusque privatis celebrari debeant sub ritu duplici primæ classis cum *Credo* et Octava? *Negative;* 12 nov. 1831.

In occurrentia Festorum ejusdem ritus primum locum habebit Officium Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis seu Religionis, tertium Diœcesis, quartum Nationis, quintum Ecclesiæ universalis: *S. R. C.* 23 junii 1736 *in Einsilden* (2).

An Communitas possit indicere *Festa de præcepto,* quæ nec de consuetudine servantur, nec ab Ecclesia Romana præscribuntur, exigendo mulctam contra inobedientes? — *S. R. C.* respondit, *non posse:* 3 junii anno 1630. Gardell. n. 713.

Festum de præcepto non est introducendum; sed si populus voluerit illud celebrare abstinendo a servilibus, permittendum est; sed absque pœnarum incursu. *S. R. C.* 11 maji 1638 *in Hortana.* Gardell. n. 903.

Solemnitas Festi fit die quo cadit, licet transferatur Officium. *S. C.* 15 sept. 1668 *in Januen.* Gardell. n. 2300.

Si occurrat transferri festum SS. Apost. Philippi et Jacobi ad tempus non

(1) Unde eo die nulla obligatio applicandi Missam pro populo; quia si festum a populo servatur id est ex devotione, non ex præcepto.

(2) Occurrente aliqua in Parœcia solemnitate, Parochus curet, ut rite fiat Officiorum translatio, ut unumquodque Officium suum locum habeat, prout Rubricæ præscribent; neque enim potest rem tanti momenti perfunctorie agere.

Paschale, quæ Missa celebranda? — *S. R. C.* re mature discussa censuit, *celebrandam esse prout jacet in Missali; demptis tamen in omnibus partibus* alleluja *ratione temporis paschalis in ea Missa appositis:* 22 junii 1703.

Votum celebrandi nonnulla Festa de præcepto cum vigilia et processione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. *S. R. C.* 19 nov. anno 1650 *in Hipporegien.* Gardell. n. 1474.

Festa plura si occurrant eadem die, in his agendis vel reponendis, hæc regula et ordo servari debet: ut primum locum obtineat Festum Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis vel Religionis, tertium Diœcesis, quartum nationis, quintum Ecclesiæ universalis. *S. C.* 23 junii 1736. Gardell. n. 3895.

Festa quæ ex immemorabili consuetudine celebrantur, possunt continuari, si de Sanctis sint in Matyrologio Romano descriptis: sin minus, nequeunt. Ita *R. C.* 7 maji 1746 *in Varsabien.* Gardell. n. 4032.

Quum ex Pontificio Indulto quædam Festa in Gallia celebranda sint Dominica proxime occurrente, quæritur: 1 quæ sit hæc Dominica proxime occurrens? 2 an translatis supradictis festis, translata intelligatur solemnitas tantum, an potius una cum solemnitate tota etiam octava translata censeatur pro Officiis in Choro? — Ad 1 *Dominica proxime occurrens est Dominica, quæ festum subsequitur.* Ad 2 *negative ad primam partem; affirmative ad secundam. S. R. C.* 17 junii 1830. Gard. n. 4509.

20. Funera. — Parochi debent vocare ad funera Clericos destinatos ab hæredibus, non alios. *S. C. R. in Laudensi,* 20 aug. anno 1601.

Nulla confraternitas impediri debet, ne accedat ad funera, modo sine jurium parochialium præjudicio. *S. C. E. in Camerinensi,* 20 aug. 1616.

Hæredes defunctorum possunt vocare numerum Sacerdotum sibi benevisum (*S. C. E.* 5 maji 1617 *in Cassin*). Quoties electio fit a Parocho, Clerici Ecclesiæ debent externis præferri. *S. C. E.* 23 aprilis 1699.

Cadavera in quacumque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam; de nocte vero nonnisi de licentia Ordinarii. *S. C. C.* 15 martii anno 1704.

Funus comitantes non permittantur expectare per viam, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine, quod non adesset Clerus, sed solus Parochus. *S. C. R. in Thelesina,* 28 apr. anno 1651.

Sepultura non debet retardari sub quovis prætextu compositionis quartæ funeralis. *S. C. E. in Casinensi,* 5 maji anno 1616.

In depositione defunctorum in verbis illis: *non intres in judicium*, etc. quando est mulier aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua,* aut *servis tuis* absque S. Rubricæ læsione; et servandum est Rituale. *S. R. C.* 31 aug. 1697.

In Exequiis Sacerdotum canenda sunt in absolutione responsoria et preces juxta Rituale. *S. R. C.* 23 maji 1846.

21. Hymnus. — Petiit Fr. Bernardinus de Ronghe Ord. S. Franc. quod S. R. C. immutare dignaretur conclusionem Hymni *Vexilla regis* et aliorum, qui recitantur a Dominica Passionis usque ad feriam v in Cœna Domini, dicendo *Deo Patri sit gloria, et Filio qui a mortuis* etc.; et in Responsorio brevi ad Primam loco *qui sedes ad dexteram, Qui passus es pro nobis.* Respondit *Lectum: S. R. C.* 21 jan. 1662.

An si infra octavam alicujus Festi quod habet conclusionem Hymnorum propriam, occurrat festum quod excludat commemorationem octavæ, continuanda nihilominus sit prædicta conclusio? *Affirmative:* 29 nov. 1755.

Sunt multi Hymni, qui habent conclusionem propriam; conclusio ista semperne adhibenda est etiam in Completorio? *Negative, sed tantum in Festis Domini, et B. M. Virginis: S. R. C.* 12 nov. 1831.

Cum in Rubrica Breviarii tit. 2° de Hymnis, n. 4 mandetur, ut in conclusionibus Hymnorum infra octavas ibi notatas dicatur *Jesu tibi sit gloria* etc.; etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra octavas prædictas celebrantur, nec aliud propterea excipiatur; quæritur, an in Vesperis sabbati et in Officio Dominicæ infra octavas sit dicendum *Jesu tibi sit gloria.* — R. *Affirmative, dummodo Hymni sint ejusdem metri: S. R. C.* 23 aug. 1704.

Varia sunt Officia, quæ Hymnos proprios habent. Si quis Hymnus neque in Vesperis neque in Laudibus potest recitari, potestne aut debet uniri Hymno Nocturni, ut fit in festo S. Martinæ, ad hoc ut omnes Hymni recitentur? *Affirmative, si Hymni sint historici; secus negative: S. R. C.* 12 nov. 1831.

An in primo anni die Hymnus *Veni Creator,* qui cantatur in Ecclesiis ad invocandum Sanctum Divinum Spiritum, debeat habere pro conclusione: *Jesu, tibi sit gloria,* ratione Octavæ Nativitatis: vel ista *Deo Patri... ejusque soli Filio?* — R. 7 apr. 1832: concludendus cum stropha: *Deo Patri... ejusque soli Filio,* etc.

Hymnus *Veni Creator* extra tempus Paschale semper etiam infra octavam Nativitatis, concluditur cum clausula quasi sibi propria *Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio,* etc., ut in Hymno Primæ. *S. R. C.* 28 julii 1832.

Ultima stropha Hymni *Veni Creator Spiritus* est ne varianda quando dicitur extra tempus Paschale et Pentecosten? — R. *Juxta alias Decreta varianda pro temporum varietate: S. R. C.* 3 aug. 1839 (1).]

Extra casum Processionis in Hymno *Te Deum* sufficit versus: *Benedicamus Patrem* etc. *Benedictus est* etc. *Domine, exaudi* etc. cum unica Oratione *Deus, cujus* etc. In processionibus vero suæ preces cum tribus orationibus e Rituali præscriptæ dicantur. *S. R. C.* 11 sept. 1847.

22. Imago. — Imago B. M. V. in supplicantibus delata thurificanda est duplici tantum ductu. *S. R. C.* die 28 julii 1789.

Sacra imago seu statua B. M. V. non est deferenda sub Baldachino. *S. R. C.* die 22 aug. 1744, et die 23 sept. 1820 *in una Novariensi.*

In aliquibus multisque Altaribus Deo, B. Virgini aut alicui Sancto dicatis apponi solet vel stabiliter, vel occasione festorum imago alterius Sancti: quæritur 1 an visitantes hujusmodi Altare lucrari possint Indulgentias concessas visitantibus Altaria postremi hujus Sancti; 2 an ratione harum imaginum in eorum festis possit dici *Credo* in Missa? 3 an in eorum festis celebrari queat Missa de his Sanctis etsi in Kalendario Diœcesano non sint des-

(1) Nota: *pro temporum,* non *pro Officii varietate:* unde pro hoc Hymno duæ tantum designantur conclusiones: pro tempore Paschali et Pentecosten *Deo Patri sit gloria, Et Filio qui a mortuis;* pro aliis temporibus, quodcumque currat Officium, conclusio erit *Deo Patri sit Gloria, Ejusque soli Filio, Cum spiritu Paraclito, Nunc et per omne sæculum. Amen.*

cripti, sed considerentur ut simplices? — Ad 1 *si Altaria sint consecrata, negative; secus affirmative, dummodo fiat de licentia Ordinarii.* Ad 2 et 3 *negative:* 12 nov. 1831.

Sabbato Passionis debent velari imagines et cruces, etiamsi occurrat eo die festum Titularis vel Patroni Ecclesiæ. *S. R. C.* 16 nov. 1649.

Imagines Beatorum pingi ornarique possunt laureolis, radiis et splendoribus; non autem diademate juxta Decr. *S. R. C.* 19 febr. 1658 ab Alexandro VII confirmatum, et a Benedicto XIV renovatum, 6 sept. 1744 (1).

23 Indulgentia.—In una Valentin. *proposito dubio:* an visitantes Ecclesias Ordinis S. Francisci die 2ª augusti, lucrentur Indulgentiam plenariam toties (eodem die) quoties in eas ingrediuntur, ut parumper ibi orent? Et an requiratur, ut Communio fiat in eadem Ecclesia?—*S. C.* sub die 22 febr. 1847 respondit: affirmative *ad primam partem;* negative *ad secundam.* Datum Romæ ex Secretaria *S. C.* Indulg. 8 julii 1850. Et hæc Indulgentia potest applicari defunctis: Gregorius XV, Brevi *Alias*, 12 jan. 1678 (2).

«Si en las Iglesias Franciscanas que han sido quitadas á la Orden desde la supresion Francesa, y que ahora son servidas por Sacerdotes seculares, sin que los frailes hayan renunciado á sus derechos, ¿se pueden ganar por los fieles las *Indulgencias del Jubileo de la Porciúncula* y las otras concedidas por los privilegios de la Orden? Nótese que en aquellos paises se piensa comunmente que sí, y se dice que Pio VII, dió una declaracion á propósito; pero no se sabe cual es.»—Resp. non constare de Pii VII declaratione, ideo *negative:* pro iis vero locis ubi affirmativum tenetur, ne scandalum in fideles oriatur, recurrendum ad Ap. Sedem pro concessione Indulgentiæ (vulgo Portiunculæ), exposita tamen causa in allato dubio citata. *S. C. I.* 29 martii 1841.

Utrum quis frui possit obtentis Indulgentiis seu gratiis absque licentia, habilitatione, recognitione Ordinarii sui? *Affirmative, videlicet quoad usum et fruitionem; sed private tantum iisdem uti gratiis, modo in nullius gravamen cedant, aut scandali occasionem præbeant, et modo orator eas facultates sine licentia... typis mandare non præsumat. S. C. I.* 12 dec. 1840.

Sanctitas Sua benigne declaravit: *per Confessionem et Communionem die Paschali peractam, et Indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam lucrari, et satis præcepto Paschali fieri. S. I. C.* 12 martii 1841.

Per decretum S. Congregationis Indulgentiarum datum die 12 junii 1822, conceditur Confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad Indulgentiam lucrandam: hinc quæritur. —1 an verba *infra hebdomadam,* significent octo dies tantum, quæ festivitatem immediate præcedunt; an vero hebdomadam illam totam et integram,

(1) Quoad imagines, depictas tabulas, et eorum benedictiones plura apud S. Carolum, in *Concil. Provincialibus;* apud Catalani, *Comment. in Pontific. Roman.;* et apud Quarti, *De Benedictionibus.*

(2) De hac Indulg. *V.* Benedictus XIV, *De Syn.* l. XIII, c. 18.—Ferraris, *Biblioth. Conc.* V. Indulgentia, art. 5, n. 50. — P. Waldingus, *Annales* etc. *Cenno storico sopra la celebre Indulgenza della porziuncula detta volgarmente* il perdon d' Assisi, *concessa alle Chiese dell' Ordine Francescano.* Milano tip. Arvedi 1851. Hæc Indulgentia in Basilica portiunculæ non suspenditur anno Jubilæi; in aliis vero Ecclesiis Franciscani Ordinis eo anno suspenditur tantum pro vivis.

quæ ante festum decurrit, ita ut, ex. g. Confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam Indulgentiam die sabbati hebdomadæ sequentis, in quam diem festum incideret, temetsi tunc 13 dies inter Confessionem et festivitatem intercessissent?—2 an Confessio octavo die ante festivitatem peracta, vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucrandam; an vero per hanc Confessionem aliæ etiam lucrifieri possint Indulgentiæ, quæ infra prædictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis Confessio cæteroquin requireretur?—3 an cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur Indulgentia, Confessio tamquam conditio *sine qua non* præscribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio pœnitentibus detur ad Indulgentiam lucrandam?

Ad *Dubium primum* affirmative, quoad 1am partem; negative quoad 2am. Ad *secundum Dubium:* negative quoad 1am partem, affirmative quoad 2am. Ad *Dubium tertium:* negative. Die 15 decembris 1841.

« Ad humillimas preces P. Peruzzo ex Ordine Minorum Conventualium S. Francisci, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus corde saltem contrito Jaculatoriam *Jesus mio, misericordia,* devote pronuntiantibus Indulgentiam centum dierum pro singulis vicibus animabus quoque in purgatorio detentis applicabilem tam a Leone XII, quam a Gregorio XVI fel. rec. vivæ vocis Oraculo concessam, non modo confirmavit, verum etiam perpetuis futuris temporibus valituram esse voluit absque ulla Brevis expeditione.» Ita decretum Urbis et Orbis S. C. Indulg. ex Audientia Ss. 23 sept. 1846. Hæc porro jaculatoria familiaris erat beato Leonardo (1).

Pius Pp. IX die 11 aug. 1851 ad preces P. Procuratoris Gener. Clericorum Regularium *de Somascha* largitus est Indulgentiam quinquaginta dierum *pro qualibet vice in perpetuum* universis Christi-fidelibus recitantibus *contrito saltem corde* jaculatoriam sequentem (quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis): *dulcissime Jesu, ne sis mihi judex, sed Salvator.*

Decretum datum 11 dec. 1846. Ut devotissima Oratio *obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe,* etc. quæ in recentioribus tabellis reperitur inter preces pro opportunitate Sacerdotis ante et post Missam recitandas, quæque apocripham Indulgentiarum concessionem adnexam habet, non sine spirituali Sacerdotum celebrantium certo emolumento recitetur, plures romani Cleri Sacerdotes per hanc sacram Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam Sanctissimo Domino Nostro PIO IX Pontifici Maximo enixis precibus supplicarunt, ut aliquam Indulgentiam, præfatam Orationem post peractum Missæ Sacrificium recitantibus elargiri dignaretur. Quare Sanctitas Sua, precibus clementer exceptis, Sacerdotibus, qui ipsam Oratio-

(1) « V. *Proponimenti fatti del B. Leonardo.* Milano Pogliani ; N. 7 legitur : « en cuanto á la oracion de súplica para obtener la ayuda de Dios en todas mis acciones, me haré familiar y aun familiarísima esta jaculatoria : *Jesus mio misericordia*: habiendo hecho antes el pacto con Dios, que cuantas veces profiriere estas santas palabras, intento pedir su gracia eficaz para amarle, y renovar la pura intencion, para darle gusto en todo y cumplir su santísima voluntad. Por lo que la proferiré mental ó vocalmente miles de veces cada dia; y esto será tambien un escelente medio para tener el corazon ocupado con Dios, que es el negocio de los negocios.»

nem inter alias preces pro gratiarum actione post Missam recitaverint, Indulgentiam trium annorum benigne concessit ac mandavit, ut præsens Decretum in Sacrario cujuscumque Ecclesiæ, seu Oratorii publice affigeretur, usque dum apocrypha concessio in supradictis tabellis apposita emendetur. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

« S. S. Pio IX concedió poco ha á instancia de algunos católicos ingleses la Indulgencia de 100 dias al que rezare tres *Ave Marias*, añadiendo al fin de cada una la siguiente invocacion: *auxilium Christianorum, ora pro nobis.* Al que lo hubiere recitado cada dia durante un mes, Su Santidad misma concede Indulgencia plenaria un dia que eligiere, con tal que confesando y comulgando ruegue particularmente por las necesidades de la Iglesia de Inglaterra.

«Pio IX concede con decreto de 5 agosto 1851 cuarenta dias de Indulgencia, cuantas veces en cualesquiera tentacion se dijera con ánimo contrito y devoto á Maria: *Señora y Madre mia, acordaos que soy vuestro: conservadme y defendedme como á cosa y propiedad vuestra.*»

Decretum, mandante Pio IX: 15 martii 1852: «Cum ad Indulgentias acquirendas persæpe contingat, ut inter præscriptas conditiones, vocales quoque preces injungantur, postulante Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Jacopo Aloysio Brignole Pii Instituti Surdorum ac Mutorum in Urbe protectore, cum etiam plures Moderatores horum Institutorum idipsum enixe postulaverint, propositum fuit dubium huic sacræ Congregationi Indulgentiarium: « An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentiæ, qua detinentur preces recitandi pro Indulgentiis acquirendis injunctas?» Re mature discussa tum prius ab uno ex præfatæ Congregationis Consultoribus, tum demum ab Eminentissimis Patribus in comitiis generalibus apud Vaticanas Ædes die 17 februarii hujus anni habitis, Ipsi Eminentissimi Patres Ejusdem Consultoris Voto adhærentes, responderunt: «Supplicandum Sanctissimo pro generali Decreto ab hac sacra Congregatione evulgando atque Apostolica Auctoritate firmando, cujus vi statuendum: Quod si inter opera pro lucranda Indulgentia præscripta sit visitatio alicujus Ecclesiæ, Surdo-Muti Ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus. Quod si inter opera sint publicæ preces, Surdo-Muti possint lucrari Indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti cæteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus. Quod si agatur tandem de privatis orationibus, proprii Mutorum et Surdorum Confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint.» Facta itaque de præfatis omnibus Sanctissimo D. N. Pio Pp. IX per me infrascriptum S. Congregationi Indulgentiarum Cardinalem Præfectum relatione in Audientia die 15 martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo prædictum Votum approbavit, verum etiam hujusmodi Gratiam ac Concessionem peramanter elargitam, per generale decretum publicari mandavit.—Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositæ. *F. Card.* Asquinius *Præfectus.*»

Decretum, mandante eodem summo Pontifice, anno 1852: «Un decreto *urbis et orbis* publicado en nombre de S. S. por el Cardenal Asquini, presidente de la Congregacion de Indulgencias, manda que todas las Indulgencias que hayan sido ó sean concedidas en adelante á fiestas, ó que con motivo de estas mismas fiestas, se concedan á alguna Iglesia ú oratorio público, ó bien por oraciones, novenas, septenarios ó triduos antes ó despues de las mencionadas fiestas ó durante su octava, se entiendan, transferidas al dia en que se haya trasladado la celebracion de dichas fiestas» (non autem, si transferatur festum unice quoad recitationem Officii, 16 sept. 1741).

Quando ad Indulgentiam est præscripta Confessio, uti conditio non requiritur, ut pœnitens recipiat absolutionem. *S. C.* 15 dec. 1841. Casus esse potest, si quis in venialibus recidivus, non obtinet a prudenti Confessario absolutionem.

Ad quæsitum: utrum annuli aurei vel argentei, decem nodis circumdati, quibus utuntur quædam piæ personæ ad Rosarium B. V. recitandum, benedici possint cum appositis Indulgentiis? Respondit Eminentis. Card. Castracane Pœnitentiarius major de mandato Sanctitatis Suæ Gregorii XVI, *negative* (*Ami de la Religion,* 27 aug. 1836).

Litaniæ Sanctissimi Nominis *Jesu* suntne approbatæ, Indulgentiisque dotatæ? *Negative in omnibus.* Ita *S. C. Ind.* 7 sept. 1850 (1).

Episcopus N*** Galliæ postulavit: 1 an corona dicta *S. Birgittæ* necessario constare debeat sex decadibus; 2 an in singulis decadibus præter decem *Ave Maria* et *Pater* dicendus sit *Credo.* Ratio dubitandi est, quod ex una parte id satis aperte innuatur in libro, *Raccolta di pie opere et Indulgenze,* etc,; et quod si id non requiratur, corona S. Birgittæ nonnisi nomine differt a simplici corona; ex altera parte hæc opinio est usque nunc saltem in Gallia inaudita, et ex eodem libro supracitato, ad lucrandas Indulgentias sufficit recitare quinque decades sicut in simplici Rosario.

S. C. Indulgentiarum 15 jan. 1839 respondit: ad 1 *affirmative;* ad 2 *affirmative;* si recitetur stricte loquendo corona S. Birgittæ, de qua ipsamet auctrix fuit, in memoriam (uti fertur) sexaginta trium annorum B. M. Virginis; *negative* vero, si cum prædicta corona recitentur quinque vel quindecim decades Rosarii, seu simplicis et communis coronæ.—Ex responsionibus autem patet realiter coronam S. Birgittæ a simplici et communi corona differre, non tantum solo nomine, ut supra putatur in dubiis, nam ipsa quinque vel quindecim decadibus, ista sex decadibus tantum constare debet: et si simplici coronæ seu Rosario sæpe adnectantur Indulgentiæ S. Birgittæ nuncupatæ, hoc nonnisi auctoritate Apostolica indulgetur. Differt quia una in memoriam componitur B. V. Mariæ annorum, altera mysteria Nativitatis, Passionis et Gloriæ Christi complectitur. Differt pro Indulgentiarum varietate, coronam scilicet divæ Birgitte quamplurium Indulgentiarum Leo X

(1) Idem dicendum de Litaniis *SS. Cordis Jesu,* B. M. Virginis *septem Dolorum* et hujusmodi; in Decretis enim de libris prohibitis § 4 prohibentur: *litaniæ omnes præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus et Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent.* Unde esto quod permittantur in libris devotionis a privatis privatim usurpari; id tamen non liceret in sacra liturgia, nec publice.

et Clemens XI concessione ditarunt, ac Benedictus XIV eas confirmavit et auxit pro recitantibus vel secum ipsam ferentibus; Rosarium verò seu simplex corona a Benedicto XIII nonnullis Indulgentiis pro ejusdem recitatione solum donata est. Differt etiam pro diversitate benedictionis qua utraque decoratur; una nempe a superiore S. Salvatoris seu S. Birgittæ; altera vero a Patribus Ordinum Prædicatorum est omnino benedicenda.

Quæsitum fuit 1 qui obtinet facultatem benedicendi cruces, numismata et coronas precatorias cum applicatione Indulgentiarum, potestne ea facultate uti legitime coram publico, v. g. in Ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus, si in Indulto facultatis sit clausula *privatim?* — 2 quando in Indulto est clausula *in forma Ecclesiæ consueta*, sufficit signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione verborum formulæ benedictionis et sine aspersione aquæ benedictæ? Resp. *S. I. C.* 8 junii 1843: ad 1 *negative;* ad 2 *affirmative.*

Indulgentia comitatur Crucifixum: unde hic potest de una in aliam crucem collocari sine Indulgentiæ præjudicio. Ita *S. C.* 11 apr. 1840.

Indulgentiæ (etiam defunctis applicabiles) quæ ab iis acquiruntur, qui coronas, rosaria, cruces, numismata ab habente facultatem benedicta tenent, sunt (1): «Cualquiera que recitaré *á lo menos una vez á la semana* la corona del Señor, ó de la B. V. M., ó el rosario, ó la tercera parte, ó el rezo divino, ó el oficio parvo de la Vírgen, ó el de difuntos, los 7 salmos penitenciales ó los graduales, ó se dedicare á enseñar la doctrina, á visitar los presos, ó los enfermos de algun hospital, á socorrer los pobres, á servir la misa ó á celebrarla si fuere sacerdote, *si verdaderamente arrepentido y confesado* con un confesor aprobado por el ordinario, *comulgare* en cualesquiera de los dias de Navidad del Señor, Epifanía, Resurreccion, Ascension, Pentecostes; fiestas de la Sma. Trinidad, de *Corpus Domini*, de la Concepcion, Navidad, Anunciacion, Purificacion y Asuncion de la B. V. M., y de S. Juan Bautista, de los santos apóstoles Pedro y Pablo, Andrés, Santiago, Juan, Tomás, Felipe y Santiago, Bartolomé, Mateo, Simon y Judas, Matías, de S. José esposo de la Vírgen María, y de todos los santos, y en el mismo dia rogaren devotamente á Dios por la estirpacion de las herejías y de los cismas, por el aumento de la fe católica, paz y concordia entre los príncipes cristianos y demás necesidades de la S. Iglesia, ganará en cualquiera de los mencionados dias indulgencia plenaria. El que practicare las mismas devociones *en las otras fiestas del Señor* y de la B. V. M. en cada uno de dichos dias ganará indulgencia de 7 años y 7 cuarentenas; y del mismo modo practicándolas *en cualquiera domingo ó fiesta* del año, ganará cada vez 5 años y 5 cuarentenas de indulgencia; y practicándolas en cualquiera otro dia 100 dias de indulgencia. A mas el que acostumbrare *á lo menos una vez á la semana* rezar la corona, el rosario, el oficio parvo, el de difuntos, ó las vísperas y al menos un nocturno con las Laudes, ó los 7 salmos penitenciales con las letanías y sus preces, cada vez ganará 100 dias de indulgencia. Cualquiera que *in articulo mortis* encomendare devotamente su alma á Dios, y segun la instruc-

(1) Quæ Indulgentiæ a Summis Pontificibus semel electis confirmantur.

cion de Benedicto XIV espresa en su constitucion *Pia Mater* de 5 abril de 1747 estuviere pronto á recibir con ánimo resignado de las manos del Señor la muerte, estando *verdaderamente arrepentido, confesado y comulgado,* ó no pudiendo, *á lo menos contrito* invocare el Smo. nombre de Jesus con el corazon no pudiendo con la boca, ganará indulgencia plenaria. El que hiciere cualquiera especie de oracion preparatoria antes de la celebracion de la misa, de la comunion, del rezo, ó de decir el oficio parvo, ganará cada vez 50 dias de indulgencia. El que visitare á los presos ó enfermos en los hospitales, ayudándoles con alguna obra pia; ó en la Iglesia enseñare la doctrina cristiana, ó la enseñase en casa á sus propios hijos, parientes y familiares, cada vez ganará 200 dias de indulgencia. El que al toque de campana de alguna Iglesia por la mañana, mediodia ó al anochecer rezare las preces *Angelus Domini* etc. y sino las sabe dijere un Padre nuestro y un Ave Maria, ganará 100 dias de indulgencia. El que en dia *de viérnes* meditare devotamente la pasion y muerte del divino Redentor, y dijere tres *Padre nuestros* y tres *Ave Marias*, ganará 100 dias de indulgencia. El que verdaderamente arrepentido de sus pecados con firme propósito de la enmienda hiciere el exámen de conciencia y rezare con devocion tres *Padre nuestros* y tres *Ave Marias*, en honor de la Sma. Trinidad, ó bien rezare cinco *Padre nuestros y Ave Marias* en memoria de las cinco llagas de N. S. J. C., ganará 100 dias de indulgencia. El que rogare devotamente por los agonizantes, ó á lo menos rezare por ellos un *Padre nuestro* y una *Ave Maria*, ganará 50 dias de indulgencia (1).»

Se preguntó: 1 si las personas que tienen facultad de Roma, v. g. Altar privilegiado, de erigir un cierto número de *Via Crucis*, bendecir cruces, co-

(1) Hic plura notanda: — 1 « un Rosario, el cual tenga aplicadas indulgencias, las conserva mientras puede decirse que es un mismo rosario: si se pierde la cruz, ó alguna cuenta, se puede ensartar otra, y aunque de este modo se renovase sucesivamente todo el rosario, no pierde la bendicion. Pero si de tal modo se rompe que solo quedan pedazos, pierde la bendicion: como tambien si se descompusiese de suerte que las cuentas ó una gran parte de ellas se separasen: — 2 un rosario, una medalla, ú otro objeto bendito, pierde la bendicion: si se presta, no simplemente, sino con el fin y la intencion que el usuario gane las indulgencias: así tambien la pierde, si se da ó se vende despues de habérselo hecho propio para usarlo para sí. La intencion de la S. Sede usando de tal rigor, es el inspirar mayor respeto por aquellas cosas, que tienen anejas gracias espirituales: — 3 la S. Sede prohibe aplicar indulgencias á las imágenes tanto grabadas como pintadas, como igualmente á las cruces, crucifijos, pequeñas figuras, y medallas de hierro, plomo, estaño, ó de otras materias frágiles y fáciles de romperse. Así no deben bendecirse los rosarios de vidrio (á no ser que las cuentas sean de un vidrio compacto y sólido): pues si se bendicen no quedarán benditas las coronas, pero sí las cruces y medallas que estas llevaren. — 4 para ganar las indulgencias ordinarias anejas á las cruces, medallas y rosarios bendecidos por los que tuvieren facultad, es preciso tenerlos delante al tiempo de rogar, llevarlas encima, ó tenerlos colocados en un lugar decente de la casa en que se habita. Mas si es un rosario, al cual se hayan aplicado las indulgencias de S. Brígida, se debe tenerlo en la mano, y pasar las cuentas con los dedos, á medida que se van recitando las súplicas. » — *V. Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono concedute le Indulgenze.* Gousset, *Teologia morale,* tr. *delle indulgenze.* — Bouvier, tr. *delle Indulgenze.* — M. Devie, *Rituale di Belley,* t. I. — It. *vid. De Indulgent.* Tract. *de Pœnitentia.*

« El S. Pontífice Pio IX por medio de la S. C. de indulgencias en 14 de Mayo 1853 concede que las cruces, medallas, Crucifijos, imágenes puedan ser de hierro, si bien hasta entonces fuesen prohibidas. » — *V. Raccolta delle Indulgenze* dell' anno 1857.

ronas, Crucifijos, medallas, pueden servirse de esta facultad sin manifestarla antes al Obispo Diocesano? — 2 Ciertos párrocos en el acto de aplicar la Indulgencia plenaria *in articulo mortis*, no mandan rezar el *Confiteor*, porque ya se rezó al administrar el sacramento: se pregunta si basta así? 3 Cuando se administra el Viático y la Estrema-uncion juntamente con la aplicacion de la indulgencia *in articulo mortis*, debe decirse tres veces el *Confiteor*? — 4 un enfermo puede recibir las indulgencias *in articulo mortis*, de diversos sacerdotes que tienen esta facultad? — 5 Si un sacerdote al aplicar la indulgencia plenaria descuidase de usar la fórmula prescrita por el Papa (por no tener libro), seria válida? *S. C. I.* 5 febr. 1841 respondit ad 1 *negative* quoad erectionem Viæ crucis; *affirmative* relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in concessione; ad 2 *negative* juxta praxim et Rubricas, nisi necessitas urgeat; ad 3 *affirmative* secundum praxim et rubricas; ad 4 *negative* in eodem articulo mortis; ad 5 *negative*, quia formula non est tantum directiva, sed præceptiva.

24. Missa. — Quando in Missa præscribitur tertia Oratio *ad libitum*, et Episcopi jussu apponenda est aliqua specialis Oratio seu Collecta, non debet prætermitti quæ ad libitum; sed recitanda tertio loco aliqua Oratio ad libitum; et quarto loco quæ jussu Episcopi dici debet. *S. R. C.* 17 aug. 1709.

An fieri debeat inclinatio capitis cum pronuntiatur nomen *Ss. Trinitatis*, ut fit cum pronuntiatur nomen *Jesus*? — *Congruere, ut fert praxis universalis, præsertim Urbis: S. R. C.* 7 sept. 1816.

In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quum clare Rubrica non loquatur, quæritur, quæ Missa legenda in processione S. Marci et Rogationum, præsertim si occurrat Officium duplex? — *Si fiat processio, legenda est Missa Rogationum; secus de festo cum commemoratione earumdem: S. R. C.* 12 nov. anno 1831.

Qui celebrat Missam in Ecclesia Regularium, aut Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam dicat de Festo, sed cum Missali Romano. *S. R. C.* 9 julii 1668.

Deficiente Subdiacono pro Missa solemni, data necessitate, potest permitti per superiores, ut substituatur constitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam Epistolam paratus absque manipulo. *S. R. C.* 5 julii 1698.

Una est Auctorum omnium sententia culpæ mortalis reos esse, qui cum ornatu Sacerdotali notabiliter immundo, et lacero Missam celebrant, nulla admissa necessitatis causa. Ex *Decr.* Pii VI, 25 dec. 1775.

Sacerdos celebraturus ad Altare quod habet plures gradus, non debet necessario descendere usque ad planitiem, sed satis est, ut ad pradellam descendat: 16 jun. 1663.

S. R. C. interrogata, an cæcutientes privilegium habentes Missam votivam dicendi B. M. V., possint in die Nativitatis Domini N. J. C. tres Missas votivas B. M. V. celebrare, respondit *negative:* 11 apr. 1840.

« In variis Diœcesibus Belgii juxta doctrinam in seminariis traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per Rubricas licet Missas *de requiem* et votivas celebrare, Sacerdotes Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno

vel pluribus defunctis aut votivam in honorem alicujus misterii vel Sancti habentes, celebrent conformes officio quod illa die recitarunt ad satisfaciendum susceptæ obligationi, dummodo fideles expresse non rogaverint dici Missas *de requiem* vel votivas... An præfati Sacerdotes satisfaciant suæ obligationi? et quatenus negative, ut dignentur Emm. Patres condonationem impertiri pro Missis tali modo exoneratis. *S. R. C.* respondit: *affirmative quoad Missas pro defunctis juxta generale Decretum* 5 *aug.* 1662: *in reliquis negative, et quoad præteritum unusquisque consulat conscientiæ suæ.*

Decretum generale habet:... *si ex benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ* (nempe privatæ *de requiem*) *incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorum benefactorum, curentque Ecclesiarum rectores, sacristæ, aliique ad quos pertinet, ut hujusmodi Decretum inviolate servetur... In eos autem qui contra facere ausi fuerint, vel promissa adimplere neglexerint, locum Ordinarii tum sæculares tum regulares pro modo culpæ animadvertant.* —Et facta SS. relatione, Sanctitas Sua annuit, et *cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac benefactorum menti impleri voluit.* Die 5 aug. 1662.

Q. 1: Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriæ vel cujuscumque Sancti, etiamsi non sit semiduplex vel duplex?—2 Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in singulis hebdomadis, debeat cum paramentis nigro colore celebrare, diebus non impeditis, ut possit Indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari?—3 Utrum qui celebrat in Altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut privilegii Indulgentiam consequatur?—4 Utrum ad lucrandam Indulgentiam plenariam orationi *O bone et piissime Jesu* concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione summi Pontificis?—5 Utrum ad Indulgentias applicabiles crucibus, rosariis, etc., alius ritus sit necessarius præterquam signum crucis a Sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum?—6 Utrum Indulgentia concessa cadat solum in Christo ex ære, ligno vel alia quoque materia facto, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam ipsi collatam? *S. C. Ind.* 2 apr. 1840 respondit ad 1 *affirmative;* ad 2 *affirmative;* ad 3 *ut in secundo;* ad 4 *negative;* ad 5 *negative;* ad 6 *affirmative.*

Parva Crux cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. —In Altari vero in quo adest magna statua Crucifixi, est sufficiens in Missa, et non indiget alia Cruce. *S. R. C.* die 26 junii 1663.

In Missis privatis nemini licet, præterquam solis Episcopis, adhibere Sacerdotem vel clericum ministrantem, qui missali assistat, calicem tegat et detegat, in illum vinum et aquam infundat, aliaque perficiat quæ nonnisi a Diacono solemniter administrante jure exercentur. Sed omnes (præter Episcopos) debent calicem ad Altare deferre, illum detegere et cooperire in Missa privata, ad Sacrarium referre, missale aperire et claudere et reliqua.

S. R. C. die 18 aug. 1629 (13 jan. 1631), (5 julii 1631), (26 jan. 1658), (13 junii 1671), (20 julii 1686), (29 julii 1720), (31 maji 1817).

Sacerdos in Missa privata, sacris indutus paramentis potest, finita Missa, cineres distribuere; non tamen sibimet imponere. *S. R. C.* 16 martii 1833).

Utrum in oratione super populum ad verba *Humiliate capita* etc. Sacerdos debeat se inclinare versus librum vel versus Crucem? *Servetur peculiaris Rubrica feriæ* IV *Cinerum nihil præscribens: S. R. C.* 16 martii anno 1833.

Sacerdos non antea incipiat *Te igitur* in principio Canonis, quam fuerit profunde inclinatus. *S. R. C.* 7 sept. 1816.

An etiam Sacerdos dicere debeat (submisse) in Misa solemni *Ite Missa est, Benedicamus Domino, et Requiescant in pace*, vel dicantur tantum a Diacono? — Quoad *Ite Missa est*, negative (non est dicendum); quoad *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace* affirmative. *S. R. C.* 7 sept. 1816.

An Sacerdos Missam celebraturus, transiens ante Altare, ubi fit populi Communio, debeat permanere genuflexus, donec et quousque terminatur Communio? *S. R. C.* respondit *negative:* 5 junii 1598.

In elevatione SS. Sacramenti in Missis solemnibus cani potest *Tantum ergo* vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria. *S. R. C.* 14 apr. 1753.

Missa votiva de B. M. V. cum Gloria et Credo, sed sine Officio, potest celebrari in aliqua die ob publicam causam, et ob rationem concursus. *S. R. C. in Claramontana*: 8 junii, apud Merati, n. 328.

Missa votiva solemnis de B. M. V. potest celebrari in die Dominica ratione concursus populi. *S. R. C.* 20 nov. 1662 *apud Merati* n. 397. Excipe tamen Dominicam privilegiatam, vel si sit duplex 1 vel 2 classis.

An quando non prohibentur Missæ defunctorum, possit celebrari Missa *de Requiem* pro defunctis vage sumptis, id est pro quibus Communitas debet applicare aliquam vel aliquas Missas, quin celebrans sciat determinate sintne pro Sacerdote, pro laico, pro viro, pro fœmina, etc? *Affirmative; et dicenda est prima Oratio*: Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, *ut habetur in Missali*. Ita *S. R. C.* 16 febr. 1781.

Si Missa celebratur pro aliquo vel aliquibus determinatis defunctis, qui celebranti pateant, primo loco dicitur Oratio pro iis, pro quibus Missa celebratur; secunda pro libitu Sacerdotis; tertia semper erit *Fidelium Deus*. Apud *Merati*.

In iis orationibus defunctorum, in quibus non adest littera N. in Breviario aut Missali non licet adjicere nomen defuncti nec in Officio, nec multo minus in Missa neque in absolutionibus; neque contra suffragatur consuetudo itiam immemorabilis. *Decretum S. R. C.* 7 apr. 1832 *in Viglevanensi* (1).

An in die sabbati Sancti post Missam solemnem de die liceat celebrare Missam solemnem *de Requiem* præsente cadavere? *Negative S. R. C.* 16 apr. 1831.

Missæ cantatæ mortuorum infra Octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsente cadavere. *S. R. C.* 12 sept. 1691.

(1) In morte Regis vel Reginæ ad litteram *N.* usus est, ut non tantum Baptismi nomen, sed ipsa qualitas *regis* vel *reginæ* proferatur, uti fit in Orationibus, quæ pro ipsis recitantur, dum adhuc vivunt.

In Missis quotidianis pro defunctis possunt quidem dici plures Orationes quam tres, sed curandum, ut sint numero impares; et aliquando pro illa *Deus veniæ largitor* impune subrogabitur alia, v. g. pro patre, pro matre, etc., dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium* (1).—Insuper anniversaria adimplenda non sunt inter octavas privilegiatas. *S. R. C.* 2 sept. 1741.

Tandem quoad Missas mortuorum non abs re erit sub uno veluti oculo ponere quæ leguntur in Diario, *Amico Cattolico,* vol x, pag. 311.

Cuando se pueden celebrar las misas de requiem.

«*Segun el ritu ambrosiano:* Las Misas *rezadas* de difuntos pueden decirse en cualquier dia, menos en los domingos, en las Solemnidades del Señor y en sus octavas; en las fiestas de la B. V. M. y de los Santos de ritu solemne; en las vigilias de Navidad del Señor, de la Epifanía y de Pentecostés, en las ferias de Adviento privilegiadas y de *exceptato:* en el sábado de la Tradicion del Símbolo, en toda la Semana Santa y aun en el tríduo de las Letanías. Y todo esto segun las rúbricas del Misal, y las reglas al uso del Calendario Ambrosiano.

«*Segun el ritu romano*: Las misas *rezadas* de difuntos pueden decirse en todos aquellos dias, que no son de domingo, ni el rezo es doble por solemnidad del Señor ó fiestas de la B. V. M., ó de los Santos; y esto segun lo prescrito en las rúbricas generales del misal Romano. Tampoco pueden decirse misas rezadas de difunto en las octavas de Navidad del Señor, de la Epifanía, Pascua, Pentecostés y del Corpus, en toda la Semana Santa, en la feria cuarta de Ceniza, en la vigilia de Navidad y de Pentecostés. *Así resulta de varios decretos de la Congregacion de Ritus.*

Las misas *solemnes* de difuntos pueden cantarse en los dias siguientes:

1. «En el dia de la defuncion ó deposicion de un difunto aunque el cadáver no sea presente y ocurra una fiesta de algun Santo de ritu solemne (por el ritu Romano *doble*), mas no de precepto. Así la S. C. de Ritus, 19. Set. 1654, n. 1585 en el Gardellini. Y si el cadáver es presente, pueden cantarse siempre aun en los dias festivos de precepto y en algunos dias de rezo de primera clase, esto es en el segundo y tercero de Pascua y segundo y tercero de Pentecostés, siendo prohibido solamente en las solemnidades principales que son: Navidad de N. S., Epifanía, el tríduo antes de Pascua, la Ascension, Pentecostés, *Corpus Christi,* Asuncion de M. V., Navidad de S. Juan Bautista, la fiesta de los Ss. Apóstoles Pedro y Pablo, y de todos los Santos. S. C. R. 21 Marzo 1744, n. 4004.

«A mas es prohibido cantar Misa de difunto lo mismo que en las primeras solemnidades, en la fiesta del Santo patron y en la de la Dedicacion de la Iglesia mayor. Por lo que mira á la fiesta del Santo patron, si lo es de toda la diócesis, la prohibicion mira á la diócesis entera; pero si el Santo es patron únicamente de un lugar ó aldea, en tal caso se limita á las iglesias del mismo lugar ó aldea. Si se trata del aniversario de la consagracion de

(1) Quoad orationes quæ fiunt pro Rege sive in Missa sive in benedictionibus, *vid.* L' *Armonia*, anno 1856, nn. 195 et 197.

una iglesia cualquiera, tal prohibicion tiene lugar únicamente en aquella iglesia. Tambien es prohibida cualquiera Misa de difuntos en toda iglesia, en que esté espuesto el Santísimo Sacramento, tanto en la Oracion de las 40 horas, como por cualquiera causa pública ó por otro motivo cualquiera durante el tiempo de dicha esposicion. Así en la coleccion de decretos de la S. C. y en la instruccion Clementina en el Cavalieri. Finalmente en los dias de domingo ó de otras fiestas de precepto, en todas aquellas parroquias en que se celebra una sola Misa, es prohibido cantar la Misa de difuntos, aun siendo presente el cadáver. S. C. R. 26 enero 1793.

«Todas estas reglas con el número primero valen tanto para los ambrosianos, como para los romanos.

2. «Cuando el cadáver de un difunto aunque no sea sepultado, pero sea custodiado religiosa y decentemente en un lugar muy cercano á la iglesia (lo que puede suceder por varias causas), y antes no se haya celebrado por él la Misa solemne, y en la misma iglesia se coloque una tumba con paños negros y señales de difunto con alguna particularidad, que (si es posible) indique no ser aniversario, en tal caso se podrá cantar una Misa *diei depositionis*, aunque fuese un dia de ritu solemne (para los romanos *doble de segunda clase*), ó fiesta de precepto. Pero si el cadáver ya fuese sepultado en el mismo dia ó en el anterior sin haberse celebrado la Misa de difuntos, se podrá cantar por él una Misa de difuntos, con tal que aquel dia no sea ritu de primera ó segunda clase, ó fiesta de precepto: en tal caso la Misa de difuntos se cantará en el primer dia siguiente. *S. C. R.* 9 set. 1816.

3. «En los dias tercero, séptimo y trigésimo, los cuales pueden contarse desde el dia de la muerte ó de la sepultura, segun la costumbre del pais, se puede celebrar una Misa solemne de difuntos, con tal que no ocurra ritu de primera ó segunda clase y no sea fiesta de precepto, ó bien una octava (privilegiada segun el ritu romano). S. C. R. 23 agosto 1776 y 2 agosto 1783.

4. «Cuando un Capítulo ó un Párroco recibe la noticia que ha muerto en lugar remoto un miembro del Capítulo ó de la Parroquia *unus de gremio*, puede cantar por él una Misa de difuntos en la iglesia á la cual pertenecia, luego de haber recibido la noticia, con tal que no sea fiesta de precepto ó un dia de los esceptuados en el número precedente S. S. R. C. mayo 1686 y 27 marzo 1779.

5. «En los aniversarios dejados por disposicion de los testadores y que deben celebrarse cada año en el dia de su muerte, se puede celebrar por ellos Misa solemne de difuntos, con tal que no sea fiesta de precepto, ó ritu de primera ó segunda clase, ó una de las mencionadas octavas. S. R. C. 1 diciembre 1666, y 5 julio 1698. Estas Misas en los aniversarios dispuestos por los testadores, cuando no puedan cantarse en los dias establecidos por los mismos, se podrian celebrar en los dias antecedentes ó subsiguientes, con tal que no sea fiesta de precepto, ó ritu clásico, ó doble mayor segun el ritu romano.

6. «En los aniversarios que se quieren hacer celebrar por devocion de los fieles en sufragio de los padres, amigos ó bienhechores ó por otros difuntos, se podrá tambien cantar por ellos la Misa como arriba, aunque el rezo sea de

Santo solemne para los ambrosianos, y para los romanos doble menor, con tal que sea verdaderamente el dia aniversario. Despues no pueden trasladarse á otro dia solemne ó doble con la Misa cantada de difuntos; y en tal caso convendrá trasladar el aniversario á un dia, en que pueda decirse Misa de difuntos. S. R. C. 19 junio 1750.

Cuando se deben celebrar Misas llamadas de Requiem.

1. «La Misa conventual en las colegiatas ú otras iglesias en donde se celebra cada dia, debe cantarse de difuntos cada primera feria del mes y segunda de la semana, que no sea privilegiada ó impedida, como prescriben las rúbricas del misal ambrosiano y romano.

2. «En el dia de la Conmemoracion de los difuntos todas las Misas tanto rezadas como solemnes deben celebrarse *de requiem*, con la sola escepcion para el ritu romano, que donde hay obligacion de cantar Misa cada dia, no debe omitirse la conventual despues de Tercia, de la octava de los Santos ó del Santo doble menor. En dicho dia se lee la primera misa que hay en el misal de difuntos, aunque la aplicacion quede al arbitrio de los Sacerdotes; y si hubiesen de celebrarse las exequias de algun difunto, se puede cantar, estando presente el cadáver, la Misa *in die obitus* á mas de la otra para todos los fieles difuntos. S. C. R. 14 abril 1646.

3. «Cuando se celebra Misa en un altar privilegiado *in perpetuum* ó por un tiempo determinado con obligacion de aplicarla en sufragio de uno ó mas difuntos por alguna disposicion testamentaria ó por espontánea oferta de los devotos, se debe decir la Misa de difuntos para ganar las Indulgencias. Y si segun las rúbricas no se pudiese, en tal caso debe celebrarse la Misa indicada en el Calendario, y se gana la misma Indulgencia para los difuntos, como si fuese Misa *de requiem*. S. C. R. 10 julio 1848, n. 4962.

4. «Pero si el altar no es privilegiado y por fundacion del beneficio ó por estipendio manual recibido, un Sacerdote debe aplicar las Misas de los difuntos, entonces está obligado á celebrar *de requiem* cuando las rúbricas lo permitan; y obrando de otra suerte no cumple el propio deber. S. C. R. 3 marzo 1761.»

Communicantes in die et octava Pentecostes legi debet prout in antiquis Missalibus ab Urbano VIII recognitis, et retinenda lectio *innumeris linguis;* non altera *igneis linguis*. *S. R. C.* 13 martii 1804.

Amictus, albæ, mappulæ, *si quæ ex gossipio habentur, adhiberi interea possunt usquedam consummantur; sed cum renovandæ sunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe. Sed* corporalia, pallæ, purificatoria *post lapsum unius mensis a publicatione hujus decreti linea omnino sint, vel ex cannabe.* Ita *Decr. Gener.* 19 maji 1819.

Ad *quæsitum:* an amictus, albæ et tobaleæ, necnon pallæ et corporalia confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant *mussulo: responsum fuit,* lectum (1).

(1) Occurrunt nonnumquam in responsionibus Sacræ Congregationis termini non ita facilis intelligentiæ: explicantur. — *Dilata,* seu differtur respondere, ut res maturiori examini subjiciatur

Missa cantata in expositione SS. Sacramenti erit votiva de Sacramento cum unica oratione (nisi occurrat aliqua Dominica vel feria, in qua sit facienda commemoratio), in duplicibus etiam majoribus. At in duplici primæ et secundæ classis, item in Dominica primæ et secundæ classis Missa cantata erit de die, cum commemoratione Sanctissimi, sub unica conclusione tamen. Missæ vero privatæ, si sit semiduplex, possunt esse votivæ de Sacramento cum præscriptis commemorationibus sine *Gloria* et *Credo*; at si sit duplex, Missæ privatæ erunt de die cum commemoratione Sanctissimi post omnes alias commemorationes. Et in duplicibus (et Dominicis) primæ et secundæ classis, nulla fit commemoratio. *S. R. C.* 2 dec. 1684; 2 sept. 1741; et Rubrica Missalis.

Cum post Offertorium... celebrans incipit thurificare Crucem, inchoët verba *Dirigatur Domine*, et prosequatur in incensatione Reliquiarum, Altaris, adeo ut eodem tempore finiantur verba et incensatio. *Cæremon. Episc.* l. I, c. 23, nn. 10 et 11. *Rubr. Miss.* t. VII, n. 10.

In impositione thuris in thuribulum verba *ab illo benedicaris* dicantur, dum ponitur incensum; signum crucis efformetur post redditum cochlear. *S. R. C.* 18 dec. anno 1779.

Tam in principio Missæ, quam post Communionem calicem velare debent totum in parte anteriori. *S. R. C.* 12 jan. 1669.

Potest quilibet Sacerdos addere in Missa nomen S. Joseph sponsi B. V. in oratione *A cunctis;* et hoc ante nomina Ss. Apostolorum Petri et Pauli: 17 *sept.* 1815.

Oratio præcepta a Superiore si sit pro re gravi, dicenda erit in duplici primæ classis sub unica conclusione, et in duplici secundæ clasis sub sua conclusione. Si non sit pro re gravi omittenda in duplici primæ classis; in duplici vero secundæ classis arbitrio Sacerdotis: 7 *sept.* 1816.

In Missa solemni celebrata cum cantu ante SS. Sacramentum solemniter expositum in festo S. Cordis Jesu, omitti debet Commemoratio SS. Sacramenti: 6 *sept.* 1834.

Cum ex decreto 26 jan. 1793 in oratione *A cunctis* ad litteram *N.* sit nominandus patronus seu titularis Ecclesiæ, quæritur: 1 an sit patronus principalis loci in quo celebratur, et quid si plures sint principales patroni; 2 qui nominandus, si patronus vel titularis jam sit nominatus in ipsa oratione, aut de eo sit celebrata Missa? *Ad* 1, *nominandus titularis Ecclesiæ; ad* 2, *si jam nominatus fuit, omittenda nova nominatio:* 12 nov. 1831.

Sacerdos pergens ad celebrandum et Calicem manu sinistra tenens, potest accipere aquam benedictam et se signare si commode fieri potest; sin minus, se abstineat: 27 *martii* 1779.

utpote difficilis solutionis. — *Affirmative et amplius: Negative et amplius*, seu cum res fuerit in Sacra Congregatione plus æquo discussa et plenis votis prout jacet decisa, non amplius admittitur tale quæsitum. — *Nihil*, seu non admittitur petitio utpote incongrua. — *Relatum* vel *Lectum*, seu cum relatum vel lectum fuerit in Sacra Congregatione postulatum, non fuit admissum. — *Reponatur*, seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis. — *Detur decretum generale*, scilicet responsio obligans omnes. — *Spectare ad Episcopum*, ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes.

1. An in Ecclesiis Regularium aliisque Ecclesiis exemptis, recitandæ sint collectæ ab Ordinario loci præscriptæ? 2 an liceat Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id jusserit? *Ad* 1, *affirmative; ad* 2, *negative:* 3 apr. 1821 *decreto generali* (1).

Moniales S. Agathæ declarari petierunt, an feria v in Cœna Domini in eadem Ecclesia ultra Missam ordinariam liceat alteram lectam celebrare *S. R. C.* 19 dec. 1654 respondit *non licere.*

In Ecclesiis, in quibus non asservatur Ss. Sacramentum, non licet celebrare Missam feria v in Cœna Domini, et in sepulcro idem Augustissimum Sacramentum asservari. *S. R. C.* 14 junii 1659.

An Parochi in Ecclesias alienas convenientes aut non convenientes possint (attenta consuetudine immemorabili aut saltem antiqua) Sacrum facere in die sabbati Sancti cum cantu aut sine cantu in propria Ecclesia, prætermissis benedictionibus ignis, cerei, prophetiis aliisque ritibus ipsa die præscriptis; aut non obstante eadem consuetudine, idem Sacrum omittere teneantur. Et quatenus negative quoad secundam partem, sub qua pœna statuenda contra Parochos aliosque Sacerdotes?—*S. R. C.* 12 apr. 1755 respondit: *congruit, ut Missæ in sabbato Sancto celebrandæ ignis et cerei benedictio præcedat; antequam Missam, prophetiæ omitti non debent, et Episcopus Parochos ad ignis et cerei benedictionem faciendam aliqua pœna adigere poterit.*

«Un edicto del Exmo. Cardenal Vicario, en fecha 2 abril 1852 recuerda que conforme los decretos espedidos en diversas ocasiones por la S. Congregacion de Ritus, está prohibido á todos los Sacerdotes celebrar Misas rezadas el jueves, viernes y sábado santo, tanto en los oratorios particulares como en las iglesias públicas. En cuanto á aquellas en que se hacen las funciones de la Semana Santa, solo debe celebrarse la Misa conventual, despues de la cual se coloca el Smo. Sacramento en una capilla ó altar preparado á este efecto: esto es lo que se llama vulgarmente Monumento ó Sepulcro.» (*Correspondance de Rome,* n. 96). *Vide* infra decreta generalia.

Sacerdotes etiam Regulares, diebus quibus Officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis, in quibus peragitur festum cum solemnitate et concursu populi, debent celebrare Missas, conformando se ritui, et colori earumdem Ecclesiarum. In aliis vero diebus possunt se uniformare, sed non tenentur, nisi quando color fuerit dissimilis, quia non licet celebrare, v. g. de Sancto Confessore, cum colore rubro, neque de Martyre, cum colore albo. Si tamen in Ecclesia, in qua celebratur, non prohibentur Missæ privatæ defunctorum, tunc nemo tenetur se uniformare neque quoad colorem. *S. R. C.* 11 junii 1701; et *Decreto dato* 7 maji 1746.

Missa concordare debet cum Officio quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiæ in qua celebrat, aptetur. In Oratorio autem privato semper concordare debet cum Officio: *S. R. C.* 12 nov. 1831.

Quæritur 1. Episcopi tenenturne ad applicationem Missæ pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Concistorio? 2 Vicarii Ca-

(1) Si tamen jam cessaverit causa seu consecutus est effectus, et Ordinarius non soleat hujusmodi mandata revocare, tunc potest proprio motu collecta omitti; ut notatur in libro *Manuale Decretorum*, Romæ, 1853.

pitulares tenenturne ad hanc applicationem, Sede Vacante?—Ad 1, *post adeptam possessionem*. Ad 2, *Negative*. Ita *S. R. C.* 12 nov. 1831. Gard. n. 4520.

In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt prælati ad Confessionem cum suo Psalmo.—In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, quæ jejunatur, ac in Missis defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dicto per Celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, et ad Orationes post Communionem, et super populum, excepta Vigilia Paschæ, et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporum Pentecostes.—Et similiter ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum. *Rubrica Missalis Romani*, num. 17.

Missarum onera relicta in determinata Ecclesia vel Capella non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia. *S. C. C.* 30 sept. 1580.

In Oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica Missæ celebratio, die Natalis Domini fas est tres Missas ab eodem Sacerdote celebrari. *S. C.* (Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* l. III, c. 4, § 8).

25. Moniales.—Post solemnem professionem dotis dominium irrevocabiliter in monasterium transfertur. Monialis professa e religione egrediens vel ad aliam transiens dotem repetere nequit. *S. C. C.* 3 martii 1792.

Non potest Ordinarius præfigere quantitatem dotis ita, ut moniales non possint amplius recipere, si sponte solvatur. *S. C.* 3 nov. 1604.

Monialis novitiæ professio potest differri ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc non receperit. *S. E. C.* 31 maji 1597. Potest tamen admitti in professionem antequam solvatur dos. *S. C.* 14 febr. 1653.

Moniales debent recitare *Confiteor* absque ulla variatione, prout est in Breviario: 18 *aug.* 1629.

26. Negotiatio.—S. Concilii Congregatio, referente Fagnano, in l. III *Decretal. de Cler. vel Mon.* c. multas declaravit:

Licere Clericis agros beneficiorum, et patrimoniorum suorum colere absque reatu illicitæ negotiationis:

Posse pro ejusdem culturæ usu boves et alia animalia necessaria coëmere, illorumque fœtus justo pretio atque honesta ratione vendere:

Posse pro sua et familiæ sustentatione eos, qui in propriis terris habent quercus et castaneas, sues emere, eosque alere et vendere; dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendis suibus nihil sordidum, aut indecens ordini Clericali exerceant:

Licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum quod ex bombicibus proveniet, inter utrumque dividatur. Ac pariter eidem licere earumdem arborum foliis utendo per se ipsum absque officii sui detrimento, ac pro sua et familiæ sustentatione, arti sericæ operam dare; dummodo tamen in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, et quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat:

Clericos pauperes ob suam suorumque necessitatem posse terras Ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis: bona vero laicorum non posse, nisi ex mera præcisa necessitate:

Posse retinere et locare boves, oves et alia animalia, quæ habent ex successione vel decimis, necnon fructus illorum vendere:

Posse Clericos, in casalibus tamen propriis et non conductis artem agriculturæ per sese, vel per alios exercere.

27. Officium.—Quum duo vel plures Officium divinum recitant privatim, debentne ad *Confiteor* omittere verba *vobis fratres* et *vos fratres, misereatur tui* et *misereatur vestri*, sicut quando unus tantum illud recitat? *Possunt, sed non debent: S. C. R.* 12 nov. 1831.

Juxta Rubricam Breviarii et Decreta S. R. C. antiphona finalis B. Mariæ V. præter tempus paschale, dici debet stando omnibus diebus dominicis infra annum a primis Vesperis sabbati usque ad occasum solius ipsius Dominicæ. Quæritur : 1 a qua hora sabbati incipiant primæ vesperæ tam in Quadragesima, quam in aliis temporibus? 2 an hic occasus solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum? 1 an a primis vesperis sabbati usque ad occasum solis in Dominica semper standum sit, etiamsi non recitetur Officium Dominicæ, sed vel sabbati, vel feriæ secundæ? 4 utrum sit genuflectendum si post occasum solis Officium Dominicæ recitetur? Resp. *Serventur Rubricæ; et ad* 1 *consulantur Theologi* (1); *ad* 2 *affirmative; ad* 3 *affirmative; ad* 4 *negative: S. R. C.* 12 nov. 1831.

Aliqui in recitatione Divini Officii tam in Choro, quam privatim signum crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt et se inclinant etc. in his locis, in quibus rubrica id non præscribit, ut in fine Primæ ad *Adjutorium*, ad *Dominus nos benedicat;* ad *Converte nos* initio Completorii, ad *Nunc dimittis;* ad *Benedicat nos* in fine Completorii; ad *Dominus det nobis* ante antiphonam finalem B. M. V. Quæritur quando hæc omnia sint facienda tam in publica, quam in privata recitatione? *Serventur Rubricæ*, quæ scilicet nihil hujusmodi præcipiunt. *S. R. C.* 12 nov. anno 1831.

Dum Vesperæ et Officia divina recitantur, exposito Ss. Sacramento, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Episcopus, quam Canonici et omnes præsentes, durante Officio, starent semper capite detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ, detecto capite, existente Ss. Sacramento super Altari, divinis Officiis assistere. *Cæremon. Episcoporum.*

In Commemorationibus communibus sive suffragiis Sanctorum, dum fit de aliquo Sancto principali, cujus antiphonæ habent in fine *alleluja*, utrum debeant recitari cum *alleluja* in dictis Commemorationibus? R. *Affirmative etiam in suffragiis per annum, quoties hujusmodi antiphona contineat verba, quæ exprimant gaudium, victoriam et similia; alias negative:* 29 nov. 1738.

Pro suffragio B. M. Virginis in Ecclesiis eidem dicatis sub titulo quocumque sive Assumptionis, Conceptionis, etc. sufficit consueta antiphona: *Sancta Maria* etc.: 23 apr. 1695.

Aliqui Sacerdotes nulli adscripti Ecclesiæ pro commemoratione, quæ præ-

(1) Hora Vesperarum, ut communiter traditur, est illa quæ subsequitur horam nonam, quæ est media inter meridiem et occasum, estque diversa pro diversis temporibus; in æstate enim est hora quarta post meridiem, et in hieme non advenit nisi ad minus post duas horas cum quadrante a meridie. Liguori, *Opus Mor.* l. IV, n. 174. — In Quadragesima tamen erit ante meridiem hora præstabilita, hora nempe circiter undecima. Vide *De Horis canonicis*, ubi de tempore recitationis.

scribitur facienda de patrono vel titulari Cathedralis; alii vero de patrono vel titulari Parochialis sub quo degunt: quænam praxis menti Rubricarum conformior? *Facienda est commemoratio Patroni civitatis vel loci:* 12 sept. 1840.

An quoties in Divino Officio locum habent commemorationes communes seu suffragia Sanctorum, fieri debeat commemoratio de patrono loci, an de titulari Ecclesiæ, an de utroque? *Quum in Breviarii Romani rubricis tit.* 35 *habeatur quod facienda sit commemoratio de titulari vel patrono Ecclesiæ, liquido apparet nil faciendum de patrono loci:* 23 sept. 1848.

Quando quis causa itineris vel studii vel aliis de causis extra patriam vel Diœcesim versatur, debetne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiæ vel beneficii vel etiam simpliciter Diœcesis, an vero officium illius loci, in qua reperitur? *Beneficiati tenentur semper ad officium propriæ Ecclesiæ; simplices vero Sacerdotes conformari possunt officio loci, ubi morantur. Vagi consultius est, ut Diœcesis propriæ kalendario utantur; quia secus magna confusio officiorum oriretur:* 12 nov. 1831.

An Clerus adscriptus alicui Ecclesiæ Parochiali, choro tamen illius non obligatus, nec gaudens beneficio, et Clerus sub eadem Parochia tantum degens et alteri Ecclesiæ non addictus, teneatur recitare particularia officia illius Parœciæ, id est Dedicationis, titularis vel alicujus Sancti ob insignem ejus reliquiam, eo quod in illa Ecclesia Parochiali fuerit inducta consuetudo recitandi prædicta Officia a Sacerdotibus et a Clericis adnotatis ante Bullam S. Pii V de Breviario Romano, editam anno 1568, ita ut si Officium juxta kalendarium suæ Diœcesis dumtaxat celebrent, non adimpleant onus Horarum?—R. *posse, sed non teneri, ideoque adimplere onus Horarum canonicarum se conformando in recitatione Officii kalendario Diœcesano:* 20 sep. 1806.

An in Officio parvo B. Virginis Tempore Paschali addi debeat antiphonis et versiculis *alleluja*? Recitetur dictum Officium parvum, prout in Breviario Romano: 28 martii 1626.

S. Petri commemoratio pro suffragio uti Titularis vel Patroni sufficit illa communis cum S. Paulo. *S. R. C.* 16 oct. 1743.

In exequiis defuncti Sacerdotis crux locetur ad caput defuncti inter feretrum et Altare. *S. R. C.* 13 sept. 1746. Pro Subdiaconis et Diaconis more laicorum.

Officium anniversarium vel septenarium vel trigenarium defunctorum post obitum, si cadat die dominico vel festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. *S. R. C.* 23 martii 1603 (1).

Chorus universus ad Primam et Completorium debet replicare *misereatur* et *Confiteor. S. R. C.* 19 maji 1607.

In exequiis parvulorum feria v in Cœna Domini, feria vi et Sabbato Sancto ante Vesperas, potest omitti *Gloria Patri* in Psalmis, qui dicuntur pro conformitate temporis. *S. R. C.* 16 jan. 1677.

Utrum Hebdomadarius signari debeat cum in Officio divino dicit: *indul-*

(1) Diebus, quibus prohibetur Missa de requiem, adhuc cum causa recitari poterit Officium defunctorum, exceptis solemnitatibus I et II classis; ratio quia Missa potest suppleri applicando Missam de die; at Officium defunctorum non potest suppleri cum Officio de die. *Gavantus.*

gentiam, absolutionem? Congruere, ut fert praxis universalis præsertim urbis. *S. R. C.* 7 sept. 1816.

Preces feriales et antiphona finalis B. M. V. non solum in choro, sed etiam privatim flexis genibus suntne recitandæ? *In choro tantum juxta rubricas. S. R. C.* 12 nov. 1831.

In Officio Defunctorum, quando recitatur integrum, numquam est omittendum Invitatorium *Venite exultemus*, etc. *S. R. C.* 9 maji 1739.

Duplicatio antiphonarum, præter diem commemorationis omnium defunctorum et diem depositionis defuncti, fiat in Officio defunctorum in diebus 3, 7, 30, et anniversario. *S. R. C.* martii 1738.

Post absolutionem quæ fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, dicto *Requiescat in pace*, subjungi debet: *anima ejus*, etc. In commemoratione vero omnium defunctorum nihil est superaddendum. Ita *S. R. C.* 2 dec. 1684.

In exequiis Sacerdos circumiens feretrum per latus dexterum, seu tumulum (quod Græci vocant *funus immaginarium*) ter hoc aspergit, in pede, medio et capite. Eodem modo incensat: incensum autem de more benedicitur. *Rituale, Cavalieri, Gavantus, Catalanus.*

In exequiis solemnibus alicujus defuncti in trina aspersione et incensatione per quodlibet latus cadaveris vel tumuli seu cænotaphii, satius est si simplicitas in hoc effulgeat. In exequiis tamen non solemnibus, sive præsente corpore sive non, sufficit ut celebrans sine circuitione ter ducat aspersorium super feretrum vel tumulum, nempe in medio, a dextro et a sinistro. Ex *Manuali Ecclesiasticorum*, ut communiter fit.

In exequiis, dum post Orationem celebrans dicit *Requiem æternam*, facere debet manu dextra signum crucis super feretrum vel tumulum. Ex *Manuali Ecclesiasticorum.*

In absolutionibus ad tumulum, licet pro Sacerdote, quando cadaver non est præsens, crux collocanda est inter tumulum et fores Ecclesiæ, et celebrans inter Altare et tumulum. *Cæremoniale Episcoporum*, lib. II, c. 11, § 15.

28. Ordines.—Q. 1: in collatione primæ tonsuræ legitur in Pontificali: *quilibet quum tondetur dicit: Dominus*, etc. Hæc verba suntne proferenda etiam ab Episcopo? 2 Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores Ecclesiæ, debetne claudere et aperire etiam cum clavi? 3 *Amen* quod Pontificale præscribit respondendum in traditione materiæ vel sacrorum indumentorum in ordinatione, dicendum est ab ipso ordinando, vel ab adstantibus? 4 Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione quando dicere debent *Confiteor*, ante vel postquam communicati sunt Presbyteri?—Ad 1 *proferat juxta morem.* Ad 2 *non stricte necessarium.* Ad 3 *juxta consuetudinem ab ordinando.* Ad 4 *post Communionem Presbyterorum.* Ita *S. R. C.* 12 nov. 1831. Gard. n. 4520.

29. Processio.—Parochus non potest sine licentia Episcopi processiones extraordinarias facere, neque sufficit licentia Vicarii Foranei. *S. C. E.* die 12 julii anno 1636.

An censeri debeant Professores Seminarii unum et idem corpus efformare

cum Clericis Seminarii in publicis processionibus? *Negative quia nullibi adest consuetudo : S. R. C.* die 17 julii 1830. Gard. n. 4512.

Genuflexio utroque genu est facienda ab omnibus transeuntibus ante Ss. Sacramentum patenter expositum: etsi fuerit in pyxide. *S. R. C.* 7 maji 1746.

Presbyteri et Clerici Cathedralis omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, et sub una cruce debent incedere. *S. R. C.* 28 nov. 1609.

Quo loco procedere debeat concentus musicus vulgo *la banda*, dum sacris processionibus intervenit? *Assignetur locus ab Episcopo, verum ante utrumque Clerum* (sæcularem et regularem): 23 sept. 1837 *in Brundusina.*

In processionibus, in quibus defertur Ss. Sacramentum, vel lignum Sanctæ Crucis tam Clerus quam sæculares, detecto capite, incedere debent; in aliis vero processionibus, in quibus deferuntur reliquiæ vel statuæ Sanctorum, qui eas deferunt capite detecto, alii vero Clerici possunt incedere tecto capite cum bireto: 1 dec. 1657; et 25 sept. 1688.

Presbyter deferens reliquias incedit detecto capite, Episcopus cum mitra: 22 jan. 1636.

In processionibus Candelarum, Palmarum et similibus, quæ fiunt per Ecclesiam sine Ss. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiæ in Missa privata. Quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare ubi Missa celebratur, et deposito SS. Sacramento, progrediendum est: similiter si alii transeant in elevatione Calicis *S. R. C.* 1 martii 1681.

Ubi processio Ss. Sacramenti in ejus festo die vel per octavam ea, qua decet solemni pompa, nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique Ecclesiæ aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua celebrata Missa cum Commemoratione Ss. Sacramenti juxta Rubricas, solemnis illius processio peragi possit *S. R. C.* 8 maji 1749.

Non alba, sed tantum superpelliceum adhibendum in processionibus, quando induuntur Planetæ, Dalmaticæ et Tunicellæ juxta Cæremoniale Episcoporum, lib. I, c. 15 et 33. *S. R. C. in Matheranensi* (et tunc amictus est vestiendus post superpelliceum, quia superpelliceum seu cotta tenet locum rocheti, quod induitur ante omnia).

In processionibus, in quibus defertur solemniter Ss. Sacramentum, Thuriferarii cum thuribulis incedere debent facie, non dorso, ad Sacramentum semiversa in incessu. *S. R. C.* 15 sept. 1742 (1).

Assistentes Celebranti, et Clerici, qui processiones dirigunt, non deferant biretum. *S. R. C.* 23 sept. 1837.

Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terræmotus, peste, fame et bello, quæritur utrum recitari debeant, et quo loco apponendæ? — R. *Affirmative, et ponendas esse post versum :* a fulgure et tempestate. *S. R. C.* 11 sept. 1847.

30. Prædicatio. — Si Parochus est aptus ad declarandum Evangelium.

(1) In processione Ss. Sacramenti nulla reverentia vel genuflexio fieri debet in transitu ante Altare, etsi sit Altare majus et in eo reconditum sit Ss. Sacramentum. Tanto minus fieri potest reverentia ab incedentibus ad invicem.

compelli non potest ad aliud: et si universitas prætendit meliorem Prædicatorem, debet illum eligere cum Ordinarii approbatione, ac expensas subministrare. *S. C. E. in Firmana;* 15 junii anno 1590.

Non potest Parochus solitam eleemosynam prætendere nec titulo paupertatis, quando per se ipsum in sua Ecclesia, in qua prædicare solet, vellet conciones habere; quia hic proprium munus adimplet: nisi in casu, quo universitas vel nominator Parochum deputasset, aut sponte solvere vellet. *S. C. E.* 30 junii 1615.

In concione ante Ss. Sacramentum expositum concionator stet detecto capite, licet Sacramentum sit velatum: 22 *sept.* 1837 *in Mutinen.*

Ob supremum Ordinem et dignitatem Episcopalem non convenit, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante concionem benedictionem petat: 28 apr. 1607 *in Neapolitana.*

Prædicante Episcopo, omnes alii concionatores sileant. Ita S. C. C. *approbante Urbano VIII,* 2 maji 1629. — Id non intelligitur respectu Parochorum, qui eadem die in Ecclesia Parochiali concionari possunt. *S. C. C.* 11 jan. 1631.

Quando in Missa solemni Concionator post salutationem Angelicam salutat Ministros Altaris seu facit reverentiam, non est incongruum, si ministri Altaris et ipse celebrans correspondeat salutationi concionatoris discooperiendo caput. *S. R. C.* 20 jan. 1686.

Tolerari non debet consuetudo sive corruptela, occasione concionum sedere in gradibus Altaris majoris terga vertendo Sanctissimo Sacramento, sit vel non sit expositum. *S. R. C.* die 20 sept. 1806.

31. Reliquiæ. — Eliminandus abusus superimponendi Sanctorum reliquias piasque imagines Tabernaculo, quo Augustissimum Sacramentum asservatur; neque ante ostiolum tabernaculi, etsi sit Reliquia S. Crucis. *S. R. C.* 31 martii 1821; 6 sept. 1845; 12 martii 1836.

S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita ad dubium, an praxis separandi Reliquias Sanctissimæ Crucis D. N. J. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata et sequenda? Auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse statuit: *affirmative.* Ita decretum 22 febr. 1847.

Insignes Reliquiæ sunt Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. *S. R. C.* 8 apr. 1628.

Sanctorum Reliquiæ quando exponuntur, ultra lampadem debent continuo super Altare ardere duo saltem lumina (non tamen nocte); alias non exponantur. *S. C.* 22 jan. 1701 *in una Camaldulensium Montis coronæ.*

An Sacerdos in Missa privata sacris indutus paramentis possit cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas præbere, ut mos est in Veronensi Diœcessi, expleta Missa? *Affirmative:* 16 martii 1833.

An sub Reliquia alicujus Sancti exposita publicæ venerationi inter candelabra debeat adhiberi Palla, ut fit in pluribus Ecclesiis? *Negative:* 7 apr. anno 1832.

Reliquia Ss. Crucis non est incensanda a celebrante genuflexo. *S. R. C.* 15 sept. 1736.

Non est genuflectendum a Capitulo et Clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est Reliquia SS. Crucis. *S. R. C.* 15 sept. anno 1736.

Post expositionem Reliquiæ Ss. Crucis, vel post ejus delationem in processione, benedicendus est populus cum ipsa. *S. R. C.* 15 sept. 1736.

Cum Rubrica Missalis præscribat, quod incensata Cruce, incensentur et Reliquiæ, seu imagines Sanctorum, quæritur an imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum reliquias, responsum fuit: *non esse de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in Altari dispositis sacras includi Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce, valeant illæ a celebrante thurificari. S. C. R.* 11 martii 1744.

Beatorum reliquiæ in processionibus non circumferantur. *S. R. C.* 27 sept. 1659. Tamen possunt in altari exponi.

32. Residentia. —Parochus tenetur residere in loco, ubi est Ecclesia et in domo Parochiali: quæ si non adsit, ædificetur, et interim habitet in aliqua domo sita in Parochia, quæ quoad fieri poterit sit Ecclesiæ vicinior. *S. C. E.* die 11 martii 1579.

Parochus residere debet in loco, ubi sita est Ecclesia Parochialis, licet ei datus sit Coadjutor ratione infirmitatis. *S. C. E.* 15 aug. 1607.

Parochus, qui lumen oculorum amisit, tenetur nihilominus residere. Ita *S. C. C.* die 11 apr. 1620.

Qui plures habet substitutos in cura, non ideo censetur liber ab onere residentiæ, et etiam administrandi per se ipsum Sacramenta. *S. C. E.* die 5 dec. anno 1614.

Cuilibet Parocho præsertim seni permittendus est Coadjutor, modo ipse quoque resideat. *S. C. E.* 31 martii 1604.

Parochus cogendus est habitare in domo Ecclesiæ *S. C. C. in Fulginatensi*, 19 nov. 1718; et 13 jan. 1720. Petente Præposito Pisciensi declarari, an posset compellere Parochos ad habitandum ædes conjunctas Ecclesiis parochialibus, S. Congregatio censuit posse compellere; si tamen aliquis casus occurrat, qui rationibus specialibus innitatur, rescribendum ad S. Congregationem Concilii.—*Iterum interrogata respondit,* 6 apr. 1606: Parochum teneri, habitare in ædibus parochialibus, non tamen omittere fructus, si non habitet modo in Parochia resideat: quod si ab Episcopo fuerit jussus et non habitet in domo Ecclesiæ parochialis, poterit mulctari ab ipso Episcopo.

Parochus regularis tenetur habitare in domo Parochiali, non vero in monasterio distanti a cura; cogique potest ab Episcopo, ut apud Ecclesiam Parochialem resideat. *S. C. C.* 5 apr. 1621.

Ad quæsitum: *An Parochus villæ, in qua non est alius Sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine Episcopi licentia gratis ubique concedenda, abesse possit a Parochia per duos vel tres dies, nullo idoneo relicto Vicario? Responsum fuit* negative *S. C. C.* 8 februarii 1747.

Ad quæsitum: *an saltem abesse possit a mane usque ad vesperas, et quid si hoc semel in hebdomada evenerit? Responsum fuit:* affirmative, *dummodo non sit die festo, et nullus adsit infirmus, et raro id in anno contingat.* Ibidem.

Ad quæsitum: *An Parochi viciniores actu exercentes curam animarum*

possint invicem se substituere? Responsum fuit negative, *si id fiat sine licentia Ordinarii.* Ibidem.

33. Sepultura.—Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum aliorumque de Clero debent ne sepeliri cum vestibus proprio Ordini congruentibus; an sufficiat ut cum his in Ecclesia exponantur? — *Servetur cujusque loci consuetudo.* Ita *S. R. C.* 12 nov. 1831.

In sepultura vel anniversario Sacerdotis dici potest tam prima Missa, quæ est pro Episcopis adsignata, ut in Commemoratione omnium fidelium: quam secunda quæ est in die obitus seu depositionis, dummodo oratio pro eo designanda, *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, omnino adhibeatur. *S. R. C.* 29 jan. anno 1752.

34. Vasa sacra. —An calices, aliaque vasa sacra unctione consecrata sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda vel fundenda, debeant a Sacerdote execrari? *Negative: S. R. C.* 20 apr. 1822.

35. Via Crucis. (1) — In erectione Viæ Crucis, benedicendæ tantum sunt cruces minime vero tabulæ sive picturæ. *S. J. C.* 24 aug. 1852.

An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare et stationes percurrere, ut valida sit erectio? Respondetur *Negative: S. J. C.* 1852.

Minime necesaria est facultas commutandi stationes seu cruces quoad locum, modo agatur de eadem Ecclesia, minimeque facultas necesaria est substituendi tabellas, modo tamen cruces superpositæ omnes vel in majori numero perseverent; secus nova erectio requiritur. *S. J. C.* 20 aug. 1844.

An indulgentiæ in contemplatione Viæ Crucis, si cruces vel tabulæ tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem pictura exornandis aliave causa, quamvis postea restituantur, cessent? *Negative non cessant Indulgentiæ, nisi pereunte materia.* Ita *S. J. C.* 21 martii 1836.

In statione Viæ Crucis possunt substitui aliæ cruces, quæ ex ligno tantum esse debent, et in quibus tantum cadit benedictio (minime ergo in tabulis pictis seu imaginibus) absque Indulgentiarum cessatione, si tamen destructa seu substituta fuerit minor pars; secus nova canonica erectio requiritur. *S. J. C.* 14 junii 1845.

An quædam stationes, v. g. prima, decimaquarta, et singulæ aliæ, si solæ recitentur, habeat unaquæque Indulgentiam plenariam? *Negative* respondit *S. J. C.* 1842.

Ad consequendas Indulgentias pro visitatione quatuordecim stationum Viæ Crucis, nihil aliud requiritur, quam divini Redemptoris passionem meditando, ex una ad aliam stationem se conferre, in quantum multitudo personarum prælaudatas stationes visitantium, vel capacitas loci, in quo eædem sunt erectæ, permittant. Ita res est ex Bulla *Inter plurima* Benedicti XIII, 3 martii 1726 confirmata ob aliam Bullam *Exponit nobis* Clementis XII, 16 jan. 1731; et decreto S. C. Ind. 3 apr. 1731; et etiam Brevi Benedicti XIV,

(1) Quoad *Viam Crucis* v. Minderev, *De indulgentiis.* — Guillois, *Explication historique, dogmatique, morale, liturgique et canonique du Catechisme* etc. vol. IV. Paris.—Mons. Gaume, *Catechismo di perseveranza*, par. 4, lez. 49.

Cum tanta, 30 aug. 1741. Hinc est quod *adoràmus te, Christe; Pater noster; Ave; Miserere nostri, Domine*, sit tantum laudabilis consuetudo a piis Christi fidelibus in exercitium visitationis stationem Viæ Crucis introducta. In quorum quidem etc. Romæ 22 sept. 1829 ex Congr. Indulg.

Non est de neccesitate præcepti, ut ad acquirendas Indulgentias incipiendum sit exercitium Viæ Crucis a cornu evangelii ; hæc tamen est consuetudo ac praxis generalis, quæ piis est innixa congruentiæ rationibus. *S. C. Ind.* 13 martii 1837.

Decreta generalia circa Missas feria v, vi, *et sabbato majoris Hebdomadæ* (1).

Decretum 1 — Clementis XI decreto 15 martii 1712 prohibetur quodcumque solemne aut privatum Missæ sacrificium feria vi majoris hebdomadæ, licet Festum Annunciationis B. V. contingat. Itemque Sanctitas Sua declarat hac interdictione, quæ feriæ vi ratione facta est, haud permittere , ut feria v ac sabbato ejusdem hebdomadæ majoris Sacra privatim instituantur, sed conventuale solummodo juxta ritum S. Ecclesiæ et plura decreta sacrorum Rituum Congregationis: idque non obstante consuetudine : *vid.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXXVIII. (Decreta S. Congreg. refert Gardel. sub nn. 1599 et 4160).

Attamen feria v potest Episcopus Regularibus concedere unam Missam lectam pro infirmis, qui nequeunt interesse solemni. *Decr.* 27 martii 1773. — Item conceditur regularibus, ut feria v a superiore possit legi una Missa in privato oratorio, quod si desit, etiam in Ecclesia, sed januis clausis, ad hoc ut Communionem suis religiosis administret, si nempe apud ipsos non agantur functiones consuetæ hebdomadæ sanctæ. *Decret.* 31 aug. 1839.

Decretum 2 a Pio VII approbatum, 31 julii 1821. Quæritur 1, an toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Parochiis præsertim ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam feria v in Cœna Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti cæteræ ecclesiasticæ functiones præscriptæ ob Clericorum defectum, vel potius abolenda? — 2 an sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico sacello ratione ordinationis vel ab aliis Sacerdotibus, si qui sint qui hujusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a Kyrie vel a Prophetiis? — 3 an ad eliminandos abusus, si qui irrepserint, sit consulendum SS. pro revocatione cujuscumque Indulti celebrandi privatim eamdem Missam ; firmo tamen remanente singulari privilegio aliquibus Ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis , concesso unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die ?

Responsum fuit ad 1 *affirmative, et ad mentem. Mens est, ut locorum Ordinarii quoad Parœcias in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones feriis* v, *et* vi *ac sabbato majoris hebdomadæ peragi studeant, servata forma etc. Quoad alias Parœcias quæ Clericis destituuntur*

(1) Si festum de præcepto incidat feria v, aliquæ aliæ privatæ Missæ, præter conventualem, ad arbitrium Episcopi permittuntur ad fidelium commoditatem. Si vero contingat feria vi vel sabbato, festum transfertur. Ita *S. R. C.* ut refert Gardellini sub nn. 2300, 3053, 3055, 3152, etc.

indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) *feria* v *in Cœna Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali, vel matrice conventualis incipiat:* — ad 2 *quoad Episcopos ratione ordinationis servetur præscriptum Pontificalis et decretum S. C.* 21 martii 1744, *nempe Missa incipiatur a prophetiis. Quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine Introitu, post campanarum sonitum:* — ad 3 *affirmative juxta votum. Videlicet consulendum SS. pro revocatione cujuscumque indulti celebrandi privatim in sabbato Sancto, firmo tamen singulari privilegio etc. ut in dubio* (1). Gardell n. 4433.

Regula celebrandæ Missæ pro Sponso et Sponsa.

Missa pro Sponso, atque Sponsa dici potest in duplicibus sive majoribus, sive minoribus; numquam vero in Dominicis, aliisque diebus festis de præcepto. In diebus vero Dominicis, aliisque diebus festis de præcepto duplicibus primæ et secundæ classis, dicitur Missa de Dominica, vel de festo cum commemoratione Missæ pro Sponso et Sponsa. *S. R. C.* 20 decembris 1783. *Et hoc decretum Pius Pp. VI confirmavit, et ubique executioni dandum esse præcepit die* 7 *januarii anno* 1784. — Insuper *S. R. C.* die 28 februarii 1818 declaravit, Missam hanc esse votivam privatam; proindeque decrevit semper legendam esse sine Gloria, sine Credo cum tribus orationibus, et cum *Benedicamus Domino* in fine et ultimo Evangelio S. Joannis. *Atque præfatum Decretum Pius Papa VII approbavit, confirmavit, mandavitque publici juris fieri:* die 3 martii anno 1818.

Si Missa dicitur de Dominica, vel de festo, etc. et fiat tantum commemoratio pro Sponso et Sponsa, hæc commemoratio non est facienda sub unica conclusione cum Oratione festi; sed sub altera conclusione: et fiat primo loco post alias a Rubrica præscriptas, sicque reliquis præstet, si quæ sint a Superiore imperatæ. *S. R. C.* 20 apr. anno 1822.

Missa pro Sponso et Sponsa dicitur cum tribus Orationibus: *prima Oratio* ejusdem Missæ votivæ propria; *secunda Oratio* de eo, de quo factum est officium; *tertia* vero, quæ aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de officio. *S. R. C.* 28 februarii anno 1818.

Hæc Missa pro Sponso, et Sponsa dici nequit infra octavam Epiphaniæ, in Vigilia Pentecostes; neque infra octavam SS. Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar octavam Epiphaniæ (ut in Novariensi Diœcesi). *S. R. C.* 20 aprilis anno 1822. — Insuper ex hoc decreto neque commemoratio pro Sponso et Sponsa potest fieri in Dominicis vel feriis privilegiatis, uti esset in Dominica Palmarum, in Dominica quarta Adventus, in vigilia Nativitatis, in quibus omittenda est vel ipsa Collecta imperata.

Color in Missa pro Sponso et Sponsa semper est albus. Si vero fiat tantum commemoratio pro Sponso et Sponsa, color erit vel de Dominica, de qua fit officium; vel de Sancto, de quo celebratur festum. Ita *Rubrica Missalis.*

(1) Hoc privilegium *pro hac singulari gratia in forma Brevis* concessit Innocentius XII favore Ecclesiæ tituli S. Mariæ *de los remedios* Toletanæ Diœcesis.

Si mulier est vidua, debet omitti et Missa pro Sponso ac Sponsa, et commemoratio, et benedictio in ipsa Missa. — Item tempore feriato hæc omnia omitti debent; et si tunc celebretur Missa, ea sit de die, nihilque addatur. Ita *S. R. C.* 3 martii 1761.

Quando Sacrum pro Sponso et Sponsa fieri nequit, si tunc Nuptiæ faciendæ fuerint, et sit permissa commemoratio pro Sponso et Sponsa, non tantum dicitur Oratio pro Sponso et Sponsa; sed *aliæ pariter Orationes pro benedictione Sponsi et Sponsæ adduntur, quæ post Orationem Dominicam etc. proferri consueverunt.* Ita Benedictus XIV, *Notificatione* LXXX.

Si pro pluribus Sponsis una tantum dicitur Missa, nihil in ipsa immutetur in Orationibus vel cæteris rebus.

APPENDIX IV.

De nitore et munditie sacræ supellectilis (1).

Altaria bis singulis annis, cum sudum est, a finitis Missis ad vesperum spoliata sint, et suppedanea item amota, ut sicci aëris sentiant beneficium: quo tempore, tum Altaria ipsa undequaque mundentur, tum suppedaneorum pars, quæ subter est. Cum mappæ mutantur et pallia, Altaria ipsa quoque mundentur arundinea scopula; tela etiam cerata, quæ sacro lapidi hæret leviter purgetur, sive lapis sit insertus, sive totum Altare capiens. Quod si aliquo casu accideret ita rectum non esse, ob reverentiam sacri Chrismatis ne purgetur tangaturve. — Icones cum ornamentis suis, Eucharistiæ *Tabernaculum*, et quæcumque hujusmodi picta vel inaurata adjuncta sunt Altaribus: item *Umbellæ* superimpendentes singulis mensibus mundentur caudis vulpinis, aut arundinea scopa. — *Suppedaneum Altaris* quotidie mundetur arundinea scopa, si in eo sit facienda Missa.

Candelabra, *Cruces*, *Thuribula*, et reliqua supellex argentea, quantum fieri possit, manibus nudis ne contrectetur; sed adhibito panno, aut velo, parte quæ argentea non sit, capiatur. Antequam recondatur, excutiatur si quid pulveris, ceræ, aut maculæ accesserit; et extergatur leviter, adhibito linteo et molli panno. Condita autem sit unaquæque res theca sua, ne quid sordidum capiat. Cum tamen aliquid purgatione egere visum fuerit, palea combusta, adhibito panno lineo, leniter præstabitur. Quod si quid valde sit denigratum, puta thuribulum ignis causa, aut etiam multa cera adhæserit, in lixivia, cui sal sit admixtum, ebulliente, detergendum erit, adhibito pennicillo ex setis suillis confecto: caveatur tamen, ne si quæ pars inaurata sit, aurum vi salis deteratur; et consulantur periti.

Calices bini, *et Patenæ* binæ, saltem ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt, quintodecimo quoque die levi manu aqua tepida laventur; sexto quoque mense, sapone molliori; tuncque post quartam horæ partem qua maneant in sole, calida lixivia bene abluantur, adhibendo pennicillum aliquem ad saponem bene amovendum, præsertim ubi fuerit cælatura. Poterit etiam id fieri furfure cocto, et tunc statim aqua munda bis, aut ter abluendi essent. Præstetur autem ab eo, qui in Sacris sit, et in vase ei usui, et lavandis Corporalibus de quo supra, tantum destinato: quod ex ablutione superfuerit, in Sacrarium fundatur. Ubi vero minor sit numerus Sacerdotum, rarius id fieri poterit, ex proportione numeri Sacerdotum.—*Supellex argentata* aut

(1) Maxima sane debet esse observantia erga sacram supellectilem, tamquam divino servitio mancipatam, imo tamquam sanctimoniæ participem, quæ nimirum est sanctitatis instrumentum, unde et sancta vocatur in Scripturis, Pontificiis legibus, Patrumque monumentis. *Non enim*, ut ait D. Hieronymus Ep. ad Theoph. Alex., *inania ea sunt et quæ quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicuntur; sed ex consortio Corporis et Sanguinis Domini sublimi majestate sunt honorando.* Hæc depromsimus ex *Actis Eccl. Mediol.* — *Vid.* Bauldry, *Manuale SS. Cæremoniarum.*

inargentata, eadem cautione tractetur, qua argentea : si semper est exposita, octavo quoque die panno lineo tergatur molliter; si recondenda sit, tergatur tunc; poterunt etiam inaurata sapone aut furfure purgari, ut dictum est de Calicibus. *Candelabra* et cætera *ex auricalcho*, tractentur adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur : si perpetuo usu adhibeantur, terno quoque die a pulvere et cera, si forte defluxerit, mundentur; si reponenda sint, tunc quoque id fiat. Præterea quarto quoque mense, si numquam fuerint exposita, abstergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo quem dicunt *Tripoli* (quem æstivæ muscæ fugiunt) adhibito corio bubalino : aut si utrumque desit, latere in tenuissimum pulverem reducto, et loco corii, panno asperiore, quem dicunt *Saja;* nullo vero modo hac ratione adhibenda erit aqua. Nitidiora fiunt (sed non diu durat nitor) si fricentur malo Medico, seu Massilico, vulgo *Arancio* aut *Limone,* vel Gallice, *Orange aut Limon*, et marmore trito; seu vice malorum, uvis agrestibus, vel herba arida, denique aqua bene abluantur, tum siccentur, et soli exponantur : aceto numquam abstergantur. Recondita vero hujusmodi telaribus crassioris chartæ, aut saccis lineis amicta habeantur, qui pulverem arceant, ut nitida semper et lucida appareant.

Lampades vitreæ, quæ sunt semper quotidiani usus, quintodecimo quoque die furfure, et aqua calida abstergantur.—*Urceoli* præter id quod quotidie fit, singulis mensibus diligenter purgentur, adhibito ovorum cortice bene contrito, cum ligneolo aliquo instrumento, ad sordiculas bene eluendas, aut vero alia ratione, si quæ aptior inveniatur. Opercula urceolorum quotidie, cum reponuntur, bene siccentur si madeant.

Pelviculæ eorumdem quotidie abstergantur siccenturque ; si stannea fuerint, tertio quoque mense lixivia ferventi laventur, et avena, vel farre vestito, seu ovorum cortice bene contrito fricentur; post iterum aqua lotæ, in sole siccentur, et panno lineo mundo abstergantur.—*Ænea vasa,* pro ablutione Calicum, etc. antequam adhibeantur, et post, bene abluantur : his vero singulis annis abstergantur accurate, si opus est, latere contrito, vel arena, et aqua; si stanno sunt illita, adhibeantur furfur et aqua.—*Instrumentum ad Hostias* conficiendas, cum eo usus fuerit Sacrista, aut alius, oleo perfundat, et utramque partem, charta interposita, simul jungat, quæ in exteriori parte fulligo hæserit abradat, postea eamdem partem crassiore panno tergat, et in loco decenti reponat.

Linea omnia, Albæ, Amictus, Superpellicea, Mappæ, Panni et si quid aliud est divini cultus gratia paratum, separatim ab indumentis domesticis cujuscumque laventur; quæ tamen habentur ad manus, faciemque lavandam, et ad nares purgandas, hoc numero ne censeantur.—Ternæ *Altarium mappæ,* superior quidem singulis mensibus, inferiores vero quater in anno mundæ apponantur.—*Corporalia* bina tertia quaque hebdomada, binæ Albæ decimo quinto quoque die, Cinguli alternis mensibus, Manutergia Altarium, bini Amictus, octo dierum spatio mutentur, et hæc saltem, ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt. Ubi autem pauciores sunt Sacerdotes, ex defectione numeri Sacerdotum poterit augeri pro rata parte numerus dierum; et e contra, ubi plurimi Sacerdotes, minuendus erit quoque numerus dierum.—*Purifica-*

toria singulorum Sacerdotum (convenit enim unicuique suum) spatio octo dierum, vel ad summum quindecim. Superpellicea, quæ usui vario Sacerdotalium, aut Clericalium ministeriorum destinata sunt, ad eamdem fere rationem. In suppedaneo armarii seu mensæ, ubi Sacerdos consistit, sacra indumenta sumens, perpetuo stratus sit crassior pannus, ne qua parte Alba fœdetur.—*Linteæ* Sacristiæ ad manus extergendas singula hebdomada munda ponantur; tum valde humido cœlo quotidie siccentur admota igni.

Mappæ ad sanctæ Communionis usum, contractiores quidem alternis hebdomadis, majores vero alternis mensibus mutentur. Quod autem hæc mutationum intervalla præfiniantur, non ideo tamen extraordinarie quoque fieri non poterunt, si oporteat; puta, si ex labe, quæ forte aspersa sit, aut alia de causa. Præcipuis solemnitatibus munda omnia adhibeantur pulchriora.—*Mappæ Altarium*, finitis Missis, contegantur stragulis suis; prius vero leviter purissima scopula, ejus generis, quod vestimentis domesticis adhibetur, proprie tamen ad eum usum destinata, purgentur; ipsa stragula singula hebdomada diligenti agitatione a pulvere mundentur; præter id, quod etiam quotidie mane eadem levius excuti debent; tum aëri tertio quoque mense exponantur.

Corporalia et Purificatoria, cum removentur, ut alia adhibeantur, ponantur in arcula, seu canistro ad eum tantum usum destinato; et antequam dentur foras ad lavandum, ab eo, qui sit in Sacris, laventur in proprio vase, de quo supra, lixivia, et sapone adhibito, et mox bis aqua sola abluantur. Quod ex lavatione superest, in sacrarium fundatur.—*Albæ*, *superpellicea* lavata, crispanda dentur: quoties reponuntur, apte saltem contorqueantur, si non crispentur.—*Corporalia* item dentur personis peritis, ut amylo inducta, ea durescere faciant, et complicent præscripta ratione; tempus huic operi aptum erit a mense majo ad octobrem.—Recondantur autem hæc linea omnia bene sicca et complicata, separatim suis locis, ut sint in promptu; apponanturque rosæ siccæ, et lavandula, aut similia; tum ad majorem munditiam et elegantiam; tum ut a tineis libera sint: nullus Sacerdos accedat ad Missam faciendam fœdis calceis, aut crepidis; ideo semper habendæ essent crepidæ in Sacristia ad hunc usum.—Habeatur etiam in Sacristia *scopula*, qua Sacerdotes, et Clerici utantur ad indumenta communia mundanda, antequam vestiant sacra.

Omnia indumenta distinctis propriis scriniis habeantur, et secundum coloris, pretiique varietatem; linea quoque pro genere, et pretio sint distincta, appositis schedulis.—*Casulæ* recludantur ductilibus capsis, quæ in armaria inserantur; atque posita crassiore charta, quæ fundum capsæ contegat, appositisque siccis rosarum foliis et lavandula, aut similibus, ponatur Casula cum Stola et Manipulo suo: mox aliæ ejusdem generis pro magnitudine capsæ. Addantur bursæ Corporalium, et integumenta, si adsint, Missalium. Recondantur vero Casulæ bene extentæ sine ruga, aut plicatura; eodem modo *Dalmaticæ et Tunicellæ;* super omnia autem alia charta sit, ut res mundiores serventur. Quæ sunt ex aureo, vel argenteo panno, aut ornamenta habent auro, vel argento asperiora, habeant pannum inter utramque superficiem, ne confricata corrodantur.—*Pluvialia* maxime si aurea, vel ar-

gentea sint, vel recondantur in amplo armario extenta, vel plicata recondantur; ita tamen, ut nullo modo inflectatur pars pensilis, quæ a tergo est (vulgo *Caputium*) et interponatur pannus, ut dictum est.

Quandocumque extrahuntur hæc indumenta, supponatur eis mappa munda, imo et stragulum substernatur, si aliquo spatio relinquenda sint. Quæ raro adhibentur, quandoque in sereno cœlo explicata exponantur, ne forte mucescant, vel male oleant; sed non in sole: poterit id fieri mense majo, vel septembri, et semel in hyeme pro opportunitate temporis.

Pallia Altarium semper habeantur, si fieri possit, suis telaribus extente affixa, ut supra diximus; poteruntque uni asserculorum structuræ duo affigi diversi coloris, ut pro diei conditione necesse non sit, nisi vertere telaris faciem; ita in amplo armario erecta habeantur, dempta linea filamentorum, (quam vocant frangiam), quæ assuta non sit. Interponatur autem pannus, sive inter duas facies palliorum sive inter Pallii, et Altaris faciem, ad vitandam eam, quam diximus, confricationem. Commodum vero erit, pannum adeo esse latum, ut utramque telaris faciem, et sic pallia ab utraque parte affixa contegat; et ita in media sui parte affixus telari, nunc quidem hinc extendatur, et ab omni latere ligaculis connectatur; nunc vero ad unam partem tantum, prout duas facies telaris aut unam contegere oportuerit. Quod si plicanda fuerint, ita fiat, ut si quæ Crucis species, aut imago affixa est, non inflectatur, cautioque adhibeatur, si oportet, interpositi panni.

Tapetia, crassioresque panni ad soli insternendi usum, cum recondenda sunt, prius purgentur cera, et si quid aliud sordidum adhæserit, aëri post exponantur, et diligenter exagitentur ad excutiendum pulverem; scopula bene mundentur, et ita complicata, suis locis recondantur.— *Sacristiæ* fenestræ sæpe pateant sereno siccoque cœlo; tum capsulæ ductiles paululum educantur; ut etiam quæ intus sunt, sentiant aëris beneficium.

APPENDIX V.

Compendio de las reglas generales acerca los libros prohibidos, publicadas por disposicion del Concilio de Trento con las siguientes declaraciones pontificias.

1. Todos los libros que antes del año 1515 fueron condenados por los Sumos Pontífices ó por los Concilios Ecuménicos, aun cuando no se hallen registrados en el Índice, deben considerarse como ya prohibidos.

2. Los libros de los heresiarcas, que despues de dicho año inventaron ó renovaron las diferentes herejías, ó fueron gefes ó maestros de herejes, cualquiera que sea su título ó argumento, están prohibidos del todo; como tambien los libros de los herejes que tratan *ex professo de materias tocantes á la religion.* — Aquellos libros empero que no traten de tales materias, serán permitidos previo exámen y aprobacion de quienes corresponda. Lo mismo puede decirse, obtenida dicha aprobacion, de aquellos libros de doctrina católica, cuyos autores hubiesen posteriormente caido en herejía, ó que despues de su caida volviesen al gremio de la Iglesia.

3. Se hallan permitidas las traducciones de escritores Eclesiásticos publicadas en época anterior por autores condenados, con tal que nada contengan contra las sanas doctrinas. — Aquellas traducciones del Nuevo Testamento, pero hechas por los autores anotados en la primera clase del Índice, están absolutamente prohibidas. — En cuanto á las versiones del Antiguo Testamento, y á la Biblia del *Vitablo*, toca á los Obispos el permitir su lectura á aquellas personas doctas y piadosas, que deberán usarlas no como á Sagrado Texto, sino como simple interpretacion del mismo. De la Biblia de *Isidoro Claro Bresciano*, quítese el Prólogo y los Prolegómenos.

4. Por lo que toca á las traducciones de la Biblia en lengua vulgar, en virtud de la declaracion hecha por el Papa Clemente VIII, y por el Decreto de la S. Congregacion del Índice fechado el 13 junio de 1757, no se hallan permitidas mas que las aprobadas por la S. Sede Apostólica, ó publicadas bajo sus auspicios.

5. En cuanto á los libros de colecciones hechas por autores heréticos, como son *diccionarios*, *concordancias*, *apotegmas*, si alguna vez hubiese en ellos cosas añadidas por los mismos, no se consideren permitidos, sin que sean aprobados por los Obispos en el modo prescrito.

Art. 403. «El eclesiástico que autorizare matrimonio prohibido por la ley civil, ó para el cual hay algun impedimento canónico no dispensable, será castigado con las penas de confinamiento menor y multa de 50 á 500 duros. Si el impedimento fuere dispensable, las penas serán destierro y multa de 20 á 200 duros. En uno y otro caso se le condenará por via de indemnizacion de perjuicios al abono de las costas de la dispensa mancomunadamente con el conjuge doloso. Si hubiere habido buena fe por parte de ambos contrayentes, será condenado por el todo.»

APPENDIX IX.

BREVE

de Su Santidad, perteneciente al Vicario de los Ejércitos, en que se expresan las facultades concedidas á instancias de S. M. al M. R. Cardenal Patriarca de las Indias. Año 1768.

CLEMENS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

I. Cum in Exercitibus charissimi in Christo Filii nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, multa sæpe contingere possint, in quibus pro recta Sacramentorum administratione, salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in Castris degunt et versantur, necnon pro cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, opera et industria unius, seu plurium personarum Ecclesiasticarum opus sit; quippe quia non facile ad proprios Parochos et locorum Ordinarios, aut ad Nos et Sedem Apostolicam recursus haberi valeat; hinc alias Nos ad supplicationem ipsius Caroli Regis, per quasdam nostras in simili forma Brevis die decima Martii anni millesimi septingentesimi sexagesimi secundi expeditas Litteras dilecto Filio nostro Bonaventuræ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali de Cordoba Spinola de la Cerda, a Sancto Carolo nuncupato ex concessione et dispensatione Apostolica moderno, et pro tempore existenti Patriarchæ Indiarum, qui nunc et deinceps Capellanus major, sive Vicarius Exercituum ejusdem Caroli Regis esse debet, nonnulla indulta, privilegia et facultates ecclesiasticas et spirituales, quibus erga Milites, Militares, aliasque personas ad Militiam et Exercitus prædictos spectantes, uti valeret ad septennium a data earumdem nostrarum Litterarum computandum sub certis modo et forma tunc expressis concessimus et indulsimus, ac alias prout in prædictis nostris Litteris uberius continetur.

II. Postmodum vero cum circa hujusmodi facultates ecclesiasticas eidem Bonaventuræ, Cardinali Patriarchæ Capellano majori, sive Vicario Exercituum concessas, inter ipsum et venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, seu dilectos Filios alios locorum Ordinarios in Hispaniarum Regnis existentes, nonnullæ ortæ essent controversiæ et excitata dubia super dictarum nostrarum Litterarum interpretatione atque intelligentia, ut controversiæ et dubia hujusmodi penitus extinguerentur et tollerentur, Nos ad supplicationem ejusdem Caroli Regis, per alias nostras in simili forma Brevis die decimaquarta Martii millesimi septingentesimi sexagesimi quarti

expeditas Litteras, proposita dubia et quæstiones hujusmodi declaravimus et definivimus, ac alias prout in eisdem secundo dictis nostris Litteris plenius pariter continentur.

III. Nuper autem ejusdem Caroli Regis nomine Nobis expositum fuit, quod septem anni ad quos prædicta indulta, privilegia et facultates memorato Bonaventuræ, Cardinali Patriarchæ Capellano majori, seu Vicario Exercituum hujusmodi concessa fuerant, versus finem vergant, ipse vero Carolus Rex, easdem facultates, privilegia et indulta juxta earumdem nostrarum secundo dictarum Litterarum formam, et dispositionem intelligenda et interpretanda ad aliud septennium per Nos iterum concedi plurimum desiderat.

IV. Idcirco Nos supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, easdem secundo dictas nostras Litteras die decimaquarta Martii millesimi septingentesimi sexagesimi quarti, ut præfertur, expeditas, ac quascumque declarationes, concessiones, aliaque omnia, et singula in eis contenta atque disposita, quæ præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, confirmamus, approbamus, innovamus, illisque apostolicæ firmitatis nostræ vim, robur atque munimen adjicimus, easque, ac in illis contentas decisiones et declarationes ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque quomodolibet spectabit, in futurum inconcusse et irrefragabiliter observari volumus, præcipimus et mandamus; eidemque Bonaventuræ Cardinali, et ut præmittitur ex concessione et dispensatione apostolica moderno, necnon pro tempore existenti Patriarchæ Indiarum infrascriptas facultates juxta tenorem, ac formam secundo dictarum nostrarum Litterarum in omnibus, et per omnia, ut præfertur, intelligendas et interpretandas, atque exsequendas per se, vel alium, seu alias personas in ecclesiastica dignitate constitutas, sive alios Sacerdotes probos et idoneos per se ipsum Capellanum majorem, seu Vicarium Exercituum hujusmodi prævio diligenti et rigoroso examine repertos et approbatos (quatenus ab aliquo suo Ordinario approbati non essent) et ab eodem Capellano majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos Exercitus, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes, tantum exercendas; videlicet

V. Administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea quæ non nisi per Parochialium Ecclesiarum Rectores ministrari consueverunt, præter Confirmationem et Ordines, si ipse Subdelegatus seu subdelegandus episcopali charactere insignitus non fuerit, vel Capellanus major prædictus per se ipsum dicta Sacramenta Confirmationis et Ordinum administrare non possit, reliquasque functiones et munia Parochialia obeundi.

VI. Absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, et schismate intra Italiam quidem et Insulas adjacentes illos tantum, qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sint, nec umquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint, extra Italiam vero dictasque Insulas adjacentes quoscumque etiam Ecclesiasticos tam Sæculares, quam Regulares eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint,

in quibus viget Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, nisi inibi deliquerint ubi hæresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi similiter grassatur hæresis, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hoc in foro conscientiæ dumtaxat.

VII. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Nobis, et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in Litteris die Cœnæ Domini quotannis legi solitis.

VIII. Retinendi extra Italiam solummodo et Insulas adjacentes, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum Religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et hæreticos et infideles in castris forte degentes ad orthodoxam Fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis in quibus hæreses impune grassantur, minime efferantur.

IX. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat necessitas, etiam extra ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, vel sub terra et gravi omnino urgenti necessitate, etiam bis in die, si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit, necnon super altari portatili, etiam non integro, seu diffracto aut læso, et sine Sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus vel excommunicatus.

X. Concedendi primo conversis ab hæresi vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædictos Exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitate Domini nostri Jesu-Christi, Paschatis Resurrectionis ac Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus, vere pœnitentibus, et confessis ac sacra Communione refectis similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem.

XI. Singulis autem dominicis et aliis festivis diebus de præcepto, relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annis de injunctis illis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta; easdemque indulgentias sibi lucrandi.

XII. Singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ officio novem lectionum non impeditis, vel eis impeditis die immediate sequenti celebrandi Missam de *Requiem* in quocumque altari etiam portatili, si aliter celebrari non possit, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum Exercituum secundum celebrantis intentionem a Purgatorii pœnis per modum suffragii.

XIII. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab hæreticis et infidelibus periculum subsit sacrilegii vel irreverentiæ, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis

casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti.

XIV. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent) vestibus sæcularibus, licet Sacerdotes, etiam Regulares fuerint.

XV. Benedicendi quæcumque Vasa, Tabernacula, Vestimenta, Paramenta, et Ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem Exercituum dumtaxat necessaria et pertinentia; exceptis tamen iis, in quibus sacra Unctio adhibenda erit, si Subdelegatus Episcopali dignitate non fuerit insignitus.

XVI. Reconciliandi ecclesias et capellas, ac cæmeteria, et oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsi Exercitus consederint, si ad locorum Ordinarios commodus non pateat accessus; aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta: immo etiam magna urgente necessitate, ut Missæ dominicis et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta.

XVII. Præterea eidem Capellano Majori per se pariter, vel alium seu alios ab eo subdelegandos probos et idoneos Sacerdotes in foro Ecclesiastico versatos, juxta attestationem, et informationem ab eorum Ordinario, aliisque personis fidedignis per ipsum Capellanum Majorem desuper exquirendam, omnem et quamcumque jurisdictionem Ecclesiasticam exercendi in eos, qui in Exercitibus prædictis pro Sacramentorum administratione, necnon spirituali animarum cura et directione pro tempore inservient, sive Clerici vel Presbyteri Sæculares, sive quorumvis etiam mendicantium Ordinum Regulares fuerint, perinde ac si quoad Clericos Sæculares eorum veri Præsules et Pastores, quoad Regulares vero illorum Superiores generales essent.

XVIII. Omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales et mixtas, inter seu contra prædictas aliasque personas in Exercitibus prædictis commorantes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, sola facti veritate inspecta, audiendi et fine debito terminandi; contra inobedientes quoslibet ad censuras et pœnas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam sæpius reaggravandi, auxiliumque brachii sæcularis invocandi.

XIX. Eisdem insuper Christifidelibus in dictis Exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus quadragesimæ, et aliis anni temporibus et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta, et sabbato cujuslibet hebdomadæ, ac tota Majori Hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi.

XX. Ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi et absolvendi respective prout, et in quantum Episcopis locorum Ordinariis, juxta sacros Canones et Concilii Tridentini decreta, id facere licet seu permittitur, quoad vota, seu juramenta, irregularitates et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones et interdicta, necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denuntiationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos Exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent ad septennium a fine dictorum septem annorum compu-

tandum, ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus et impertimur.

XXI. Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Capellanus Major pro Sacramentis, etiam Parochialibus militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum Exercituum ministrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, hujusmodi facultatibus uti valeant in omnibus, et per omnia, juxta formam et tenorem supra memoratarum nostrarum secundo dictarum Litterarum die decimaquarta Martii millesimi septingentesimi sexagesimi quarti expeditarum, et erga personas dumtaxat in eisdem nostris Litteris contentas et expressas ; ac præterea mandamus, ut statim atque iidem Sacerdotes, quos Capellanus Major subdelegaverit, ad temporaneas et accidentales militum et Exercituum hujusmodi stationes devenerint, Litteras testimoniales tam super eorum sacerdotio, quam super sua deputatione ac facultatibus sibi vigore præsentium concessis, pro hujusmodi munere exercendo Parochis locorum exhibere debeant, quibus visis, hi non impediant quominus Missam in suis Ecclesiis celebrare, ac in vim earumdem facultatum Sacramenta etiam Parochialia ministrare valeant.

XXII. Quod si matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos Exercitus pertineat, ibique occasione stationum prædictarum commoretur, altera vero Parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu nec Parochus sine Sacerdote hujusmodi, nec vicissim Sacerdos sine Parocho celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur ; sed ambo simul atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, accipiant et inter se dividant.

XXIII. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon Ordinum, quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis hujusmodi Ordinibus vel eorum Superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, approbatis, innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenore præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima septima Augusti millesimi septingentesimi sexagesimi octavi, Pontificatus nostri anno undecimo. —A. Cardinalis Nigronus (1).

(1) Segun varias notas á la *Ley* 1ª. *y* 2ª. *Tit.* 6º Lib. 2 *de la Nov. Rec.* con motivo de advertirse en este Breve la clausura permisiva de absolver de las censuras contenidas en la Bula in *Cœna Domini*, suplicó de ella el fiscal del consejo, y se proveyó auto en 5 de Octubre del mismo año 1768, concediendo el pase al Breve con la restriccion propuesta por el fiscal, de que se puso nota al dorso. Posteriormente para los siguientes septenios se han expedido otros varios Breves como el del 6 de Octubre de 1775, 21 de Enero de 1783, 20 de Abril de 1790, 11 de Octubre de 1795 ; suprimiendo la cláusula reclamada por el fiscal, prorogando el Vicariato general con las facultades concedidas en las anteriores etc. viniendo á parar al de Pio XI que á continuacion insertamos.

BREVE

de Nuestro muy Santo Padre Pio Noveno, expedido á instancia de S. M. la Reina Doña Isabel segunda, por el cual prorroga Su Santidad por otros siete años el Vicariato general de los Reales Ejércitos y Armada con las facultades que le están concedidas. Año 1855.

Charissimæ in Christo Filiæ nostræ Mariæ Isabellæ Hispaniarum Reginæ Catolicæ.

PIUS PAPA IX.

Charissima in Christo Filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem. Majestatis tuæ nomine expositum nobis nuper fuit, fel. rec. PP. Pium VI prædecessorem nostrum Carolo IV, Hispaniarum Regi Catholico, Litteras apostolicas dedisse in simili forma Brevis, sub die XII mensis Junii an. MDCCCVII, tenoris sequentis, videlicet.—Charissimo in Christo Filio Carolo Hispaniarum Regi Catholico, Pius Papa VII.—Charissime in Christo Fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.— Compertum est Nobis Carolum III, fel. rec. Regem Catholicum, pio flagrantem desiderio parandi militibus aliisque ad Regios exercitus pertinentibus præsidia, quibus quum fixas sedes plerumque non habeant, frui nihilominus valeant spiritualibus utilitatibus, et adjumentis, quæ cæteri Christi fideles ab ecclesiasticis suis superioribus, et prælatis consequuntur, Clementem XIII, san. mem., prædecessorem nostrum, supplicem adiisse, ut prædictos milites, aliosque ad Regios exercitus pertinentes ab Ordinariorum jurisdictione eximeret, subjiceretque jurisdictioni venerabilis Fratris pro tempore existentis Indiarum Patriarchæ ac Regiorum exercituum Vicarii generalis, qui facultates sibi impertitas per ecclesiasticos viros a semetipso delegandos exercere posset super prædictos, ubicumque locorum ii morarentur.

Annuit pio religiosissimi Principis desiderio præfatus Clemens, prædecessor noster, Litterisque in forma Brevis die X martii anni MDCCLXII datis, in venerabilem Fratrem Patriarcham Indiarum expetitas contulit facultates, quas deinde aliis similibus Litteris die XIV Martii anni MDCCLXIV datis, confirmavit; quibus etiam ad tollendas nonnullas contentiones inter Cardinalem de la Cerda nuncupatum, Indiarum tunc Patriarcham, et Ordinarios locorum exortas declaravit, concessas facultates porrigi in omnes, qui aut pacis, aut belli tempore sub ejusdem Caroli Regis vexillis, terra marique militarent, viverentque stipendio et ære militari, aliosque præterea, qui ob aliquam legitimam causam illos sequerentur.

Eædem facultates prorogatæ deinceps de septennio in septennium fuerunt tam ab ipso Clemente prædecessore nostro, Litteris in forma Brevis die XXVII Augusti anni MDCCLXVIII datis, quam a Pio fel. rec. Papa VI, prædecessore itidem nostro, similibus Litteris die XXVI Octobris anni MDCCLXXVI, et XXI Januarii MDCCLXXXIII, et II Octobris MDCCXCV; ac a Nobis ipsis similibus pariter Litteris die XVI Decembris MDCCCIII expeditis.

His, et prædecessorum, et nostris apostolicis litteris ordo constitutus fuit Castrensis Ecclesiasticæ Jurisdictionis, quam, quum Clemens prædecessor, limitibus, quos memoravimus, circumscripsisset, Pius tamen pariter prædecessor, tuis, tuique parentis supplicationibus benignè annuens, ampliavit etiam respectu personarum, erga quas exercere eam oporteret, concessa quoque venerabili Fratri Indiarum Patriarchæ facultate, absque ullo scrupulo tutâque conscientiâ declarandi, quænam personæ gaudere prædicta Castrensi Jurisdictione deberent, cujus quidem prædecessoris nostri exemplum in superius memoratis nostris litteris Nos quoque sequuti sumus.

Hujus ampliationis occasione duo in lucem prodierunt designationes hujusmodi personarum, altera a Cardinali Delgado die III Februarii MDCCLIX, altera ab illius in dicto Patriarchatu successore Cardinale Sentmanat, die X Julii MDCCCIV editis, quibus quum propositum esset personas recensere, quas Castrensis Ecclesiastica Jurisdictio complectí deberet, præstitutos tamen antea fines prætergredi ultimus præsertim visus est, ita ut Hispaniarum Archiepiscopi et Episcopi non leviter offenderentur, et ipse venerabilis Frater Archiepiscopus Toletanus, Cardinalis de Bourbon nuncupatus, vir sane præclarissimus et religiosissimus, conquestus ob hanc causam apud Regium thronum tuum fuerit de venerabili Fratre Indiarum Patriarcha, quod in declarandis supradictis personis, facultates ab hac apostolica Sede nostra concessas multis modis excesserit, ingenti Ordinariorum potestatis dispendio. Quas querelas etsi prædictus Indiarum Patriarcha diluere conatus sit, ac ostendere nihil in ea re a se peccatum esse, attamen, quæ tua est, charissime in Christo Filii noster, pietas, et erga hanc Apostolicam Sedem devotio, totam hanc controversiam, integrumque de ea judicium ad hanc nostram Apostolicam Sedem deferri jussisti, ad quam, utpote antedictæ Jurisdictionis fontem, pleno jure spectat ipsius Jurisdictionis amplitudinem certosque fines præscribere ac declarare.

Quam ob causam, audita antea sententia Congregationis dilectorum Filiorum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quam hanc in rem deputavimus, die X Januarii superioris anni Litteras Apostolicas in forma Brevis ad Te dedimus, quibus quidquid in nuperrimo prædicti Capellani majoris edicto super aliis personarum classibus Jurisdictioni suæ subjiciendis additum reperitur super ea, quæ in præcedenti defuncti Cardinalis Delgado edicto, aut in Litteris Apostolicis concessionis hujusmodi singillatim fuerat expressum, id omne contra nostram, et hujus sanctæ Sedis mentem, et concessiones factum fuisse declaravimus, atque Apostolica auctoritate definivimus.

Hisce peractis, sperabamus, omnem in posterum ambigendi occasionem

fuisse sublatam ; sed ineunte hoc anno expositum Nobis humiliter tuo nomine fuit, hærere adhuc piissimo tuo in animo dubitationes de hac ecclesiasticæ Castrensis Jurisdictionis amplitudine, versarique hac de re interdum magnas inter angustias religiosissimam conscientiam tuam, quas sperares tolli radicitus posse, si Castrensis Ecclesiasticæ Jurisdictionis ratio per Nos ad eam formam redigeretur, cujus ipse specimen ac veluti prospectum Nobis scriptis reverenter exhiberi jussisti, additis etiam seorsim rationibus et declarationibus, quæ eorum, quæ postulabas, opportunitatem demonstrarent. Nos propterea orans, ut per nostras Apostolicas Litteras exhibitam tuo jussu Castrensis Jurisdictionis formam adprobare benigne dignaremur.

Quamobrem, quum nihil Nobis sit optatius, quam controversiarum germina amputare, omnes compescere anxietates, quæ tuam, piissime Rex, tuorumque subditorum conscientiam agitare possent, libenti animo postulationes Tuo nomine porrectas excepimus; rogataque iterum sententia Congregationis dilectorum Filiorum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quos in re adeo gravi in consilium advocare censuimus, cuncta a Te in ordinationem Ecclesiasticæ Castrensis Jurisdictionis proposita examini subjecimus.

Comperimus autem, quod quum ea non adeo ingenti intervallo ab iis finibus recedant, quos Cardinalis Delgado descripserat sua in declaratione, quam Nos apostolicis nostris postremis litteris quodammodo adprobavimus, tum illud præseferunt peculiare ac commendatione dignissimum, quod graphyce ac veluti in tabula depictum demonstrant totius ejusdem Castrensis Jurisdictionis ambitum, dumque ita ambiguitates et controversias amovent præciduntque, hac utilitate pensant aliquatenus quidquid Ordinariorum potestati decerptum augent Castrensi Jurisdictioni.

Quæ quidem eo lubentius animo observavimus, quo magis comperimus graviores Nobis suppeditare rationes, ob quas desiderium quo jugiter flagramus obsecundandi iis, quæ tibi grata et accepta esse noscimus, implere tutius, atque alacrius valeamus.

Quum enim conveniat providæ apostolicæ Sedis benignitati facilem se et liberalem ostendere in gratiis, et favoribus elargiendis christianis Principibus, qui ex præclaris majorum suorum meritis, et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione et obsequio erga sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur; nihil nobis optatius obtingere potest, quam quum occasionem oblatam cernimus, qua obsequi tuis votis valeamus, qui Tuorum majorum exemplis, Tuaque egregia animi indole excitatus, omnibus hisce laudibus cumulatissime præfulges. Quibus causis permoti, teque specialibus favoribus et gratiis pro Tua erga hanc Nostram Apostolicam Sedem observantia prosequi volentes, Tuisque piis desideriis annuere, Castrensem Ecclesiasticam Jurisdictionem in tuis Regnis et Dominiis eo modo, quem inferius juxta propositas a te regulas enucleabimus, constituere et circumscribere decrevimus, prout vigore præsentium constituimus, et definimus.

Ac primum quidem statuimus et decernimus, quod Castrensi Ecclesiasticæ Jurisdictioni prædictæ subjecti sint, et subjecti habeantur, tam illi, qui fo-

ro gaudent belli aut marinæ, militari aut politico, dummodo integro hoc foro gaudeant, et civili scilicet, et criminali, quam eorum etiam familiæ, et omnes personæ ipsorum servitiis addictæ; dummodo hæ pariter familiæ, atque personæ, toto integroque gaudeant prædicto foro, expresse declarantes, quod quæ illorum familiæ, et personæ hoc foro non gaudent, aut gaudent quidem, sed non integro, sub Castrensi Ecclesiastica Jurisdictione haud comprehenduntur.

Quam quidem præfiniendæ ejusdem Jurisdictionis priorem regulam quum amplectimur, pro certo habemus, nec Majestatem tuam, nec Reges tuos successores ullo umquam tempore permissuros, ut toto et integro belli aut marinæ foro ulli alii gaudeant, præter eos qui pro re militari, aut politica Regiis Exercitibus sint addicti, quique horum familias constituant, ac in horum versentur famulatu.

Quoniam vero, si omnes et quotquot prædicto gaudent foro ad Ecclesiasticam Castrensem Jurisdictionem pertinere deberent, graves persæpe orirentur difficultates in administrandis spiritualibus præsidiis aliquibus personarum classibus, quæ quum per omnia Majestatis tuæ Regna et Dominia dispersæ sint, non raro in locis degunt, in quibus nec ulli existunt Castrenses Parochi, nec eos constituere expedit, idcirco, ut saluti animarum et Sacramentorum administrationi pro injuncti Nobis Pastoralis muneris sollicitudine undique consultum sit, volumus et decernimus, quod generalis regula superius præstituta de personis Ecclesiasticæ Jurisdictioni Castrensi in posterum subjiciendis, locum non habeat in officialibus, aliisque personis in copiis adscriptis, quæ Militiæ in Hispaniis nuncupantur, quandocumque dicti officiales, dictæque personæ in armis non sint ob aliquod servitium Majestati tuæ præstandum; in quo tamen casu illæ quidem personæ Jurisdictioni Castrensi subjectæ erunt, sed non earum familiæ, nec earum famuli, nisi illi aut isti ipsas personas sequantur, et integro gaudeant foro. Præterea, a generali prædicta regula excipimus quemcumque militiæ addictum, qui tamen a Regio Majestatis tuæ servitio immunis sit, etiamsi aliquod a pietate tua stipendium accipiat.

Excipimus insuper viduas militum, eorumdemque familias et servos, nautas, naucleros præterea et artifices in cathalogo descriptos, veluti servitio armamentorum, et Regiarum navium mancipatos, qui etsi integro gaudeant Marinæ foro, tamen, tunc solum sub Castrensi Jurisdictione erunt, quum ad opera, servitiaque, quibus vacant, vocati consueta stipendia percipere incipiant, in quo tamen casu familiæ, servique eorum ad Castrensem Jurisdictionem non pertinebunt, nisi morentur in urbe provinciæ principe, aut in loco, in quem convenire jussi fuerint ad propriasuniuscujusque artes exercendas, et integro foro supradicto gaudeant.

Demum, sub Castrensi Ecclesiastica Jurisdictione comprehendi nolumus damnatos ad opus, qui intra arces, atque præsidia non continentur, quippe qui custodiæ tantum causa a militari imperio pendent, haud vero pertinent ad militiam.

Præter hos vero, quos fori militaris causa Castrensi Jurisdictioni subesse volumus, ad eamdem Jurisdictionem spectabunt omnes personæ, quæ Re-

gios Exercitus sequuntur, eisque exercitibus quocumque nomine, seu titulo, probantibus tamen ducibus, aliisve militaribus superioribus, inserviunt, etiamsi prædictæ personæ supradicto foro non gaudeant; idque servabitur in casu cujuscumque militaris expeditionis, tametsi copiæ fuerint auxiliares, dummodo tamen spirituali earum regimini alia prospectum non sit ratione, quæ a præsenti nostra dispositione sit diversa, cui regimini et peculiaribus ejus constitutionibus nihil detractum volumus.

Ad eamdem præterea Jurisdictionem spectabunt omnes, qui in navibus Majestatis tuæ existant, quamvis militiæ non sint adscripti, aut ad aliud quodcumque forum, aliamve Jurisdictionem pertineant, quod etiam servari volumus in navibus mercatoriis, quæ nomine ærarii Regii conductæ, præsidio navium Majestatis tuæ protectæ propter aliquam causam sive expeditionem iter facient, etiamsi bellicæ naves, quibus proteguntur, auxiliares sint Majestatis tuæ, quo in casu eadem repetita intelligantur, quæ de copiis auxiliaribus superius constituimus.

Eamdem vero ob loci causam Regiorum Exercituum Vicarius generalis jurisdictione utetur in omnes, qui in quibuscumque arcibus, fortalitiis, castellis, stativis, armamentariis, nosocomiis militaribus, opificiis in usum rei militaris et nauticæ Majestatis tuæ institutis, collegiis militaribus commorentur, in quibus Majestas tua Castrenses habeat Parochos, aut expedire censeat hujusmodi Parochos constituere, excepto oppido Septa, præsidiisque minoribus in Africa existentibus, quibus in locis eorumdem Ordinarii plena jurisdictione fruentur, quæ hactenus potiti sunt, rationeque loci potiri debuerunt, eæque tantum personæ Vicariatui subjectæ erunt, quæ comprehenduntur sub aliis regulis generalibus a Nobis constitutis.

In aliis vero arcibus, fortalitiis, castellis, stativis, armamentariis, nosocomiis, opificiis, et collegiis militaribus præfatis, Vicariatui suberunt etiam quotquot iis in locis in pœnam detinentur, nec non damnati ad opera, infirmi, aliique, qui quamcumque ob causam iis in locis commorari debeant.

Artium autem, fortalitiorum, castellorum supradictorum nomine intelligenda esse declaramus loca illa muris instructa, et præsidiis munita, quorum ambitus non pagum, non vicum, non oppidum, non civitatem aut alia id genus complectitur.

Demum, Jurisdictioni Castrensi subesse volumus ecclesiasticos viros, qui legitimo et consueto more designati aliquod obtineant munus, sive pro administratione justitiæ, sive pro expeditione negotiorum ipsius Jurisdictionis, sive pro cura animarum, una cum ipsorum familiis, et reliquis personis eorumdem servitio addictis, quod ipsum ad laicos quoque porrigi volumus, qui legitime, ut supra, munus aliquot exerceant in Vicariatu propter easdem causas administrandæ justitiæ, expediendique negotia Vicariatus, itemque ad ipsorum uxores, et filios non emancipatos, cum parentibus cohabitantes, et ad servos.

Constituta pro modo, quem hactenus enucleavimus, Ecclesiasticæ Jurisdictionis Castrensis forma, ratioque, ex quatuor manat fontibus, titulisve, propter quos dumtaxat sive omnes, sive eorum aliquem quatuor pariter personarum classes Vicariatui generali subjici, et pro subjectis habendas esse

auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus et definimus, ita quidem, ut prior classis ratione fori complectatur personas, quæ integro eodem gaudent foro militari, tam civili quam criminali; altera ratione servitii eas comprehendat, quæ Regios Exercitus sequuntur, et eis inserviunt; tertia, ratione loci, ex illis constituatur, quæ degunt in locis militari imperio subjectis; quarta denique, ratione officii, iis constet personis, quæ apud ipsum Vicariatum muneribus funguntur.

Ex quibus quidem, quum certi, statique fines Castrensis Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub oculis quodammodo sint, et illius forma ratioque in nucleo veluti posita videatur, non immerito, charissime in Christo Fili noster, in spem ducimur, nullas deinceps ambiguitates, perplexitatesque subortiras esse, quibus religiosissimæ conscientiæ tuæ tranquillitas, cui præ omnibus consulere cupimus, augi, turbarique valeat; quod si nihilominus aliquod adhuc oriri dubium contingat, utrum aliqua, aut aliquæ personæ sint, aut non sint Jurisdictioni Castrensi subjectæ, quoniam nostris his Litteris præscribitur, et declaratur, nullam aliam personam dictæ Jurisdictioni manere subjectam, nisi illas quæ quatuor classibus antea expositis comprehenduntur, idcirco Majestatis tuæ erit declarare utrum persona, aut personæ, super quibus dubium oritur, in prædictis quatuor classibus comprehendantur, ad hoc ut sint aut non sint Castrensi Jurisdictioni subjectæ.

Tandem, hodierno, et pro tempore existenti Patriarchæ Indiarum, Capellano majori ac personis ab ipso delegatis, seu delegandis, ac subdelegandis, in ecclesiastica dignitate constitutis, sive aliis sacerdotibus probis et idoneis facultates omnes juxta tenorem ac formam præfatarum litterarum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, nempe Clementis XIII die X Martii MDCCLXII, die XIV Martii MDCCLXIV, ac die XXVII Augusti MDCCLXVIII; nec non Pii VI die XXVI Octobris MDCCLXXVI, XXI Januarii MDCCLXXXIII, et II Octobris MDCCXCV, et signanter nostrarum, tam sub die XVI Decembris MDCCCIII quam X Januarii MDCCCVI expeditarum, concessas, confirmatas, ampliatas, et explicatas, quarum omnium tenores pro plene et sufficienter expressis hic haberi volumus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium de novo etiam confirmamus, tribuimus, et elargimur; excepta tamen facultate in dictis Litteris Pii VI prædecessoris concessa, ac in superioribus nostris confirmata, sed in postremis pariter nostris Litteris die X Januarii MDCCCVI explicata (declarandi, scilicet, quæ et quales debeant esse personæ hujusmodi exercituum; et quibus ipsæ frui ac potiri valeant privilegiis), de qua superius jam provisum est, quamque per præsentes auctoritate Apostolica excipimus, abolemus, ac penitus abrogamus: itemque easdem gratias, concessiones, privilegia. et indulta quæcumque, de quibus in præfatis apostolicis Litteris facta est mentio pro memoratis quatuor classibus personarum, iisdem modo et forma auctoritate et tenore prædictis ad septennium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinum quorum personæ hujusmodi professæ fuerint etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robo-

ratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XII Junii MDCCCVII, Pontificatus nostri anno octavo.

Additum præterea fuit hasce facultates et indulta ab eodem prædecessore nostro aliis litteris Apostolicis die XXVIII Julii MCCCXV, ad aliud septennium fuisse prorogata, iterumque etiam, sed tamen temperata, ob adversas rerum vices quibus Hispania afflicta est, aliis litteris Apostolicis die XXII Januarii MDCCCXXIII. Verum cum præfati indulti tempus elapsum sit, rationesque destiterint, quibus temperamenta eadem adhibita sunt, Majestatis tuæ nomine petitum a nobis est, ut easdem ipsas facultates et indulta, ea plane ratione quæ anno MDCCCVII concessa fuere, et litteris nostris apostolicis die XIV mensis Aprilis anni MDCCCXLVIII renovata, seu iterum concessa sunt, ad septennium hic proximum benigne largiri velimus.

Nos igitur votis tuis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, prævia sanatione singulorum actuum, qui ab absoluto septennio novissime dicto usque ad acceptas hasce Litteras Venerabilis Frater Thomas Iglesias et Barcones, Patriarcha Indiarum, in exercitio muneris, quo fungitur, pro-Capellani Majoris et Regiorum Exercituum Vicarii generalis, vi dictarum facultatum forte fecerit, pro auctoritate Apostolica per hasce Litteras sanamus dicto Venerabili Fratri, uti pro-Capellano Majori et Vicario generali Regiorum Exercituum Hispaniarum, atque pro-Capellano et Vicario generali, ut supra pro tempore existenti, nec non idoneis Sacerdotibus ab ipso delegatis, vel delegandis, aut subdelegandis, omnes et singulas facultates in commemoratis Litteris Apostolicis die XII mensis Junii anno MDCCCVII hic insertis contentas et expressas, ad septennium proximum tantum auctoritate nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, sive iterum concedimus et impertimur; nec non easdem gratias et privilegia quacumque aliorum gratia concessa denuo largimur et confirmamus, servata tamen in reliquis omnibus dictarum Litterarum forma et dispositione, non obstantibus Apostolicis, et in universalibus provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non iis omnibus et singulis quæ per easdem Litteras non obstare decretum est, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXI Augusti MDCCCLV, Pontificatus nostri anno decimo.—Pro Dño. Card. Macchi.—*J. B. Brancaleoni Castellani*, Subsecretarius.—Locus sigilli.

COLLECTIO DEFINITIONUM

in toto Opere contentarum.

QUÆSTIO PROLEGOMENA.

Theologia moralis est: illa disciplinæ Theologicæ pars quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam æternam.

Media quibus dirigit, sunt: Sacra Scriptura : Ss. Ecclesiæ Patres: Decreta Ss. Pontificum : Concilia : Traditio: Jus tam canonicum quam civile: Auctoritas Theologorum : et Ratio *naturalis* vel Theologica.

TRACTATUS I— De actibus humanis.

DISPUTATIO PRIMA.

Actus humani sunt: illæ actiones, quæ ex voluntate deliberata procedunt cum cognitione finis.

Caput I—*De voluntate.*

Voluntas est: illa animi nostri facultas, quæ propositum ab intellectu bonum sectatur, vel malum aversatur.

Actus humanus elicitus est: qui perficitur in voluntate ipsa, absque adminiculo alterius facultatis.

Actus humanus imperatus est: qui procedit quidem a voluntate, sed complementum non habet nisi per ministerium alterius facultatis dependenter tamen ab ipsa voluntate.

Voluntarium est: id quod procedit a principio intrinseco, cognoscente singula in quibus est actio.

Voluntarium necessarium est: illud quod sic a voluntate proficiscitur, ut positis omnibus ad agendum præponendis non possit non agere.

Voluntarium liberum est: illud quod sic procedit a voluntate ut positis etiam ad agendum præponendis, adhuc tamen possit non agere, si ita ei libuerit.

Voluntarium perfectum est: quod fit ex plena cognitione rei.

Voluntarium imperfectum est: quod a voluntate procedit cum cognitione imperfecta, qua nempe clare non innotescant boni et mali rationes ad usum libertatis perfectum.

Voluntarium actuale est: illud in quod immediate ac directe voluntas hic et nunc fertur.

Voluntarium virtuale est: actus voluntatis jam quidem præteritus, qui tamen in aliqua re, quæ humano modo fiat, *moraliter* perseverare censetur tamquam in suo effectu.

Voluntarium habituale est: actus voluntatis præteritus, qui tamen non perseverat in aliquo suo effectu, qui fiat modo humano.

Voluntarium dicitur *simpliciter* sive *plenum* quod procedit a plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia, et *secundum quid* seu non plenum quod procedit quidem a voluntatis consensu sed conjunctam habet semper aliquam ipsius voluntatis repugnantiam.

Involuntarium est: id quod est aliquo modo contra inclinationem voluntatis.

Non voluntarium est: id quod voluntas simpliciter non vult licet propriæ inclinationi non repugnet: et dicitur *involuntarium negativum.*

Involuntarium positivum est: illud, quod voluntati totaliter opponuntur sive actuali, sive interpretativæ, et dicitur *positivum simpliciter*: vel repugnat quidem voluntati, sed sub quodam respectu, dependenter nempe ab aliqua circumstantia, non autem totaliter repugnat et dicitur, *positivum secundum quid.*

Violentia est: id quod est a principio extrinseco, repugnante omnino eo, qui vim patitur.

Metus est: mentis trepidatio ex repræsentatione mali vel futuri vel impendentis.

Metus ab intrinseco vel ab extrinseco est: qui incutitur a causa intrinseca vel extrinseca.

Justus vel injustus est: prout juste vel injuste incutitur.

Metus antecedens est: qui dat causam actioni.

Metus concomitans est: qui actionem tantummodo comitatur.

Metus levis est: quo timetur malum leve; vel etiam grave sed ex levi causa.

Metus gravis est: ille quo malum grave reformidatur ex causa valde gravi et probabili: et dicitur etiam cadens in virum constantem.

Ignorantia est: privatio scientiæ, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire.

Nescientia est: simplex negatio scientiæ.

Error est: positiva probatio falsi.

Inadvertentia est: carentia actualis cognitionis.

Inconsideratio est: privatio debitæ inspectionis.

Oblivio est: privatio recordationis rei alias jam notæ.

Ignorantia juris est: quæ versatur circa legis divinæ vel humanæ existentiam.

Ignorantia facti est: quæ versatur circa aliquod factum particulare.

Ignorantia antecedens est: quæ assensum voluntatis antecedit, neque ullo modo volita est.

Ignorantia consequens est: quæ a libera voluntate procedit, ac directe vel indirecte volita est.

Ignorantia concomitans est: illa, qua quis ignorat quod agit, sed adhuc ageret, licet non ignoraret.

Ignorantia invincibilis est: quæ communi adhibita diligentia vinci non potest; ac proinde independens est a voluntatis consensu.

Ignorantia vincibilis est: quæ morali ac communi adhibita diligentia debet et potest vinci ab operante.

Ignorantia affectata est: ea, quam quis dato studio vult.

Ignorantia crassa sive supina est: ea, quam quis licet studiose non quærat; nullam tamen diligentiam adhibet in veritate indaganda.

Ignorantia pure vincibilis est: ea, qua quis adhibet quidem aliquam diligentiam pro veritate indaganda; sed valde modicam, inspecta rei gravitate.

Concupiscentia communiter definitur: motus appetitus sensitivi.

Concupiscentia antecedens est: quæ omnem voluntatis actum antevertit, et in eumdem influit.

Concupiscentia consequens est: quæ ex præcedenti voluntatis actu consequitur.

Utraque est gravis vel gravissima: prout rationis usum turbat aliquantisper: vel eumdem pœnitus extinguit.

Caput II—*De libertate.*

Libertas est: immunitas a servitute et subjectione.

Liberum arbitrium est: vis electiva seu facultas eligendi, vel non eligendi pro libitu.

Libertas a coactione est: immunitas ab omni violentia, seu ab omni principio extrinseco ad aliquid determinate contra voluntatis propensionem.

Libertas a necessitate est: immunitas ab omni principio seu causa necessario determinante ad unum. Et dicitur etiam libertas indifferentiæ. Et ipsa, prout voluntas unum eligit e duobus contradictoriis quidem, sed non repugnantibus inter se, dicitur *libertas contradictionis*, et etiam exercitii: vel prout ad unum per electionem se determinat ex duobus omnino contrariis, et pugnantibus inter se; et dicitur *libertas contrarietatis;* vel denique prout se determinat per electionem ad unum ex pluribus specie diversis, et dicitur *libertas specificationis.*

Libertatis impedimentum est: quod adversatur libero.

Impedimentum necessarium est: determinatio ad unum.

Determinatio physica est: illa cui nullimode potest resisti.

Moralis est: cui resisti potest absolute, sed difficulter.

Exercitii est: quæ determinat ad actum, quin potestatem relinquat ab eo abstinendi.

Specificationis est: quæ determinat ad unam actus speciem sine potestate ad oppositum.

Antecedens et absoluta est: quæ antecedit usum rationis ac voluntatis, ut in motibus *primo-primis.*

Consequens et hypotetica est: quæ sequitur consensum liberum ac voluntatis determinationem.

Coactionis est: quæ oritur a principio extrinseco: et est idem ac violentia.

Inclinationis seu naturalis est: quæ sita est in quadam propensione voluntati insita ab ipsa natura.

Caput III—*De moralitate, ejusque fontibus.*

Moralitas est: bonitas vel malitia actus.

Actus humanus secundum esse morale est: qui procedit a deliberata voluntate, cum subjectione ad regulas morum.

Objectum morale actionis est: id, circa quod immediate versatur actus moralis.

Finis est: id, cujus gratia aliquid fit.

Finis operis est: ille, ad quem opus ex *natura sua, et independenter* ab arbitrio et voluntate operantis dirigitur. Et dicitur finis *proprius et intrinsecus.*

Finis operantis est: ille qui ab ipsius operantis arbitrio eligitur et intenditur.

Finis primarius est: ille qui influit in actum uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret.

Finis secundarius est: qui allicit tantum ad agendum quin tamen sit actionis causa efficiens.

Finis ultimus est: ille ad quem omnia referuntur.

Finis intermedius est: ille qui ad alium refertur et in quo ultimo non quiescimus.

Circumstantia est: accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse, tum physico, tum morali.

DISPUTATIO SECUNDA.

Caput I — *De conscientiæ natura.*

Conscientia est: judicium rationis practicum dictans ex principiis morum generalibus, quid in particulari hic et nunc agendum ut honestum et bonum; quid vero fugiendum ut inhonestum et malum. Vel brevius: actus intellectus, dictans quid hic et nunc amplectendum sit, aut fugiendum.

Synderesis est: judicium habituale speculativum principiorum generalium.

Caput III — *De conscientiæ divisione.*

Conscientia vera est: quæ ex veris principiis recte concludit aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera tale sit.

Conscientia erronea seu falsa est: quæ dictat tamquam verum et licitum, quod tamen in se et falsum est et illicitum.

Conscientia invincibilis est: quæ moraliter vinci non potest.

Conscientia vincibilis est: quam operans potest quidem et debet vincere.

Conscientia perplexa est: ea, qua quis putat se peccare tam si hanc, quam si illam contradictionis partem elegerit.

Scrupulus est: vacillatio quædam consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus et incertis.

Conscientia scrupulosa est: quæ levibus illis fundamentis innixa formidat de peccato, ubi revera peccatum non adest.

Conscientia laxa est: qua mens ex levissimis et quidem cupiditate faventibus argumentis putat esse licitum, vel esse malum parvi momenti quod illicitum est vel est malum momenti gravissimi.

Conscientia certa est: prudens ac firmum judicium congruentiæ vel disconvenientiæ cum morum regulis de actu, quem ponere hic et nunc vel prætermittere meditamur.

Conscientia dubia est: suspensio judicii circa bonitatem vel malitiam alicujus actus in particulari.

Dubium juris est: quando dubitatur, vel de lege, vel de ejus obligatione, vel de legitima legislatoris potestate.

Dubium facti est: quando dubitatur, an aliquid contra legem peractum fuerit.

Dubium positivum est: quando pro utraque parte stant rationes æquales aut ferme æquales.

Dubium negativum est, cum ex neutra parte suppetunt rationes vel non suppetunt nisi admodum leves.

Dubium juris speculativum est: quando dubitatur de principio morum generali vel de bonitate actionis in se, abstrahendo a præsentibus circumstantiis.

Dubium juris practicum est: quando dubitatur an actio singularis cum circumstantiis suis et in ordine ad finem agentis sit licita an illicita.

Probabilitas est: motivum grave, sed absolute fallibile, reddens opinionem verisimilem.

Probabilitas intrinseca est: quæ innititur rationum momentis desumptis ab ipsa natura rerum de quibus agitur.

Extrinseca est: quæ prætermissis rationibus intrinsecis, tota fundatur in auctoritate doctorum.

Facti est: quæ versatur circa rei veritatem sive substantiam.

Juris est: quæ versatur circa honestatem actionis.

Opinio proprie et stricte est: actus ille intellectus nostri, quo fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.

Conscientia probabilis est: illa per quam aliquis innixus opinione probabili format sibi dictamen practicum suæ rationis ex certis principiis reflexis sive concomitantibus ad licite operandum.

Opinio probabilis est: ille actus nostri intellectus, quo gravi quidem, sed fallibili fundamento innixi, et cum formidine oppositi, judicamus aliquid esse licitum, vel illicitum in se.

Opinio probabilis intrinseca est: quæ desumitur ab argumentis ipsius naturæ rei.

Probabilis extrinseca est: quæ desumitur ab auctoritate.

Opinio apparenter et leviter probabilis est: quæ aliquo levi et apparenti nititur fundamento, ita ut non valeat assensum viri prudentis ad se pertrahere.

Opinio vere et satis graviter probabilis est: quæ innititur fundamento solido, et satis gravi, *vel intrinseco rationis* vel extrinseco auctoritatis.

Opinio minus probabilis est: si nitatur levioribus rationem momentis, quam opinio opposita.

Æque probabilis est: si nitatur momentis æqualibus.

Probabilior: si habeat in sui favorem argumenta graviora.

Probabilissima: si nitatur argumento gravissimo ita ut opposita censeatur dubie probabilis.

Opinio communis est: si multos habeat auctores pro se.

Communior: si multo plures.

Minus communis: si pauciores.

Communissima: si omnes moraliter pro se habeat auctores.

Opinio minus tuta est: quæ materialiter minus ab omni periculo peccandi recedit.

Tutior est: quæ recedit magis a dicto periculo, tametsi rationibus firmioribus non innitatur, et dicitur *favere legi atque præcepto.*

Minus tuta est: quæ dicitur favere libertati hominis.

TRACTATUS II — De legibus.

DISPUTATIO PRIMA.

Caput I — *De legis natura generatim et ejus divisione.*

Lex est: Regula agendorum vel omittendorum, seu ordinatio rationis ad bonum commune promulgata ab eo, qui curam habet communitatis.

Causa legis efficiens est: qui communitati præest.

Causa materialis est: quidquid a lege præcipitur.

Causa formalis: sunt verba legis, quibus nempe ea exprimitur.

Causa finalis est: bonum commune, ob quod fertur lex.

Præceptum legis affirmativum est: quod obligat semper sed non pro semper.

Præceptum negativum est: quod obligat semper et pro semper.

Caput II — *De lege æterna, naturali atque divina positiva.*

Lex æterna est: ratio divina seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.

Lex naturalis est: participatio legis æternæ in rationali creatura, dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est ab intrinseco malum.

Lex divina positiva est: Lex exterius data a Deo hominem dirigens ad finem supernaturalem; quæ, prout præcipit vel prohibet quæ a lege natura-

li neque præcipiuntur neque prohibentur dicitur *pure positiva*, et prout præcipit vel prohibet quæ a lege naturali præcepta jam sunt, vel prohibita, dicitur *non pure positiva*. Alia est *vetus*, quæ data fuit a Deo, in V. T. et populo Israëlitico per Moysen promulgata. Alia *nova*, quæ indicta fuit a Christo, et per Apostolos per totum orbem disseminata.

Caput III — *De lege humana.*

Lex humana est: illa quam rector humanæ societatis suis præscribit subditis in ordine ad bonum commune.

Lex ecclesiastica est: quæ ab Ecclesiæ rectoribus præsulibusque dimanat.

Lex civilis est: quæ procedit a rectoribus societatis civilis.

Lex præceptiva est: quæ præcipit vel prohibet, quin pœnam in transgressores infligat, et ab aliquibus dicitur etiam *moralis*.

Lex pœnalis est: quæ pœnam habet conjunctam. Et si tantum pœnam imponit quin præcipiat quidpiam aut prohibeat, est *pure pœnalis*. Si vero pœnam imponit, aliquid simul præcipiendo vel prohibendo, dicitur *pœnalis mixta*.

Lex irritans est: quæ actum nullum et invalidum esse decernit.

Art. I et II — *De auctore legis humanæ.*

Corpus Juris Canonici est: complexus Legum Ecclesiasticarum in quinque Codicibus. Horum 1^m^ est *Decretum Gratiani* — 2^m^ *Decretales Gregorii* IX.— 3^m^ *Liber sextus Decretalium Bonifacii* VIII. — 4^m^ *Clementinæ Clementis* V.— 5^m^ *Extravagantes Joannes* XXII, *et Communes*.

Sacræ Congregationes Romanæ sunt: Cœtus Cardinalium, quibus Summus Pontifex certa tradit negotia perpendenda, declaranda, ac definienda.

Corpus Juris Civilis est: Complexus omnium Legum, quas Justinianus Imperator sæc. VI, in unum Corpus collegit et edidit pro imperii sui utilitate et recto regimine.

Caput IV — *De legis humanæ materia atque subjecto.*

Materia legis humanæ est, vel eam constituunt: omnes actus, qui possunt ab humana lege præcipi vel prohiberi.

Virtutes communes sunt: quæ ab hominibus exercentur secundum illam rationem, quam solent servare plerique eorum, qui virtutem profitentur.

Virtutes heroicæ sunt: quæ habita ratione circumstantiarum, *admirationem* pariunt, *arduitatem* includunt, *promptitudinem* exigunt.

Subjectum legis humanæ est: Omnis et solus subditus rationis usum habens.

Caput V — *De legis humanæ vi et obligatione.*

Pœna activa est: quæ nequit executione donari sine aliqua delinquentis actione.

Pœna privativa est: quæ consistit in mera privatione alicujus rei.

Pœna latæ sententiæ est: quæ *ipso facto*, id est sola criminis patratione incurritur per legis verba.

Ferendæ sententiæ est: quam lex non infligit, sed infligendam decernit per judicis sententiam.

Sententia condemnatoria est: illa per quam reus certa pœna mulctatur.

Sententia declaratoria est: illa per quam judex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propterquod pœna a lege statuta *ipso facto* incurritur.

Pœna conditionalis est: quæ privat aliquo jure sub data conditione.

Pœna inhabilitans est: quæ inhabilem reddit ad aliquid obtinendum.

Irritatio legis est: abolitio actus, qui alioquin esset validus.

Irritatio pœnalis est: qua actus aliquis irritatur in *pœnam* peccati.

Irritatio legalis est: qua actus aliquis irritatur ad bonum commune.

Præsumptio facti est: ea, qua factum aliquod in *particulari* præsumitur ex aliqua peculiari circumstantia.

Præsumptio periculi est: ea, qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat *generaliter* adesse periculum mali.

Promulgatio est: publica legis denuntiatio facta auctoritate Superioris in loco publico sive voce præconis, sive quavis alia publica solemnitate.

Divulgatio est: legis veluti *applicatio ad aures facta per privatos* fide dignos, iis, qui promulgationem ignorant.

Caput VIII—*De legis interpretatione et mutatione* (1).

Interpretatio legis est: Declaratio sensus qui in lege continetur.

Interpretatio simplex est: pura, et quasi litteralis expositio terminorum legis, qui obscuritatem vel ambiguitatem aliquam pariunt.

Interpretatio per epickejam est: benigna ac rationalis declaratio, qua aliquis casus *particularis* ob suas *particulares* circumstantias statuitur minime sub lege comprehendi, etsi legis verba sint generalia et perspicua.

Interpretatio declaratoria est: quæ verba legis obscura declarat.

Ampliativa: quæ legem ad similes casus extendit.

Restrictiva: quæ legem restringit ad designatos casus quamvis generalis videatur.

Authentica: quæ fit ab ipso legislatore, vel superiore illius, aut successore.

Usualis: quæ petitur ex consuetudine.

Doctrinalis seu didascalica est: quæ fit per doctorum explicationem et Jurisperitorum oracula.

Pura legis declaratio est: explicatio sensus alicujus, qui jam ab initio erat in lege imbibitus. Sin autem est: *non pure talis etc.* sed *mera interpretatio.*

Epickeja seu epickia est: exceptio casus ob circumstantias, ex quibus cer-

(1) Nemo miretur quod a quinto ad octavum caput transeamus, cum enim definitiones hic tantum apponantur, capita in quibus vel non sint definitiones, vel earum notitia nobis minus utilis videatur, omittimus.

to vel saltem probabiliter judicatur legislatorem noluisse illum casum sub lege sua comprehendi.

Dispensatio legis est: ejusdem relaxatio facta ad tempus a legitima auctoritate in gratiam alicujus; qui lege illa obligaretur.

Dispensatio totalis, vel partialis est: prout a toto vel a parte legis dispensat.

Dispensatio tacita vel expressa est: prout vel ab aliquo facto deducitur, vel verbis expressis declaratur.

Necessaria vel *Libera*: prout in jure a Superiore decernitur tribuenda, tali extante causa, vel ejus voluntati liberæ relinquitur.

Dispensatio obreptitia est: si ad eam obtinendam mendacium exponitur.

Dispensatio subreptitia est: si tacetur veritas.

Derogatio est: abolitio partis legis.

Abrogatio est: abolitio legis totius.

Cessatio est: pura et simplex legis per se ipsam extinctio.

Privilegium est: lex privata speciale aliquod alicui concedens beneficium.

Privilegium reale est: illud quod directe et immediate conceditur alicui rei.

Privilegium personale est: quod conceditur immediate personæ ratione sui ipsius.

Privilegium gratiosum est: illud, quod datur gratis, nulla scilicet habita ratione sive privilegiati, sive aliorum.

Privilegium remuneratorium est: quod alicui conceditur ratione meritorum ipsius, vel alterius.

Privilegium favorabile est: quod privilegiato confert commodum, et nemini affert incommodum.

Privilegium odiosum est: quod uni confert commodum, alteri præjudicium.

Rescriptum gratiæ est: quod continet gratiæ alicujus elargitionem.

Rescriptum justitiæ est: quod respicit justitiæ administrationem.

Gratia facta dicitur: quando delegatus habetur tamquam merus executor.

Gratia facienda est: quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio ipsiusmet delegati.

Consuetudo est: jus populi actibus uniformibus, diuturnis ac liberis inductum.

Consuetudo universalis est: quæ in toto Regno, vel in tota Ecclesia viget.

Consuetudo particularis est: quæ non viget nisi in aliqua parte.

Consuetudo juxta legem est: quæ legi conformis est, et eam magis explicat.

Consuetudo præter legem est: quæ inducit novum jus, quod antea non existebat.

Consuetudo contra legem est: quæ abrogat legem ipsam jam latam.

DISPUTATIO SECUNDA —De præceptis ecclesiæ.

Cap. I—*De Auditione Missæ diebus Festis.*

Attentio interna est: ea, qua quis advertit *vel* ad verba et actiones sacerdotis ex fine bono; *vel* ad sensum et mysteria, quæ per actiones et verba signi-

ficantur; *vel* ad Deum precibus ac meditatione adorandum, laudandum, colendum.

Attentio externa consistit: in eo quod ille qui sacrum audit, non ponat actionem externam impedientem mentis suæ applicationem.

Caput II—*De Jejunio ecclesiastico.*

Jejunium spirituale est: abstinentia a peccatis.

Jejunium naturale est: abstinentia a quocumque cibo et potu.

Jejunium morale est: parsimonia in cibu et potu ad temperantiæ regulas.

Jejunium ecclesiasticum est: quod certis temporibus ab Ecclesia affixum est sub datis limitationibus obligans.

Vigiliæ erant: nocturni cœtus, quos primi christiani in Ecclesia habebant ante solemnem aliquem diem, in quibus et orationibus et jejuniis se ad solemnitatem præparabant.

Caput III—*De obligatione solvendi decimas.*

Decimæ indicant, quamvis non semper, decimam portionem fructuum, sed plerumque duodecimam, quintadecimam, imo alicubi vigesimam, trigesimamve.

Decimæ prædiales sunt: quæ penduntur ex fructibus vel proventibus præditorum, sive urbana ipsa sint, sive rustica. Et si de grano, vino, fæno, aliisque fructibus majoribus exhibentur, nuncupantur *majores; minores* si ex leguminibus et oleribus; et tandem *novales* quæ ex prædiis recens excultis.

Decimæ personales sunt: quæ persolvuntur ex rebus quas sibi quisque opera et industria sua acquirit.

Decimæ mixtæ: quæ oriuntur quidem ex rebus ipsis, sed fructum exhibentibus ex sola industria hominum.

Primitiæ sunt primi rerum fructus, qui primæva ætate *tum* ad cognoscendum Creatorem, *tum* ad substentandos ministros a fidelibus dabantur.

Oblationes sunt: munera sponte Deo et Ecclesiæ a fidelibus oblata.

TRACTATUS III—De obligationibus.

DISPUTATIO PRÆAMBULA.

Obligatio est: vinculum accommodatum naturæ intelligenti, satis validum et internum, quo adstringimur ad aliquid faciendum vel omittendum.

DISPUTATIO PRIMA—De obligationibus in societate religiosa.

Caput II—*De obligationibus Clericorum.*

Vicarii foranei sunt: presbyteri illi, quos in oppidis Diœcesis Episcopi solent constituere ad certos actus certasque vices pro bono Diœcesis regimine.

Capellani sunt: parochorum coadjutores, quibus *vel* ex beneficii fundatione *vel* alio nomine id impositum est, ut illos coadjuvent quin curam animarum habeant.

Coadjutores titulares sunt: qui curam habent, licet tota in uno Parocho sit ministerii principalitas.

Vicarii Parochorum seu Œconomi Parochiales dicuntur: presbyteri illi, qui Parochorum vices in Parœciis gerunt. Et sunt *mercenarii* prout a Parochis de sua voluntate constituuntur consentiente et approbante Ordinario; vel *Vice-Parochi* prout ab ipso Ordinario constituuntur.

Simplices Presbyteri sunt: qui *titulo patrimonii* ad Presbyteratum promoti nullum possident Beneficium, quo munus peculiare iisdem imponatur. Qui nondum Sacerdotes sunt, *Clerici inferiores vocantur.*

Caput III—*De obligationibus Religiosorum.*

Status Religiosus est: stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum pro suis iis fidelibus utriusque sexus, qui certa sub regula, sub proprio superiore, et in data communitate tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota perpetua, paupertatis, castitatis et obedientiæ. Hæc definitio est strictiori sensu accepta.

Professio Religiosa est: promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certe Religioni ab Ecclesia probatæ cum solemni votorum emissione.

Privilegium exemptionis est: illud quo Regulares a jurisdictione Episcoporum sunt exempti, et Sedi Apostolicæ immediate subjecti.

Votum paupertatis est: illud quo religiosus obligatur ad hoc, ut nihil habeat *proprii in particulari ad disponendum ex bonis temporalibus,* sive mobilibus sive immobilibus.

Votum castitatis est: illud quo religiosus obligatur ad se abstinendum ab omni voluntaria declaratione venerea tam interna quam externa.

Votum obedientiæ est: illud quo religiosus obligatur ad omnia quæ præcipit Superior *secundum regulas ac constitutiones,* sive directe et explicite præcipiat, sive indirecte et implicite.

Ejectio a Religione est: perpetua separatio religiosi a suo Ordine facta auctoritate judicis.

Apostata a Religione est: qui post emissam professionem deserit Ordinem, excusso jugo regularis disciplinæ.

Fugitivus est: ille qui recedit a claustro vel timens sævitiam prælati, vel sibi vivere volens.

DISPUTATIO II—De obligationibus in societate civili.

Caput I—*De obligationibus publicis.*

Obligationes publicæ sunt: quæ hominem ligant publico munere in societate civili donatum.

Obligationes privatæ sunt: quæ ligant eumdem in vitæ privatæ statu.

Accusator dicitur: qui crimen superiori uti judici defert, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum, et pœnam incurrendi, nisi probet.

Denuntiatio juridica est: delatio facta superiori uti judici, sed absque obligatione delictum probandi.

Denuntiatio Evangelica sive paterna est: quæ fit superiori uti patri ad rei emendationem simpliciter.

Inquisitio judicialis generalis est: ea qua quæritur in genere an leges serventur.

Inquisitio judicialis specialis est: ea, qua quæritur de certo crimine et de certa persona.

Advocatus vel Causidicus est: ille, qui suum litigantibus præbet auxilium vel consilio, vel voce, vel scripto.

Procurator est: ille qui litigantis mandato et nomine causam in judicio prosequitur.

Referentes vel ponentes sunt: ii quibus litis examen committitur, ut illam judicibus referant definiendam.

Notarius est: qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta vel instrumenta, quæ sive in judicio sive extra fidem faciunt.

Caput II—*De obligationibus privatis.*

Reverentia filialis interna est: ea qua filius parentes agnoscit tamquam superiores, et inde timorem reverentialem erga eos ex corde gerit.

Externa est: manifestatio interioris per verba, signa et facta.

Minor, jure civili communi *dicitur:* qui nondum complevit 21^m^ annum. Qui vero illum complevit *Major*, et cui cura minoris committitur, *Tutor*.

TRACTATUS IV.

DISPUTATIO PRIMA—De vitiis ac de peccatis in genere et specie, ac de censuris.

Peccatum est: factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam, vel communiter definitur: *Libera legis divinæ violatio, seu actus libere positus vel omissus contra legem Dei.*

Peccatum originale est: quod ab ipsa origine nostra in Adamo contraximus.

Actuale seu personale est: quod committimus propria et actuali nostra voluntate.

Caput I—*De peccato originali.*

Peccatum originale formaliter est: privatio justitiæ originalis, quatenus superiorem animæ partem rectificabat in ordine ad Deum.

Peccatum originale materialiter est: ipsa concupiscentia, seu carnis et virium *inferiorum animæ deordinatio.*

Caput II—*De peccato actuali.*

Causa occasionalis peccati est: quidquid sive in homine, sive extra hominem, ipsius voluntatem aliquomodo ad peccandum impellit, quæ si sit extra hominis naturam, nuncupatur *extrinseca*, et si ipsi naturæ hominis inhæreat dicitur *intrinseca*.

Peccata infirmitatis sunt: ea, quæ proveniunt ex gravi tentatione vel passione antecedenti, non volita neque in se, neque in sua causa.

Peccata malitiæ sunt: ea, quæ fiunt ex plena libertate absque intellectus ignorantia et antecedentis voluntatis passione.

Tentatio est: incitamentum ad peccandum voluntati nostræ propositum, seu quasi stimulus quidam, quo voluntas nostra allicitur vel inclinatur ad violandum præceptum legis.

Peccatum mortale est: gravis transgressio legis divinæ per quam homo privatur gratia sanctificante et amicitia Dei; dignusque efficitur pœna æterna.

Peccatum veniale est: transgressio levis ejusdem legis minuens fervorem charitatis, et reddens hominem dignum pœna temporali.

Consensus in peccatum *expressus* seu directe talis est: quo voluntas objectum ipsum in se *directe* et *expresse* complectitur.

Implicitus seu *indirecte talis est:* quo quis vult causam, ex qua necessario oritur effectus.

Peccatum mortale ex genere suo est: illud quod in sua specie sistendo et absque nova malitia potest esse mortale.

Peccatum mortale ex accidente est: cum actus aliquis venialis vel indifferens ex se fit mortalis per accidens.

Peccatum mortale ex genere suo toto est: illud, cujus objectum seu materia gravis est ex omni parte, et graviter dedecet naturam rationalem.

Peccatum mortale ex genere suo non toto est: illud, intra cujus objectum vel materiam datur aliquid *ex se grave* et aliquid *leve*, aliquid nempe *graviter*, et aliquid *leviter* inordinatum atque prohibitum.

Peccatum commissionis est: transgressio præcepti negativi, fitque agendo quod prohibetur a lege.

Peccatum omissionis est: transgressio præcepti positivi, fitque omittendo quod a lege præcipitur.

Peccata interna sunt: quæ tantum corde patrantur.

Peccata externa sunt: quæ opere externo complentur.

Desiderium est: actus voluntatis, quo quis *deliberate* intendit opus aliquod determinatum perficere: et respicit *tempus futurum*. Dicitur *efficax*, quando quis media suscipit ad opus illud perficiendum. *Inefficax*, si non proponit opus perficere.

Gaudium seu complacentia est: jactantia de malo opere patrato, et respicit *tempus præteritum*. Huc revocatur *displicentia* quam habet quis, malum data occasione non fecisse.

Delectatio morosa habetur, quando quis per imaginationem reddit sibi præsens objectum peccati, et de illo delectatur deliberato consensu, ac si opus

perficeret, quin tamen habeat desiderium illud reapse perficiendi. Et respicit *tempus præsens*.

DISPUTATIO SECUNDA—De peccatis in specie seu de vitiis capitalibus.

Cap. I—*De superbia et avaritia.*

Superbia est: inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

Præsumptio est: inordinata cupiditas aliquid faciendi proprias vires excedens.

Ambitio est: inordinata cupiditas honoris, potentiæ vel dignitatis.

Vanagloria est: inordinata cupiditas humanæ æstimationis ac laudis.

Avaritia est: Inordinatus amor divitiarum, seu temporalium sive rerum quæ pæcunia æstimantur.

Cap. II—*De Luxuria.*

Luxuria est: inordinatus appetitus vel usus delectationis venereæ.

Luxuria perfecta est: quæ consistit in voluntaria humani seminis effusione.

Imperfecta seu non consummata est: ea in qua nulla intervenit humani seminis effusio.

Luxuria perfecta naturalis est: voluntaria humani seminis effusio, servatis iis conditionibus, quas requirit natura actus necessarii ad hominis generationem: unde: est conjunctio viri et fœminæ modo generationis apto, sed extra conjugium.

Luxuria perfecta non naturalis sive contra naturam est: voluntaria seminis effusio in qua tales conditiones minime servantur.

Fornicatio simplex est: concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Meretricium est: status mulieris quæ omnibus parata est sub mercede, sui corporis copiam facere.

Concubinatus est: frequens concubitus cum una eademque persona soluta.

Stuprum est: illicita defloratio virginis ipsa invita.

Raptus est: vel violenta adductio fœminæ repugnantis de loco in locum matrimonii contrahendi causa; vel adductio viri vel fœminæ libidinis explendæ causa, vi illata aut ipsi rapto, aut iis quibus ille subest, id est parentibus, aut tutoribus, aut viro.

Adulterium est: concubitus illicitus viri cum muliere, quorum alteruter. vel uterque sit conjugio ligatus.

Incestus est: concubitus illicitus inter personas cognatione sibi invicem conjunctas.

Sacrilegium est: violatio rei, loci, vel personæ sacræ per actum venereum.

Pollutio est: voluntaria humani seminis effusio sine congressu cum alio.

Sodomia est: concubitus ad non debitum sexum, nempe masculi ad masculum; vel fœminæ ad fœminam.

Bestialitas est: coitus cum bestia.

Delectatio est: quietio appetitus in aliquo, quod placet.

Delectatio spiritualis est: quietio appetitus spiritualis in bono extra sensus posito.

Delectatio organica sive sensibilis est: quietio appetitus sensitivi in aliqua impressione grata.

Delectatio venerea sive carnalis est: quietio appetitus sensitivi sese oblectantis circa res ad generationem tendentes.

Caput III — *De gula.*

Gula est: inordinatus appetitus edendi et bibendi.

Commesatio seu crapula est: excessus in cibo.

Ebrietas est: excessus in potu usque ad violentam rationis privationem.

Caput IV — *De ira, invidia et acedia.*

Ira est: inordinatus appetitus vindictæ vel quasi vindictæ.

Invidia est: tristitia de bono alterius, in quantum est diminutivum gloriæ propriæ.

Odium inimicitiæ seu simpliciter odium est: aversio personæ cui volumus malum quatenus ejus malum est.

Timor dicitur et est: cum quis contristatur de bono proximi relative, quia nempe ab eo timet aliquod malum.

Susurratio est: sermo quo sine justa causa aliquid refertur alicui personæ de alia, quod aptum sit ad utriusque amicitiam disrumpendam.

Acedia late sumpta *est:* fastidium et tepor animi in exercitio virtutum ob laborem aliquem, et aliquam arduitatem ipsis inhærentem.

Acedia stricte sumpta *est:* tristitia in Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam, et ideo amicitiam illam non curat.

DISPUTATIO III — De censuris.

Caput I — *De censuræ nomine, natura etc.*

Censura est: pœna spiritualis et medicinalis, auctoritate Ecclesiæ inflicta in foro externo, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci tollitur usus quorumdam bonorum primario spiritualium.

Bona spiritualia mere interna et personalia sunt: quæ soli Deo reservantur.

Bona spiritualia externa et visibilia sunt: quæ potestati ecclesiasticæ omnino subsunt.

Censura a jure est: ea quæ fertur per canones et per statuta Ecclesiastica, quæ ut plurimum *generalis* est et *perpetua: generalis,* quia omnes subditos delinquentes et contumaces complectitur, *perpetua,* quia durat quamdiu durat lex ipsa.

Censura ab homine est: ea, quæ fertur a legitimo superiore per *modum mandati;* vel *sententiæ judiciariæ ex facto*, aut *causa particulari;* vel *per sententiam privatam* in determinatam, aut determinatas personas.

Censura ab homine generalis est: ea quæ generaliter et indeterminate fertur.

Censura ab homine particularis est: ea quæ fertur in personam particularem.

Censura reservata est: ea cujus absolutionem sibi superior reservavit.

Censura non reservata est: ea cujus absolutio aliis ministris relicta est.

Censura latæ sententiæ est. ea quam lex vel superior statuit esse incurrendam *ipso facto* quo quis legem violaverit.

Censura ferendæ sententiæ est: ea quam lex vel superior statuit non esse incurrendam *ipso facto*, quo crimen patratur: sed per judicis sententiam infligenda declaratur.

Caput III — *De censuræ subjecto, et materia.*

Subjectum censuræ est: homo viator, baptizatus, rationis capax et subditus.

Caput IV — *De censuræ materia.*

Materia censuræ est: culpa mortalis, propria, externa, in genere suo completa, contra legem Ecclesiasticam, et contumaciæ conjuncta.

Caput V. — *De singulis censuræ speciebus.*

Excommunicatio est: censura, per quam ab Ecclesiæ communione aliquis separatur; *sive* bonis quæ inter fideles communia sunt vel ex parte vel ex toto privatur.

Excommunicatio major est: quæ privat excommunicatum omni Ecclesiastica communione, *sive* omnibus bonis quæ inter fideles communia sunt.

Excommunicatio minor est: quæ excommunicatum privat dumtaxat usu passivo, *seu* receptione Sacramentorum.

Excommunicati vitandi et non tolerati sunt: qui *expresse et nominatim* excommunicati sunt, atque uti tales denuntiati, nec non publici et notorii Clericorum aut Regularium percussores, *vel* illi, quos fideles vitare tenentur.

Tolerati et non vitandi sunt: ii qui, *expresse et nominatim* non sunt excommunicati, *sive* quos fideles non tenentur vitare.

Percussio Clericorum enormis est: magna vulneratio, vel magna sanguinis effusio, aliunde tamen quam a naribus; vel magna injuria.

Percussio mediocris est: carnis contusio, qua sanguinis quidem copia effundatur, sed absque gravi læsione *vel* injuria.

Levis: quæ nullam importat maculam, neque carnium contusionem relinquit, neque sanguinis effusionem producit.

Notorium notorietate juris est: illud, quod per judicis sententiam declaratum est.

Notorium notorietate facti est: illud quod non potest ulla tergiversatione celari.

Monitorium est: mandatum Ecclesiæ seu Judicis ecclesiastici, quo sub ex-

communicatione præcipitur manifestatio auctorum criminis gravis reipublicæ, vel privato perniciosi.

Suspensio est: censura qua Clericus functiones Ecclesiasticas exercere vetatur.

Suspensio ab officio est: quæ privat ab exercitio tum ordinis tum jurisdictionis.

Suspensio a beneficio est: quæ privat ab emolumentis et administratione Beneficii.

Suspensio totalis vel *partialis est:* prout *totaliter* vel *partialiter* afficit *officium* vel *beneficium.*

Suspensio temporanea est: quæ ad tempus Clericos afficit.

Suspensio perpetua est: quæ obtinet usquedum tollatur.

Suspensio medicinalis est: quæ ad emendationem lata est.

Suspensio pœnalis et impropria est: quæ datur ad vindictam.

Suspensio ad cautelam est: quæ non ex crimine, sed ex quadam decentia datur.

Interdictum est: censura, qua prohibetur usus divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturæ Ecclesiasticæ.

TRACTATUS V — De virtute religionis.

DISPUTATIO PRÆAMBULA. — De virtutibus ac de religionis natura et actibus.

Virtus est: animi habitus hominem inclinans ad bene recteque operandum.

Virtutes divinæ sunt: quæ habent pro objecto immediato Deum uti auctorem gratiæ et gloriæ.

Humanæ sunt: quæ versantur circa objecta cognoscibilia ratione naturali.

Religio est: virtus moralis nos inclinans ad exhibendum cultum Deo debitum tamquam supremo rerum omnium Domino.

Cultus est: complexus illorum omnium actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.

Internus est: qui intus in animo maxime residet.

Externus est: qui præcipue ministerio corporis exercetur.

DISPUTATIO PRIMA — De actibus religionis internis.

Caput I — *De devotione.*

Devotio est: voluntas quædam prompta faciendi ea quæcumque pertinent ad Dei famulatum.

Causa extrinseca et primaria devotionis, est: Deus, qui dona sua prout vult elargitur.

Causa intrinseca et secundaria est: consideratio tum divinæ bonitatis, tum nostrorum defectuum.

Primus effectus devotionis est. salutaris quædam tristitia, quæ enascitur ex nostræ infirmitatis consideratione.

Secundus effectus est: spiritualis lætitia, quæ sponte consurgit ex meditatione bonitatis Dei.

Christiana perfectio est: consecutio plena et absoluta nostri ultimi finis, *inchoative* quidem in *hac vita* per gratiam: *complete* vero in *altera* per gloriam.

Finis ultimus noster est: Deus O. M.

Caput II — *De oratione.*

Oratio est: quoddam veluti mentis nostræ colloquium cum Deo, in quo rei alicujus obtinendæ desiderium eidem patefacimus: *sive* petitio decentium a Deo.

Oratio mentalis est. quæ fit sola mente.

Oratio vocalis est: quæ mente simul et linguæ ministerio peragitur.

Meditatio est: pia consideratio rerum divinarum ad concipiendam animi compunctionem, devotionem, fervorem, et ad mores nostros ad virtutem informandos.

Contemplatio est: elevatio mentis in Deum suspensæ, æternæ dulcedinis gaudia in ipso degustantis.

Ariditas est: defectus consolationis sensibilis.

Distractio est: varietas quædam cogitationum, quæ animam in meditatione perturbant.

Purgatio spiritualis est: ea, qua Deus solet animam purgare ab omnibus imperfectionibus quæ possunt contemplationem quoquomodo impedire.

Ariditas spiritus est: ea quæ consistit in quadam divisa luce qua Deus efficit, ut anima proprium nihil clare cognoscat.

Contemplatio affirmativa est: ea qua anima beneficio lucis divinæ et sine ulla opera propria, cernit aliquam veritatem *vel* creatam *vel* increatam.

Contemptatio negativa est: ea, qua anima dignoscit perfectiones divinas non *in particulari* sed *in genere*: et cum quadam notitia, in se quidem confusa, sed quæ ingerit conceptum magnitudinis divinæ longe majorem. Dicitur etiam *clara caligo.*

Recollectio supernaturalis est: quam Deus operatur in anima ministerio gratiæ extraordinariæ, per quam anima e statu activo ad passivum transfertur et in eo sistit.

Quies est: suspensio tantum voluntatis quæ remanet quasi ligata; *in qua quiete* amor divinus communicatur immediate spiritui in ipsa anima, et sic evadit ardentior et aliquando diffunditur etiam ad ipsos sensus.

Unio est: ultimus animæ scopus in perfectionis via.

Unio activa est: perfecta uniformitas voluntati divinæ, in qua tota vera consistit perfectio.

Unio passiva est: talis suspensio in Deum per quandam abundantiam lucis et amoris, ut in ipsa efformetur illa *beata caligo,* in qua dein suspenduntur omnes potentiæ animæ.

Unio sponsalitia est: non solum quædam communicatio divini amoris, sed valde copiosior supernaturalis infusio quorumdam graduum amoris ejusdem.

Unio consummata est: omnium unio perfectissima, quam Deus animæ viatrici concedit.

Oratio publica est: illa, quæ fit nomine Ecclesiæ ab ejus ministris pro populo.

Oratio privata est: propria et particularis, quam quisque nomine proprio aut alieno facit; non tamen sicut Ecclesiæ minister.

Oratio Jaculatoria est: quidam cordis actus *præsertim* in Deum, brevis quidem, sed fervidus et ardens adinstar ignis, quem anima in Deum dirigit tamquam jaculum.

Horæ Canonicæ sunt: preces vocales ab Ecclesia institutæ juxta ejus præscriptum recitandæ a personis ad id deputatis.

Attentio definitur: advertentia mentis ad aliquid, *seu* actualis applicatio mentis ad aliquid.

Attentio externa est: quæ excludit omnem externam actionem physice incompossibilem cum eo quod agitur.

Attentio interna est: quæ consistit in interiori mentis advertentia ad id quod agitur.

Attentio actualis est: quæ actu est, seu qua actu attenditur.

Attentio virtualis est: quæ fuit et in alio effectu perseverat.

Attentio habitualis est: quæ pariter fuit, sed in nullo effectu permanet.

Attentio interpretativa est: quæ esset, præviso casu.

Attentio interna spiritualis seu *mystica est*: advertentia ad Deum ipsum; cum nempe mens ad eum elevatur.

Interna litteralis, idest *ad sensum est*: qua attenditur ad percipiendam verborum intelligentiam.

Interna superficialis est: qua attenditur tantum ad verba, nempe ad recte ea proferenda, ne error fiat ea mutilando, vel transferendo.

Remedia negativa contra distractiones *sunt*: subtractio eorum, quæ distractionum sunt causa.

Remedia positiva sunt: procuratio eorum, quæ attentionem per se excitant.

DISPUTATIO SECUNDA — De actibus religionis externis.

Caput I — *De voto.*

Votum est: promissio deliberata Deo facta de bono meliori, et possibili.

Votum positivum est: illud quo promittitur res facienda.

Negativum est: illud quo promittitur aliquid omittendum.

Reale est: illud quo promittitur res externa prætii æstimabilis.

Personale est: quo promittitur personæ actio.

Mixtum est: quo promittitur actio personalis simul et res prætio æstimabilis extra nos posita.

Liberum est: quo promittitur res non præcepta.

Necessarium est: quo promittitur res jam præcepta.

Votum absolutum est: illud quod fit pure et simpliciter.

Conditionatum est: illud cui adjungitur aliqua conditio, ita ut promissio non habeat vim obligandi, nisi ponatur conditio illa.

Votum pœnale est: cui nempe *per modum conditionis* adnectitur pœna.

Votum solemne est: quod uti tale ab Ecclesia acceptatur, et emittitur quibusdam ritibus præscriptis.

Simplex est: quod nullam habet solemnitatem.

Reservatum est: quod non potest relaxari, nisi a Pontifice.

Non reservatum est: cujus relaxatio haberi potest ab alio Superiore.

Expressum est: quod verbis exterius profertur, ut ordinarie contingit.

Tacitum est: quando quis aliquid vult, cui scit votum esse adnexum.

Votum temporaneum est: quod limitatur ad tempus determinatum.

Votum perpetuum est: quod extenditur ad totam vitam.

Causa finalis voti est: quæ ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum.

Causa impulsiva est, quæ allicit tantummodo ad libentius vovendum, sed ex se sola ad votum non determinat.

Commutatio voti est: substitutio unius materiæ in locum illius, quæ fuit voto promissa, facta sub eadem voti obligatione.

Dispensatio voti est: ipsius remissio facta Dei nomine ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo.

Irritatio voti est: ejusdem rescissio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem, vel in ipsam materiam voti.

Irritatio directa est: illa, quæ fit ab eo, qui habet *directam* potestatem in voventem; vel in materiam voto promissam.

Irritatio indirecta est: ea, quæ fit ab eo, qui habet potestatem exigendi ab ipso vovente actus quosdam, qui cum voti executione nequeunt conciliari.

Caput II — *De Juramento.*

Juramentum est: invocatio Divini Numinis tamquam ad fidem dictis faciendam, vel ad firmandam promissionem.

Juramentum verbale est: quod solis verbis conflatur.

Reale est: quod includit aliquam corporis actionem.

Mixtum est: quod coalescit ex verbis simul et corporis actione.

Explicitum est: illud quo quis Deum ipsum conceptis verbis vocat in testem.

Implicitum est: quo quis jurat per creaturas, sed quatenus in iis elucet speciale Dei attributum.

Solemne est: quod conjugitur cum cæremoniis quibusdam.

Simplex est: illud, quod puram Dei invocationem præfert verbis, vel signis æquivalentibus indicatam.

Contestatorium est: quod *simpliciter* vocat Deum in testem.

Execratorium vel imprecatorium est: quod non modo vocat Deum in testem; sed etiam in vindicem perjurii.

Comminatorium est: illud, quo juraus sub attestatione divini Numinis alteri minatur pœnam.

Juramentum assertorium est: quod vocat Deum in testem rei præteritæ vel præsentis.

Promissorium est: quod vocat Deum in testem rei futuræ, quæ juramento promittitur.

Juramentum judiciale est: quod in judicio emittitur.

Extrajudiciale est: quod emittitur extra judicium.

Æquivocatio seu *amphybologia est:* sermo ambiguus, *seu* sermo habens duplicem sensum, qui satis tamen percipi potest. Ad hanc reducitur restrictio *non pure mentalis.*

Perjurium proprie *est:* juramentum veritate destitutum.

Adjuratio est: invocatio Dei, vel rerum sacrarum, vel sanctorum ad inducendum aliquem ad aliquid.

Adjuratio solemnis est: quæ fit ab Ecclesia modis constitutis.

Adjuratio privata est: quæ fit a quocumque sine solemnitate.

Adjuratio deprecativa est: ea quæ precibus fit.

Adjuratio imperativa est: quæ fit imperio.

Caput III — *De sanctificatione Festorum.*

Opera servilia sunt: quæ corpore exercentur, et ordinantur immediate ad ipsam corporis utilitatem.

Opera animæ vel liberalia sunt: quæ ab anima præcipue procedunt atque ad ejusdem cultum diriguntur.

Opera media seu *communia sunt:* quæ a servis simul et a liberis promiscue exercentur.

De vitiis quæ virtuti religionis adversantur.

Caput I — *De superstitione.*

Superstitio est: vitium Religioni oppositum secundum excessum... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Cultus falsus est: qui aliquid falsi significat.

Turpis est: qui continet quædam Deo injuriosa.

Superfluus est: qui nihil confert ad verum cultum Dei.

Idololatria est: cultus divinus creaturæ exhibitus quo nempe creatura tamquam Deus habetur et adoratur.

Idololatria perfecta est: quæ creaturæ defert divinum honorem *falso* putans, eam esse Deum.

Idololatria imperfecta est: quæ defert quidem creaturæ honorem divinum sed externum vel ex mera animi cupiditate, vel ex odio veri Dei, utique sciens eamdem divinitate carere.

Idololatria simulata est: quæ honorem divinum creaturæ exhibet solo metu mortis.

Divinatio est: tacita vel expressa dæmonis invocatio ad cognoscendas res

futuras vel occultas. (Divinationis species brevitatis causa omittuntur.)

Astrologia naturalis est: qua homines ex siderum situ, motu, ortu et occasu vaticinantes, prædicunt nonnullos effectus *certos*, qui consequuntur ex siderum et planetarum conversionibus, ac curso necessario.

Astrologia judiciaria est: qua homines ex astrorum motu, vaticinari præsumunt etiam quæ pendent a libera hominis voluntate.

Sortes divisoriæ sunt: quæ adhibentur ad componendas lites, utraque parte consentiente.

Consultoriæ sunt: illæ quibus inquiritur quid in hac vel illa re sit agendum.

Divinatoriæ sunt: illæ quibus per taxillorum projectum, rei occultæ vel futuræ cognitio inquiritur.

Vana observantia est: superstitio qua quis ad effectum aliquem obtinendum media adhibet vana et inutilia, quæ nempe neque ex natura sua, neque a Deo, neque ab Ecclesia ad illum effectum ordinata sunt.

Magia est: ars per quam fiunt opera insolita et mira per causas insolitas.

Magia naturalis est: quæ operatur mira et insolita per causas naturales, sed occultas.

Magia superstitiosa est: quæ operatur mira quædam vires humanas prorsus excedentia ex pacto explicito vel implicito cum diabolo.

Maleficium est: ars aliis nocendi cooperatione dæmonis.

Lamiæ seu striges sunt: quædam perditi moris mulieres, quæ ope dæmonum hominibus insidiantur, noxia quæque contra ipsos moliendo omni incantationum ac maleficiorum genere.

Caput II — *De irreligiositate.*

Irreligiositas est: vitium quod Religionis virtuti adversatur per defectum, quodque tendit ad irreverentiam Deo inferendam, vel directe in se, vel indirecte in rebus aut personis sacris.

Tentatio Dei est: dictum vel factum, quo quis sine justa causa explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors vel aliam perfectionem habeat.

Tentatio explicita sive formalis est: qua quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione quidpiam dicit vel facit animo eamdem explorandi.

Tentatio implicita sive interpretativa est: qua quis *expresse* quidem non dubitat de ulla Dei perfectione, neque intendit *directe* experimentum de illa suscipere; petit tamen vel facit quod *ex se*, et *natura sua* non potest alium in finem referri, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem.

Blasphemia est: locutio contumeliosa in Deum.

Blasphemia directa seu diabolica est: quæ Deum directe aggreditur ex intentione ipsum inhonorandi.

Blasphemia indirecta est: qua quis advertenter quidem profert verba blasphemiæ; sed absque *directa* intentione Deum inhonorandi.

Blasphemia interna seu cordis est: quæ in animo consumatur, quin prodeat exterius.

Externa est: quæ *verbis* vel *factis* exterius manifestatur.

Blasphemia hæretica est: quæ continet hæresim, et animo creditur ab eo qui eam profert.

Hæreticalis est: quæ continet hæresim, et corde non creditur ab eo qui ore eam profert.

Imprecativa est: qua quis Deum malum imprecatur.

Dehonestativa est: qua quis vera quidem de Deo pronuntiat; sed irreverenter per contemptum, ex ira et odio Dei.

Sacrilegium est: violatio rei sacræ, *sive* est: rei divino cultui dicatæ indigna tractatio.

Sacrilegium personale est: quo persona sacra violatur.

Locale est: quo locus sacer violatur.

Reale est: quo res sacræ violantur.

Simonia est: studiosa voluntas emendi, vel vendendi prætio temporali aliquod spirituale vel spirituali adnexum.

Munus a manu est: pecunia, seu bonum quodcumque temporale prætio æstimabile.

Munus a lingua sunt: laudes, favores, intercessiones etc.

Munus ab obsequio est: omne, quod pertinet ad servitutes, quæ exhibentur ad finem obtinendi quidpiam spirituale.

Res spiritualis in simonia est: illud omne, quod vel *ex se*, vel *ex institutione Dei aut Ecclesiæ* pertinet ad salutem animæ, atque ad ordinem bonorum spiritualium.

Adnexum *spirituali in simonia est*: quidquid cum re ipsa spirituali conjunctum est.

Adnexum spirituali antecedenter est: quod ordinatur ad spirituale.

Adnexum spirituali commitanter est: quod *intrincese* conjungitur cum re spirituali, quod proinde ab ipsa separari non potest.

Adnexum spirituali consequenter est: aliquid spirituale præsuppositum tamquam causa et radix.

Simonia mentalis est: donatio rei temporalis animo alterum obligandi ad reddendum sibi spirituale, aut e converso, quin tamen ullum exprimatur pactum exterius.

Conventionalis est: quæ fit cum pacto explicito: quod si pactum a neutra parte sit executum, dicitur *pure conventionalis*: si ab una tantum parte, *conventionalis mixta* quia participat aliquid de *reali*.

Realis est: executio pactus ipsius per reciprocam rei spiritualis et temporalis traditionem.

Confidentialis est: quæ consistit in Beneficiorum Ecclesiasticorum provisione.

Simonia juris divini est: quæ prohibetur jure divino ob intrinsecam sui malitiam, quando scilicet pro temporali datur res vel in se, vel ex Christi institutione spiritualis.

Simonia juris humani est: quæ non est *intrinsece mala*, sed solum mala est, quia ab Ecclesia prohibetur ob reverentiam erga res sacras.

TRACTATUS VI — De virtute justitiæ.

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

Justitia est: virtus moralis constanter inclinans voluntatem hominis ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.

Justitia legalis est: quæ ordinat *partes ad totum* et inclinat privatum ad reddendum communitati quod ipsi debitum est propter bonum commune.

Distributiva est: quæ ordinat *totum ad partes*, et inclinat voluntatem *Superioris* ad bona vel onera communitatis distribuenda juxta merita et vires subditorum.

Commutativa est: quæ ordinat *partes inter se* et inclinat *privatum* ad reddendum *alteri privato in æqualitatem* quod eidem stricto jure debetur, ratione videlicet *vel* pacti *vel* contractus *vel* alterius tituli particularis.

DISPUTATIO PRIMA — De jure.

Caput I — *De Juris nomine, definitione etc.*

Jus strictum seu formale est: legitima facultas ad aliquid; id est ad aliquid agendum vel habendum.

Jus publicum est: illud quod pertinet ad regimen et utilitatem *totius Regni*, quodque ipsum afficit Reipublicæ corpus, non vero partes singulas, quibus constat.

Jus privatum est: illud quod respicit utilitatem *singulorum civium*, et ejus materia sunt contractus, testamenta, etc.

Jus ad rem est: *legitima potestas* quam quis habet, ut res aliqua sibimet obligetur et sua fiat: ideoque adquiritur ante ipsius rei traditionem, et actionem suppeditat in personam, non vero in rem ipsam.

Actio (hoc loco) *est*: jus prosequendi in judicio quod suum est, vel quod sibi debetur.

Jus in re est: potestas legitima alicui competens circa rem ipsam sibi jam obligatam et suam factam: ideoque adquiritur post rei ejusdem traditionem, et secum affert *actionem realem*, per quam ejus possessor potest a quovis detentore eam repetere sibique vindicare.

Caput II — *De diversis juris privati speciebus.*

Servitus est: jus in aliena re constitutum, quo dominus in re sua quidquam pati vel non facere cogitur in alterius rei vel personæ utilitatem.

Servitus personalis est: quæ a re debetur personæ, uti sunt usus, ususfructus et habitatio.

Servitus realis vel prædialis est: quæ a re debetur alteri, v. g. ab uno prædio alteri prædio.

Servitutes rusticæ sunt: illæ quæ prædiis seu fundis inhærent.

Servitutes urbanæ sunt: illæ, quæ inhærent ædificiis.

Servitute affirmativæ sunt: quæ verbis affirmativis exprimuntur et obli-

gant dominum fundi servientis ad permittendum, ut proprietarius fundi dominantis aliquid agat.

Negativæ sunt: quæ verbis negativis indicantur, et obligant dominum fundi servientis, ut se abstineat ab aliquo peragendo in ipso quod quidem perageret, si servitus non existeret.

Continuæ sunt: illæ, quarum exercitium est vel esse potest continuum absque actuali hominis opera.

Discontinuæ sunt: illæ, quarum exercitium requirit actualem hominis operam.

Apparentes sunt: quæ exterius conspiciuntur.

Non apparentes sunt: illæ quarum nullum signum exterius apparet, ut sunt servitutes *negativæ*.

Servitutes naturales sunt: quæ manant a naturali positione locorum.

Servitutes legales sunt: quas ob utilitatem publicam vel privatam lex vel etiam *sententia judicis* præscribit.

Conventionales sunt: quibus se invicem vicinorum fundorum proprietarii conveniunt, (lege vel ordine publico non obstante) ut unus fundus alteri serviat et vicissim.

Usus est: jus utendi rebus alienis, salva earum substantia tum quoad materiam, tum etiam quoad formam.

Usuarius est: ille cui competit usus.

Proprietarius est: ille ad quem pertinet rei proprietas sive dominium.

Ususfructus est: jus utendi, et fovendi aliqua re, fructus ex ea percipiendi: eo ipso modo quo perciperet ipse propietarius: salva tamen ejus substantia tum quoad materiam tum quoad formam, sicut in usu.

Fructus est: illud omne quod res fert vel producit.

Fructus naturales sunt: qui ex re ipsa, et *solius naturæ* beneficio producuntur.

Fructus industriales sunt illi in quibus hominis quoque labor et industria partem habent.

Fructus civiles sunt: illi, qui proveniunt tantummodo *occasione rei*, et vi obligationis particularis in jure civili fundatæ.

Ususfructus proprius est: ille, qui constituitur in rebus, quæ usu minime consumuntur.

Ususfructus improprius est: ille qui constituitur in *rebus fungibilibus* quæ nempe usu consumuntur.

Ususfructus singularis est: ille, qui versatur circa quasdam res in specie.

Ususfructus particularis est: ille, qui versatur circa aliquam partem bonorum.

Ususfructus universalis est: ille, in quo bona omnia continentur.

Habitatio est: jus alienas ædes habitandi, salva earum substantia.

Possessio est: legitima rei detentio.

Apprehensio legalis est: qua res habetur sola juris dispositione, absque corporis, et animæ adminiculo.

Possessio facti est: rei detentio corporis, animi, et juris adminiculo.

Possessio juris est: jus insistendi rei tamquam suæ non prohibitæ possideri.

DISPUTATIO SECUNDA — De dominio.

Caput I — *De dominii definitione, origine et divisione.*

Dominium est: jus disponendi pro arbitrio de re tamquam propria, nisi lege, conventione, vel testatoris voluntate prohibeatur.

Jurisdictio est: legitima potestas gubernandi subditos.

Dominium eminens seu altum est: quod convenit reipublicæ in personas et bona subditorum, sic exigente bono publico.

Dominium humile est: quod quisque privatus habet disponendi de rebus suis.

Dominium humile plenum est: jus disponendi de re simul, et de ejusdem usu.

Dominium humile non plenum est: jus disponendi de re, vel de ejusdem usu; non vero de utroque simul.

Non plenum directum est: quod continet solum rem seu proprietatem.

Non plenum utile est: quod non continet nisi rei usum et emolumentum.

Caput II — *De dominii objecto.*

Objectum dominii sunt: omnes res externæ et inferiores, quæ hominis usui subjiciuntur.

Res corporales quæ in hominis dominio esse possunt *sunt*: quæ sensibus sunt obnoxiæ.

Res incorporales sunt: quæ percipiuntur tantummodo intellectu, et in jure consistunt.

Res mobiles sunt: quæ soli partem non faciunt, sed loci mutationem de facile recipiunt.

Res immobiles sunt: quæ transferri nequeunt.

Caput III — *De dominii subjecto.*

Subjectum dominii est: omnis et sola substantia intellectualis.

Bona clericorum patrimonialia sunt: ea, quæ clerico obveniunt independenter ab omni ministerio aut beneficio ecclesiastico sed ex titulo laicis quoque communi.

Bona quasi *patrimonialia sunt*: ea, quæ clericis qua talibus obveniunt ex functionibus, et officiis ecclesiasticis.

Ecclesiastica bona sunt: ea, quæ clerici adquirunt ex beneficiis ecclesiasticis.

Ecclesiastica parsimonialia sunt: quæ clericus subtrahit studiosa quadam frugalitate et industria, a necessaria vitæ sustentatione.

Filiifamilias sunt: ii qui sunt sub patria potestate.

Bona filiorum-familias castrensia sunt: quæ filiisfamilias obveniunt *vel* causa militiæ *vel* illius occasione.

Bona quasi castrensia sunt: 1.°, quæ filiifamilias sibi compararunt *vel* ex

publici alicujus officii gestione; *vel* ex professione artium liberalium aut eorum intuitu: 2.°, quæ a principe dono traduntur: 3.°, quæ clericus sibi adquirit in clericatu, quocumque tandem titulo ea sibi obveniant.

Adventitia sunt: quæ filiifamilias sibi comparant *independenter* a patre.

Profectitia sunt: quæ filiisfamilias obveniunt ex bonis patris.

Patria potestas est: quoddam quasi *imperium parentibus datum, tam relate ad custodiam et educationem filiorum; quam etiam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium.*

Mors civilis est: capitis diminutio maxima.

Emancipatio est: *actus legitimus,* quo pater liberos a sua potestate dimittit ut sui juris efficiantur.

Bona uxorum dotalia sunt: quæ ab uxore vel ab alio ejus nomine marito traduntur ad onera matrimonii.

Paraphernalia seu extradotalia sunt: quæ uxori obveniunt extra dotem.

Communia sunt: quæ communi utriusque conjugis labore adquiruntur.

Caput IV — *De modo multiplici adquirendi rerum dominii.*

Modus originarius juris gentium adquirendi rerum dominii est; cum adquiritur res quæ est *nullius,* vel *nullius* censetur.

Modus derivativus est: cum adquiritur res, quæ *alicujus* jam est.

Modi universales juris civilis adquirendi rerum dominii sunt: illi, per quos adquirimus universitatem bonorum.

Particulares sunt: illi, per quos non adquirimus, nisi dominium *rerum particularium.*

Caput V — *De modis adquirendi rerum dominii juris gentium originarii.*

Occupatio est: apprehensio rei corporalis in nullius dominio existentis animo eam sibi comparandi.

Accessio est: ille dominii adquirendi modus, *quo nostrum fit illud, quod vel rebus jam nostris adjungitur, vel ab ipsis rebus nostris producitur sive de industria, sive ipsa sui natura; sive res illæ mobiles sint, sive immobiles.*

Possessores vere domini sunt: qui plenum habent rei dominium.

Possessores bonæ fidei sunt: qui rem alienam possident tamquam ejus proprietarii vi alicujus tituli, qui quidem idoneus est ad dominium transferendum; sed illud reapse non transfert ob vitium latens quod a possessore penitus ignoratur.

Possessores malæ fidei sunt: qui rem possident, quam non ignorant esse alienam.

Accessio per alluvionem contingit: quando aliquid *latenter* et *insensibiliter* ita fundo alicujus adjicitur ut intelligi nequeat quantum quovis temporis puncto adjiciatur.

Accessio per avulsionem contingit: quando vi et impetu improviso, pars aliqua notabilis distrahitur ab uno fundo et adjungitur alteri.

Accessio per mutationem alvei contingit: cum flumen, primo alveo relicto, per novum decurrit.

Adjunctio est: quando una res, vel multæ res mobiles, quæ ad diversos dominos pertinent, uniuntur et coalescunt alteri rei tamquam principali.

Specificatio est: quando species nova conficitur ex re aliena.

Confusio sive commixtio est: quando diversæ materiæ ad complures dominos pertinentes simul confunduntur seu commiscentur.

Caput VI — *De modis juris gentium derivativis.*

Traditio est: translatio possessionis de manu in manum, si res mobilis sit; vel immissio in possessionem, si sit immobilis.

Traditio propria est: quæ consistit in rebus *corporalibus*, quæ mobiles sint sive immobiles.

Traditio impropria est: quæ rebus incorporalibus convenit.

Traditio ficta brevis manus est: cum res nostra, quæ jam est penes alterum, ex nova causa *jure dominii* ipsi relinquitur.

Longæ manus est: cum res ante oculos posita sola voluntate alteri traditur, qui eamdem se accipere significat oculis, *quasi longa manu* eam apprehendens.

Simbolica est: cum intervenit aliquod signum, quod rei traditionem significet.

Caput VII — *De modis juris civilis universalibus, id est de hæreditate.*

Hæreditas est: successio in universum jus, quod defunctus habebat tempore mortis.

Hæreditas, vel successio testamentaria est: quæ defertur ex hominis voluntate per testamentum declarata. Huc pertinet etiam hæreditas *fidei-commissaria et fiduciaria.*

Hæreditas legitima, sive *successio ab intestato est*: quæ defertur ex ipsa legis vi et auctoritate.

Testamentum quasi testatio mentis est: justa sententia propriæ voluntatis de eo, quod aliquis post mortem suam fieri vult de rebus suis cum directa hæredis institutione.

Testamentum minus solemne seu privilegiatum est: illud, in quo aliquæ solemnitates aliunde præscriptæ privilegio omittuntur.

Testamentum solemne et non privilegiatum est: illud in quo solemnitates aliunde præscriptæ debent præstari.

Non privilegiatum seu solemne scriptum *est*: quod fit sine tempore et contextu; ita ut nullus actus extraneus et alienus a testamento intermisceatur; quod item fit coram septem testibus ad hoc vocatis et rogatis qui nomina sua subscribunt, et signant testamentum annulo vel proprio vel alieno aut alio signaculo ac denique illud in quo fit hæredis institutio directa, hoc est nominatur aliquis qui in universum jus defuncti succedit.

Non privilegiatum seu solemne nuncupativum est: illud quo testator, non

interveniente scriptura, coram septem testibus ad hoc convocatis, nuncupat et exprimit palam nomen hæredis et legatorum dationem.

Testes idonei in testamentis sunt: qui non prohibentur.

Institutio hæredis est: designatio personæ, quæ succedat titulo universali in jus, quod defunctus habet tempore mortis.

Dispositio bonorum pure facta dicitur: si testator instituit hæredem, quin causam indicet, aut conditionem apponat: sed simpliciter illum nominat, ut passim fit.

Sub causa, quando nempe exprimitur ratio, quæ ad disponendum movet.

Sub demonstratione, quando scilicet testator describit rem vel personam, quin tamen ipsam nominet.

Sub modo, quando scilicet hæredi aliquid faciendum injungitur, vel omittendum.

Sub conditione, quando nempe testamentaria dispositio habet aliquam conditionem adjectam vel *suspensivam*, quæ rem suspendit; vel *resolutivam*, quæ eam non suspendit sed veniens resolvit.

Exhæredatio est: exclusio a legitima hæreditatis portione.

Testator esse potest, omnis qui a lege non prohibetur.

Legitima est: quædam portio bonorum defuncti ex legum civilium præscripto personis quibusdam debita.

Hæres est: ille cujus favore testator disposuit in sua ultima voluntate.

Hæres necessarius est: ille qui a testatore excludi non potest.

Hæres legitimus est: ille qui de jure succedit ab intestato.

Hæres voluntarius est: ille qui talis habetur ex libera voluntate testatoris.

Hæres ex testamento est: ille qui per testamentum est designatus.

Hæres ab intestato est: ille qui de jure succedit defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit.

Legatum est: donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda.

Legatum nominis est: illud quo testator alicui legat quod sibi debetur ab altero.

Legatum liberationis est: illud quo testator alicui legat quod sibi debetur a legatario ipso.

Codicillum est: minus solemnis testatorum intestatorumve ultima voluntas.

Substitutio in re testamentaria est: institutio hæredis secundi (tertii, vel quarti, etc.) in locum deficientis primi.

Substitutio vulgaris est: institutio facta aliarum personarum, casu quo ille qui priori gradu scriptus est, hæres non fuerit.

Substitutio pupillaris seu paterna est: ea, qua pater prolem impuberem sub potestate sua constitutam, hæredem instituit, eique alium substituit sub conditione, si nempe ante pubertatem, cum testari prohibetur, decedat.

Substitutio fidei-commissaria seu precaria vel obliqua est: ea, qua hæres vel legatarius ex defuncti voluntate jubetur hæreditatem, aut legatum conservare, et alteri restituere.

Fiduciaria institutio *est*: ea, qua quis instituitur hæres vel legatarius, data clam fide de legato vel hæreditate alteri restituenda.

Executores testamentarii sunt: una vel plures a testatoribus designatæ personæ, quibus officium incumbit executione donandi extremas ipsorum voluntates.

Hæreditas ab intestato regularis est: quæ respicit personas secum aliquo parentelæ etiam civilis vinculo conjunctas.

Hæreditas ab intestato irregularis est: quæ respicit personas nullo parentelæ alicujus vinculo ligatas.

Stipes est: illa persona, ex qua descendunt aliæ, de quarum parentelæ et conjunctione quæritur.

Linea est: ipsa series personarum ab uno, atque eodem stipite descendentium.

Linea recta est: quæ exhibet seriem personarum, quarum una ab altera genita est. Ipsa dicitur:

Descendentalis: si in ea conficienda descendamus a stipite ad posteros.

Ascendentalis: si a posteris ascendamus ad stipitem. Utraque est:

Maschilis vel fœminilis, prout masculos comprehendit vel fœminas.

Paterna vel materna: prout patrem respicit vel matrem.

Linea obliqua seu transversalis vel collateralis est: quæ exhibet seriem personarum, quarum una non est procreata ab altera. Hæc est:

Æqualis: quando personæ quas exhibet, æqualiter distant a stipite.

Inæqualis: quando personæ quas exhibet distant inæqualiter a stipite.

Gradus est: ipsa distantia personarum inter se.

Filii legitimi sunt: qui oriuntur a matrimonio legitimo, vel publice et bona fide uti tale contracto saltem ex una parte.

Illegitimi sunt: qui oriuntur aliter, quam a legitimo matrimonio. Isti sunt.

Naturales: si oriantur ex muliere libera et patre item libero. Et ipsi dicuntur:

Legitimati: si legitimatio fiat modis præscriptis; et gaudent iis juribus, quibus legitimi.

Spurii, quæsiti, adulterini, incestuosi, sacrilegi: si habeantur a meretrice aut a commercio inter personas, quæ nequeunt secum inire matrimonium legitimum.

Filii adoptivi sunt: qui ex adoptione suscipiuntur.

Fratres germani sunt: qui proveniunt ex eodem patre simul et eadem matre.

Fratres consanguinei sunt: qui ex eodem patre, sed matre diversa originem ducunt.

Fratres uterini sunt: qui oriuntur ex eadem matre, sed patre diverso. Idem est de *sororibus*. Tandem nota quod:

Agnati dicuntur: qui descendunt per lineam masculinam.

Cognati: qui per lineam fœminilem descendunt.

Hæreditas jacens est: quando alicujus substantiæ non agnoscitur hæres, vel ii qui cogniti sunt, hæreditati renuntiaverunt.

Curator est: persona idonea quæ ad hæreditatem jacentem tuendam, et administrandam deputatur.

CAPUT VIII — *De modis juris civilis particularibus. — De præscriptione.*

Præscriptio vel usucapio est: medium institutum ad adquirendum aliquod jus, vel ad obtinendam liberationem ab aliqua obligatione, mediante lapsu temporis a lege præfiniti, et sub conditionibus a lege ipsa statutis.

Præscriptio adquisitiva est: illa per quam res aliqua aut jus aliquod adquiritur.

Præscriptio liberativa est: illa quæ ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat.

Res apta ad præscribendum est: quæ a lege civili non prohibetur.

Fides bona in præscriptione est: illa animi affectio, qua quis prudenter judicat rem quam possidet, esse suam.

Titulus generatim est: causa propter quam aliquid possidemus.

Titulus justus in præscriptione est: qui suapte natura habilis habetur ad transferendam proprietatem; et est triplex, scilicet:

Titulus coloratus sive apparens est: qui occulta laborat nullitate.

Titulus existimatus est: qui prudenter creditur interfuisse licet non interfuerit.

Titulus præsumptus est: ille quem ob temporis diuturnitatem lex ipsa præsumit interfuisse.

Interruptio præscriptionis est: quando aliquod impedimentum intervenit. quod illam jam inchoatam extinguat.

Interruptio naturalis est: cum quis a possessione dejicitur, et rei fruitione privatus ultra anni spatium fuit, *vel* ab anteriori ejusdem proprietario, *vel* a tertio.

Interruptio civilis est: quando intervenit litis contestatio vel injunctio, aut cum quis sequestrum indicit. Et per citationem coram judice licet incompetenti.

DISSERTATIO SECUNDA. — *De contractibus.*

Contractus late sumptus est, duorum vel plurium in idem placitum consensus, obligationem videlicet pariens in una saltem parte. Idemque est ac pactum seu pactio.

Contractus stricte sumptus est: ultro citroque obligatio; seu duorum pluriumve in idem consensus obligationem pariens in utraque parte.

Quasi-contractus est: factum hominis voluntarium, ex quo enascitur aliqua obligatio erga tertium, ac interdum mutua partium inter se obligatio.

Contractus nominatus est: qui *speciale* nomen habet.

Contractus non nominatus est: qui caret *speciali* nomine: sed retinet genericum *pacti* vel *contractus* vocabulum.

Contractus purus est: cui nihil adjungitur, sed absolute fit.

Contractus non purus est: cui adjungitur aliquid.

Contractus formalis est: ille qui habet *expressum* contrahentium consensum.

Contractus virtualis est: ille, qui *nonnisi tacitum* consensum habet adnexum; seu est ille, in quo tacite et implicite suscipitur obligatio justitiæ ex susceptione alicujus facti.

Contractus bilateralis seu sinallagmaticus est: ille in quo uterque contrahentium obligatur. Et dicitur etiam *onerosus.*

Contractus unilateralis est: ille, in quo unus obstringitur. Et dicitur etiam *gratuitus*, *beneficus* seu *lucrativus.*

Contractus bonæ fidei, *est:* ille, qui non ex rigore verborum accipitur, sed ex benigna æquitate et interpretatione.

Contractus stricti juris est: ille, in quo id unum spectandum est, de quo nempe nominatim et expresse fuit conventum.

Contractus vestitus est: ille qui legis formam ita induit, ut in foro etiam externo pariat actionem.

Contractus nudus est: ille qui tali caret fundamento, ut actionem in foro externo non habeat.

Caput I — *De contractibus in genere.*

Persona contractum inire valens est: omnis qui sufficiens animi judicium habet; neque a lege prohibetur.

Minores sunt: puellæ si ætatem 21 annorum nondum attigerint, juvenes vero si 25 annos non adhuc adepti sunt.

Mortui civiliter sunt: damnati ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem.

Error est: æstimatio unius pro alio.

Dolus est: astutia seu calliditas.

Dolus bonus est: solertia in agendo.

Dolus malus est: calliditas animi, fallacia, machinatio ad alterum fallendum vel decipiendum adhibita. *Calliditas* sita est *in tacendo*, *fallacia in mentiendo*, *machinatio in faciendo.*

Metus est: trepidatio mentis ob malum imminens.

Metus reverentialis est: qui concipitur erga personas reverentia dignas.

Obligatio, prout est effectus e contractu prosiliens *est*: juris vinculum, quo ad aliquid adstringimur *vel* dandum *vel* faciendum *vel* omittendum.

Solemnitates contractus sunt: conditiones quædam ex legum humanarum præscripto in ipso contractu adhibendæ.

Solemnitates accidentales sunt: quæ pertinent tantum ad complementum: quæque proinde omissæ actum non invalidant.

Solemnitates essentiales sunt: quæ censentur pertinere ad substantiam, cum nempe adjunctam habent clausulam *irritantem*, si agatur de jure ecclesiastico; vel etiam solum *prohibitivam*, si sermo sit de jure civili, ubi aliquando id irritum, quod prohibitum.

Obligatio mere naturalis in contractu est: quæ oritur a solo jure naturæ.

Mere civilis est: quæ actionem parit in foro externo ob aliquam præsump-

tionem, quæ cum non subsistat, non obligat conscientiam.

Mixta est: quæ obligat in utroque foro.

Obligatio simplex est: quæ nuda est, et nullo pacto nullave conditione adjecta.

Ad diem est: quæ, nempe non nisi certo tempore elapso debetur.

Alternativa est: quando plures res obligatæ sunt, sed debitor liberatur alterutram solvendo.

Solidaria est: quando plures sunt qui debent, vel plures quibus una res debetur.

Divisibilis vel indivisibilis est: si nempe coalescat ex aliqua re, quæ dum traditur, aut ex aliquo facto quod dum executioni mandatur, dividi potest, vel non.

Conditionalis est: quæ suspenditur donec eveniat conditio, resolvitur casu quo contingat vel non contingat.

Conditio est: accidens quoddam quod contractum suspendit, vel resolvit in incertum, aut futurum eventum.

Conditio casualis est: quæ a casu pendet. — *Potestativa*, quæ ab eventu, qui esse potest in potestate alterius contrahentis. — *Mixta*, quæ pendet tum a tertio tum ab una contrahentium parte.—*Suspensiva*, quæ pendet ab aliquo futuro vel ignoto. — *Resolutiva*, quæ solvit obligationem quoties verificatur.

Novatio est: constitutio novæ obligationis, veteri extincta.

Caput II — *De contractibus in specie.*

Emptio-venditio est: contractus bonæ fidei, quo merx determinata datur, vel danda convenitur pro pretio determinato.

Pretium justum est: illud quod rei venalis valorem adæquat.

Pretium justum legitimum vel legale est: quod taxatur a lege vel a Magistratu.

Pretium justum vulgare seu naturale est: quod spectatis circumstantiis, peritorum judicio determinatur. Estque:—*Summum*, supra quod a prudentibus æstimari solet.—*Infimum*, infra quod intelligentes non solent judicare. —*Medium*, quod stat inter *summum* et *infimum*.

Contractus moatra *est*: ille quo quis mercem ab aliquo emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito vel implicito, ut ipsi eamdem retrovendat pretio minori, et numerata pecunia.

Venditio sub hasta est: quæ fit voce preconis, et in qua uniuscujusque licitatio sub datis regulis admittitur, ac ultimo licitanti res adscribitur.

Monopolium est: idem ac *venditio unius*.

Publicum monopolium est: privilegium a Principe concessum uni vel pluribus, ut soli quasdam merces vendere possint.

Monopolium privatum est: quod privata auctoritate inducitur. Et istud ordinarie *monopolii* nomine solet intelligi, et definitur: *Machinatio, qua unus vel plures ex industria efficiunt, ut soli quasdam merces vendant vel emant, statuto ab iisdem pretio.*

Permutatio est: contractus, quo partes contrahentes rem aliquam sibi vicissim dant ad aliam habendam.

Locatio-conductio est: contractus, quo quis, constituto pretio, se obligat vel ad concedendum alteri ad certum tempus alicujus rei usum, vel ad aliquam operam illiberalem pro ipso præstandam, pacta mercede.

Census est: contractus, quo quis obtinet jus pensionem annuam percipiendi ex re vel persona aliena frugifera.

Census reservativus est: contractus, quo censualista plenum rei suæ dominium censuario cedit, reservata sibi ex ea re annua pensione.

Census consignativus seu constitutivus est: contractus, quo censualista jus emit ad annuam illam pensionem mediante solutione pecuniæ.

Census realis est: ille, qui in re frugifera constituitur.

Census personalis est: ille quo pensio percipitur ex industria alienæ personæ.

Mixtus est: ille, qui in personam censuarii et in ejus bona simul constituitur, ita ut re pereunte, persona maneat obligata et creditor jus suum integrum servet.

Census redimibilis est: ille, qui redimi potest arbitrio censualistæ, vel censuarii vel utriusque.

Census irredimibilis est: ille qui a neutra parte extingui potest.

Census temporarius est: qui durat ad tempus vel *certum*, v. g. ad 10 annos; vel *incertum*, v. g. ad vitam alicujus, et tunc dicitur: *vitalitius*.

Census perpetuus est: qui ex se semper durat nisi redimatur.

Emphyteusis est: contractus bonæ fidei, quo res immobilis in perpetuum, vel ad longum tempus possidenda et fruenda traditur sub onere eam meliorem efficiendi, et domino annuum canonem præstandi. Hæc *vel* ecclesiastica est *vel* civilis: prout super bona, *vel* ecclesiastica *vel* civilia constituitur.

Contractus vitalitius est: quædam species census, qua quis pro certa pecunia summa vel etiam pro re tam mobili, quam immobili pretio æstimabili et censuario tradita, ab eodem sibi jus emit pensionem annuam recipiendi ex ipsa pecunia vel re usque ad finem vitæ propriæ, aut alterius in contractu indicati.

Pignus est: contractus bonæ fidei, quo a debitore vel alio illius nomine res aliqua traditur creditori in securitatem crediti sui. Si traditur res mobilis, habetur *pignus* simpliciter.—Si vero *immobilis* pignus est *improprium*, et a juristis appellari solet *anticheresis*.

Hypotheca est: jus creditoris in rem immobilem debitoris constitutum ad securitatem ejus, quod sibi debetur.

Hypotheca legalis est: quæ ab ipsa lege inducitur in favorem communitatum, uxoris, filii et minoris super bona administratorum, mariti, patris et tutoris.

Judicialis est: quæ procedit a tribunalis sententia, vel ab actibus judicialibus in illius gratiam, qui sententiam obtinuit contra eum, qui causa cessit.

Conventionalis est: quæ pendet a mutua contrahentium voluntate circa bona immobilia, et præsentia.

Cambium est: contractus quo fit permutatio pecuniæ pro pecunia cum aliquo lucro supra sortem.—Ille a quo petitur cambium, vocatur *campsor*, *bancharius*, *nummularius*, *trapezita*, *publicanus*. Ille vero qui petit, *campsarius* dicitur.

Cambium siccum seu fictum est: illud quo pecunia reapse non commutatur, sed fingitur commutari.

Reale seu verum est: illud in quo *vere* et *realiter* pecunia pro pecunia commutatur.—Quod si commutatur pecunia præsens pro præsenti habetur *cambium minutum*. Si vero commutatur pecunia præsens pro distanti, habetur *cambium locale*.

Transactio est: contractus, quo partes contrahentes finem imponunt liti alicui, quæ vel jam intra ipsas nata sit, vel quæ provideatur nascitura.

Transactio generalis est: quæ terminat una simul lites omnes, quæ inter partes existunt, vel existere possunt.

Particularis est: quæ non terminant nisi aliquam specialem litem.

Judicialis est: quæ fit mediante auctoritate judicis.

Extrajudicialis est: quæ non fit auctoritate judicis.

Societas est: contractus bonæ fidei, quo duo vel plures aliquid conferunt ad commune lucrum.

Societas universalis est: quæ respicit omnia bona præsentia, vel omnia lucra inde provenientia.

Societas particularis est: quæ respicit tantum res determinatas, aut earum usum vel fructus.

Societas particularis civilis est: quæ respicit actus privatorum civiles.

Societas particularis commercialis est: quæ respicit actus commercii.

Contractus trinus est: ille, in quo simul concurrunt contractus societatis, assecuratio sortis, et emptio lucri.

Mutuum est: contractus stricti juris, quo per traditionem transfertur dominium rei usu consumptibilis in alterum, cum obligatione tantumdem reddendi in eadem specie et bonitate post aliquod temporis spatium.

Mutuans vel mutuator est: qui mutuum dat.

Mutuatarius est: qui mutuum accipit.

Sors est: res quæ mutuo datur, et *capitale* constituit.

Usura est: lucrum ex mutuo proveniens immediate, seu vi ejusdem mutui.

Usura explicita seu formalis est: si expressa fiat conventio de illa solvenda.

Implicita seu virtualis est: cum mutuans nullam quidem init conventionem de lucro; sed sufficienter declarat aliquo suo actu, se illud expectare.

Palliata seu obtecta est: quæ continetur implicite in alio contractu.

Usura realis est: quæ percipitur ex aliquo pacto sive explicito sive implicito.

Usura mentalis est: quando ex mutuo desideratur, intenditur, speratur aliquid ut debitum et percipitur.

Usura mere mentalis est: quando sic intenta et sperata de facto non percipitur.

Montes pietatis sunt: cumulus pecuniarum pauperum gratia collectus, ex

quibus certa quantitas eisdem datur, tradito pignore et aliquando aliquo auctario.

Titulus, vi cujus aliquid exigi potest in mutuo est: ratio, cujus intuitu aliquid in mutuo exigitur.

Titulus mutuo intrinsecus est: qui ipsi ita inhæret, et ejus substantiam sic ingreditur, ut nequeat separari.

Titulus mutuo extrinsecus est: qui non semper et necessario illud comitatur.

Donatio est: liberalitas in alterum collata, *seu* liberalis traditio alicujus rei alteri facta actualiter ac irrevocabiliter, et ab eo acceptata.

Donans vel donator est: qui donationem facit.

Donatarius est: ille cui fit donatio.

Donatio propria est: illa, in qua est liberalitas omnino spontanea ex parte donatoris; actualis translatio absoluta et irrevocabilis rei dono traditæ in dominium donatarii; et acceptatio ipsius donatarii.

Donatio impropria est: quæ prædictis conditionibus non gaudet.

Donatio inter vivos est: illa, quæ fit absque ulla contemplatione mortalitatis; et qua donator vult rem dono traditam cito fieri propriam donatarii.

Donatio causa mortis est: quæ fit contemplatione et intuitu mortis, et qua donator vult rem dono indicatam non fieri propriam donatarii; nisi post mortem sui.

Donatio mere gratuita est: quæ procedit a sola donantis liberalitate.

Donatio remuneratoria est: quæ oritur ex animi gratitudine ob acceptum beneficium vel obsequium.

Donatio pura seu absoluta est: illa, qua aliquid simpliciter absque ulla limitatione vel conditione donatur.

Donatio non pura seu conditionata est: illa, quo aliquid non simpliciter sed sub certa aliqua conditione donatur.

Donatio inofficiosa liberis est: illa, quæ fit contra officium pietatis paternæ in filios.

Dos est: donatio ab uxore vel ab alio ejus nomine in maritum collata ad sustinenda onera matrimonii.

Dos æstimata est: quæ consistit in certa pecuniæ quantitate, vel in alia re quacumque, cui competat numerus, pondus atque mensura.

Dos inæstimata est: quæ consistit in aliqua re mobili vel immobili, quæ marito tradatur absque ejus valoris æstimatione.

Dos profectitia est: quæ a patre vel alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio, intuitu tamen patris datur.

Dos adventitia est: illa quæ nec a patre nec ab ascendente paterno, sed ab alio absque ullo intuitu patris datur.

Promissio est: liberalis, deliberata ac spontanea fidei datio exterius facta et acceptata de re possibili et honesta.

Promittens vel promissor est: qui promittit.

Promissarius est: ille, cui fit promissio.

Depositum est: contractus bonæ fidei, quo alteri res gratis custodienda traditur, ut quandocumque deponendi placuerit, eadem specie restituatur.

Depositor vel deponens est: ille, qui rem deponit.

Depositarius est: ille, cui res deposito datur.

Depositum voluntarium est: quod fit libero consensu.

Depositum necessarium est: cui dat causam casus peculiaris.

Sequestrum est: species depositi, qua res controversa deponitur apud tertium eo fine, ut post sententiam judicis vincenti tradatur.

Fidejussio est: contractus, quo unus vel plures in se suscipiunt obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit: eo tamen adhuc manente ligato.

Commodatum est: contractus bonæ fidei, quo res aliqua mobilis vel immobilis ad certum tempus et usum alicui gratis traditur, ut finito usu eadem species restituatur.

Commodans vel commodator est: ille, qui rem concedit.

Commodatarius est: ille cui res conceditur.

Precarium est: contractus, quo petenti conceditur res utenda, non ad certum tempus, sed donec concedenti ipsi libuerit.

Mandatum est: contractus bonæ fidei quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum gratis administrandum gerendumve suscipitur.

Mandator vel mandans est: qui mandat.

Mandatarius est: ille, cui datur mandatum.

Mandatum generale est: quod comprehendit omnia gerenda negotia.

Mandatum speciale est: quod aliquod tantum negotium, vel certa negotia comprehendit.

Sponsio est: contractus, quo duo vel plures de veritate et eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit qui veritatem fuerit assecutus.

Ludus est: contractus, quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori cessuro.

Sortitio est: contractus, quo omnes concurrentes quamdam pecuniæ summam tribuunt vel promittunt, ac dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.

Assecuratio est: contractus sortis, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit obligando seipsum sub certo pretio, et etiam aliquando gratis, ad illius compensationem, si forte perierit.

TRACTATUS VII

DISPUTATIO PRIMA. — De restitutione.

Restitutio est: actus justitiæ commutativæ, quo vel res accepta suo domino redditur, vel damnum injuste illatum compensatur.

Caput I — *De subjecto restitutionis.*

Subjectum restitutionis est: ipsa persona quam restitutio afficit: *activum* si est persona quæ ad restitutionem tenetur: et *passivum* si persona cui restitutio est peragenda.

Culpa theologica est: quæ spectatur pro foro conscientiæ et includit offensam Dei mortalem vel venialem.

Culpa juridica est: omissio diligentiæ illius, quam jura requirunt, seu qua damnum potuisset impediri; nec refert an peccatum includat.

Culpa juridica lata est: omissio illius diligentiæ quam homines ejusdem conditionis solent in talibus circumstantiis communiter adhibere.

Culpa juridica levis est: omissio illius diligentiæ, quam homines diligentiores et accuratiores adhibere solent.

Culpa juridica levissima est: omissio diligentiæ illius, quæ adhiberi non solet, nisi a diligentissimis atque accuratissimis.

Mandans in hac materia est: qui alterum inducit, ut suo nomine damnum inferat proximo.

Consulens est: qui consiliis, precibus, blanditiis alium movet ad damnum proximo inferendum.

Consentiens est: qui externa sua approbatione alium efficaciter movet ad damnum proximo inferendum.

Palpo est: qui laude, adulatione vel vituperatione alium inducit ad damnum proximo inferendum.

Recursus seu receptator est: qui præbet alteri securitatem, commoditatem et protectionem ad damnum proximo inferendum, vel ne illatum compenset.

Participans est: qui vel in præda, vel in ipsa actione damnificativa fit socius quoad damnum proximo irrogatum.

Mutus est: qui ante damnum tacet, et non monet, cum monere teneatur.

Non obstans est: qui dum fit damnum, illud non impedit, cum teneatur impedire.

Non manifestans est: qui post damnum, illud non denuntiat, cum debeat denuntiare.

Caput II — *De causis a restitutionis obligatione excusantibus.*

Impotentia physica in hac materia est: cum quis neque in re, neque in spe habeat, unde restituere possit.

Impotentia moralis est: cum quis absque magna difficultate restituere non possit.

Compensatio impropria est: debiti recuperatio inscio debitore facta.

Compensatio propria est: debiti et crediti inter se invicem contributio.

Compositio est: quando S. Pont. ita rem componit, ut unam partem debiti condonet debitori, et aliam impendat in pias causas.

DISPUTATIO SECUNDA — De restitutione in specie.

Caput I — *De bonis animæ et corporis.*

Bona spiritualia supernaturalia sunt: quæ conducunt ad salutem æternam.

Bona spiritualia naturalia sunt: quæ referuntur ad ipsam naturam humanam ejusque perfectiones.

Homicidium est: violenta occisio hominis facta ab homine.

Homicidium casuale est: quod contingit præter hominis intentionem.

Homicidium voluntarium est: quod contingit ex ipsa hominis intentione.

Homicidium qualificatum est: quod speciales circumstantias habet adnexas.

Homicidium simplex est: quod circumstantiis non est vestitum.

Bellum est: congressio vi et armis inter Principes, vel Respublicas superiorem minime agnoscentes.

Bellum defensivum est: quod fit ad propulsandam injuriam.

Bellum offensivum est: quod fit ad obtinendam satisfactionem pro injuria.

Suicidium est: se ipsum interficere.

Duellum est: pugna inter duos vel paucos privata auctoritate et ex condicto inita, cum periculo occisionis, vel mutilationis, vel vulneris.

Duellum solemne est: quod fit adhibita forma circa tempus et locum, assumptis etiam testibus vel patrinis.

Duellum simplex est: quod absque solemnitatibus exercetur.

Abortus est; ejectio fœtus immaturi.

Stuprum in hac materia est: illicita virginis defloratio.

Caput II — *De bonis famæ et honoris.*

Fama est: opinio publica de alterius excellentia.

Honor est: testificatio alienæ excellentiæ.

Dubitatio temeraria est: suspensio animi circa proximi bonitatem absque fundamento rationabili.

Suspicio temeraria est: assensus inchoatus, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad malum judicandum de proximo suo.

Opinio temeraria est: assensus in judicium, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad malum judicandum de proximo, sed infirmam, de opposito formidinem habens.

Detractio est: alienæ famæ injusta violatio et denigratio facta in ejus absentia.

Susurratio est: verbum seminans inter amicos discordias.

Contumelia est: læsio honoris alterius absque justa causa, quæ fit in ipsa ejus præsentia.

Secretum est: notitia rei occultæ.

Secretum naturale est: quod ab ipsa natura imponitur: *naturale simplex*, quod scitur ex alterius levitate vel casu: *naturale extortum*, quod de industria scitur.

Secretum commissum, seu *rigorosum*, est: quando quis alteri quidpiam manifestat, eidem committens silentium circa illud; vel *expresse*, si expressis verbis silentium committatur; vel *tacite*, si ab ipsa rei manifestatæ natura id deducatur.

Secretum promissum est: quando non modo qui rem manifestat silentium exigit; sed etiam quando accipiens illam notitiam silentium promittit.

Libellus infamatorius est: scriptura vel signum ad aliquem publice infamia aspergendum.

Caput III — *De bonis fortunæ.*

Furtum est: ablatio occulta et injusta rei alienæ domino rationabiliter invito.

Furtum simplex est: quod non habet aliam malitiam specie distinctam ab ipsa malitia furti.

Furtum qualificatum est: quod habet malitiam peculiarem sibi adjunctam ex aliqua circumstantia speciali.

Sacrilegium est: furtum rei sacræ, vel rei profanæ patratum in loco sacro.

Peculatus est: quando aufertur pecunia vel res ad Fiscum Principis aut Reipublicæ pertinens.

Plagium est: surreptio servi alieni vel etiam hominis liberi.

Abigeatus est: abductio animalium e grege alieno.

Appendix — *De Justitiæ filiabus ac cæteris virtutibus cardinalibus.*

Caput I — *De justitiæ filiabus.*

Pietas late sumpta est: vitæ bonitas et morum integritas.

Pietas stricte accepta est: virtus moralis, qua bono animo afficimur in parentes atque in patriam nostram.

Observantia est: virtus moralis, qua personis dignitate præstantibus debiti honoris signa et reverentiæ argumenta deferimus.

Obedientia est: virtus moralis, quæ reddit promptam hominis voluntatem ad exequendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis.

Obedientia civilis est: ea qua populi Principi et Magistratibus subjiciuntur, legesque servant ad commune civium bonum promulgatas.

Obedientia ecclesiastica est: illa per quam fideles in rebus ad Religionem pertinentibus obtemperant Sacerdotibus atque Prælatis.

Obedientia domestica est: illa, qua uxores maritis, filii parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus parent.

Obedientia sacramentalis est: ea, per quam fideles in sacramento Pœnitentiæ subjacent et obediunt proprio Confessario.

Contumacia seu *inobedientia* est voluntas agendi contra præceptum superioris.

Veracitas est: virtus, quæ id sibi propositum habet, ut in significandis nostris cogitationibus res enuntiemus cujusmodi sunt, vel cujusmodi esse putamus.

Mendacium est: locutio vel significatio contra mentem.

Mendacium jocosum est: quod patratur ob nostram vel aliorum voluptatem; *officiosum* quod patratur ob nostram vel aliorum utilitatem; — *perniciosum* quod patratur in injustam alterius damnificationem.

Gratitudo seu gratia est: virtus quæ tum beneficiorum, quibus affecti sumus memoriam retinet, tum iisdem remunerandi voluntatem habet.

Egoismus est: vel acceptum beneficium dissimulare, vel non æstimare satis, vel vituperare, vel habere pro maleficio.

Benevolentia est: illa animi affectio, qua aliis bonum volumus et optamus.

Amicitia est: mutuus, manifestus et gratuitus amor inter aliquas personas, quæ sibi invicem bene volunt, et se mutuo bonis cumulare desiderant.

Liberalitas est: virtus, quæ docet ordinem ad rectæ rationis tramites servandum in largiendis pecuniis et rebus omnibus, quæ solent pecunia æstimari.

Affabilitas est: virtus, qua quis in convictu et in omni vitæ consuetudine facilem se aliis exhibere, et iisdem, ut decet, obsequi studet.

Comitas est: virtus, quæ servat decorem in jocis.

Scurrilitas est: insulsa quædam et molesta dicacitas, sæpe etiam odiosa; qua ordo, modus et decorum omne in jocis ludisque pervertitur.

Rusticitas est: vitium quo nec festivitate jocorum nec conversationis jucunditate quis delinitur; ita ut nec facetum quid umquam is dicat, nec eos qui dicunt ferre possit.

Urbanitas est: in animo bene constituto et exculto Religionis præceptis et exercitatione virtutum.

Caput II — *De cæteris virtutibus cardinalibus.*

Prudentia est: animi habitus vera cum ratione actiones dirigens in iis, quæ sunt homini bona vel mala.

Prudentia monastica seu privata *est:* quæ dirigit hominem in actionibus, quæ eum directe et solum afficiunt, ut nihil temere aut inconsiderate operetur.

Prudentia œconomica seu domestica *est:* quæ hominem moderatur in actibus, qui respiciunt domum atque familiam.

Prudentia politica seu civilis *est:* quæ regit actiones quæ pertinent ad Rempublicam.

Præcipitatio seu temeritas est: cum quis non ex rectæ rationis præscripto, sed ex affectus sui impetu deliberat et opus aggreditur.

Inconstantia est: cum quis leves ob causas a recta sententia recedit, ut aliam arripiat.

Inconsideratio est: cum quis sine debita attentione de mediis ad finem accommodatis judicium suum emittit.

Negligentia est: cum quis debitam in rebus deliberandis et peragendis sollicitudinem non adhibet.

Fortitudo est: virtus perficiens hominem, ut in ordine rationis humanæ et legis divinæ consistat ea repellendo, quæ ordinem eumdem pervertere valeant.

Timiditas est: fuga malorum, quibus pro loco et tempore quis se objicere debet.

Intimiditas est: defectus timoris justi.

Audacia est: inconsiderata periculorum susceptio.

Temperantia stricte sumpta est: virtus moralis, quæ secundum rectam rationem et legem divinam moderatur appetitum, et usum earum rerum, quæ sensuum delectationes pariunt, uti gustus, odoratus et tactus.

Modestia est: virtus, quæ exteriores hominis actiones et corporis ornatum ita moderatur, ut nullius offendat aspectum.

Humilitas est: virtus firmans voluntatem, ne inordinate extollatur, seu ne succumbat amori inordinato propriæ excellentiæ.

Studiositas est: virtus quæ affectum seu studium discendi, et cognoscendi ad rectos rationis tramites moderatur ac temperat.

Eutrapelia est: virtus, quæ tota in amænitate versatur, temperans videlicet jocos et ludos secundum rectam rationem.

Ornatus atque simplicitas est: virtus, quæ externum corporis cultum ad decoris et honestatis regulas moderatur ac regit.

Virginitas est: firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus venereis voluptatibus.

FINIS DEFINITIONUM VOL. 1.

TRACTATUS OCTAVUS

DE

Virtutibus Theologicis.

PRELUDIUM.

Virtus theologica est: virtus infusa, quæ pro objecto suo immediato habet Deum uti auctorem gratiæ et gloriæ. Seu cum S. Augustino: *bona qualitas seu habitus mentis, quo recte vivitur, et quem Deus in nobis sine nobis operatur.*

DISPUTATIO PRIMA—De fide.—Caput. I—*De Fidei natura ac divisione.*

Fides est: virtus theologica divinitus infusa, qua libero ac pio voluntatis affectu iis omnibus firmiter assentimur, quæ Deus revelavit et quæ Ecclesia credenda proposuit ob Dei ipsius veracitatem. Seu cum Apostolo: *sperandarum substantia verum, argumentum non apparentium.*

Fides habitualis est: habitus supernaturaliter infusus permanenter habilitans ad actus fidei eliciendos.

Fides actualis est: actualis, firma ac supernaturalis adhæsio rebus revelatis, et ab Ecclesia ad credendum propositis.

Fides explicita est: illa qua fidei articuli distincte et in se ipsis creduntur.

Fides implicita est: illa qua assentimur generatim et conglobatim iis omnibus, quæ a Deo revelata sunt, et ab Ecclesia vel jam proposita vel proponenda.

Credibilitas fidei est: evidentia illa, propter quam nos rebus revelatis assensum nostrum exhibemus.

Symbolum est: summa capitum fidei, quæ omnibus credenda proponuntur.

Caput IV — *De vitiis et peccatis fidei oppositis.*

Infidelitas est: carentia fidei.

Infidelitas pure negative est: quando carentia fidei accipitur secundum puram negationem, ita ut quis dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem.

Infidelitas privativa est: quando carentia fidei accipitur secundum negligentiam, vel ignorantiam, vel errorem culpabilem circa res fidei.

Infidelitas positiva, seu contraria est: quando carentia fidei accipitur se-

cundum contrarietatem ad eamdem fidem, quia aliquis repugnat auditui fidei, aut ipsam contemnit.

Paganismus est: infidelitas illius, qui neque in re, neque in figura fidem suscepit.

Polytheismus est : infidelitas illius, qui plures Deos tenet.

Atheismus est: infidelitas illius, qui nullum Deum tenet.

Deismus est: infidelitas illius, qui unum Deum tenet, sed omnem revelationem rejicit.

Naturalismus est : infidelitas illius, qui unum Deum tenet, et ei cultum tribuere prætextat, quem sola natura suggerit.

Mahumetismus est: religio Mahumedis, qui licet unum Deum creatorem fateatur, plurima tamen rectæ rationi contraria ac honesto homini indigna tradit in putido suo Alcorano.

Judaismus est: infidelitas illius, qui fidem suscepit in figura sed non in re.

Hæresis est : error intellectus pertinax contra aliquod fidei dogma in eo, qui fidem suscepit.

Hæresis formalis est : error voluntarius et pertinax circa aliquam veritatem catholicam.—*Materialis est* ea, qua quis aliquid credit fidei quidem contrarium, sed tale esse omino ignorat.

Hæresis mere interna est: quæ ita latet in mente, ut nullo signo externo manifestetur ;—*mere externa est:* quæ tota exterius est, et per eam aliquis ore, vel facto negat fidem, quam tamen corde adhuc retinet:—*interna et externa simul est :* quæ et adest in mente et externe etiam manifestatur.

Hæresis externa occulta est: quæ nemini aut paucis innotescit;—*externa manifesta est*: quæ patet compluribus.

Disputatio de rebus fidei formalis est: quæ instituitur ad defendendum aliquod dogma adversus eos, qui illud inficiantur.

Disputatio materialis de rebus fidei est : quæ meræ exercitationis gratia fit inter eos ipsos qui credunt.

Disputatio formalis de rebus fidei publica est: quæ fit publice et coram populo :—*privata*, quæ fit private et inter privatas personas nemine aut paucis audientibus.

Apostasia a fide est: totalis defectio, seu recessus a fide Christiana per Baptismum suscepta.

Apostata ab obedientia est: qui justis superiorum præceptis obedire recusat:—*ab ordine* : qui SS. Ordinibus initiatus deserit habitum clericalem, ut more laicorum procedat et vivat;—*a Religione*, qui emissa jam professione, sine licentia recedit a statu religioso.

Rationalismus est : conatus eorum, qui præpostero sane et fallacissimo argumentandi genere numquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare, et extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant eam humanæ refragari rationi.

Progressismus ut est fidei impedimentum est : ea insania quorumdam, qui divinæ Revelationi bello indicto, *humanum progressum* summis laudibus efferunt, et hunc in Religionem ipsam Catholicam ausu sacrilego inducere nituntur, perinde ac si fides nostra non Dei, sed hominum opus esset,

aut philosophicum inventum, quod humanis modis provehi, ac perfici possit.

Massonismus est: complexio omnium et singularum sectarum illarum clandestinarum (quocumque tandem nomine nuncupentur, cum in more habeant nomen sibi in dies diversum imponere) quarum scopus est divinam Ecclesiæ auctoritatem, et leges acerrime oppugnare, legitimam Principum etiam sæcularium potestatem evertere, omnia uno verbo tum sacra tum civilia jura conculcare, sicque reipublicæ tam politicæ quam religiosæ exitium moliri ac promovere.

Biblismus, seu societates biblicæ sunt: quædam hominum societates, quæ veterum hæreticorum artem renovantes contra Ecclesiæ regulas libros sacræ Scripturæ vulgaribus quibusque linguis translatos, et sæpe etiam perversis explicationibus præditos non cessant ubicumque possint obtrudere incredibili exemplorum numero, et etiam rudioribus gratuito elargiri, vel minimi vendere.

Indiferentismus religiosus est: illud quorumdam systema, qui in Religionis negotio faciunt unicuique amplam libertatem, ut quæ sibi verior sententia visa fuerit, eam amplectatur et teneat.

DISPUTATIO SECUNDA—De Spe.

Caput I — *De spei natura, divisione et objecto.*

Spes est: virtus theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam, et ejus media per auxilium Dei spectamus.

Spes habitualis est: habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ elicitus, qui perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel præsumptionis non expellatur.

Spes actualis est: quæ actus elicit, quibus æternam beatitudinem expectamus.

Spes viva seu *formata est:* quæ cum gratia sanctificante conjungitur, et invenitur in solis justis.

Spes mortua seu *informis est:* quæ caret gratia sanctificante, et ideo esse potest etiam in peccatoribus.

Caput III — *De vitiis Spei oppositis.*

Desperatio est: diffidentia de obtinendo Deo, aut æterna salute; vel de obtinenda venia peccatorum, aut auxilio ad emendationem vitæ necesario.

Præsumptio est: fiducia obtinendæ beatitudinis, vel propter merita propria, vel absque cooperatione sua propter merita Christi.

DISPUTATIO TERTIA.—De charitate.

Dilectio est: amor cum electione unius boni præ alio.

Charitas est: amor alicujus boni, quod ratione sui magni æstimatur.

Amicitia est: amor cum redamatione.

Amor Dei naturalis est: ille, quo Deus ut auctor naturæ amatur.

Amor Dei supernaturalis est: ille, quo Deus amatur ut auctor gratiæ et gloriæ.

Caput I — *De charitatis natura, divisione et objecto.*

Charitas est: virtus Theologica a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se et super omnia, cætera autem propter ipsum Deum.

Charitas habitualis est: habitus divinitus infusus actuum charitatis, permanenter habilitans ad actus ipsos eliciendos.

Charitas actualis est: ipse motus animi ad fruendum Deo propter ipsum et se, atque proximo propter Deum.

Charitas appretiativa est: qua Deus omnibus creaturis præfertur.

Charitas intensiva est: quæ non solum diligit Deum super omnia, sed insuper quadam voluntatis vehementia, et cordis conatu quosdam elicit fervoris gradus erga ipsum.

Charitas affectiva est: quæ in corde tantum sistit.

Charitas effectiva est: quæ etiam in operas erumpit.

Proximus est: ille qui est capax beatitudinis supernaturalis.

Eleemosyna est: opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.

Correctio fraterna est: admonitio, qua quis conatur ex charitate alium revocare a peccato.

Caput II — *De vitiis charitati oppositis.*

Odium generatim sumptum est: actus mentis objectum aliquod aversantis.

Discordia (ut opponitur charitati) est: dissensio voluntatis circa bonum Dei et proximi, in quo tenemur ex charitate consentire.

Contentio est: pugna verborum.

Schisma est: voluntaria separatio ab unitate Ecclesiæ.

Rixa est: bellum quoddam privatum, in quo rixantes ex ira se percutere nituntur.

Seditio est: tumultuosa aggressio unius partis Reipublicæ contra aliam, vel Principem.

Scandalum est: dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, et hoc est quod vocatur scandalum *activum*.

Scandalum passivum est: ipsa ruina spiritualis, seu peccatum, in quod occasione illius dicti vel facti minus recti proximus labitur.

Scandalum activum directum est: quando quis dicto suo vel facto minus recto spiritualem alterius ruinam intendit, sive intendat *formaliter* et *per se*, sive *materialiter* et *per accidens*.

Scandalum activum indirectum est: quando quis non intendens ruinam proximi, aliquid dicit, vel facit in proprium commodum, quod est alteri occasio peccati.

Scandalum passivum datum, quod etiam dicitur pusillorum *seu* infirmorum

est: quod oritur ex scandalo activo ob infirmitatem, vel ignorantiam peccantis.

Scandalum passivum acceptum, quod etiam dicitur pharisaicum *est*: quod oritur non ab activo, sed unice ex malitia peccantis.

Cooperatio formalis ad peccatum est: illa quæ concurrit ad malam voluntatem alterius et in illam influit.

Cooperatio materialis ad peccatum est: illa quæ concurrit tantummodo ad malam actionem alterius, sed præter intentionem cooperantis.

Censura Theologica est: sententia qua notatur et damnatur læsio virtutum Theologicarum et maxime fidei.

Censura doctrinalis est: quæ a viris doctis quidem, sed nullam habentibus auctoritatem divinitus sibi concessam judicandi, fertur.

Censura judicialis est: quæ fertur ab iis, qui divinam habent auctoritatem de fide judicandi, nempe 1, a Pontifice totam Ecclesiam docente, vel a Concilio generali; 2, ab Episcopis sive in Diœcesi, sive in particularibus Conciliis.

Propositio hæretica est: quæ dogmati revelato, et ab Ecclesia proposito directe opponitur; — *erronea et hæresi proxima est*: quæ adversatur propositioni fidei proximæ, id est propositioni mediate revelatæ, et certæ certitudine Theologica; — *suspecta hæresis vel erroris est:* quæ ex terminorum ambiguitate, vel ex circumstantiis sive temporis, sive personæ loquentis, adhibetur vel adhiberi potest ad hæresim, vel errorem occulte disseminandum; — *hæresim vel errorem sapiens est*: quæ de hæresi vel errore suspecta est, vel quæ ab hæresi vel errore nonnisi futili evasione vindicari potest; — *impia est*: quæ pietati et religioni christianæ adversatur; — *periculosa est:* quæ licet speculative sit vera, ob varias circumstantias dat locum timendi, ne in praxi hæresim, errorem, aut peccatum foveat; — *perniciosa est*: quæ licet speculative sit vera, tamen communius et frequenter in praxi hæresim, errorem, aut peccatum fovet; — *seductiva est*: quæ fideles incautos sub specie pietatis a sana doctrina retrahere conatur; — *piarum aurium offensiva est*: quæ, etsi a doctis in bono sensu accipiatur, ab aliis ob ignorantiam, vel timoratam conscientiam, in sensu parum religioni congruente intelligitur, et tristantur de illa; — *male sonans est*: quæ, licet verum sensum pati possit, ex propria tamen verborum significatione pravum videtur habere; — *captiosa est*: quæ sub specie veritatis in errorem potest inducere; — *temeraria est*: quæ in materiis Theologicis, vel cum fundamento insufficienti ex ratione aut auctoritate petito, vel pugnante communi Patrum et Theologorum sententiæ, asseritur; — *schismatica est:* quæ paci et unitati Ecclesiæ adversatur, fideles retrahendo ab obedientia, et reverentia superioribus ecclesiasticis debita; — *antiquata est*: quæ antiquitus admittebatur uti probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed nunc licet non expresse damnata, est tamen incompossibilis cum novo Decreto R. Ecclesiæ.

TRACTATUS IX.

DISPUTATIO PRIMA. — De sacramentis in genere.

Caput I — *De nomine, natura, necessitate, existentia, et auctore Sacramentorum.*

Sacramentum est: signum sensibile, sacrum et permanens interioris gratiæ a Christo Domino institutum, ad nostram sanctificationem.

Caput II — *De partibus Sacramentorum, seu de materia et forma.*

Materia Sacramentorum est: id quod jam præexistens assumitur ad Sacramentum conficiendum.

Forma Sacramentorum sunt: verba quæ materiam de se indifferentem determinant ad esse Sacramenti.

Materia remota Sacramentorum est: ipsa res externa et sensibilis, ex qua Sacramentum conficitur: — *proxima est*: illa ipsa actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto Sacramentum suscipienti: — *certa est:* quam certo constat esse reapse illam ipsam rem sensibilem, quam Christus determinavit; — *dubia est*: ea de qua dubitatur, utrum reapse sit illa, quæ pro dato Sacramento constituta est; — *essentialis est*: quæ ad validitatem Sacramenti pertinet; — *accidentalis est*: quæ ad majorem tantum significationem aut reverentiam pertinet.

Forma Sacramentorum absoluta est: quæ verbis puris et absolutis enuntiatur; — *conditionalis est*: cui adnectitur aliqua conditio; — *certa est*: quæ facit certum Sacramentum; — *dubia est*: quæ dubium facit Sacramentum; — *substantialis est*: quæ requiritur necessario ad valorem; — *accidentalis est*: quæ non necessario requiritur ad valorem; — *deprecativa est*: quæ profertur deprecando; — *imperativa est*: quæ profertur imperando; — *indicativa est:* quæ indicando profertur.

Caput III — *De Sacramentorum ministro.*

Minister ordinarius est: qui per legitimam ordinationem, ideoque munere proprio, ac vi dignitatis suæ Sacramenta conficit.

Minister extraordinarius est: qui aliquando conficit Sacramenta, sed solum vel ob peculiare privilegium, vel ob specialem delegationem, vel ob urgentem necessitatem.

Intentio est: deliberata voluntas saltem faciendi quod facit Ecclesia per illum ritum.

Intentio in genere est: actus voluntatis tendentis ad finem per media.

Intentio actualis est: cum minister hic et nunc actu suo intendit seu vult Sacramentum conficere; — *habitualis est*: cum minister habuit quidem jam prius intentionem actualem, neque illam revocavit, sed modo de illa amplius non cogitat, neque ea in aliquo suo effectu amplius permanere censе-

tur :—*interpretativa est*: cum minister nullam quidem nec habuit nec habet intentionem actualem; sed ita dispositus est, ut si adverteret, eam haberet profecto;—*virtualis est*: cum minister, etsi hic et nunc non intendat *actualiter* (quia alio mente sua distractus) Sacramentum conficere; agit tamen sola virtute intentionis actualis jam habitæ, quæ censetur perseverare et in ipsam actionem directe influere.

Intentio mimica est: qua quis jocose agit, interius nempe exteriusque deridendo;—*seria est*: quæ joco ac derisione caret.

Intentio seria, adæquata et explicata est: qua minister expresse intendit Sacramentum, vel ejus effectus puta gratiam et characterem producere;—*inadæquata seu implicita est*: qua minister nihil expresse intendit per se; sed tantum vult facere, quod tali ritu intendit Ecclesia, se videlicet intentioni Ecclesiæ conformando, licet Sacramenti effectus ignoret.

Intentio seria sed tantum externa est: quando solum in ritu externo minister se conformat Ecclesiæ, id est serio perficit quod facit Ecclesia, sed intus non vult, quod intendit Ecclesia ipsa.

Caput IV—*De subjecto Sacramentorum.*

Sacramentorum subjectum est: solus homo viator.

Caput V—*De Sacramentorum cæremoniis et effectibus.*

Character Sacramentalis est: signum spirituale et indelebile, per quod homo christianus distinguitur ab aliis; et fit idoneus ad nonnulla, quæ sunt cultus divini.

Cæremoniæ Sacramentorum sunt: ritus illi, qui ex Ecclesiæ institutione solent in Sacramentorum celebratione adhiberi.

Sacramentalia sunt: cæremoniæ quædam ab Ecclesia inductæ, ut ad instar Sacramentorum res sacras significent, et pie adhibitæ plurimum afferant spiritualis utilitatis.

DISPUTATIO SECUNDA—De sacramento Baptismi.

Caput I — *De nomine, natura, institutione et necessitate Baptismi.*

Baptismus est: Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominum regenerationem quæ fit per ablutionem aquæ, et cum expressa SS. Trinitatis invocatione.

Caput II — *De materia et forma Baptismi.*

Materia remota baptismi est: aqua naturalis: *proxima*: ablutio ipsa.

Forma baptismi in his verbis consistit: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Variatio substantialis in forma habetur: quando non amplius existit substantia verborum quæ præscripta sunt: *accidentalis:* quando sensus adhuc remanet quoad substantiam.

Caput III—*De Baptismi Ministro.*

Minister Baptismi ordinarius est: qui jure ordinario cum cæremoniis ab Ecclesia præscriptis baptizat.

Minister Baptismi extraordinarius est: qui solemniter baptizat; sed ex delegatione tantum.

Minister Baptismi necessitatis est: qui in casu necessitatis baptizat, cæremoniis omissis.

Caput IV—*De Baptismi subjecto.*

Subjectum Baptismi est: omnis et solus homo vivus ab Adamo descendens, et nondum baptizatus.

DISPUTATIO TERTIA—De sacramento Confirmationis.

Caput I—*De natura, institutione, necessitate, materia et forma Confirmationis.*

Confirmatio est: Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum, quo per manuum impositionem et sacri Chrismatis in fronte unctionem, sub præscripta forma, Baptizatis additur robur tam ad firmiter credendum, quam ad fidem ipsam constanter fortiterque propugnandam.

Materia remota Confirmationis est: Chrisma confectum ex oleo olivarum et balsamo, benedictum ab Episcopo. *Proxima consistit*: in Chrismatis unctione quam agit Episcopus in fronte confirmandi; ac etiam in simultanea illa manus impositione super chrismandum quando dicit: *signo te signo crucis etc.*

Caput II—*De Ministro et subjecto Confirmationis.*

Minister ordinarius Confirmationis est: solus Episcopus: *extraordinarius est:* simplex Sacerdos ex speciali Summi Pontificis delegatione.

Subjectum Confirmationis sunt: omnes et soli baptizati nondum confirmati.

DISPUTATIO QUARTA—De Eucharistia.

Pars prima.—De Eucharistia prout est Sacramentum.

Caput I—*De natura Eucharistiæ.*

Eucharistia prout Sacramentum est: Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino ad cœlestem animarum nostrarum alimoniam institutum, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter et substantialiter sub speciebus panis et vini continetur.

Transubstantiatio est: conversio totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini.

Caput II—*De materia et forma Eucharistiæ.*

Materia Eucharistiæ est: panis triticeus, et vinum ex vite.

Forma Eucharistiæ pro consecratione panis est: hoc est enim corpus meum.

Forma Eucharistiæ pro consecratione calicis est: hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Verba essentialia pro consecrando pane sunt: hoc est corpus meum.

Verba essentialia pro consecratione calicis sunt: hic est calix sanguinis mei. *Sunt qui requirunt etiam sequentia*: novi et æterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Caput III — *De Ministro et subjecto Eucharistiæ.*

Minister consecrationis in Eucharistia est: solus Sacerdos.

Distributionis ordinarius Minister est: solus Sacerdos: *extraordinarius est*: Diaconus in aliquibus casibus.

Subjectum Eucharistiæ est: omnis et solus homo viator, et baptizatus.

PARS SECUNDA — De eucharistia ut est sacrificium.

Caput I — *De Eucharistici Sacrificii natura et ministro.*

Sacrificium est: oblatio rei sensibilis facta soli Deo per ministrum legitimum cum aliqua destructione vel immutatione, ad testandum supremum dominium Dei ipsius in omnes creaturas.

Minister Sacrificii Eucharistici primus et præcipuus est: Christus: post Christum autem veri ministri sunt tantum Sacerdotes.

Reductio Missarum est: imminutio quædam numeri Missarum celebrandarum per legitimam auctoritatem.

Caput III — *De subjecto et applicatione Sacrificii Eucharistici.*

Nomine subjecti Sacrificii Eucharistici intelliguntur: ii omnes quibus hoc sacrificium applicari potest. Jam vero certum est regulariter offerri posse pro omnibus omnino fidelibus baptizatis viventibus licet peccatoribus.

Applicatio est: determinatio personæ, in cujus utilitatem Sacerdos vult, ut sacrificium cedat.

TRACTATUS X —De sacramento pœnitentiæ et extremæ unctionis.

DISPUTATIO PRIMA — De sacramento pœnitentiæ.

Pœnitentia prout virtus est: virtus moralis infusa inclinans peccatorem ad detestationem et dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis ac satisfactionis proposito.

CAPUT I — *De Sacramenti Pœnitentiæ natura, necessitate, institutione etc.*

Pœnitentia uti Sacramentum est: Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum, quo homini baptizato, contrito, confesso, et satisfactionem spondenti per Sacerdotis absolutionem peccata post Baptismum commissa remittuntur.

CAPUT II — *De Sacramenti Pœnitentiæ materia.*

Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: sunt peccata omnia post baptismum commissa; *materiam liberam* constituunt peccata venialia, et *proxima est constituenda*: in tribus pœnitentis actibus, contritione, confessione et satisfactione.

Contritio generatim est: animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.

Timor est: motus animi malum aliquod sibi imminens refugientis.

Propositum est: volitio absoluta, qua nempe pœnitens vult ac statuit de cætero se non peccare.

Confessio Sacramentalis est: accusatio propriorum peccatorum post Baptismum commissorum, legitime facta sacerdoti competenti, ad eorum remissionem virtute clavium Ecclesiæ obtinendam.

Integritas confessionis materialis est: accusatio omnium peccatorum mortalium, quorum pœnitens reus est.

Integritas formalis confessionis est: accusatio mortalium, quorum post diligens examen, pœnitens sibi conscius est, et quæ hic et nunc spectatis circumstantiis confiteri tenetur.

Satisfactio Sacramentalis est: punitio sui ipsius a Confessario in Pœnitentiæ sacramento injuncta, et voluntarie a pœnitente suscepta, tam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, quam ad redimendam pœnam graviorem per idem peccatum promeritam.

Indulgentia est: remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis post Baptismum commissis, facta a superiore legitimo, extra Sacramentum, per applicationem thesauri Ecclesiæ.

Jubilæum est: indultum pontificium, quo et plenaria indulgentia et certa privilegia conceduntur definita opera exequentibus.

CAPUT III — *De forma Sacramenti Pœnitentiæ.*

Forma Sacramenti Pœnitentiæ continetur in his verbis: ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Peccati occasio est: objectum qualecumque extrinsecum in quo peccandi periculum contineatur.

Occasio remota est: in qua constituti homines ut plurimum non peccant.

Occasio proxima est: in qua constituti homines ut plurimum peccare solent.

Occasio proxima per se est: in qua, inspecta communi hominum fragilitate, omnes ut plurimum, peccant.

Occasio proxima per accidens et respective est: quæ relate ad talem personam est aptissima ad eam in peccatum inducendam.

Occasio præsens et in esse est: quam homo semper aut fere semper secum habet, quin eam actu quærat.

Occasio absens et non in esse est: quam homo non semper secum habet, sed eam studiose debet inquirere.

Occasio voluntaria est: quæ pendet a voluntate.

Occasio necessaria est: quæ non pendet a voluntate.

Periculum peccandi formale est: quod proxime conjungitur cum peccato.

Periculum peccandi materiale est: quod cum peccato non est proxime conjunctum, sed tantum remote.

Consuetudinarius, seu habituatus in peccato est: ille, qui frequenter lapsus est in peccata, de quibus tamen nondum fuit confessus.

Recidivus est: ille qui post confessionem in easdem culpas eodem vel fere eodem modo relapsus est.

Caput IV — *De Sacramenti Pœnitentiæ ministro.*

Confessarii approbatio est: juridicum testimonium, quo Episcopus fidem facit, se talem Sacerdotem judicare idoneum ad sacramentales fidelium confessiones in sua Diœcesi audiendas.

Jurisdictio confessarii est: potestas illa, qua Sacerdos in subditum fert sententiam, in foro tamen conscientiæ: *ordinaria*, si ei competit ratione officii; *delegata* si ei vel tacite vel expresse legitime conferatur ab habente ordinariam.

Reservatio casuum est: limitatio jurisdictionis alicui concessæ pro excipiendis fidelium confessionibus.

Casus reservati sunt: quædam crimina atrociora, quorum absolutionem concedere nequit, qui communi dumtaxat jurisdictione et approbatione præditus est: neque ipse Pœnitentiarius Cathedralis Ecclesiæ, quamvis in tota Diœcesi cæteroquin valeat vi potestatis suæ confessiones excipere.

Peccatum turpe est: omne peccatum externum, grave, certum et formale contra sextum Decalogi præceptum.

Sollicitatio est: provocatio ad res venereas facta a Confessario sub datis clausulis.

Disputatio Secunda — De extrema unctione.

Extrema Unctio est: Sacramentum N. L. ex olei benedicti unctione et Sacerdotis oratione constans, a Christo D. N. institutum, per quod homini christiano graviter infirmo salus animæ confertur, et etiam sanitas corporis, si saluti animæ expedierit.

Extremæ Unctionis materia remota est: oleum ex olivis expressum et spe-

ciali benedictione ab Episcopo consecratum: *materia proxima est*: unctio quæ fit infirmis cum tali oleo.

Forma Extremæ Unctionis est: per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, *dum unguntur oculi;* per auditum etc.

Minister Extremæ Unctionis est: solus et quilibet Sacerdos *quantum ad validitatem*: *quantum ad liceitatem*, solus pastor.

Caput IV — *De subjecto Extremæ Unctionis.*

Subjectum Extremæ Unctionis est: homo baptizatus, infirmus qui peccati capax aliquando fuerit.

TRACTATUS XI — De sacramento ordinis.

Præludium — *De Hierarchia Ecclesiastica.*

Hierarchia Ecclesiastica est: potestas pluribus gradibus distributa, a Christo Domino instituta, ac suis Apostolis et eorum successoribus tributa, ut Ecclesiam regerent, et divina Religionis mysteria in ea celebrarent atque distribuerent.

Caput I — *Re Ordinationis nomine, natura et ordinum numero institutione.*

Ordo est: Sacramentum Novæ Legis, quo ordinato traditur potestas spiritualis in ordine ad Eucharistiam: *Ordinatio*: actio illa, qua homo in hujusmodi statum, et dignitatem ministerii sacri cooptatur.

Tonsura est; ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus baptizatus et confirmatus tonsione capillorum in clerum adsciscitur.

Ostiariatus est: primus Ordo inter minores, quo ordinato confertur potestas aperiendi et claudendi januas Ecclesiæ, et admittendi dignos, atque excludendi indignos.

Lectoratus est: secundus Ordo inter minores, quo ordinato confertur potestas legendi extra Missam, in Ecclesia tamen, Scripturas sanctas, et populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei.

Exorcistatus est: tertius Ordo, quo ordinato confertur spiritualis potestas imponendi manus super energumenos, et invocandi super eos nomen Domini ad compescendos dæmones, eosque ab humano corpore expellendos.

Acolytatus est: ultimus inter minores Ordines, quo ordinato confertur potestas accendendi Ecclesiæ luminaria, ferendi candelabrum accensum ad altare, parandi urceolos cum vino et aqua pro Missæ sacrificio, et ministrandi Diacono et Subdiacono in Missa solemni.

Subdiaconus est: primus Ordo inter majores, quo ordinato tribuitur spiritualis potestas præparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, legendi Epistolam et inserviendi Diacono in solemni Missæ sacrificio.

Diaconatus est: Ordo, quo traditur ordinato potestas spiritualis proxime

inserviendi Episcopo, vel Presbytero sacra facienti, et canendi Evangelium in Missa solemni.

Presbyteratus seu Sacerdotium est: Ordo, quo candidato traditur potestas spiritualis tum consecrandi et ministradi corpus et sanguinem Christi, tum remittendi et retinendi peccata fidelium.

Episcopatus est: Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas specialis confirmandi, ordinandi, de fide judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

Caput II — *De Sacra Ordinationis Ministro.*

Minister ordinarius Ordinationis est: solus Episcopus: *legitimus est*: proprius Episcopus vel alius de ejus licentia.

Caput. II — *De Ordinationis subjecto..*

Subjectum Ordinationis est: homo baptizatus et cum intentione si de adultis sit sermo.

Divina vocatio ad Ordines est: actus providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis eligit ad ministerium ecclesiasticum, eosque congruis dotibus præparat ad ejusdem ministerii officia digne et laudabiliter obeunda.

Titulus ad Ordines est: jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam, pro honesta Clerici sustentatione.

Caput IV — *De Ordinum impedimentis seu de irregularitate.*

Irregularitas est: impedimentum canonicum, quo quis directe et primario interdicitur a susceptione Ordinum, ac consequenter ab eorum usu: *totalis est*: quæ reddit inhabilem ab omnem Ordinem suscipiendum, atque ad omne Ordinis jam suscepti exercitium: — *partialis*: qua aliquo tantum Ordinis ministerio, aut solo ascensu ad Ordines superiores privat: — *ad tempus*: quæ tractu temporis evanescit, *ut defectus ætatis*: — *perpetua*: quæ amplius auferri non potest, *ut amissio oculi*.

Depositio est: dejectio de gradu, officio et beneficio.

Cessatio a divinis est: impositio Clericis facta se abstinendi ab officiis divinis et eclesiastica sepultura.

Appendix — *De Beneficiis ecclesiasticis.*

Caput I — *De Beneficiorum natura divisione atque proprietatibus.*

Beneficium Ecclesiasticum est: jus perpetuum competens Clerico legitime instituto percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter officium aliquod spirituale, auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum.

Beneficia impropria sunt: ea, quæ undecumque non habent Beneficiorum naturam et qualitates, licet aliqua ex parte ad eas accedant.

Caput II — *De modis ecclesiastici Beneficii adquirendi.*

Electio ad Beneficium est: optio communibus suffragiis, et servatis conditionibus in jure requisitis peracta, vi cujus aliqua persona præ aliis ad vacans Beneficium designatur.

Nominatio ad Beneficium est: actus ille, quo exhibetur Superiori persona aliqua ad Beneficium vacans occupandum.

Præsensatio ad Beneficium est: exhibitio personæ idoneæ facta coram Episcopo ab eo, qui habet Juspatronatum, ut in Beneficio instituatur.

Juspatronatus est: jus seu facultas offerendi clericum, ut ei conferatur Beneficium vacans.

Collatio libera Beneficii est: concessio vacantis Beneficii, ex mero arbitrio facta ab eo, qui potestatem habet.

Reservatio est: jus quod R. Pontifex sibi ipsi tribuit circa nonnulla beneficia, ut ea ipse solus conferre possit, quæ alioquin essent liberæ collationis.

Caput IV — *De modis Beneficii amittendi.*

Beneficii renuntiatio est: spontanea proprii Beneficii dimissio facta coram legitimo superiore eam acceptante.

Beneficii resignatio in favorem est: Beneficii renuntiatio in favorem subjecti idonei.

Beneficii permutatio est: quædam species resignationis conditionatæ et fit cum duo Beneficiati unum vel plura Beneficia Pontifici non reservata in manus Ordinarii resignant ea conditione, ut postea alteri alterius Beneficium conferatur.

Pensio Ecclesiastica est: jus percipiendi fructus ex Beneficio alieno; — *temporalis*, quæ datur propter ministerium temporale; — *spiritualis*, quæ fundatur in titulo mere spirituali: — *media*, quæ fundatur in statu spirituali, non tamen in ipso officio.

Annatæ sunt: reditus unius anni, quos exigebat Sedes Apostolica in conferendis Beneficiis: *mediæ annatæ*, dimidium reditus unius anni.

Spolia sunt: bona, quæ Clerici post obitum relinquebant.

Cathedraticum est: ordinarium tributum; quod a singulis Ecclesiis sæcularibus, e clericis beneficiatis item sæcularibus solvitur quotannis Episcopo in signum subjectionis et honorem Cathedræ Episcopalis.

Procuratio est: præstatio, quæ Episcopo Diœcesim visitanti tribuitur alimentorum nomine.

Regalia est: concessio sæcularibus Principibus ab Ecclesia facta, tum quædam beneficia conferendi, tum reditus percipiendi, beneficio vacante.

TRACTATUS XII — De sacramento matrimonii.

DISPUTATIO PRIMA — De matrimonii natura, divisione, ac proprietatibus.

Caput I — *De matrimonii natura ac divisione.*

Matrimonium acceptum prout est contractus naturalis atque civilis est: conjunctio maritalis viri et fœminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.

Matrimonium acceptum uti Sacramentum est: Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum, quo vir et mulier baptizati sibi mutuo et legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, et remedium concupiscentiæ.

Matrimonium legitimum est: illud, quod contrahitur solo legitimo consensu juxta legem naturalem.

Matrimonium ratum est: illud, quod contrahitur inter fideles nullo impedimento sive naturali, sive ecclesiastico irretitos.

Matrimonium consummatum est: illud, quod jam ipsa copula carnalis subsecuta est.

Contractus est: mutua partium conventio.

Caput II — *De matrimonii proprietatibus.*

Matrimonii unitas seu monogamia est: conjunctio unius cum una.

Molyandria est: multiplicitas virorum uno et eodem tempore cum una muliere.

Molygamia est: multiplicitas uxorum uno et eodem tempore cum uno viro.

DISPUTATIO SECUNDA — De matrimonii præparatione seu de sponsalibus.

Caput I — *De sponsalium natura et divisione.*

Sponsalia sunt: promissio vera, deliberata, mutua, et signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas idoneas ac determinatas.

DISPUTATIO TERTIA — De matrimonii impedimentis eorumque dispensatione.

Matrimonii impedimenta sunt: ea obstacula, quæ vetant ritam matrimonii celebrationem: *impedientia* quæ reddunt matrimonium illicitum: *dirimentia* quæ non solum reddunt illicitum, sed etiam nullum omnino et invalidum.

Caput II — *De impedimentis matrimonii dirimentibus.*

Error; ut impedimentum matrimonii potest esse quadruplex; *personæ* quando hic putatur esse Virgilius et tamen est Plato: *fortunæ*, quando hic

putatur esse dives et est pauper: *conditionis*, quando hic putatur esse liber et tamen est servus: et *qualitatis*, quando hic putatur esse bonus et tamen est malus.

Conditio: agendo de impedimento matrimonii, indicat statum servitutis in alterutro e sponsis.

Votum ut impedimentum dirimens matrimonii est: votum solemne castitatis per solemnem professionem sponte emissam in Religione approbata, præter illud quod ordini sacro adnexum est.

Cognatio naturalis est: vinculum quarumdam personarum ab eodem proximo stipite descendentium, carnali generatione contractum.

Cognatio spiritualis est: propinquitas personarum orta ex Sacramento Baptismi, vel Confirmationis.

Cognatio legalis est: propinquitas personarum proveniens ex adoptione.

Adoptio est: extraneæ personæ in filium vel nepotem legitima assumptio.

Impedimentum criminis est: inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium vel ex adulterio, vel ex conjugicidio, vel ex utroque simul orta inter eos; qui eadem crimina sub datis limitationibus perpetrarunt.

Cultus disparitas, quæ matrimonium dirimit, significat illam *Religionis diversitatem* quæ existit inter baptizatum et non baptizatum.

Vis prout constituit impedimentum dirimens matrimonii, intelligitur non solum vis absoluta, seu violenta coactio; sed etiam vis, ut ajunt, conditionalis, seu metus injuste incussus ad matrimonium extorquendum.

Ordo qui est impedimentum matrimonii dirimens, est Ordo sacer seu major.

Impedimentum ligaminis est: vinculum, vi cujus ille, qui jam matrimonio ligatus est, non potest aliud inire.

Impedimentum honestatis est: propinquitas personarum proveniens vel ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato.

Affinitas est: propinquitas personarum quarumdam orta ex copula carnali completa, sive licita sive illicita.

Impotentia est: incapacitas ad copulam: — *naturalis,* quæ provenit ex defectu naturali: — *accidentalis,* quæ provenit ex vitio accidentali; — *perpetua,* quæ mediis naturalibus tolli non potest: *temporanea*, quæ mediis licitis potest auferri: — *absoluta*, quæ est cum personis quibuscumque; — *respectiva*, quæ non est nisi cum tali persona: — *antecedens,* quæ matrimonii celebrationem præcessit: — *subsequens,* quæ postea secuta est.

Raptus: *prout est impedimentum dirimens matrimonii est*: violenta abductio mulieris matrimonii ineundi causa.

Impedimentum clandestinitatis situm est: in illo Tridentini decreto quo jussit, ut cuncta fidelium matrimonia celebrarentur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia; et simul coram duobus aut tribus testibus.

FINIS DEFINITIONUM SECUNDI TOMI.

INDEX TOMI SECUNDI.

Pag.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PRÆAMBULA. 5
DISPUT. I. De Fide. 6
CAP. I. De fidei nomine, natura ac divisione. ib.
CAP. II. De fidei objecto, regula, analysi ac subjecto. 9
CAP. III. De fidei proprietatibus. 17
Art. 1. De fidei certitudine ac credibilitate. 18
Art. 2. De fidei necessitate. 21
§ 1. De fidei necessitate ratione actus interioris. ib.
§ 2. De fidei necessitate ratione actus exterioris. 28
Corollarium. De Symbolis fidei et Catechismis. 32
CAP. IV. De præcipuis vitiis et peccatis fidei oppositis. 34
Art. 1. De infidelitate et fidelium communicatione cum infidelibus. ib.
Art. 2. De hæresi et apostasia. 36
§. 1. De Catholicorum communicatione et disputatione cum hæreticis in rebus fidei. 42
§ 2. De hæreticis dignoscendis. 45
Art. 3. De lectione librorum prohibitorum. 48
Scholium. De fidei impedimentis generatim, ac de peculiari in Italia, de iis eliminandis, ac studio fidei dilatandæ. 59
DISPUT. II. De spe. 66
CAP. I. De natura, divisione, objecto, subjecto et proprietate. ib.
CAP. II. De vitiis spei oppositis et remediis. 69
DISPUT. III. De charitate. 72
CAP. I. De charitatis natura, divisione, objecto et proprietate. ib.
Art. 1. De charitatis necessitate relate ad Deum. 76
Art. 2. De charitate erga se ipsum et proximum, ac de inimicorum dilectione. 78
Art. 3. De charitatis officiis in proximum. 84

Pag.
§ 1. De eleemosyna. 85
§ 2. De correctione fraterna. 89
CAP. II. De ordine in charitate servando, et vitiis charitati oppositis. 93
Art. 1. De scandalo activo. 98
Art. 2. De scandalo passivo et cooperatione et aliorum peccata. 101
Scholium. De notis seu censuris theologicis. 106
Adnotationes. 108

TRACTATUS NONUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIÆ.

DISPUT. I. De Sacramentis in genere. 145
CAP. I. De nomine, natura, necessitate, existentia et auctore. ib.
CAP. II. De partibus Sacramentorum seu de materia et forma. 151
CAP. III. De Sacramentorum ministro. 157
Art. 1. De conditionibus ad validam confectionem. 158
Art. 2. De valida et licita confectione. 164
Scholium. De probitate ministri quoad alias functiones sacras. 169
CAP. IV. De Sacramentorum subjecto. 170
CAP. V. De Sacramentorum effectibus ac cæremoniis. 175
Scholium. De Sacramentalibus. 180
DISPUT. II. De Sacramento Baptismi. 183
CAP. I. De nomine, natura, institutione et necessitate Baptismi. ib.
CAP. II. De materia et forma Baptismi. 187
CAP. III. De Baptismi ministro. 194
CAP. IV. De Baptismi subjecto. 200
CAP. V. De Baptismi effectibus et cæremoniis. 205
DISPUT. III. De Sacramento Confirmationis. 209
CAP. I. De natura, institutione, necessitate, materia et forma. ib.
CAP. II. De ministro, subjecto, effectibus et cæremoniis. 213
DISPUT. IV. De Eucharistia. 217
PARS. I. De Eucharistia prout est Sacramentum. 218
CAP. 1. De natura et institutione Eucharistiæ. ib.

Pag.
Art. I. Realis Christi præsentia in Eucharistia. 221
Art. 2. De transubstantiatione et cultu Eucharistiæ debito. 226
Art. 3. De necessitate Eucharistiæ. 230
Scholium. De Viatico. 234
CAP. II. De materia et forma Eucharistiæ. 237
CAP. III. De ministro et subjecto Eucharistiæ. 245
Art. 1. Dispositiones in subjecto ex parte corporis. 250
Art. 2. Dispositiones ex parte animæ. 255
Corollarium. De Communione sub utraque specie, de Communione frequenti ac spirituali. 258
CAP. IV. De Eucharistiæ virtute seu effectibus. 263
PARS. II. De Eucharistia prout est Sacrificium. 265
CAP. 1. De sacrificii Eucharistici natura et ministro. ib.
Art. 1. De tempore et loco celebrationis, ac Missæ stipendio. 270
Art. 2. De Missæ duratione, de altari et hora præfixa deque Missarum numero et reductione. 275
Art. 3. De idiomate, voce, cæremoniis et requisitis ad Missam, de defectibus et interruptione. 278
CAP. II. De subjecto sacrificii Eucharistici, de applicatione, valore et effectibus. 285
Scholium. De Missis privatis, votivis et Altari privilegiato. 290
Adnotationes. 292

TRACTATUS DECIMUS.

DE PŒNITENTIÆ ET EXTREMA-UNCTIONE.

DISPUT. I. De Sacramento Pœnitentiæ. 331
PRÆLUDIUM. ib.
CAP. I. De Sacramenti Pœnitentiæ natura, necessitate, institutione. 333
CAP. II. De Sacramenti Pœnitentiæ materia. 335
Art. 1. De contritione generatim. 337
§ 1. De contritione perfecta. 343
§ 2. De contritione imperfecta seu attritione. 345
Corollarium. De proposito. 349
Art. 2. De Confessione sacramentali. 351
§. 1. De Confessionis sacramentalis institutione. ib.
§ 2. De Confessionis præcepto ac conditionibus. 357
Pag.
N. 1. De integritate ad Confessionem. 364
N. 2. De causis ab integritate Confessionis excusantibus. 372
Corollarium. De Confessione iteranda, et Confessione generali. 374
Art. 3. De satisfactione. 378
Corollarium. De Indulgentia et Jubilæo. 389
CAP. III. De forma Sacramenti Pœnitentiæ ejusque efficacia. 397
Art. *unicus.* De absolutione concedenda, neganda, differenda. 401
§ 1. De occasionariis. 405
§ 2. De consuetudinariis seu habituatis ac recidivis. 409
Scholium. De absolutione et assistentia præstanda moribundis. 412
CAP. IV. De Sacramenti Pœnitentiæ ministro. 414
Art. 1. De Confessarii approbatione et jurisdictione. 415
Art. 2. De casuum reservatione, de Confessario Monialium et complicis. 423
Art. 3. De Confessarii dotibus et officiis. 437
§ 1. De pietate, fortitudine, patientia, charitate et scientia. 438
§ 2. De Confessarii prudentia. 441
§ 3. De Confessarii fidelitate, seu de sigillo Sacramentali. 446
Corollarium. De electione Confessarii et Directoris. 453
Art. 4. De defectibus a Confessario corrigendis ac de solicitatione. 455
CAP. V. De Pœnitentiæ Sacramenti effectibus. 465
DISPUT. II. De Extrema-Unctione. 466
Adnotationes. 476

TRACTATUS UNDECIMUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DISPUT. UNICA. — PRÆLUDIUM. De hierarchia ecclesiastica. 533
CAP. I. De Ordinis natura, institutione et Ordinum numero. 535
Art. 1. De Tonsura ed Ordinibus minoribus. 538
Art. 2. De Ordinibus majoribus. 539
CAP. II. De ministrorum Ecclesiæ institutione, et Ordinationis ministro. 543
CAP. III. De Ordinationis subjecto. 549
N. 1. Divina vocatio, intentio recta, probitas vitæ, animus clericandi. 550
N. 2. Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, ætas, scientia, titulus, Exercitia spiritualia, Ordinatio per gradum, immunitas a censura et irregularitate. 552

N. 3. Interstitia, tempus, locus, Communio, Episcopus proprius. 557
Corollarium. De litteris dimissoriis. 560
CAP. IV. De Ordinum impedimentis seu de irregularitate. 561
Art. 1. De irregularitate ex delicto. 563
Scholium. De depositione et degradatione. 565
Art. 2 De irregularitate ex defectu. 566
Art. 3. De irregularitatis cessatione. 572
Scholium. De cessatione a Divinis. 574
CAP. V. De Ordinationis effectibus et Ordinatorum obligationibus. ib.
Art. *unicus.* De cælibatu ecclesiastico. 575
APPENDIX. De Beneficiis ecclesiasticis. 583
CAP. I. De Beneficiorum natura, divisione et proprietate. ib.
Scholium. De Beneficiis impropriis. 586
CAP. II. De Modis ecclesiastici Beneficii acquirendi. 587
Art. 1. De electione, nominatione et præsentatione. 588
Art. 2 De libera collatione et concursu. 592
CAP. III. De Beneficiatorum qualitatibus, juribus et oneribus. 598
Corollarium. De bonis Ecclesiæ non alienandis. 604
CAP. IV. De modis Beneficii amittendi. 607
Scholium. De pensionibus Ecclesiasticis, annatis, spoliis, cathedratico, procuratione et regaliis. 611
Adnotationes. 614

TRACTATUS DUODECIMUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DISPUT. I. De matrimonii natura, divisione, proprietatibus. 629
CAP. I. De matrimonii natura ac divisione. ib.
Art. 1 De consensu ad matrimonium. 631
Scholium. De matrimonio B. V. Mariæ cum S. Josepho. 637
Art. 2. De idoneitate personarum. 638
CAP. II. De matrimonii proprietatibus. 642
Art. 1. De matrimonii honestate, obligatione et sanctitate. ib.
Art. 2. De matrimonii unitate et indissolubilitate. 648
DISPUT. II. De matrimonii præparatione seu de sponsalibus. 651
CAP. I. De sponsalium natura et divisione. ib.
CAP. II. De sponsalium effectibus. 656
CAP. III. De sponsalium dissolutione. 662
DISPUT. III. De matrimonii impedimentis eorumque dispensatione. 671
CAP. I. De impedimentis matrimonii impedientibus. 672
CAP. II. De impedimentis Sacramenti matrimonii dirimentibus. 673
Art. 1. Error, conditio, votum. 680
Art. 2. Cognatio. 683
Art. 3. Crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, ætas, affinis. 690
Art. 4. Si clandestinus. 698
Art. 5. Impos, raptave sit mulier. 705
Corollarium. De matrimonii denuntiationibus seu bannis. 708
CAP. III. De dispensationibus super impedimentis. 714
Art. 1. De modo dispensationis impetrandæ. 716
Art. 2 De modo dispensationis exequendæ. 723
DISPUT. IV. De matrimonii celebratione et convalidatione. 727
DISPUT. V. De matrimonii bonis, effectibus et debito conjugali. 734
CAP. I. De debiti honestate, obligatione ac circumstantiis. 736
CAP. II. Causæ, quibus jus ad debitum amittitur. 745
DISPUT. VI. De matrimonii dissolutione. 749
Adnotationes. 758
APPENDIX I. Series cronologica propositionum ab Ap. Sede damnatarum. 793
APPENDIX II. Sanctæ Apostolicæ Sedis Responsa quædam recentiora circa jejunium. 834
APPENDIX III. Romanarum Congregationum responsa plurima ac novissima ad praxim maxime spectantia. 838
APPENDIX IV. De nitore et munditie sacræ supellectilis. 881
APPENDIX V. Compendio de las reglas generales acerca de los libros prohibidos, etc. 885
APPENDIX VI. Præcipui Canones pœnitentiales secundum ordinem Decalogi. 892
APPENDIX VII. Declaracion de la sagrada Penitenciaria sobre algunas dudas suscitadas acerca de la inteligencia de la Bula Pontificia espedida el 13 de setiembre de 1822 contra las *Sociedades secretas.* 895
APPENDIX VIII. Pragmática sancion de S. M. Cárlos III sobre desheredamiento de los hijos menores de edad, que contraen matrimonio sin el consentimiento de sus padres. 898
APPENDIX IX. Breve de su Santidad al Vicariato de los Ejércitos, espedido en el año 1768. 904
Collectio definitionum in toto Opere contentarum. 916

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

INDEX GENERALIS ALPHABETICUS

RERUM

IN UNIVERSA THEOLOGIA NOSTRA MEMORABILIUM.

(Numerus romanus TOMUM, *arabicus* PAGINAM *designat.)*

A

Abbas: an possit ferre leges I, 121. An dare Ordines II, 546.
Abbatissa: an ferre leges I, 121.
Abigeatus: quid I, 963.
Ablutio: in Baptismo II, 189.
Abominatio: quid I, 454.
Abortus: I, 924. Fœtus abortivus II, 202.
Abrogatio: legis I, 173, censuræ 468.
Absentes: an absolvendi II, 399.
Absolutio: a censura, quid, quotuplex I, 469; quomodo tribuenda *ib.*; a quibus 470; eius forma 472; an sit curanda absolutio a censura 482; quando conceditur aliqua gratia *ib.* Ab hæresi II, 41. A pœnis in simonia I, 639. Sacramentalis II, 398; an ad absentem mitti 399. Efficacia 400; quibus danda, neganda vel differenda 401 seqq. An neganda pœnitenti qui dissentit a Confessarii opinione 403. An disponendus pœnitens 439. Quæ forma 397. Danda moribundis 412, 413; devotis 404. Decreta S. Congregationis II, 838. A reservatis 431 seq. Ab irregularitate 575.
Abstinentia: I, 189; a carnibus, ovis et lacticiniis 190. Abstinentiæ devotorum 997, 998. A servilibus 602.
Acceptatio: an necessaria ad legem I, 154. Hæreditatis 735.
Accessio: I, 714; quotuplex 715.
Accidentia: in Eucharistia II, 227, 308.
Accusatio: quid, quisnam ad eam tenetur I, 304. An etiam possit Clericus accusare *ib.* Tribunal pro Clericis II, 566.
Acedia: quid, filiæ, remedia I, 455.
Acetum: quoad Eucharistiam II, 240.
Acolytatus: II, 539.
Actiones: quæ Clericis prohibitæ I, 243. Deo sunt offerendæ 48. Ex omissione provenientes 22, 23.
Actus: quid, quotuplex I, 17; organicus, hominis, humanus *ib.* Ejus principia 19. Actus ex omissione vel actione proveniens 23. Actus voluntatis quotuplex 20. An externus aliquid addat 16. Quid indifferens actus 47. An referendi ad Deum 48. Quos potest lex præcipere 133, 134; an se extendat lex ad actus præteritos 134. An uno actu fiat satis pluribus legibus 157; qui plura præcepta uno actu violat 159. An dentur indifferentes 47. Quomodo interrumpuntur 404. Ad censuram 465. *Signati, compositi* quinam sunt 21. Actus fidei II, 28 et seqq. Actus conjugalis (quoad Communionem) 250. *v. Debitum conjugale.*
Aditio: hæreditatis I, 733.
Adjunctio: quid 716.
Adjuratio: I, 596.
Administratio: bonorum, quæ sunt filii, ad quem spectat I, 702. Sacramentorum a quibus fieri debet II, 166; quomodo *ib.*; a Parocho I, 274. An bonorum possit esse administrator Clericus 250.
Adolescentes: excusati a jejunio I, 201.
Adoptio: quid II, 688.
Adoratio: I, 647; quid adorare in spiritu et veritate 528. Decreta II, 841.
Adrogatio: II, 688.
Adulatio: quot malorum fons I, 891.
Adulterium: peccatum, pœnæ I, 427; Quam obligationem restituendi inducat 938. Privat jure debiti II, 748. Solvit matrimonium non quoad vinculum 753; sed quoad torum, et habitationem 755. Quando est impedimentum dirimens 690. Inducit irregulari-

tatem 569. An vir possit occidere uxorem suam adulteram I, 915; an debeat se prodere adultera 940.
Adultus: quoad Baptismum II, 204.
Advena: *v. Peregrinus.*
Adventitia bona; quid I, 702.
Adventus: jejunium tunc indictum I, 190.
Advertentia: ad legem implendam I, 157; ad peccatum 398; ad votum 567.
Advocatus: obligationes I, 313.
Ædificatio: I, 715. Clericorum 283.
Æmulatio: I, 453.
Æquivocatio: I, 589, 590.
Aëromantia: I, 610.
Ætas: ad legem I, 135; ad jejunium 190, 201, 202. Ad Ordines II, 553; ad sponsalia 652; ad matrimonium 696.
Affabilitas: I, 980.
Affectiunculæ: in devotione I, 645.
Affinitas: in matrimonio II, 697.
Agapæ: quid I, 189, 190.
Agentes cambii: I, 796.
Ager: si detur in usufructu I, 678.
Agnati: I, 748.
Agnus Dei: II, 182. Agni benedicti ossa canibus projicere *ib.*
Agressor: vitæ I, 928; pudicitiæ 930; honoris 931; rerum 932. An liceat ipsum prævenire 929. Quid si quis aggrediatur vitam, vel pudicitiam proximi 929, 930.
Alea: *v. Ludus.*
Alibi: quoad Missas II, 276.
Alienatio: bonorum (*v. Venditio*). Alienatio bonorum Ecclesiæ II, 604.
Alienigenæ: *v. Albinus.*
Alimenta: debentur filiis I, 319, 727; parentibus 326; uxori 229; spuriis 320; fratribus 730.
Alluvio: I, 716.
Almanacchi: I, 613.
Altare: privilegiatum II, 291. Ad Missam 280; aliud fixum, aliud portatile 323. Decreta II, 841.
Alternativa: in electione ad Beneficium II, 626; in patronatu 597.
Alvei mutatio: I, 716.
Ambitio: I, 417.
Amentes: an teneantur legibus I, 135. An possint censurari 463; an capaces dominii 695. An baptizandi II, 170; confirmandi 215; communicandi 249; an irregulares 566.
Amicitia: I, 978; sensualis, sensibilis, sancta 979, 980; platonica 1008. Qui ea abutuntur contra veteres amicos ib.
Amissæ res: I, 712. Amissio lucri in festo 187; Beneficii II, 607.
Amor: *v. Quietismus, Charitas, Contritio.* Amor platonicus I, 979, 980. Amor concupiscentiæ, benevolentiæ, amicitiæ II, 74.
Amore (Far all'): an grave sit I, 442: munuscula quæ accipiuntur ab amasio 445. Quoad directionem II, 511.
Amplexus: *v. Oscula.*
Amuleta: qui deferunt I, 575.
Analysis: fidei II, 19.
Anathema: quid I, 499, 505.
Ancilla: an excusetur a jejunio I, 203: *v. Famula.*
Angeli: an invocandi I, 534.
Angelus Domini: II, 182.
Angustia loci: ad dispensationem quoad matrimonium II, 719.
Anima: an propria vocari possit hæres I, 733.
Animalia: quotuplicis generis I, 708; si fugiant et malum faciant 24; Si capiantur, cujus sunt 708. In ea insevire 691; qui ea commiscet 440; qui cum iis peccat 436.
Animatio fœtus: quando I, 924, 1000.
Animus clericandi: II, 552.
Annatæ: quid II, 612.
Annates feræ: quoad jejunium I, 191.
Anniversaria: Decreta II, 841.
Annuli subarrhatio: II, 653. Quem deferunt Ecclesiastici I, 240, Episcopi 252.
Anphibologia: I, 589.
Anthicresis: I, 795.
Anticipatio: cœnæ in die jejunii I, 197. Solutionis pecuniæ 780.
Aperitio: hæreditatis I, 733.
Apes: si fugiant I, 710.
Apostasia: a religioso statu I, 301; a catholica fide II, 42. Unde? a pravitate morum 113.
Apparitiones: mortuorum I, 611.
Appellatio: sic dicta *ab abusu* I, 225; censurati 468, 522. Non provisi in concursu II, 595. Non datur a Vicario ad Episcopum ordinarie I, 343.
Applicatio: Missæ II, 286. A Parocho facienda in festis I, 275, 355, 600; quando applicandum et quando simpliciter celebrandum II, 287.
Approbatio: Confessarii II, 415. Approbatio Episcopi an eum excuset, qui se novit inhabilem 439.
Aqua: benedictæ usus, virtus II, 181; an sumenda egrediendo ab Ecclesia ib.; si adhibeatur ad usus profanos 187. Ad Baptismum 182. In calice cum vino

miscenda 241. Decretum II, 841.
Arctati: ad Ordines II, 561.
Ariditas: in meditatione I, 540; in contemplatione 542.
Arma: Clericis prohibita I, 243.
Arrha: in contractibus I, 772; in sponsalibus II, 660.
Artes: quæ Clericis prohibitæ 249. Ars notoria I, 615.
Articulus: mortis quis II, 421. Fidei si unus denegetur 17.
Artifex: an excusetur a jejunio I, 203.
Aruspicium: I, 610.
Ascetica: an illam debeat Confessarius scire II, 440, 514.
Aspectus: partium inhonestarum I, 440; in Ecclesia an sacrilegium 429; inter conjuges II, 741.
Asperitas: I, 981.
Assecuratio: I, 834.
Assentatio: I, 981.
Asservatio: Ss. Eucharistiæ II, 229, 310.
Assistentia: quoad matrimonium II, 702, 413; I, 277.
Associationes: Si liber prohibetur, potestne a contractu seu associatione suscriptor resilire II, 124.
Astrologia: I, 613.
Asyla infantiæ: I, 371.
Atheismus: II, 34.
Attentatio: matrimonii II, 691.
Attentio: in Missa I, 184; in Horis 558; in Sacramentis II, 162.
Attritio: an bona II, 345; an sufficiat ad pœnitentiam 346; quomodo evadat contritio 479.
Auctarium: in mutuo I, 804.
Auctor: an unus det certitudinem I, 70. Quinam stant pro lege, qui pro libertate 89, 90; qui eminent in Theologia 99. Sacramentorum II, 149.
Auctoritas: ad solvenda sponsalia II, 669. Theologorum in morali I, 69.
Audacia: I, 985.
Auditio: an recitans Horas debeat se ipsum audire I, 556. Quid de eo qui lectionem audit libri prohibiti II, 57. Audiens detractionem I, 952.
Augurium: quid I, 610.
Aureola: quid I, 47.
Auriga: an possit mercedem accipere a duobus I, 790.
Aurora: quoad Missam II, 270.
Auspicium: I, 610.
Avaritia: I, 419.
Avulsio: quid I, 716.
Azymus: ad Eucharistiam II, 238.

B

Balsamum: in Confirmatione II, 211.
Banna: v. Denuntiationes.
Baptismus: institutio II, 184; necessitas, divisio ib.; materia 187; forma 192; variæ formæ etiam hæreticorum 303, 304; minister 194. Quomodo conferendus 190. Quid si infans nondum natus sit 191. Quando ministrandus 196. Quo loco an pluries uni 197. Quid de expositis 198; de monstris 202; de parvulis 201; de filiis 202; de adultis 204. Qui effectus 205. Quæ cæremoniæ 207. Quid de conjugibus baptizantibus prolem propriam II, 748. Mala susceptio facit irregularem 563. Per illum cognatio 685. Baptisma modernorum hæreticorum an validum 303, 304. Quid si puer sine Baptismate moriatur, quæ sors? I, 505. Quid si dignoscantur invalide baptizati II, 199. Patrini 686.
Baptismus Joannis: II, 206.
Baptismus flaminis atque *sanguinis:* II, 184, 206.
Barbitonsor: quoad jejunium I, 203; quoad festa 606.
Bellum: I, 917. Quoad irregularitatem II, 571. Clericis prohibitum I, 244.
Benedictio: cereorum, palmarum II, 182 usus benedicendi cruces, cineres *ib.* Benedictio Ss. Sacramenti 229. Nuptiarum 727. Chrismatis 211. In articulo mortis 413. Mulieris post partum 842. Mensæ 299; filiorum 300. Cum Ss. Reliquiis 301; an omnes sacerdotes possint benedicere, sine Parochi licentia 300. Decreta 841, 842.
Benedictus XIV: quantæ auctoritatis sint ejus Opera et quæ I, 550. S. Alphonsum commendat 86; mediam viam in opinionibus tuetur. Ejus Bullæ: v. propria loca.
Beneficiatus: quando tenetur ad Horas I, 549. Quid si eas omittat 550. Qualitates Beneficiati II, 598; jura et onera 603. Tenetur erogare superflua pauperibus I, 699. Quid si fiat irregularis II, 562. Quoad Missas suppressas I, 357.
Beneficium: est ad illud inhabilis excommunicatus I, 480. Quando in eo committitur simonia 633. Superflua sunt danda ad usus pios 698. Quid est Beneficium II, 583; quotuplex 584. Quæ

Puella: an oppressa teneatur clamare I, 931; vel semen possit expellere 925; et II, 789; an prægnans inhoneste a Missa excusetur I, 188; vel si turpiter concupiscatur II, 102. De ornatu 100. De legato ipsi relicto I, 739. Monita quoad directionem II, 510 et 521; quoad matrimonium 781.
Puer: an teneatur legibus I, 135; an jejunare 201; an ligetur censura 463; si moriatur sine Baptismo 505; capax dominii 695. Quoad Communionem II, 249, 312; Pascha 233; Unctionem 472; Ordinationem 549, 553; matrimonium 696; sponsalia 652; an in utero clausus baptizandus 192, 302; quomodo interrogandus 444; dirigendus 516; Pueri puellæque ne simul ad animalium custodiam mittantur I, 422.
Pugnantes leges: explicandæ I, 160.
Pupillus: v. Minor.
Purgantes animæ: an possint invocari I, 534; an habeant fidem II, 16; spem 68.
Purgatio: spiritualis I, 541.
Purificatorium: I, 281, II, 883.
Pyromantia: I, 610.
Pytonismus: I, 610.
Pyxis: aperienda, intra corporale ponenda II, 242. Pro agone infirmi exponitur 230. Quomodo deferenda ad Viaticum 236. An benedicenda 281.

Q.

Quadragesima: institutio I, 189; jejunium 192. Tunc Vesperæ dicuntur ante meridiem I, 552.
Quantitas: v. Parvitas.
Quasi-castrensia: bona I, 702.
Quasi-contractus: I, 758, 851. Quid ejus causa restituendum 876.
Quasi-delictum: I, 759.
Quasi-domicilium: v. domicilium.
Quasi-patrimonialia: bona I, 696.
Quatuor tempora: jejunium indictum I, 189; II, 559.
Querela: inofficiosi testamenti I, 566.
Quies: in contemplatione I, 542.
Quietismus: II, 74. De eo damnatæ propositiones II, 808.

R.

Radicalismus: I, 689.
Radices: restitutionis I, 862; dispensatio in radice II, 733.
Rana: quoad jejunium I, 191.
Rapina: I, 963.
Raptus: I, 426; dirimit matrimonium II, 706. In contemplatione I, 543.
Ratihabitio: percussionis Clerici I, 485. Contractus, delicti 883.
Rationalismus: II, 60, 127.
Ratum: matrimonium II, 630; quomodo solvatur 750.
Rebaptizans: fit irregularis II, 563; haud licet rebaptizare 197.
Rebellio: v. Revolutiones.
Receptator: I, 891.
Recidivus: dirigendus II, 410. An ejus iteranda Confessio 374.
Reciprocitatis conventio: I, 758.
Recollectio: in contemplatione II, 541.
Reconciliatio: inimicorum II, 81.
Recursus: I, 891.
Redemptio: a vexatione I, 644. Census 792; vexationis in Beneficio 644.
Redemptores: operum I, 786.
Reductio: Missarum II, 278, 319.
Refectio: in jejunio I, 193.
Referentes: obligationes I, 315.
Reflectio: I, 60.
Regalia: II, 613.
Regium placitum: an ad censuras necessarium I, 461, 513; ad prohibendos libros II, 50; vocandam hæredem Ecclesiam I, 733. Qui illi volunt submittere omnes Ecclesiæ leges 225. Differt

ab *exequatur* II, 621.
Regulares: tenentur ad Horas I, 551. A quo ordinandi 295. Quoad Confessiones audiendas 296. Quæ speciales obligationes 297. Qui casus ipsis reservantur 299. An testari, vel recipere possint 726. Sunt de civili societate benemeriti 288, 363. Si ludunt chartis 247; an possint mederi, amputare, etc. 249. Quoad *quæstuam* 367. Censuras 464. Qui eos percutit 484; quomodo excipienda et ubi eorum Confessio 296.
Regulæ: morum I, 39; interpretandæ legis 163. Romanæ Cancellariæ 127; II, 597 et 624. Ad noscendum mortale I, 401 Religiosorum an pure pœnales 145. Librorum prohibitorum II, 54; fidei 10. Ad gradus propinquitatis dignoscendos I, 747; II, 683. Circa Communionem frequentem 262. Regulæ Indicis 119.
Relatio actuum: ad Deum I, 49.
Relatum: in responsione S. Congregationis II, 868.
Religio: status religiosus I, 286; præstantia 288; vocatio, ingressus 289. Probatio, professio 292 et 294. Privilegia 294; vota, clausura 299; ejectio, fuga 301. An eam possit ingredi debilis gravatus 291; qui ingrediendo committit simoniam 639, 637. Qui parentes habet pauperes 289. Quid de illo, qui Religionis votum habet 292, 573. Qui abstrahit ab ea 288; qui ad illam inducit 289. Ut virtus 527.
Religiosus: v. Regulares.
Reliquiæ Ss: cum illis benedicere II, 301; plurimi faciendæ 282. Decreta 875.
Remedia: a medico adhibenda I, 317; a pharmacopola paranda 319. Pro scrupulosis quoad Confessiones 57; II, 368; quoad officium I, 560; Missam 186. Pro blasphemis 626; luxuriosis 445 et 511; distractionibus in meditatione 540; adversus motus carnales 28; Superbiæ 418; avaritiæ 420; luxuriæ 445; gulæ 451; invidiæ 454; acediæ 455.
Remissio: creditoris I, 889; vulnerati 898; infamati 955, 956. Peccatorum remissione quis certus II, 400.
Remissoriæ: literæ II, 560.
Remorsus: conscientiæ I, 50.
Renuntiatio: legis in sui favorem an liceat I, 161. Beneficiorum II, 608.
Repetitio: (precum): male arguitur a protestantibus II, 298.
Reponatur: responsio S. Congregationis II, 268.
Repressalia: I, 920.
Repudiatio: hæreditatis I, 735. Uxoris in veteri Lege II, 650.
Requisita: ad Missam II, 280; et seq.; ad Ordinationem 549.
Res: inventæ I, 710. Si aliena sit vendita, si res furtiva sit empta 894.
Rescissio: obligationis I, 769; venditionis 788.
Rescriptum pontificium: I, 126.
Reservatio: excommunicationum I, 483; votorum 580; casuum II, 423. In collatione Beneficiorum 596.
Residentia: quid I, 260. Parochi 261, 347; Capellani et Coadjutoris 278. Tempore pestis 264. Decreta 347 et II, 876. Canonicorum 255; Episcopi 252.
Resignatio: quid II, 609.
Responsa: S. Pœnitentiariæ quoad usurpatores bonorum Ecclesiæ I, 517, et II 843; quoad jejunium 834; quod eos qui adhærent Declarationi Cleri gallicani 833. Aliarum Congregationum 838.
Restitutio: I, 861; obligatio, origo, cui debetur 862; si bona certa sint vel incerta 894. Ordo 895; tempus 898; locus 900; modus 901; excusantes causæ 902. De restitutione in specie 908; ob bonum animæ læsum 909; ob bonum corporis *ib.;* vitæ 911; famæ 954; honoris 957; fortunæ 966. Ob stuprum 934; adulterium 938. Ob contumeliam 957; ob simoniam 640. Qui non potest in uno genere bonorum, an debeat eam in alio 901. Cujus impensis, cum quo damno fieri debet 900. Qui eam recusat, an absolvendus 899; an liberet facta creditori donatio 907; an ingressus in Religionem 299. An a Parocho facienda, si non resideat 262; si non corrigat 272; si non prædicet 271. A Beneficiato, si omittat Horas 550. A Canonico si deficiat suis obligationibus 255. Qui eligit minus dignos ad Beneficium II, 602; vel indignos 600. Quæ in solidum I. 885.
Restrictio: mentalis I, 389.
Retractatio: in morte I, 334; qualis requiritur 234, 334.
Retractus: I, 784.
Retro: an lex agat retro I, 134.
Reus: obligatio I, 305; an debeat confiteri crimen *ib.;* an revelare socios, an a carcere possit fugere 306.
Revelatio: secreti I, 959; confidentiæ 1004. criminis 947; sigilli sacramentalis II, 448;

Revelationes: habitæ a privatis II, 15.
Reverentia: filiorum erga parentes I, 323.
Reviviscentia: Sacramentorum II, 176. Meritorum 465. Voti I, 579.
Revocatio: donationis I, 820. Approbationis pro Confessione II, 416; censuræ I, 469; mali consilii 889.
Revolutiones: an licitæ I, 221.
Rex: v. Princeps.
Rigor: an conveniat I, 87; II, 442.
Ritus: in Sacramentis II, 179; in Missa 279, 280; in Horis I, 558. Qui prohibiti 615. Ambrosianus II, 321.
Rixa: si in ea tertius occidatur I, 924. Quæ et quale peccatum 924.
Roma: patria communis I, 153, 224.
Romanzi: prohibiti II, 57; qui eos componit et vulgat *ib.*
Rosa aurea: II, 299.
Rubrica: juris I, 124; *v. Ritus.*
Rustici: quomodo dirigendi II, 375, 444.
Rusticitas: I, 981.

S

Sacerdos simplex: obligationes I, 280. Quoad servitium Ecclesiæ 280; quoad scientiam 339; concordiam cum Parocho 282 et 361; Confessiones audiendas 281; Missam celebrandam *ib.* Quoad Pascha II, 233. An possit confirmare 214. An fieri Religiosus, contradicente Episcopo I, 252.
Sacerdotium: II, 540.
Sacramentalia: quid II, 180.
Sacramentarii: II, 221.
Sacramentum: nomen, definitio II, 145; necessitas 146; existentia 147; dignitas 150; auctor *ib.*; materia, forma 151; minister 157. Quid ad confectionem 158, 164; ad susceptionem 170. Effectus 176. Cæremoniæ 179. Quæ sunt veteris Legis 147. An liceat simulare administrationem 167. An petere ab indigno 167; an indigno conferre 172. An dare pecuniam ei qui alioquin renuit ministrare I, 644; an illud liceat ministrare principaliter ob pecuniam 636, 639. Quid si vellet conficere, suscipere, vel tribuere excommunicatus 475; quomodo Sacramenta ministranda tempore pestis, et an et quæ 264, 274, 347. An et quando Parochus debeat ministrare II, 274, 166. Quid si detur sub conditione 154.
Sacrificium: II, 265; in quo situm 269, minister 269; subjectum 285; effectus, valor, fructus 288 et 289 (*v. Missa*). Qui eo abutuntur ad sortilegium I, 609.
Sacrilegium: in genere I, 626; pœnæ 628. Ob luxuriam 430. Etiam gentiles illud metuebant 668.
Sæculares: obligationes I, 234; an possit ferre censuras 462; celebrantes, Confessiones audientes an denuntiandi II, 39.
Sævitia: ut est causa divortii II, 664.
Sagimen: in jejunio I, 191.
Salarium: v. Stipendium.
Saliva: an valeat ad Baptismum II, 188.
Salus: an plures eam obtineant II, 138.
Salutatio: christiana I, 667; inimici II, 82. Salutatio Angelica II, 182.
Sancti: invocatio I, 533 et seq. Pro diversis conditionibus ac morbis etc. *ib.*; an habeant fidem II, 16.
Sanctificatio: festorum I, 596.
Sanctio: legis I, 105, 110.
Sanctitas: Clericorum I, 236; media ad ipsam 238. Matrimonii II, 643.
Sanguis: in Baptismo II, 188.
Sartor: an excusetur a jejunio I, 203; a labore in festo I, 606. Emens pannum, si aliquid sibi retinet 783.
Satisfactio: uno actu fit satis pluribus præceptis I, 157. Quæ requiritur ad reparandum honorem 958. Sacramentalis II, 378; utilitates 379; an recte detur sub conditione 380; quanta esse debet 381; an minui 383. An imponi Missa, matrimonium, ingressus in Religionem, opus internum, debitum, cessatio operis, opus pro defunctis 384; publica *ib.*; canonica 485; mutatio 385; si gravior 386; de circumstantiis 387; si pœnitens illius obliviscatur *ib.* Quando implenda; an per alium, vel cum alio 388 et 389; qui illam implet in mortali 389.
Scandalum: II, 98; activum *ib.*; passivum 101. An qui dat, teneatur de restitutione 888; pharisaicum 102.
Schedula: Confessionis an tribuenda non absolutis II, 453.
Schelling: valet fr. 1 et cent. 16; corrige textum I, 1005.
Schemata: cognationis II, 684, 685; explicatio schematis consanguinitatis 684 et 767.
Schiavitù: quid I, 774.
Schisma: II, 97; qui renuit subesse Papæ ut personæ privatæ 97.
Scholæ modernæ: I, 221. A quo visitandæ, moderandæ 370.
Scientia: differt ab opinione I, 64; Clericis necessaria I, 339; ordinandis II, 439; Confessariis 554. Ad censuram

I, 467; ad irregularitatem II, 565. Juris necessaria Clericis II, 554. Scientia habita a Confessione an liceat uti II, 128, 235, 449.
Scriba: qui scribit sententiam sanguinis an irregularis II, 572. An liceat scribere die festo I, 603.
Scripta: sunt propria Religiosi I, 298; alterius, si vulgentur 838; si legantur 738, 960.
Scriptura: ad contractus I, 771; qui verba S. Scripturæ usurpat 628.
Scrupulosus: I, 55. Si sit Confessarius 57; circa Missam de præcepto 186; circa Officium 560. Circa Confessiones II, 368.
Scrupulus: I, 55; quomodo curandus 56.
Scrutinium: pro ordinandis quid, quotuplex II, 552.
Sculptor: in festis I, 603.
Scurrilitas: I, 981.
Secretarius: obligationes I, 315.
Secretum: *v. Revelatio.*
Secta: *v. Societates.*
Seditio: II, 97.
Seductio: virginis I, 934.
Semen: an liceat expellere I, 434; II, 739. Qui fundit in usu conjugii II, 739 et 786.
Semifatui: an communicandi II, 249.
Seminarium: sit optime constitutum I, 362. In eo recipiantur omnes Clerici 283. Qui aspernantur *ib.*
Semiquietismus: II, 74.
Semirationalismus: quid II, 60.
Senex: quoad jejunium I, 202; quoad matrimonium II, 705.
Sensus: intimus quis I, 91; sensus distinguitur a consensu 401, 409, 507.
Sententia: obligat I, 310. Si pœnitens aliam a Confessario sequatur II, 403; convenit sequi benignam I, 98; II, 442. Circa probabile I, 103.
Separatio: Matutini a Laudibus I, 554.
Sepultura: privantur excommunicati juste I, 480, 519 et seq.; de ea rem resolvere est Episcopi, et qui privandi vel non 520. Decreta II, 872. Quid debet Parochus observare 273, 278. An possit emi 637. An liceat hæreticos comitari ad sepulturam I, 521, 480; II, 43. Quare sepultura dicatur Baptisma II, 183. Quid circa privationem sepulturæ ecclesiasticæ hodie maxime observandum I, 521. Circa locum I, 520.
Sequestrum: I, 827.
Serum lactis: in die jejunii I, 196.
Servi: obligationes I, 331; si ægrotent *ib.*; monita specialia 375. An dare eleemosynam II, 89; an cooperare in malo domini 105; an in festo laborare possint I, 606. Si cooperentur usuris domini 807; si furentur 969. An vendi et emi possint 774. Religiosorum quoad Pascha II, 234. Quoad Ordines 545. Quoad illorum matrimonium II, 681. Si damno cooperentur II, 105.
Servilia: opera I, 602.
Servitium Ecclesiæ: pro Clericis I, 341, 339.
Servitus: in rebus I, 673; quæ urbana, realis, continua etc. 674; quot modis constituitur et amittitur 675. Præcipuæ 835. Impedimentum matrimonii II, 681. An inducat irregularitatem 570.
Sigillum: litterarum frangere I, 961; sacramentale II, 446 et seq. Qui illud violant denuntiandi sunt II, 38.
Signa: mutus adhibeat ad Confessionem II, 372. Extraordinaria doloris 410. In moribundis 412. Inimicis exhibenda signa dilectionis 81; charitatis 77. Signa vocationis ad statum clericalem II, 550; ad religiosum I, 290, 373.
Silentium: in sacrario I, 337; II, 297.
Siligo: quoad Eucharistiam II, 238.
Simonia: quid I, 629; quotuplex 632; pœnæ 637; quoad Ordines 639; quoad Beneficia 638. Quid excusat 441; acceptum cui restituendum 640. Apud protestantes modernos 629. Munus a manu, a lingua, ab obsequio 630. Mentalis, conventionalis, realis, confidentialis 632. Juris divini et humani 633. An detur hic parvitas 633. An vendi jus præsentandi ad Beneficium 634. Qui dat pecuniam oranti, vel Missæ inservienti 635. Si ignoretur, si committatur ab aliis 642. Qui celebrat, concionatur, choro interest ob pecuniam 642; vel tradit doctrinam 643; an a simonia excuset redemptio a vexatione *ib.* An liceat in necessitate pecuniam dare ei, qui aliter non vult ministrare Sacramenta 644. An detur in legatis, capellaniis laicalibus II, 620.
Simplicitas: I, 988.
Simulatio: quid et quotuplex I, 977 in Religione II, 30; in Sacramentis 166.
Simultas: materiæ et formæ II, 153.
Sobrietas: I, 986.
Socialismus: I, 689.
Socialitas: I, 684.
Societas: quoad animalia tuenda contra hominis sævitiem I, 691. Societatis

contractus 798 ; *leonina* 799 ; in commercio 853. Temperantiæ 986. Propagationis fidei II, 66 et 137. Ad vulgandos libros utiles *ib.* Pro e carcere egressis I. 369. Inter conjuges I, 706, 799.
Societates: biblicæ II, 61. Occultæ II, 61, 39.
Socius: an possit recitari cum eo Officium I, 556 ; an cæcus debeat sumere socium in recitatione 563.
Sodomia: I, 435, 510.
Solemnitas: ad censuram I, 466 ; testamentum I, 723 ; contractus 765 ; in donationibus 816.
Solertia: quid I, 983.
Solicitatio: ad turpia II, 458.
Solidaria obligatio: I, 767, 885.
Solutio: I, 769. Si differatur 899.
Somnambolismus: v. Magnetismus.
Somnia: an mereantur fidem I, 611 et 612.
Somnus: pollutio in eo habita I, 435. In meditatione somnus I, 540.
Sorbetti: quoad jejunium I, 196.
Sorores: quoad hæreditatem I, 749.
Sortes: I, 614. Damnum sortis in mutuo 808. Sortes Sanctorum 614.
Sortilegium: I, 613.
Sortitiones: I, 834, 858.
Species: peccatorum I, 394 ; blasphemiarum I, 623 ; sacrilegiorum 626; incestuum I, 428. Eucharistiæ II, 277; species in individuo II, 151 ; infima 364.
Specificatio: I, 717.
Spectacula: Clericis prohibita I, 245.
Spectat ad Episcopum: quid indicat II, 868.
Spelta: an materia Eucharistiæ II, 238.
Spes: II, 66 ; objectum 67 ; certitudo 68; necessitas, vitia 69 et 70.
Spirituum manifestationes: I, 611; et II, 109.
Spolia: II, 612.
Sponsalia: II, 651 ; per metum 653 ; sine consensu parentum 654; an publico actu celebranda 656. Divisio 655 ; effectus 656. Conditionata 658 ; pœnæ 659. Arrhæ 660. Dissolutio 662. Impediunt matrimonium 673; dirimunt *ib.* Qui in iis ficte promittit 656; qua ætate 352. Facta a parentibus 655; quando implenda 657. An dissolvi mutuo consensu 662 ; ob superveniens impedimentum *ib.*; ob defectus 664; ob mutationem in bonis, ob fornicationem 665; ob discessum et moram 667; ob votum, Religionem 668 ; an ad ea solvenda requiratur judex 669.
Sponsi: an eorum fornicatio sit specie diversa I, 423. Quid circa eorum donationes I, 819. Quæ jura II, 656. Quæ officia et obligationes 660 ; quomodo eorum consensus excipiendus est a Parocho 661, 762 et 784.
Sponsio: I, 830 : conditiones *ib.*
Spontaneum: quid I, 20.
Spurius: v. Illegitimus.
Status civilis: acquisitio, probatio II, 792; animarum a Parocho fiat I, 349.
Status innocentiæ, legis naturæ, mosaycæ: ubinam Sacramenta II, 147. Melioris electio in sponsis 668. Religiosus (*v. Religio*). An Ecclesia sit status in statu I, 210, 513.
Stearinæ candelæ, ac *philippinæ:* in ritibus ecclesiasticis II, 282, 296.
Stipendium: famulorum I, 331; II, 971. Aliorum quando præscribitur I, 755. Missarum II, 272.
Stipes: I, 747 ; II, 683.
Stola: ad Missam II, 281.
Striges: I, 616.
Studiosi: an excusentur a jejunio I, 205.
Studiositas: I, 987.
Studium: Ecclesiasticis necessarium I. 239 et 337; sed in illo sit modus 338. Dotes, pro studio moralis Theologiæ 15; necessarium Parochis 259; Confessariis II, 439. Dilatandæ fidei II, 66.
Stuprum: quoad peccatum I, 425; quoad restitutionem I, 934 ; inter parentes 937; proles ex stupro 938.
Suadere: an liceat suadere minus malum ad majus vitandum II, 103; an modum, tempus I, 889.
Subarrhatio annuli: II, 653.
Subdiaconatus: II, 539; an suscipi uno die cum Minoribus 549.
Subdiaconus: an possit prædicare I, 280; an debeat recitare Officium I, 548; pensum Ordinationis II, 617.
Subditus: obligatio erga Regem I, 303; quoad pœnitentiam II, 421.
Subjectum: legis humanæ I, 134; censuræ 463; dominii I, 694. Restitutionis 864; fidei II, 16; spei 68; charitatis 85. Sacramentorum II, 157; Baptismi 200; Confirmationis 214; Eucharistiæ 248; Pœnitentiæ 333; Unctionis 472; Ordinis 549; Matrimonii 642.
Subreptio: I, 170.
Substitutio: quid et quotuplex I, 180, 228.
Successio: hæreditatis I, 733. Ascendentium, descendentium, collateralium 746 et 748 ; filii naturalis, conjugis 750; fisci *ib.* ; Quid ærario solvendum 855. Locatoris, an valeat conductorem expellere 789. Quid de ea quoad præs-

criptionem 756.
Succus: herbarum an ad Baptisma validus, vel fructuum II, 188.
Sudor: an valeat ad Baptismum II, 188.
Suffocatio: infantis II, 426.
Suffragia: an fieri possint pro excommunicato I, 477. Qui ea præbent ad malum 888. Quoad electionem Beneficiati II, 588; quoad electionem deputatorum I, 303 et 367.
Suicidium: I, 920, 995.
Summaria: quid sunt I, 124.
Supellectilis: Ecclesiæ I, 265, 348.
Superbia: quid, filiæ, remedia I, 416 et seq.
Superflua: Beneficii I, 699; status an danda pauperibus II, 86.
Superinscriptiones: I, 124.
Superstitio: quid, quotuplex, prudentia in ea evellenda I, 608, 609 et 659; pœna 609.
Surdus: quoad Officium I, 556, 557; testamentum 722; Confessionem II, 249, 373; irregularitatem 567; Missam I, 185.
Surdus-mutus: quoad Missæ auditionem I, 185; historia ejus instructionis 351; dirigendus 271. Quoad Communionem II, 249.
Suspectus: de hæresi II, 39.
Suspensio: I, 491. A divinis 492. Ex *informata conscientia* 493. Particularis 253, 595.
Suspicio: temeraria I, 942.
Sustentatio: Beneficiati in quo I, 698.
Susurratio: I, 945.
Syllabas: mutilare in Officio I, 557.
Sylva: data in usufructu I, 678. Eam an civis possit cædere, si sit communitatis 967, 1005.
Symbolum: II, 32.
Synaxis: quid II, 217.
Synderesis: quid I, 50.
Synodaticum: II, 613.
Systema phalansterianum: I, 689.

T

Tabacum: ante Communionem II, 252.
Taberna: Clericis prohibetur I, 246.
Tabulæ: semoventes, loquentes I, 663.
Tactus: v. Aspectus.
Tangere: vasa sacra II, 168.
Taxa: pro hæreditate I, 733. Innocentiana 637. In Missa II, 273.
Temeritas: I, 983.
Temperantia: I, 985.
Tempus: ad legem promulgandam I, 153; ad eam servandam 155; ad consuetudinem 177; pro probando Clerico habituato 284; quoad recitationem Officii I, 803; in mutuo 551; ad votum 574; præscriptionem 755; locationem 789; restitutionem 898. Ad actus fidei II, 69; spei 69; charitatis 76; orationem I, 532; meditationem 538. Ad Confessionem II, 357. Communionem 247; Ordines 558; implenda sponsalia 667; celebrandum matrimonium 672; debitum conjugale 742. Ad Confirmationem 214. Missam 270; ejus duratio 275. Tempus medium 275.
Tentatio: quid, remedia I, 540; tentatio Dei 620. An Deus tentet 390.
Tepidus: quomodo dirigendus I, 645.
Terminus: in sponsalibus II, 667.
Tesseræ: I, 832.
Testamentum: I, 720; quotuplex *ib.:* Militare, solemne, publicum, secretum 720. Solemnitates, additiones 721; si fiat sine solemnitate, plures resolutiones 846. Facultas testandi 726. Vocatio hæredis 731. Infirmatio 745. Ejus executor 744.
Testator: qui esse potest I, 726; quid si de ejus voluntate in testamento non constat 735. Varia monita 848.
Testis: obligationes I, 310. An Clerici teneantur testari 311. Quoad testamentum 722, 846. Ad probandum Baptisma II, 198; solvenda sponsalia 670 et 671; probanda impedimenta 711; ad matrimonium 704; contractum I, 769.
Testudines: in jejunio I, 191.
Theatra: v. Comœdia.
Thecnologia: quid I, 16; an novas præstet inducere in Theologia 386.
Theologia: moralis quid, objectum I, 13; quæ dotes in studioso 15. Necessitas II, 439: *v. Mystica.*
Theologorum: auctoritas I, 89 et 90.
Thesaurus: quid, cujus est I, 711; variæ resolutiones 844.
Theum: in Baptismo II, 188.
Timiditas: I, 985.
Timor: quotuplex II, 345. (*v. Metus.*)
Titulus: ad præscriptionem I, 754; ad auctarium in mutuo 809; legis civilis 813. Ad Confessionem audiendam II, 420; ad Ordines suscipiendos 554; an aliter determinari ab Episcopo I, 251.
Tolerantia: (*v. Indifferentismus*). Qui genuinus sensus I, 179 et 228; II, 62.
Toleratus vel non: I, 474.
Tonsura: quid II, 538; obligatio eam de

ferendi, quæ forma I, 240, 242.
Torum: (divortium) quoad II, 756.
Traditio: quomodo fit I, 718; ejus expensæ 719. Res vendita cui perit ante traditionem 777; et fructus cujus sunt *ib.*
Traditionalismus: II, 49.
Transactio: I, 797.
Transcriptio: in festo I, 603.
Transitus: in alienum fundum I, 716.
Translatio: rei, si perit I, 900.
Transubstantiatio: II, 227.
Tributa: solvenda I, 303; I, 879; quotuplicis generis 878; qui imponit *ib.* Super bonis in usufructu 678.
Tridentinum: quanta sit ejus auctoritas I, 123, 212.
Triennalis experientia: in conjugibus II, 706.
Trinus contractus: I, 800.
Turpiloquium; v. Verba obscœna.
Tutor: obligationes I, 327.
Typographi: an excusetur a jejunio I, 203; si componant libros malos II, 118.
Tyrannus: an ei obediendum I, 141; an liceat illum interficere I, 915.

U

Unctio: in Confirmatione II, 212; in ultimo Sacramento 469 531.
Unio: in contemplatione I, 543.
Unitas: matrimonii II, 648.
Urbanitas: I, 981.
Urina: an Baptismi materia II, 188.
Usuarius: jura I, 677.
Usucapio: I, 751.
Usufructuarius: jura I, 677.
Usura: quid, prohibita omni jure I, 804; qui in causa sunt, ut ea solvatur 806; hæredes usurarii *ib.* famuli usurarii 807. Si mentalis *ib.;* si dubia 808. Tituli excusantes *ib.;* ratio damni 809; pacti, pœnæ 810; periculi 812; si lex civilis eam permittat sine mensura 854, 857. Quid S. Pœnitentiaria quoad legem civilem 858. Opiniones auctorum 858. In quo a censu differt 853.
Usurpator regni: si exigat fidelitatem, quid I, 220. Bonorum ecclesiæ, responsa Pœnitentiariæ quoad censuram 517; quoad acquisitores II, 843.
Usus: I, 675. Usufructus 676; agri, gregis, sylvæ 678. Ejus extinctio *ib.*
Uxor: obligationes I, 330. An excusatur a jejunio 201. Ejus dominium I, 705; quid si proprio nomine laborat 706; de ejus societate cum marito *ib.* Quoad ejus furta 967; largitiones 89. Quoad habitationem et debitum II, 734 et 736. Quoad vota ejus et viri I, 583; filiorum 582; filiorum usumfructum 702; et eorum alimentum facto divortio II, 757.

V

Vagus: quoad leges I, 137; quoad matrimonium II, 701; Communionem paschalem 234.
Valor: Missæ II, 288; *v. Pretium.*
Vampirii: qui I, 611.
Vana observantia: I, 614.
Vanagloria: I, 417.
Variatio: formæ in Sacramentis II, 156; in Baptismate 193.
Vasa sacra: an converti in usum profanum I, 628; an sacrilegium ea profanare 668. Materia Subdiaconatus II, 539. A quibus tangi *ib.* benedici 877. Decretum *ib.*
Vaticinium: I, 610.
Vectigal: an solvendum I, 880.
Vectores: I, 783; in commercio 807.
Venatio: Clericis prohibita I, 247. In festis I, 604. Quid lex civilis 708; quando, quibus, quo in loco et an merito prohibita 843; qui venando damnificant *ib.*
Venæ metallicæ: cujus sunt I, 711.
Venditio: origo 771; quibus permissa 772. Merx *ib.* Pretium 778; ad creditum 782; per proxenetam 783; cum pacto 784; sub hasta *ib.*; per monopolium 785. Rescissio 787. An vita hominis vendi possit 774; si una res vendatur duobus 775. In festis 604. Rerum Ecclesiæ I, 773; 849.
Venenum: Clerico ministrare I, 487. Vendere an liceat 319, 773.
Venia: quam postulant filii I, 372.
Veniale: materia Confessionis II, 335; utiliter aperitur 336; quid I, 402; si multiplicetur 402; effectus 415.
Veracitas: I, 976.
Verba: qui turpia profert, audit I, 441, 442, 510. Legis quomodo accipienda 163. Turpia in Ecclesia 430.
Verbera: in parentes I, 324; casus reservatus II, 426. Causa divortii 754.
Verecundia: I, 985.
Veritas: in juramento I, 588.
Vesperarum hora: quænam I, 552.
Vestis: sacra an converti in usum profanum I, 628; si mulier utatur veste virili vel indecenti II, 100. Vestis Clericorum (*v. Habitus*). In Missæ celebratione II, 281. Benedictio vestium pro

Missa a quibus fit 281. An mulier non habens vestes convenientes excusetur a Missæ auditione I, 188.
Vetitum ecclesiæ: II, 672.
Vexatio: an redimi possit I, 643.
Via Crucis: decreta II, 877. Via purgativa, illuminativa, unitiva I, 647.
Viaticum: II, 234. Si illud sumpturum, velit confiteri 498; an pluries dari, a quo et non jejuno 235, 236.
Viator (*v. Iter, Peregrinus*). Quoad jejunium I, 203.
Vicarius apostolicus: I, 343.
Vicarius capitularis generalis: I, 342, 254; quoad hæresim II, 38, quoad votum 580; dimissorias II, 560; interstitia 558; Indulgentias 303; leges I, 121, 254.
Vicarius foraneus: obligationes I, 257.
Vicarius generalis Episcopi: I, 253, 343; an ferre possit censuras 460; dispensare in Officio I, 563; in hæresi II, 38, 41; in interstitiis II, 558; in irregularitatibus 573; dare dimissorias 560; approbare ad Confessionem 416; dispensare in bannis 713; in impedimentis 715. An aliquando appellari possit ab ipso ad Episcopum I, 253.
Vicarius generalis Monialium: I, 343.
Vice-Parochus: obligationes I, 278.
Vidua: quoad matrimonium II, 649.
Vigilia: unde I, 190. Nativitatis quoad jejunium *ib.*
Vindicta: qui sumit II, 82; qui petit *ib.*
Vinum: in jejunio I, 196. An liceat dare sine mensura 448 et 512. In Eucharistia II, 239. In Baptismate 188. In venditione si mixtum I, 776.
Violatio: Ecclesiæ I, 430; II, 627; censuræ quoad irregularitatem II, 563; quando polluitur 430 et 627. Voti I, 574.
Violentia: quid I, 25.
Vir: v. Conjuges.
Virga divinatoria: I, 613.
Virginitas: quid, præstantia I, 989 et 990.
Virgo: v. Puella, Mulier.
Virtus: quid I, 525. Intellectualis 526; infusa *ib.;* moralis *ib.;* an omnes virtutes connexæ sint et æquales 527. Virtus Religionis *ib.;* theologica 526; pœnitentiæ II, 331.
Vis: I, 25; an eam vi liceat repellere II, 928. Impediens vi ab aliquo bono 877; (*v. Metus*). In matrimonio II, 692.
Visitatio: Ss. Sacramenti II, 229. Episcoporum in Diœcesi I, 252.
Vita: hominis an alienari I, 838; an sub dominio sui cadat 692. An liceat occidere invasorem ad eam defendendam 928. Quibus mediis tenemur eam conservare 922; I, 317. An alienæ nostram debeamus præferre I, 928.
Vitalis filius: quis I, 849.
Vitalitius: I, 793.
Vitandus: vel non I, 474; *v. Excommunicatus.*
Vitium: in præscriptione I, 756; in merce 775; in sponsis II, 664. In quo differat a peccato I, 378. Vitia capitalia 416.
Vocatio: ad statum religiosum I, 289, 363, 668. Ad Ordines II, 550.
Volitum: I, 19, 91.
Voluntarium: I, 20; impedimenta 24.
Voluntas: I, 19; ad peccatum 397; ad votum 564; clericandi II, 552. An vim patiatur I, 25.
Voluptas: comedere ob voluptatem I, 447. Sic uti matrimonio II, 741, vel ob illam contrahere 637.
Vomitus: quoad Communionem II, 234.
Votiva Missa: II, 291, 327 et 862.
Votum: quid I, 564; bonitas 565; divisio *ib.* Quis potest vovere 566; quid si votum sit ex errore 567; advertentia necessaria *ib.;* quid voto promitti *ib.;* matres quæ vovent pro filiis 568, 576; si ob finem pravum 570; in quo distinguitur a proposito 564, 567; si dubium 572; disjunctivum *ib.;* conditionatum 573; quando implendum 574. Vulgus sæpe confundit desideria cum voto 564. Quid de voto castitatis a conjugibus emisso 584; II, 715. Violatio 574: interpretatio 576; cessatio, mutatio 577; commutatio 578; dispensatio 580. Reservatum *ib.;* solemne 581. Irritatio 582; filiorum *ib.:* conjugum 584, II, 673; famulorum I, 584. De matrimonio 569. Si habeat stuprator 937; II, 668. An solvat sponsalia 668; dirimat matrimonium 682; an impediat 673. Votorum Religionis præstantia I, 297, 365. Paupertatis 297; castitatis 299; obedientiæ 300. Quod in Ordinatione emittitur II, 575 et 576. An suppleat vices Baptismi 186. Quid si puella vellet castitatem vovere, et modus illud votum emittendi I, 652. Quid de voto pro defunctis nuncupato II, 328.

Z

Zea: an materia Eucharistiæ II, 238.
Zelus: II, 77; fidei dilatandæ 66.
Zingari: qui I, 612; eos pellat Parochus II, 64.

APPENDIX

DE

Sanctæ Cruciatæ Bulla.

Cum Sanctæ Cruciatæ Bulla thesaurus sit indulgentiarum privilegiorumque ditissimus, quo SS. Pontifices Catholicam nostram Hispaniam ornatam ditatamque voluere; cumque circa ejusdem expositionem non paucæ quampluries oriantur difficultates, quarum solutio non ita facilis expeditaque sit apud omnes, quorum est ejusdem paragrafos intelligere, easque, quæ ex ipsis oriuntur, difficultates resolvere; ideo de ejusdem tractatu carere noluimus egregium Scavini opus, in quo aliunde nihil desiderandum invenimus, sive Confessariis recolendum, sive tyronibus studendum illud consideremus.

Cumque aliunde in recentiori studiorum, pro conciliaribus Seminariis, norma veniat expressum, opus erat ut in eo invenirent qui hujuscemodi scholas adeunt aliquid, quo sua circa hanc maximi in Morali theologia momenti partem, studia peragerent; et professores aliquid quo sicut e bassi ac fundamento ad suas circa materiem hanc explicationes lectionesque conscenderent. Ideo utile duximus seligere quidquid melius hac super re a maximis auctoribus fuerit scriptum, qui de illa sermonem fecerunt; variationes a novis S. S. R. responsionibus et a Bulla Pii P. P. IX recenter introductas enumerando, atque pro ipsarum opportunitate illas nostris exiguis viribus ac notionibus exponentes.

Procul tamen a nobis credere quod noster exiguus labor necessitatibus, quibus hac super re versamur, respondeat, procul, inquam, a nobis tale credere multoque minus asserere. Sed opus erat ut indicationibus, quæ nobis mandata sunt, submissi essemus, atque nostris amicis nos ad id assidue incitantibus obtemperaremur. Utinam nobis assequi datum esset hasce quæstiones ita tractare, ut implicatum illarum studium omnibus assequibile esset, ut nullatenus in praxi dubiis anxietatibusque manerent involuti!

Quoad vero modum hujus tenuis operis peragendi melius opportuniusque agere duximus, si loco Brevis Gregorii PP. XIII, quod adducunt communiter omnes, qui super Cruciatæ Bullam explicationes instituunt, Pii PP. IX nuper datum transcriberemus, in quo actualis S. P. gratias a Gregorio XIII concessas ad 12 usque annos distendit. Atque ad hoc nos præcipue impulerunt tum exemplarium Brevis hujus egestas; tum etiam, et hoc præcipue, aliquod valde notabile discrimen hoc inter et illud, quod in explicationibus anterioribus non notabatur, vel quia nondum existebat, vel quia auctores posteriores noluerunt materiam hanc pro hac parte pertractare. Talis est v. g. super reservatorum absolutionem, indulgentiarum suspensionem, aliaque quæ legenti obiter notanda apparebunt.

Itaque S. P. regnantis Pii PP. IX Breve transcribimus integrum, ita tamen, ut passim observationes, quas opportunum crediderimus facere, pro re nata innuamus, modo quo breviori atque clariori possimus.

TEXTUS BULLÆ.

Carissimæ in Christo Filiæ nostræ Elisabeth Hispaniarum Reginæ Catholicæ.

PIUS PP. IX.

Carissima in Christo Filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem. A multo jam tempore dum infideles populi Catholicos Principes et nationes diro bello vexarent, et diversis Europæ regionibus, ipsique Italiæ gravia ex illorum armis in fidei etiam et animarum discrimen pericula impenderent, Philippus II. Hispaniarum Rex, Catholicæ Majestatis Tuæ Decessor, a Sancta hac Sede apostolicas litteras accepit, quibus plures gratiæ et favores spirituales et temporales ad nonnullos annos tributæ sunt iis, qui ex Hispanica Ditione ad prælia contra infideles proficiscerentur, aut militares illas expeditiones peculiari ope seu contributa in necessarias expensas pecuniæ summa juvarent. Idem indultum nonnullis porro additis seu declaratis, sæpius deinde a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac semel etiam a nobis prorogatum et renovatum fuit; et si tanta illa belli contra infideles necessitas, mutata tandem temporum causa, fere cessaverit; quæ quidem ejus indulti recentiores concessiones eo consilio factæ sunt, ut eleemosynæ inde collectæ sin minus ad prælia eadem, in alios tamen pios usus erogarentur. Novissime vero a dilecto filio Francisco Martinez de la Rosa, Tuo apud Sanctam hanc Sedem Oratore, Catholicæ Majestatis Tuæ nomine supplicatum nobis est, ut denuo illud prorogare velimus: atque una cognovimus, consilium tibi esse, ut summæ quæ inde colligantur, cedant omnino in expensas divini cultus et levamen Hispanicarum Ecclesiarum, quæ in anteacta temporis calamitate tot tantisque suorum redituum et obventionum detrimentis afflictæ sunt. Nos igitur tuum hujusmodi consilium meritis efferentes laudibus, desiderio illi et postulationi Tuæ quatenus id nobis opportunum in Domino visum est, obsecundare decrevimus. Quare auctoritate apostolica nostrisque hisce litteris, ad duodecim annos a die primæ illarum publicationis computandos, et non ultra id tempus valituris, concedimus et indulgemus, ut Christi fideles utriusque sexus in regno Hispaniarum, et in Insulis, aliisve locis etiam ultramarinis civili Ditioni Majestatis Tuæ subditis commorantes, vel ad regnum, Insulas aut ad loca eadem divertentes, qui intra annum a consuetis publicationibus harum earumdem litterarum de more computandum, sponte contulerint eleemosynam a Commissario et executore, de quo inferius sermo erit, pro vario eorumdem Christifidelium gradu et conditione taxatam, et in supradictos pios usus erogandam, gratiis, favoribus et privilegiis frui possint quæ nunc declarabimus. De his vero a Commissario prædicto Summarium conficiendum erit, quod unusquisque ex commemoratis Christifidelibus accipere debebit, ut privilegiis, favoribus gratiisque ipsis frui possint.

DE BULLÆ NOTIONIBUS GENERALIBUS.

Q. 1. *Unde nomen, origo et concessio Bullæ Cruciatæ?*

R. 1. Bullæ nomen ab antiquo Romanorum more dictum est. *Cruciatæ* vero quia contra inimicos fidei Crucem ferentibus concessa.

R. 2. Origo Cruciatæ fuit sub Urbano II circa annum 1166, quia tunc fuit concessa pro expeditione Terræ Sanctæ, eoque anno feliciter civitas Hierusalem a Christianis capta. Inde Pontifices data occasione similem concessere Bullam, ut ab Innoc. III anno 1207 accipientibus Crucem pro sacro bello Albigensi etc.

R. 3. In Hispania Bulla Cruciatæ primo fuit concessa a Julio II, ab eo usque modo, cum aliquibus brevibus interruptionibus, a sucessoribus continuata (quorum seriem vide apud Laram *in lib. Trium gratiar.)* et a Gregorio XIII anno 1573 amplior et favorabilior cæteris concessa Philippo II, diciturque Bulla *plumbea* seu *Latina* qua utuntur communiter Expositores,

quæque cum aliqua modificatione ad præsens durat concessa per Pium IX textu infra adducendo.

Q. 2. *Quid et quotuplex est Bulla?*

R. 1. Bulla est diploma Pontificium multa et utilia privilegia, indulta et gratias continens, Regi catholico Hispaniarum concessum in subsidium belli contra infideles, et nunc in expensas divini cultus et levamen Hispanicarum Ecclesiarum.

R. 2. Quadruplex est Bulla : nempe *communis vivorum,* communiter vivis concessa; *Lacticiniorum,* pro Sacerdotibus sæcularibus et regularibus, atque Prælatis; *Defunctorum,* cum indulgentia pro illis; et *Compositionis,* aliquorum bonorum restitutioni obnoxiorum : quibus addendum est indultum Apostolicum sub nomine inter nos *Bula de carne.*

Q. 3. *Quibusnam locis et personis conceditur Bulla?*

R. *Concedi,* ut ex Bulla constat, Christifidelibus utriusque sexus in Regno Hispaniarum, et in Insulis, aliisve locis etiam ultramarinis civili Ditioni Majestatis Catholicæ subditis commorantibus, vel ad regnum, Insulas aut ad loca eadem divertentibus etc.

Ex quibus infero cum comm.

I. *Concedi* etiam illis Regnis, et locis, intra et extra Europam, quæ denuo armis Regis subjugata fuere, modo arma, vel jura ad talia capessenda Regna vel loca, Hispaniæ nomine vel adjacentium Insularum inducta sint.

II. *Concedi* etiam omnibus extraneis ad hæc Regna vel marinos portus advenientibus, ad commorandum ibi, vel negotia peragenda, vel ad peregrinandum vel tantum causa videndi has Regiones. Ita patet ex Bullæ verbis.

III. *Concedi ei,* qui accepta Bulla in his locis tendit ad ea Regna, in quibus non conceditur (excepto privilegio vescendi carnibus, ovis et lacticiniis), quia Bulla in hoc solo privilegio ponit exceptionem.

Ad hujus doctrinæ confirmationem in medium adducimus verba Commissarii generalis, qui in Bullæ explicatione sub n.° 10 ait: *Basta que uno ponga el pié en los dominios del Rey de España, durante el año de la Bula, para que pueda tomarla y valerse de sus privilegios, no solo el tiempo que se mantiene en estos Reinos, sino que aun saliendo fuera de ellos, podrá usar de todos á escepcion del indulto de manjares prohibidos en los dias de ayuno. Así que la Bula sufraga al estrangero como al español, como esté en los dominios del Rey, ahora esté de asiento, ahora venga de paso, y esto sin distincion de sexos ni de condiciones, porque ella sirve a hombres y á mujeres, á los nobles y á los plebeyos, etc.*

Minime autem concedi pro Regno, insula aut loco ab obedientia Regis catholici cum rebellione recedente et alteri Principi cum juramento se summitente, nisi Pontifex pro illis denuo concesserit.

Neque existenti extra Regna Hispaniæ, cum pro illo hic accipitur Bulla et ei remittitur. Quia hoc privilegium est personale et locale simul dum recipitur; valeret tamen ei, quando in Hispaniam rediret pro residuo anni, quia privilegium qua parte locale impletur assistentia in Hispania tempore accipiendæ Bullæ, nempe intra annum, et tunc accep-

tatio non minus valet quam acceptio, cum amplius non requiratur ad Bullæ valorem, ejusque licitum et validum usum, quam existentia accipientis illam in Regnis Hispaniæ vel tempore publicationis, et acceptionis ipsius, vel tempore durationis ejusdem. Hinc infertur valere Bullam etiam extraneo, qui ex Gallia, v. g. in Hispaniam veniret sola causa accipiendi Bullam ; non tamen posset extra Hispaniam uti privilegio utendi lacticiniis et ovis in diebus quadragesimæ, et vescendi carnibus ex consilio utriusque medici diebus prohibitis. Vide Ferraris, Biblioth. V. Bullæ Cruciatæ n. 4.

Q. 4. *Cujus conditionis personis potest prodesse Bulla?*

R. 1. *Omnibus et singulis Christi fidelibus in Hispaniarum Regnis.* Verba sunt Bullæ. Unde *pueri* ante usum rationis tempore interdicti possunt in loco sacro sepeliri moderata pompa ; *amentes, fatui, furiosi* ad idem et ad privilegia, et sacramenta, quorum sunt capaces, et ad absolutionem a censuris, si ante amentiam pie vixerunt, et ad indulgentiam in articulo mortis, et si ad rationem redirent, ad omnia.

R. 2. Qui est in peccato mortali potest Bullam accipere et ea gaudere, etiam si Bullæ fidens peccaverit, exceptis indulgentiis et indulto compositionis: nisi graviter per malitiam peccet, Bullæ expeditionem impediens.

R. 3. Qui ex illicito actu, sed non contra justitiam commutativam, pecuniam acquisivit, potest ex illa dare eleemosynam, et Bulla frui.

R. 4. Excommunicatus potest Bullam accipere, absolvi ab excommunicatione, et frui omnibus gratiis ; si tamen fuerit pertinax, non poterit lucrari indulgentias ; si autem per ipsum non stet, quod non absolvatur ab excommunicatione, et per actum contritionis sit in gratia, poterit eis et omnibus gratiis frui, quia sic credendum est de pia matre Ecclesia. Idem dici potest *cæteris paribus* de hæreticis et schismaticis, sive hæresis sit interna sive externa. Attamen, dum in hac ultima vel schismate perseverent, nec absolutionem obtineant a superiore competenti, nequeunt Confessarium eligere, nec absolvi vi Bullæ (1). Non desunt AA. qui aliter censent ; quoad Catechumenos nullo possunt Bullæ privilegio frui, cum non sint intra Ecclesiam, nec legibus ipsius subdantur, ut possint cum illis exerceri actus jurisdictionis et clavium ad quos pertinent omnia Bullæ indulta.

R. 5. Pro defuncto, qui adhuc vivens petit Bullam vivorum, potest illa accipi ut absolvatur ab excommunicatione, et sepeliatur in loco sacro, et tempore interdicto, moderata pompa : si autem non petiit, non potest ei valere: quia in primo casu permanet ejus voluntas virtualiter, sicut in aliis dispositionibus, non vero in secundo, sicque non verificatur ipsum dare et accipere, et ly *in quantum dedisti etc.* Sic conciliantur oppositæ sententiæ.

R. 6. Item Religiosi possunt, de licentia Prælati habentes pecuniam ad usum honestum, Bullam sumere et omnibus ejus frui indultis (2), quin Prælatus possit ea limitari, nec licentiam negare. Unde Commissarius generalis in Bullæ explicatione n. 40 de dictis religiosis loquens ait : *que no les aprovecha para este efecto* (id est ad lacticiniorum usum) *aunque en todo lo demas*

(1) Ita Mend. n. 13 et 14. Vill. Navarr., Rodrig. Trull. et alii cum communi recentiorum.
(2) Vide infra ubi de electione confessarii.

les sufraga igualmente que à las otras personas. Animadvertatur quod Commissarius loquatur tempore quo adhuc interdictum erat regularibus lacticiniis vesci, nunc vero temporis, ut infra videbitur, ad sacerdotes regulares quoque extensum est tale privilegium. Quoad novitios nullum dubium est quin possint Bullam sumere etiam *invito superiore*, et frui omnibus ejus privilegiis, cum communiter ab AA. Religiosi considerentur in favorabilibus, minime vero in odiosis. Et etiam quoad professos opinio asserens invito superiore posse Bullam sumere, pro probabiliori habetur, quin tamen contraria probabilitate careat, præsertim si superior justa de causa licentiam negaret, in quo casu subditus saltem peccaret contra obedientiam.

Q. 5. *Quis potest Bullam Cruciatæ concedere?*

R. Solus Summus Pontifex in quo residet plena potestas super universam Ecclesiam.

Q. 6. *Expirat Bulla morte Pontificis concedentis?*

R. Minime: quia cum sit gratia, expressum est C. *Si super gratia de Offic. et potest. jud. deleg. in* 6.° quod gratia, facta a Sede Apostolica non expirat morte concedentis.

Q. 7. *Potest Pontifex Bullam revocare?*

R. Non potest id facere, nisi causa gravissima aut utilitatis communis adstante, et cum debita compensatione facta his qui illam acceperint, quando jam annus suæ concessionis incœperit, et hujus ratio fundatur in eo quod dicta concessio speciem contractus onerosi et lucrativi involvit, ideoque nec ipse summus Pontifex potest illum revocare (1). Poterit tamen dictam revocationem facere, quando tempus concessionis spiraverit, quoniam Bullam revocare sicut et illam concedere ab unica ejus pendet voluntate. Cum autem leges revocatoriæ seu irritantes ita debeant promulgari ut ad omnium notitiam perveniant, si quis *ignorans adhuc revocationem*, casu quo Bulla revocata fuisset, et peccata reservata confiteretur, eorum absolutio vi Bullæ data, valida esset: et *sic præsumitur ex mente Pontificis, ad vitanda pericula animarum*, ut ait Henriq. l. 7 de indulg. c. 20 et Men. D. 2, n. 12 et 38, sicuti valida esset absolutio, si quis reservatorum confessionem incœpisset eo animo ut vi Bullæ ab illis absolveretur et casu aliquo confessionem suspendere debuisset, si interim Bullæ revocatio in ejus notitiam perveniret, posset confessioni dare finem et *vi ejusdem privilegii* absolvi, quoniam judicium inchoatum jam erat ante revocationis scientiam. Si autem e converso, revocatio legitime et sufficienter intimata fuisset, et quis laborans ignorantia invincibili hujus revocationis, virtute Bullæ a reservatis absolveretur, uteturque omnibus ejus privilegiis, excusaretur quidem a culpa propter ignorantiam, sed confessio esset invalida, quia deficeret in isto casu error communis et titulus coloratus, cum Bulla supponatur revocata, ejusque revocatio sit sufficienter promulgata.

Animadvertendum est, hanc Bullam illiusque privilegia non revocari per Jubilæum anni sancti nec per aliud quodcumque, licet in eo dicatur omnes gratias, privilegia, et facultates revocari, etiam Regibus ex quacumque causa concessas. Probatur hæc assertio eadem ratione qua usi sumus supra

(1) Vid. Fagn. in C. *Relatum* ne Clerici vel Monachi.

ad probandum intra annum publicationis non posse a Pontifice revocari, nisi ex urgentissima causa boni publici, reddendoque pecuniam quam fideles pro Bulla elargiti sunt; et præsertim quia Clemens VIII anno 1600, qui fuit annus Jubilæi anni sancti, declaravit per illum Bullæ privilegia non revocari. Idemque declaratum est, teste Diana, Commissario Cruciatæ ab Urbano VIII pro anno 1625 et a Gregorio XIII, ut refert Lara in *Comp. trium gratiar. pag.* 27, anno 1574 die 18 Novembris: quod confirmatur a praxi illam publicandi omnibus annis etiam tempore Jubilæi. Similiter neque revocatur per Bullam Cœnæ, quia *crimine hæresis excepto, et quoad ecclesiasticos excepta etiam censura, de qua in Constitut. Benedict.* XIV. Sacramentum pœnitent., per Bullam Cruciatæ *absolvi fideles possunt a quibuscumque peccatis et censuris cuicumque Ordinario et etiam Sedi Apostolicæ reservatis.* Bulla n. 6. Incredibile vero est quod hæc facultas, quæ singulis annis a Pontifice conceditur pro Hispaniæ Regnis, in eisque publicatur, per Bullam Cœnæ revocetur. Accedit ad hæc quod secundum Gury... Bulla Cœnæ numquam fuit in Hispania recepta, et videre est etiam notam quam opposuimus fini primæ partis Appendicis IX pag. 908. Theol. Scavini.

Q. 8. *Quamdiu durat Bulla, et quomodo sit hoc tempus computandum?*

R. Bulla durat per tempus unius anni, uti ex verbis ejusdem constat, qui incipit a die publicationis dictæ Bullæ in unoquoque loco. Annus durationis Bullæ non pro naturali et solari, ut aliqui AA. tenent, sed pro ecclesiastico sumendus est, scilicet a publicatione unius Bullæ usque ad promulgationem alterius, quamvis aliquando pauciores vel plures dies habeat publicationis annus: sicut contigit in anno confessionis et communionis. Vide Trull. § 1, dub. 11. Henriq. L. 7, c. 29. Mend. dip. 21, n. 7, Sanch. d. 55, n. 3 in select. App. Tract. VI. Op. mor. Salmant. et alios.

Ex quibus, quæ communia et certa sunt apud omnes, infertur: 1.° Quod qui Bullam sumit ante ejus publicationem (quæ ut tenet Bardi fit per solemnes illius processiones) nullo illius privilegio frui valet, usquedum publicetur: 2.° Quod qui illam sumit ubi jam promulgata est et vadit ubi nondum est promulgata, potest probabiliter illius privilegiis frui; adhuc tempore intermedio, donec publicetur anno sequenti in dicto loco, tunc non annum ecclesiasticum computando, sed a die quo promulgata fuit ubi illam accepit, ad diem quo anno sequenti publicetur loco ubi habitat. 3.° Anno concessionis transacto privilegiis Bullæ anni anterioris minime frui posse, etiamsi non possit de novo altera accipi. 4.° Accipientem illam post aliquos dies vel menses non posse ipsa frui per annum integrum, sed spirat pro eo, sicut et pro cæteris omnibus die promulgationis subsequentis, quia annus computatur non a die receptionis sed promulgationis. 5.° Non sufficere intentionem illam sumendi, nec præsumptionem alium pro alio sumpturum esse, sed necesse est quod de facto illam accipiat et eleemosynam det, ut suis privilegiis frui possit, nisi *certo* sciat absentem v. g. patrem pro illo sumpturum: et diximus *certo,* non enim sufficit persuasio fundata in more annorum antecedentium, quod valet præsertim si agatur de absolutione reservatorum.

Q. 9. *Quid amplius requiritur præter receptionem Bullæ ad hoc ut quis ejus privilegiis frui possit?*

R. Præter Bullæ realem receptionem requiritur, ut quis ejus gratiis utatur, quod recipiens eam sibi applicet et acceptet et prudenti diligentia reneat: quia Commissarius generalis expresse dicit: *Y declaramos que los que quieran gozar de sus indulgencias y gracias han de tomar y retener este sumario de ellas, impreso, sellado y firmado de nuestro sello y nombre, para que no puedan errar acerca de las gracias que les son concedidas, ni otros usurpárselas, y que cada uno pueda mostrar con que facultad usa de ellas*, et in explicatione ipsius Commissarii voto facta dicitur n. 72: *Es menester aplicarla nominadamente y en particular. Para eso veréis que en el Sumario de cada una de las cuatro Bulas se deja un blanco, y es para que escribais ó hagais escribir en él vuestro propio nombre y apellido, ó de aquel para quien se destine la Bula.* Circa inscriptionem nominis Bullam accipientis in ipsa, duplex stat sententia probabilis. Prima dicit, non esse necessarium in illa nomen inscribere, præfata verba Commissarii interpretando esse consilium, non præceptum. Secunda probabilior et securior affirmat, necessarium esse in Bulla nomen inscribere, ut quis valeat ejus indultis frui, quod fuse probatur *in App. cit. Tract.* 6, *Op. Mor. Salmant.* Ideoque utriusque sententiæ AA. monent consultius et tutius esse nomen recipientis in Bulla inscribere, eo vel maxime, ut si quis in articulo mortis constitutus sensibus subito destituatur, per nomen proprium in ea inscriptum constet habere Bullam, vi cujus absolvatur, et indulgentia plenaria ei applicetur et in loco sacro tempore interdicti sepeliri possit. Ita tamen censeo quod si quis per oblivionem; non per malitiam, nomen in ipsa non inscriberet, posset privilegiis Bullæ frui, sicut et ille cui *Bulla, cum mediocri diligentia servata, sine culpa deperditur, vel rumpitur, credo quod valet, quia non debet esse major obligatio in hac parte quam in aliis rebus*, ut cum Nunno tom. 2, in 3 part. D. Th. etc. ait Wigant d. Bul. S. Cruciat. quær. 6.

R. 2. Requiritur etiam, *ut sponte contulerint eleemosynam a Commissario et executore... pro vario eorumdem Christifidelium gradu et conditione taxatam, et in supradictos pios usus erogandam* etc. Quæ quidem eleemosyna juxta omnes AA. debet esse ex bonis propriis; etiamsi aliunde illicite acquisitis, ut a meretricibus ex meretricio, minime vero ex injuste acquisitis, seu ex iis quæ obligationi restitutionis sunt obnoxia. Et tametsi non legatur in præsenti Bulla, quod in Gregorii XIII *ex bonis sibi a Deo collatis*, nihilominus nullo modo intelligendum, S. Pontificem velle ex *pecuniis non suis* talem eleemosynam fieri. Sentiunt attamen aliqui AA. quod si quis pecuniam propriam et furtive acceptam unam cum altera immisceat et confundat, et postea ex cumulo eleemosynam pro Bulla solvat, Bulla et omnibus ejus privilegiis frui valebit, quia tunc jam est verus dominus totius cumuli pecuniæ, et consequenter Bullam accipit ex bonis suis, quamvis remaneat cum obligatione eamdem quantitatam furatam in specie restituendi. Ita *Ludov. a Cruc. Vegan. Trulenck. Diana et alii.* Bulla communis potest eodem anno bis sumi, data utraque vice eleemosyna taxata, et secunda Bulla inserviet, ut qui eam accipit, possit iterum indulgentiam plenariam in vita et iterum in mortis articulo lucrari, licet per primam lucratus fuerit. Item ut iterum absolvatur ab iis reservatis, a quibus forte semel absolutus fuit per primam

Bullam. Et insuper poterit iterum seu bis accipi eodem anno Bulla pro defunctis, atque adeo bis applicari pro ipsis plenaria indulgentia.

Cum, ut animadvertit S. Pontifex in cit. Bulla, tanta belli contra infideles necessitas, mutata tandem temporum causa, fere cessaverit, ideo conditiones euntium vel mittentium ad bellum, brevitati consulentes, in medium non afferemus.

BULLÆ PUNCTUM I.

Ac primum quidem iisdem Christifidelibus omnibus et singulis, qui vere pœnitentes peccata sua intra prædictum annum confessi fuerint, et SS. Eucharistiæ Sacramentum devote susceperint, aut si non valeant hæc Sacramenta suscipere, id saltem contrito corde desiderent, plenariam omnium et singulorum suorum peccatorum indulgentiam et remissionem, quæ proficiscentibus ad recuperationem terræ sanctæ concedi consueverat, quæque in anno jubilæi concedi solita est, tribuimus et elargimur, eos temen qui peccata sua confiteri non possint, et si id contrito corde desiderent, supradicta plenaria indulgentia tunc solum frui posse statuimus, si alias intra præscriptum cuique fideli ab Ecclesia tempus confessi sint, neque in hujus nostræ concessionis confidentiam præceptum illud adimplere neglexerint.

Ex Bullæ verbis infertur: 1.° indulgentiam, quæ in prædictis clausulis conceditur a Pontifice, esse totalem, plenariam aut plenissimam, et non solum de pœnitentiis injunctis, sed remissionem et relaxationem esse totius pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. Tum quia Pontifex absque ulla restrictione dicit, se concedere fidelibus *plenariam omnium et singulorum suorum peccatorum indulgentiam et remissionem.* Tum etiam, quia eamdem iisdem illis indulgentiam elargitur, quæ concedi solet proficiscentibus ad recuperationem terræ sanctæ, et in anno jubilæi, quas plenarias et totales esse apud omnes est indubitatum.

2.° Ad hanc indulgentiam lucrandum, requiri, præter contritionem, peccatorum confessionem ore factam ab iis qui illam velint adipisci, et devotam SS. Eucharistiæ susceptionem. Unde non satis erit esse contritos et in gratia existere ad illam participandam, sed necessario debent confessionem præmittere: nisi ob aliquam causam dicta sacramenta recipere non valeant, tunc enim sufficit, eum, qui hanc indulgentiam vult obtinere, esse contritum, et in gratia, et propositum ea suscipiendi habeat, nec in confidentiam hujus gratiæ præceptum annuæ confessionis neglexerit adimplere, sed e contra, intra præscriptum cuique fideli ab Ecclesia tempus confessus sit.

Notandum hic, hujusmodi indulgentiam necesse non esse per confessarium ad hoc electum applicari; sufficiunt enim conditiones paragrapho præcedenti appositæ, ut ex verbis Bullæ infertur, unde confessarii *no deberán hacer esta aplicacion, pues de lo contrario se arrogarian una facultad que no tienen.* Sunt verba Exmi. Archiepiscop. Granatensis in sua instructione Pastorali super hoc Brevi.

Notandum pariter non concedi indulgentiam plenariam in articulo mortis, unde non est applicanda in extremis existentibus juxta antiquam concessionem. Sed Romanus Pontifex facultatem Episcopis concessit quod in tali casu vel per se vel per Sacerdotem ad hoc deputatum benedictionem papalem impertiri possint.

II.

Insuper omnibus et singulis Christifidelibus prædictis, ut ipsi dicto anno durante, possint in Ecclesiis, in quibus alias Divina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato oratorio ad Divinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitando, et designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominus amoveatur; et illi qui facultatem ad id ab harum litterarum Executore et Commissario alias habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies et per horam post meridiem, in sua ac familiarium, et domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia Missas, et alia Divina officia, per se ipsos, si presbyteri fuerint, vel per alium, celebrari facere et tempore interdicti illis interesse, clausis januis, et non pulsatis campanis, et excommunicatis ac specialiter interdictis exclusis. Ita tamen, ut, si privato oratorio ad præmissa uti voluerint, quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, propagatione Catholicæ fidei, et pace et concordia Principum christianorum fundere teneantur: nec non durante hujusmodi interdicto, Eucharistiam, et alia Sacramenta in dictis Ecclesiis, vel oratorio, præterquam in die Paschatis, recipere; ipsorumque Christifidelium, tempore interdicti hujusmodi, decedentium corpora (nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri valeant.

Ad hujus textus intelligentiam animadvertendum est:

1. Nomine interdicti intelligi interdictum Apostolicum, sive Ordinarii, sive locale, sive generale. 2. Sufficere quod caput Familiæ Bullam acceperit ut privilegio hic contento frui possint domestici, consanguinei etc. etc. 3. Per consanguineos intelligi usque ad quartum gradum utriusque lineæ tam ascendentis quam descendentis, juxta Juris communem acceptionem; virumque respectu uxoris, et uxorem respectu viri, cum sint duo in carne una; non autem affines. 4. Nomine domesticorum intelligi omnes qui sub eodem tecto domini commorantur et vivunt expensis ipsius; nomine vero familiarium intelligi omnes qui famulatui domini sunt deputati, et vivunt in eadem domo ac expensis domini. Si vero extra domum ejus degunt, poterunt tantum uti privilegio cum fuerint necessarii famulatui domini tempore quo ipse utitur privilegio (1).

2. Omnes hoc privilegio gaudentes possunt Missam audire in Ecclesia speciatim interdicta, quando in illa Sacrificium celebratur ad renovationem SS. Eucharistiæ.

3. Utens privilegio dicto *quotis id fecerit* debet facere orationem pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ etc. Et cum voluntarie eam omittet, peccabit quidem venialiter quia in levi deficit; poterit tamen Missam audire et præcepto satisfacere; quia illa oratio non est conditio necessaria, sed mandatum, ut ex declaratione Commissarii, et Theol. Salmant. affert Henriquez.

4. Probabilius est et tutius, tempore interdicti omnes, qui possunt per Bullam audire Missam, recipere Sacramenta et interesse Divinis, teneri ad hoc tempore ab Ecclesia præcepto (2). Ratio est, quia interdictum non tollit Ecclesiæ præceptum, sed privat, prohibet et impedit adimpletionis actum, utpote pœna privans interesse Divinis officiis etc.: ergo cum per Bullam

(1) Ferraris Bibliot. V. Bullæ n.° 24 vult tali privilegio uti posse familiares non necessarios.

(2) D. Thom. discipuli cum Ledesma de Euch. cap. 22, dub. 2. *Galleg.* dub. 28 etc. *Henriquez* lib. 7. *Trullench* lib. 1, § 3, dub. etc.

tollatur hoc impedimentum, instat et obligat suo tempore Ecclesiæ præceptum, dummodo ut supponitur, ipsi non dederint causam interdicti, nec ob ipsorum culpam interdictum non fuerit sublatum.

5. Communis Doctorum sententia tenet quod fideles non solum tempore interdicti, verum etiam omni alio tempore, quo Bulla durat, Missam audire possint, et Eucharistiam in Oratoriis privatis accipere, quod probant ex ipsius Bullæ verbis, in quibus dicitur *etiam tempore interdicti.* Cum enim particula *etiam* sit implicativa, implicat, includitque non tantum tempus interdicti, sed etiam tempus quod interdicti non est (1).

6. *Quare habentes Bullam Cruciatæ, in qua absque ulla restrictione conceditur celebrare et Missam audire in Oratorio privato ab Ordinario designando et visitando, valebunt in illo omnibus diebus, quamvis ex solemnioribus et exceptis sint, Missam audire et plures Missas eodem die celebrare, aut celebrare facere, et ipsi cum suis familiaribus et consanguineis illas audiendo præceptum Ecclesiasticum adimplebunt* (2).

7. Hinc fit 1. Quod ex vi hujus privilegii licet fidelibus, omni tempore plures Missas in Oratorio privato eodem die celebrare facere et audire. 2. Quod etiam in diebus festis potest qui Bullam habet, Missam cum suis familiaribus et consanguineis, in Oratorio privato audire et præceptum audiendi sacrum adimplere, et hoc etiamsi Oratorium proprium illus non sit: quia Bulla non requirit quod illam habens Oratorium proprium habeat. Unde hi, etiam si rescriptum Oratorii habens præsens non sit, poterunt Missam audire et præcepto satisfacere. 3. Quod etiam si a Prælato inferiori sit aliqualimitatio circa auditionem Missæ in Oratorio privato, habentem Bullam non comprehendit, nec illam observare tenetur, cum hoc privilegium sit a Pontifice concessum. Imo si limitatio a Pontifice procedat, nisi de Bulla expressa mentio fiat, illam habentem non obligat, quia quællbet limitatio Bullæ contraria per ipsam Bullam quotannis revocatur. 4. Quod Eucharistia ab omnibus fidelibus Bullam habentibus, quibusvis diebus etiam festivis, in Oratoriis privatis recipi valet, excepto die Paschatis (3) si loquitur de adimpletione præcepti Paschalis, devotionis enim causa etiam in hac die accipi potest.

8. Quibus privilegiis uti potest habens Bullam etiam in diebus solemnioribus in indulto particulari exceptis, quia in Bulla absolute conceditur et absque aliqua limitatione tribuitur facultas celebrandi et audiendi Missam in privatis Oratoriis (4). Nihilominus tamen consulendum est cum omnibus AA. citatis quibus add. potest Troncoso in add. Theol. Mor. Woit, App. Bullæ Cruc. tom. 3, ed. Matrit. 1851, pag. 207, n. 376 et 377, ut rarissime utatur hac facultate celebrandi in festivitatibus solemnioribus, melius enim et

(1) *Rodriguez* in add. Bullæ § 5, n. 1, Riccius ibid. n. 4, *Ludovicus a Cruce* in Bulla disp. 1, c. 5, *Trullench* lib. 1, § 3, dub. 4, n. 10, *Henriquez*, *Mendo*, *Palaus*, etc.

(2) Sunt verba jam cit. App. Theol. PP. Salmant edit. cit. p. 88. n. 28.

(3) *Trullench* loc. cit. *Mendo*, *Busembaum*, l. 8, in Bull. *Bardi* 2, part. Tract. 2, cap. 6, cit. ab App. Salm. jam cit. p. 85. — Ferraris verb. Bull. n 24.

(4) *Rodriguez*, *Ludovicus* a Cruce, *Trullench* et alii loc. cit. V. n. 24. Append. tract. 6. Theol. Mor. Salmant. edit. Venet. 1775, pag. 85.

decentius est in talibus festivitatibus ad Parochiam concurrere ubi explicantur mysteria quæ in talibus diebus a Matre Ecclesia celebrantur (1).

9. Quoad privilegium a Bulla concessum accipiendi Sacramenta tempore interdicti animadvertendum est: 1.° intelligendum esse non solum de Oratoriis privatis sed et de Hospitalibus, Oratoriis, Capellis, Eremitoriis et de quibuscumque Ecclesiis auctoritate Episcopi publice erectis, est expressum in Bulla, dummodo ut supponitur, causam interdicti non dederint, nec per ipsas steterit, quod interdictum non fuerit sublatum; 2.° in Sacramentorum receptione easdem conditiones esse observandas ac si tempus interdicti non esset.

10. Per Bullam possunt mortuorum corpora sepeliri in loco sacro, moderata pompa, hoc est cum ea, quæ si non est determinata ab Episcopo vel ejus Vicario, possit determinari a Parocho et prudentibus ad medium pompæ alterius temporis.

Clerici, qui de jure communi clausis januis et cum Missa possunt tunc sepeliri, (et sine officio in Ecclesia specialiter interdicta) si ipsi non sint specialiter interdicti, egent tunc Bulla ut sepeliantur media pompa sicuti et pueri et amentes et quæcumquæ aliæ personæ. Ad hujuscemodi privilegium non prodest Bulla defunctorum, sed vivorum, in qua hæc gratia conceditur, quæ debet accipi et peti in vita ut dictum est.

11. Statuendum est autem cum communi Bullam nullum concedere privilegium illam recipientibus, ut Oratorium, in quo Missa et officia divina celebrentur, habeant vel erigant, tale enim non concedit Bulla; sed quod Missa celebrari et audiri possit in Oratoriis auctoritate erectis competenti. Quæ assertio confirmatur ex hoc quod Pontifices summa sedulitate curant, ut nonnisi personis nobilibus et ex gravi urgentique causa, cum pluribus limitationibus concedantur Oratoria privata, et etiam quoniam ut refert Diana *part.* 9, *trac.* 1, *resol.* 5 *in fine,* cum Episcopus Caluritanus quæreret a Sacra Congregatione Concilii, an in quodam Oratorio, quod Apostolica auctoritate erectum non erat, virtute Bullæ Missa celebrari valeret, ab eadem Sacra Congregatione anno 1648 die 14 Novemb. decissum et declaratum fuit, privilegium Bullæ Cruciatæ non suffragari pro hujusmodi Oratoriis ac altaribus et Missarum celebratione: sed hoc ita S. Congregatio non declararet si ex vi Bullæ quilibet illam accipiens Oratorium domi suæ habere possit; patet ergo in Bulla tale privilegium non contineri. Inde praxis est omnium fidelium et consuetudo ad Sedem Apostolicam recurrere pro licentia impetranda ad habendum domi suæ Oratorium in quo Missa et celebrari et audiri possit.

(1) Vide hac super re plura apud *Comp. Salm.* tract. XXVIII, § V. n. 57. Cliquet a P. M. Tr. T. Belza illust. et add. App. n. 1 § VI. *Dissertat. Apologet.* Compostellæ edit. ann. 1779. — *Larraga* ab Exmo. et Ilmo. D. Claret correct. et add. ed. Barc. ann. 1852 pag. 493.— *Voit* add. a *Troncoso* ed. Matrit. ann. 1851, Emin. Card. a Tolet. Commis. Gener. Cruciatæ dicat. pag. 207 n. 376 etc. etc.

III.

Insuper ut intra limites tantum Hispanicæ Ditionis, non autem in aliis locis, iidem Christifideles, prædicto perdurante anno, tam quadragesimalibus, quam cæteris ejus anni diebus, quibus usus carnium, ovorum et lacticiniorum prohibitus est, eisdem ovis et lacticiniis, ac etiam carnibus (de utriusque tamen medici consilio) si necessitas vel infirma corporis valetudo aut alia quæcumque indigentia exegerit, uti et vesci, servata scilicet in reliquis jejunii lege, licite ac libere valeant, apostolica pariter auctoritate concedimus et indulgemus. Verum ad quadragesimale tempus quod attinet, ab hoc indulto exceptos volumus Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatosque inferiores, nec non regulares ecclesiasticos ordinum non militarium, et presbyteros sæculares, qui ad sexaginta annorum ætatem non pervenerint (1).

(1) Summus Pontifex Brevi pontificio sequenti, hanc facultatem extendit ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque inferiores Prælatos, necnon Presbyteros sæculares et regulares.

Carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Elisabeth Hispaniarum Reginæ Catholicæ.

PIUS PP. IX.

Carissima in Christo Filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem. Per similes nostras apostolicas litteras hoc ipso die datas Majestatis suæ desideriis, et postulationibus annuentes, inter alias spirituales et temporales gratias ad certum præfinitum tempus concessas omnibus Christifidelibus morantibus in suo Hispaniarum regno, atque aliis locis civili Majestatis suæ ditioni subditis, vel ad regnum aut loca eadem divertentibus et certa munera implentibus, indultum quoque tribuimus, ut ipsi intra ejusdem ditionis suæ fines (non autem extra illam) singulo ejusdem indulti publicationis anno durante, tam quadragesimalibus, quam cæteris ejus anni diebus, quibus usus carnium et lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, et lacticiniis libere uti, ac etiam carnibus (de utriusque tamen medici consilio) si necessitas, vel infirma corporis valetudo, aut alia quæcumque indigentia exegerit, vesci, servata scilicet in reliquis jejunii lege, licite valeant. Ab hac tamen circa ciborum delectum gratia et concessione quoad quadragesimale tempus exceptos, nec illa frui posse declaravimus Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque inferiores Prælatos, et quaslibet personas ecclesiasticas regulares, nec non presbyteros sæculares nisi ipsi ad sexagesimum ætatis suæ annum pervenerint. Verum tam prælatis, et presbyteris sæcularibus, quam regularibus, ecclesiasticis prædictis, spectata præsertim horum temporum conditione, prospicere volentes, ac supplicationibus quoque Majestatis suæ nomine oblatis obsecundantes, hisce litteris Commissario, et Executori earumdem litterarum nostrarum auctoritate apostolica deputato, vel deputando potestatem facimus, ut indultum idem ad supradictos extendere possit, vel valeat eodem modo, et sub iisdem legibus et conditionibus quibus ex recentioribus Bullæ Cruciatæ indultis concedi poterat. Hæc concedimus, atque indulgemus, non obstantibus quæ in commemoratis nostris litteris non obstare decretum est.

Datum Cajetæ sub annulo Piscatoris die XI Maii anno MDCCCXLIX Pontificatus nostri anno tertio. — Jacobus Cardinalis Antonelli de speciali mand ato Sanctissimi.

Pro hujus textus declaratione aliqua breviter notanda sunt:

12. Vesci carnibus de consilio utriusque medici conceditur, quando utriusque judicio necessitas dubia est. Pro usu autem ovorum et lacticiniorum non requiritur causa, sed sufficit Bullæ privilegium. Nec potest dici, quod privilegium vescendi carnibus de consilio utriusque medici sit superfluum, cum etiam sine Bulla, quando necessitas est patienti dubia, possit quis cum tali consilio vesci. Non potest, inquam, id dici, quia ratione privilegii Bullæ quamvis de consilio utriusque medici quis vescatur carnibus, satisfacit præcepto, et ex dispensatione thesauri Ecclesiæ per Pontificiam Bullam ei facta habet meritum jejunii ac si carnibus non vesceretur (1).

13. *Per medicum* spiritualem intelligi debet quilibet Confessarius approbatus, etiam si confessiones dispensati numquam audierit, et etiam extra confessionem, quilibet enim ex istis vere et proprie medici spiritualis nomen sibi vindicat (2).

14. Nomine medici corporalis ille intelligitur cui cura infirmorum ex officio incumbit. Si autem nullus medicus reperiatur, improbabile non est, quod asserit *Mendo*, nimirum posse ab alio viro in arte aut similibus necessitatibus perito, quamquam medicus non sit, vel ab ipso confessario, si quid de simili ægritudine aut necessitate calleat, consilium circa esum carnium accipere, et eo posito, eas virtute Bullæ comedere, sic enim præsumendum est de pietate Pontificis, velle meliori modo quo possit, fidelibus indigentibus per Bullam subvenire.

15. Qui ratione Bullæ dispensatur ad esum carnium, tenetur in die jejunii unicam tantum comestionem efficere et epulas non permiscere, Pontifex enim Benedict. XIV in responsionibus ad Archiepiscopum Compostellanum in prima sic resolvit. *Respondemus, concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri, easdem facultates non aliter dare, quam geminis hinc adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

16. Ubi consuetudo legitima introducta sit condire larido liquefacto olei inopia, posse vi Bullæ ova edi tali condimento parata (3).

17. In Regularium exceptione Novitii non comprehenduntur, tales enim isti non sunt *in odiosis,* sicuti minime considerantur clerici *ad hoc* ordinati in *Sacris,* qui non sint Presbyteri, unde nec Novitii nec Ordinati in Sacris, qui non sint Presbyteri, tenentur Bullam lacticiniorum recipere.

18. Pro coronide en verba Comissarii in hac materia: « Por este indulto se concede á los fieles de todos los reinos y dominios de S. M. C. para que puedan lícitamente comer carnes saludables, huevos y lacticinios en los dias de Cuaresma y demás vigilias y abstinencias del año, bien sean de las establecidas por la Iglesia ó por voto particular de los pueblos á escepcion del miércoles de Ceniza, de los viérnes de Cuaresma, miércoles, juéves, viérnes y sábado de la Semana Santa etc. Para poder usar este privilegio están obli-

(1) Tambur. explic. Bull. Cruc., § 1, n. 2.

(2) Ita *Trullench* loc. cit. n. 8, *Rodrigues* in add. ad § 6, n. 1. *Villalob., Mendo* et alii.

(3) Vid. Scav. tom. 1, pag. 191 et App. 2, n. 13.

gados los fieles á tomar el Sumario de carne de la clase que á cada uno le corresponda, y satisfacer la respectiva limosnà que en proporcion á su clase, dignidad y facultades hubiere tasado el Sr. Comisario General, etc. etc.

« Esceptúanse de la obligacion de tomar el Sumario de carne y de dar la limosna los pobres de solemnidad é impedidos, que carecen de todo género de bienes é industria, los meramente jornaleros de todas clases, así del campo como de cualesquiera artes y oficios, que viven y se mantienen solo de su jornal diario, si este fuese tan reducido que solo les produzca lo indispensable para su precisa manutencion ó de su familia, y los religiosos y religiosas de la órden de S. Francisco que no poseen bienes algunos; pero todos estos tendrán obligacion de rezar cada dia, que usaren de este privilegio, un Padre nuestro y un Ave Maria por la prosperidad de nuestra Santa Madre la Iglesia y de la Monarquía española, y por la vida y felicidad del Sumo Pontífice, de nuestros Católicos Monarcas y su Real Familia ; y si algunos de estos esceptuados quisiesen tomar el Sumario ó le recibiesen de limosna, no estarán obligados á rezar dichas preces.

« Para que los arriba dichos y todos los demás fieles de cualquiera clase y condicion que fueren, puedan gozar de este indulto, han de tener necesariamente la Bula de la Santa Cruzada, y además la de lacticinios siendo Presbíteros seculares, pues á los Regulares, les basta tener la de Cruzada y la de carne de tercera clase; pues ni estos ni las religiosas podrán mezclar en los dias de Cuaresma, huevos y lácticinios con pescados en una misma comida (1).

« No alcanza el indulto de carnes á aquellos regulares que estén obligados por voto al uso perpétuo de manjares cuadragesimales.

«A pesar de los varios edictos que en diferentes épocas se han espedido por los Sres. Comisarios generales para ocurrir á las contínuas dificultades y dudas que se ofrecian á los Párrocos y Confesores sobre determinar quienes deben entenderse por verdaderos pobres, y como tales exentos de tomar el Sumario de carne para usar de este indulto, la experiencia acredita que todas las declaraciones dadas hasta el dia aun no bastan á fijar todas las dudas sobre esta materia, y como por otra parte es absolutamente conveniente determinar reglas generales que comprendan todos los casos particulares que pueden ocurrir, el señor Comisario general comete la resolucion de estos á la conciencia y prudencia de los Párrocos y Confessores, quienes sometiendo á su juicio y exámen el estado de las necesidades verdaderas ó ficticias y demás circunstancias de los penitentes, podrán en su vista declararlos exentos ó no de tomar el Sumario ; teniendo siempre presente como regla general, que todos aquellos que sin notable detrimento ó gravámen suyo y de sus familias, puedan dar la limosna señalada, están obligados á tomarle, cualquiera que sea su oficio ó profesion. »

(1) Animadvertatur hanc declarationem factam esse a Commissario tempore quo eis tale privilegium concessum non fuerat; nunc vero temporis cum sit eis concessum, ut visum est in diplomate citato, eadem lege qua Presbyteri sæculares tenentur Regulares.

IV.

Item eisdem Christifidelibus dicto anno durante, quoties extra dies jejunio consecratos voluntarie jejunaverint, aut a jejunio legitime impediti pium aliud opus sibi a Parocho seu Confessario præscribendum peregerint, et pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, propagatione Catholicæ fidei, et concordia et pace christianorum principum pias Deo preces obtulerint, quindecim annos et totidem quadragenas indulgentiæ et remissionis, dummodo saltem contriti sint, misericorditer in Domino tribuimus, eosdemque participatione donamus orationum, eleemosynarum, aliorumque piorum operum, quæ ipso illo die, quæ jejunaverint, in tota militante Ecclesia peragantur.

V.

Præterea Christifidelibus ipsis, dicto anno durante, in singulis diebus stationum Almæ Urbis nostræ quinque Ecclesias, seu altaria, aut in illorum defectum, quinquies unum et idem altare, Monialibus vero cujusvis ordinis et instituti regularis, ac mulieribus, et puellis in quibusvis monasteriis, seu conservatoriis degentibus, si forte Ecclesias non habuerint, capellas ab earum legitimis superioribus designandas respective, devote visitantibus, et in eis pias ad Deum preces ad prædictos fines effundentibus, omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, alias Ecclesiis tam intra quam extra mœnia prædictæ urbis, ad quas dictæ stationes fixæ existunt, concessas, eadem apostolica auctoritate misericorditer in Domino concedimus. Imo in diebus etiam, in quibus pro stationibus urbis partialis tantum indulgentia data est, concedimus ut memorati Christifideles, qui Sacramentali confessione expiati, et Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refecti supradictam visitationem peregerint, plenariam indulgentiam lucrari valeant; atque ut in dominica septuagesimæ; in Feria III post dominicam primam quadragesimæ, in sabbato post dominicam secundam, in dominicis tertia, et quarta, in Feria VI et sabbato post dominicam Passionis, in Feria IV post Pascha Resurrectionis, et in Feria V et sabbato post Pentecosten plenariam ipsam indulgentiam pro animabus in purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint.

Privilegia ex his paragraphis profluentia clare patent ex ipsis verbis; aliqua tamen ad majorem ipsorum intelligentiam animadvertemus.

19. Et quantum ad punctum 4 cum Wigant dicimus: 1. Jejunium ex voto lucrari hanc gratiam, quia ex D. Thom. (1) magis meritorium est. Alias pejoris conditionis esset qui votum haberet jejunandi quinque diebus in hebdomada, patetque etiam ex Bulla Hispana dicente: *sponte jejunaverint ex devotione diebus qui non fuerint de præcepto* Ecclesiæ nempe, vel Confessarii, ait Nunno, extendens hoc etiam ad lucrandum Jubilæum.

20. Oratio sicut et jejunium debet esse pro pace et unione prædictis, totaliter libera a præcepto, quæ an vocalis vel mentalis esse debeat infra videbitur ex declaratione Commissarii.

21. Quoad bonorum operum quæ in tota Ecclesia militante peraguntur participationem, quæ a Pontifice conceditur omnibus Bullam habentibus et conditiones ab ipso impositas adimplentibus, cum in omnibus justorum bonis operibus possit esse et meritum *de condigno*, quod alteri applicari non potest, et meritum *de congruo*, quod impetratorium nuncupatur, etiam pec-

(1) Div. Thom. 2, 2, q. 88, art. 6 et 3 cont. gent. cap. 138.

catoribus applicabile ad ipsis media seu auxilia ad justificationem conducentia impetranda; et denique *satisfactio,* quam homo ipsimet vel alio applicare potest: cum aliunde omnes justorum satisfactiones superabundantes in Ecclesiæ Thesauro cumulentur, et de illis possit S. P. disponere, eas prout vult fidelibus distribuendo; sponte fluit virtute Bullæ et mediis in illa præscriptis adimpletis, fideles partem habere in dictis satisfactionibus remanentibus orationum, eleemosynarum, aliorumque bonorum operum quæ, *ipso illo die quo jejunaverint,* in tota Ecclesia militante peragantur; sicut etiam in meritum impetrationis eorumdem (1).

22. Quantum vero ad dies stationum Romæ dicimus, quidquid sit de magna quæstione, an omnes indulgentiæ ipsis concessæ plenariæ sint, ut vult *Trullench,* asserens ex testimonio Sorbi nullum esse diem in quo sive intra sive extra muros urbis, visitantibus aliquam Ecclesiam indulgentia plenaria non concedatur; sive sint partiales aliquæ et tantum plenariæ quæ a Commissario ad calcem Summarii numerantur, ut affirmat Mendo (2), certum est in illa clausula concedi visitantibus quinque altaria, aut quinquies unum, et omnes indulgentias stationum non solum quæ in finem Bullæ Summarii enumerantur, sed etiam præter illas, omnes alias quæ Romæ indulgentiæ stationum fuerint, sive plenariæ sint sive partiales. Quia Pontifex concedit omnes et singulas indulgentias stationum Romæ, tam intra quam extra muros, quin ad has vel illas particulares restringat (3). *Omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationem, alias Ecclesiis tam intra quam extra mœnia prædictæ urbis, ad quas dictæ stationes fixæ existunt, concessas, eadem auctoritate apostolica misericorditer concedimus.* Unde ex his verbis clare eruitur virtute Bullæ fideles stationum indulgentias lucrari, sive plenariæ sint sive partiales, et ex verbis immediate sequentibus, scilicet: *Imo in diebus etiam, in quibus pro stationibus urbis partialis tantum indulgentia data est, concedimus ut memorati Christifideles, qui sacramentali confessione expiati, et Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento refecti supradictam visitationem peregerint plenariam indulgentiam lucrari valeant:* nostra sententia profluit; fideles Bullam tenentes et visitationem modo supradicto peragentes, id est, cum receptione Sacramentorum Pœnitentiæ et SS. Eucharistiæ indulgentiam plenariam lucrari omnibus anni diebus in quibus sunt stationes Romæ, sive indulgentia plenaria sive partialis hujusmodi stationibus sit concessa, et cum stationes non solum dicantur quando solemnis processio fit ab una Ecclesia ad aliam; verum etiam dum intra eamdem Ecclesiam

(1) *V.* Troncoso loc. cit. n. 362.

(2) Dies stationum qui ad calcem Summarii enumerantur sunt in omnibus diebus Quadragesimæ, ac totius paschalis hebdomadæ usque ad Dominicam in Albis *inclusive:* in diebus S. Marci et Ascensionis: in diebus vigiliæ Ascensionis, Pentecostes et sex sequentibus: in tribus diebus quatuor temporum anni: in quatuor Dominicis Adventus: in vigilia et die Nativitatis Domini et tribus immediate sequentibus: in diebus Circumcisionis et Epiphaniæ: et in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, quibus addendi sunt ex App. Salmant. n. 111 et Troncoso n. 355 dies novem præcipuarum Festivitatum B. V. Mariæ, qui omnes numerum nonaginta quatuor componunt.

(3) App. Salm. cit. — Mendo l. c. cap. 3. num. 7. — Bardi par. 2, tract. 4, c. 4, Sect. 1, n. 5.

ab uno altari in aliud ordinatur processio, ut recte observarunt *Trullench* (1) et *Mendo* (2) et tenet cit. App. Salmant. (3), quo sensu omnibus anni diebus Romæ stationes sunt, sive intra sive extra muros reperiantur, et in omnibus indulgentia conceditur, ut tenet *Mendo* ibidem; animadvertantur fideles omnibus anni diebus, saltem certo omnibus diebus in quibus stationes Romæ sunt, quæcumque sint indulgentiæ concessæ, plenariam indulgentiam lucrari posse, conditionibus supra dictis appositis. Hortentur pariter quod prædicta opera, receptionem scilicet SS. Eucharistiæ et visitationem quinque altarium peragant non solum in diebus in calcem Summarii appositis, sed et aliis diebus quibus possint, cum intentione indulgentiam plenariam lucrandi (4).

23. Nec refert quod jam olim dicebatur ab aliquibus AA. (5), aliis quamplurimis (6) sustinentibus plenariam indulgentiam a fidelibus acquiri iisdem diebus, quibus plenaria stationibus concedebatur, quod 1.° indulgentia plenaria, juxta regulas Cancellariæ, non intelligitur concessa, nisi expresse concedatur; sed in Bulla, dum indulgentiæ stationum conceduntur, nulla de indulgentiis plenariis expressa fit mentio: ergo indulgentiæ quæ in tali concessione continentur non sunt plenariæ sed partiales. 2.° quod ex hoc quod in eadem Bulla duplex indulgentia plenaria concedatur semel in vita et semel in articulo mortis, nihil aliud deduci videtur quam reliquas indulgentias plenarias excludere: tum quia ad nihil hæc limitatio deserviret, si tot plenariæ indulgentiæ in hac clausula concederentur: tum etiam quia adeo ingens indulgentiarum cumulus non facile a Pontifice conceditur.

Non refert, inquam, rationibus nuper allatis; in concessione enim nulla excluditur indulgentia, etiamsi sit plenaria, dummodo indulgentia stationum sit; quin potius omnes comprehenduntur; imo nostra quidem senten-

(1) *Trullench.* de Bull. lib. 1, § 6, dub. 1, n. 2.

(2) *Mendo* disp. 20 cap. 3, n. 17.

(3) *App.* tract. 5, Op. Mor. Salm. de Bull. punct. 3, n. III.

(4) Cum fideles ad hoc ut possint lucrari indulgentiam plenariam a S. S. concessam sub puncto v hujus Bullæ, necesse habeant quod sacramentali confessione expiati, et SS. Eucharistiæ Sacramento refecti visitationem altarium peragant, non abs re erit in medium adducere aliqua Sacræ Congregationis indulgentiarum decreta circa confessionem et communionem, quando requiruntur tamquam conditio *sine qua non*, ad hoc ut indulgentia possit obtineri.

Die 9 Decembris 1763, S. S. concessit omnibus personis qui sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ accipiunt omnibus hebdomadis, ut possent omnes et singulas indulgentias lucrari quæ in ipsis comprehensæ præviam confessionem exigerent, absque necessitate illam repetendi dummodo in culpa gravi non incidissent a ultima confessione.

Altero Decret. 12 Jul. 1822 Pius VII indulsit etiam tam laudabilem morem non habentibus, ut possint lucrari indulgentias quæ confessionem requirunt inter octo dies ultimam confessionem subsequentes, dummodo in gratia perseverent; insuper declarando communionem posse anticipari in vigiliis *festivitatum* quæ indulgentiam habent et a primis vesperis incipit obtineri.

Denique altero Decret. 15 Decemb. 1841 conceditur ut *una* confessione possint omnes indulgentiæ lucrari quæ inter octo dies sequentes comprehenduntur et talem conditionem requirunt.

(5) *Cordub.* lib. 3, de Indulg. quæs. 41. — *Henriquez* lib. 7, de indulg. cap. 10 n. 2. — *Sorbius* comp. privileg. de Indulg. station., *Navarrus* de Jubilæo notab. 9, illat. 3, et alii.

(6) *Trullench.* loc. cit. n. 5, — *Lopes* 2 part. instruct. cap. 7, pag. 802 col. 2. — *Villalob.* 1, part. tr. 27 clausul. 8, n. 3. — *Diana* part. 5, tract. 12, resol. 2. — *Mendo* disp. 20, cap. 1, n. 2, *Basilius Legionensis* in Manuscrip. de Bulla cap. 5 et alii multi.

tia, ut nuper diximus, virtute Bullæ fidelibus illam habentibus indulgentia quæ partialis stationibus est concessa, fit plenaria. Quod confirmatur ex hoc quod sæpe sæpius a Commissario dictum est, visitantes Ecclesias aut altaria omnes indulgentias lucrari non secus ac si stationum Ecclesias personaliter adirent ; et a praxi et usu communi in Hispania, qua in diebus stationum a Comissario in Hispana Bulla descriptis, quædam ad Ecclesiarum valvas præfigitur tabella, in qua expresse dicitur illo die, visitando altaria indulgentiam plenariam obtineri: quod si ita non esset, nullatenus ab omnibus Prælatis, et viris doctis permitteretur: illicitum quippe est omnino apocryphas indulgentias publicare, sicque populum in re adeo gravi in errorem inducere.

24. Ad argumenta autem adversariorum deveniendo dicimus cum *cit. App.* quod ex hoc quod in Bulla latina dicatur, concedi omnes et singulas Indulgentias stationum urbis Romæ, sufficienter indulgentiæ plenariæ exprimuntur: hæ siquidem sub his vocibus *omnes* et *singulas* nequeunt non comprehendi. Et hoc præsertim in hoc diplomate Pontificis feliciter regnantis; si enim partiales nobis plenariæ conceduntur, a fortiori quæ jam plenariæ stationibus sunt concessæ. Ad *secundum* dicimus quod concessio Indulgentiæ plenariæ semel in vita a fidelibus obtinendæ non est limitatio excludens alias plenarias indulgentias in hac clausula concessas: sed tantum est quædam necessaria expressio, ut intelligatur indulgentiam quæ ibi conceditur plenariam esse: quia, cum nullum ibi reperiatur verbum, ex quo cognosci posset esse plenariam, nisi id exprimeretur, plenaria indulgentia judicanda non esset juxta regulas Cancellariæ. Quæ indulgentia valde diversa est ab indulgentiis plenariis, media Ecclesiarum altarium visitatione, a fidelibus adquirendis, ut ex se liquet et de quibus in illa concessione nulla fit mentio. Illud autem quod de facilitate aut difficultate Pontificis in concedendis his indulgentiis dicitur, nihil probat, cum certum sit ipsum posse has et multo plures Indulgentias concedere.

25. Animadvertendum etiam est cum cit. add. op. Voit, n. 363; quod in diebus in Bulla expressis in quibus per modum suffragii animabus in Purgatorii detentis indulgentia plenaria applicari potest, duplex potest indulgentia plenaria adquiri, altera animæ Purgatorii, altera ipsimet opus facienti. Denique hanc indulgentiam plenariam in diebus Stationum concessam semel tantum posse lucrari, etiamsi visitationes repetantur, quod constat ex decreto Innocentii XI die 7 Mart. 1678 in quo dicitur: *Semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud opus pium peragentibus licere fieri.* Quin hoc obstet privilegio quo potest duplex Bulla recipi et duas indulgentias plenarias lucrari modo supradicto, ut puncto VII Bullæ infra ponendo constat, sicut duplex indulgentia quindecim annorum et totidem quadragenarum indulgentiæ et remissionis semel jejunando et bis orationem faciendo modo in Bulla expresso, adquiri etiam potest.

26. Ad hujus doctrinæ confirmationem transcribimus aliquas clausulas explicationis Bullæ ab ipso Commissario factæ, advertentes tantummodo, quod nihil obstat quod Commissarius dicat indulgentias Stationum nona-

ginta quatuor esse, antea enim statuit *omnes Stationum* indulgentias lucrari, proindeque si sint plures, ut juxta dicta numero præcedenti, secundum Commissarii doctrinam pariter a fidelibus Bullam habentibus quotquot sint, possunt adquiri.

«Aun no terminan aquí las gracias que por la Bula se nos prodigan en beneficio de nuestra alma. Tambien se nos concede que podamos ganar sin salir de nuestro pais, ni aun del pueblo de nuestro domicilio, todas las indulgencias de las Estaciones de Roma, que son 94 plenarias al año en otros tantos dias, que por lo mismo se llaman DE ESTACION, y son los que van anotados al fin del Sumario de Vivos; con la particular circunstancia, de que estas indulgencias pueden los fieles aprovecharlas para sí ó aplicarlas por modo de sufragio en favor de las almas del Purgatorio. Para ganarlas en beneficio de cualquiera de dichas dos aplicaciones, no se requieren mas diligencias que visitar en estado de gracia (á lo menos cuando se aplican para sí propio) cinco Iglesias ó cinco Altares, ó si no los hubiese, un Altar cinco veces, haciendo en cada uno de ellos oracion por la union y concordia de los Príncipes cristianos contra los infieles (1), y por la exaltacion de la santa Fe católica. Esta oracion podrá hacerse en aquellos términos que á cada uno le dicte su devocion, ó bastará rezar, por ejemplo, ante cada Altar cinco veces, ó por lo menos tres, la oracion del PATER NOSTER, AVE MARIA y GLORIA etc., pero siempre con la intencion y fin indicados.

«Además de las indulgencias plenarias que quedan referidas, nos concede asimismo la Bula otras parciales con que podemos tambien satisfacer á la divina Justicia en una parte de las penas debida por nuestros pecados. A esta clase pertenece la indulgencia de *quince años* y *quince cuarentenas* de las penitencias que nos fueren impuestas, y de cualquier modo debidas, siempre que con el fin de implorar el divino ausilio en favor de la union y victoria de los Príncipes cristianos contra los infieles, ayunáremos voluntariamente en dias no sujetos al ayuno, ó estando legítimamente impedidos de ayunar, hiciéremos otra obra piadosa al arbitrio del Confesor ó Párroco, cuidando siempre de juntar á este ayuno ú obra piadosa la oracion por la union y victoria sobredichas. Al propio tiempo y en igual forma nos hace tambien la Bula participantes de cuantas oraciones, limosnas, peregrinaciones y demás obras buenas se practican en toda la Iglesia militante y en cada uno de sus miembros, sin que para obtener estas gracias tengamos de hacer de nuestra parte otro sacrificio, que practicar en estado de gracia las piadosas obras y oraciones que quedan referidas.

«Para mejor inteligencia de lo que acaba de decirse, será bien advertir, que una indulgencia de quince años y quince cuarentenas, significa lo mismo que el perdon de una parte de las penas del Purgatorio, equivalente á quince años y quince cuarentenas de rigurosos ayunos y austeras penitencias, como las que segun los antiguos Cánones de la Iglesia, se imponian á los primitivos cristianos para satisfacer á Dios por sus pecados, acaso me-

(1) Cum hæc declaratio facta sit ante Pii IX Bullam, animadvertatur quod nunc oratio fieri debet pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, propagatione fidei Catholicæ et pace et concordia Principum Christianorum, ut modo diximus.

nos graves que los que ahora se cometen muy comunmente, y las mismas que deberian imponérsenos tambien á nosotros, si la Iglesia, dirigida siempre por el Espíritu Santo, no hubiera ya suavizado por justas causas el rigor de su antigua disciplina. De manera, que con unas cortas oraciones y con el ayuno de un solo dia, podemos pagar nosotros una deuda, que los primitivos fieles no podian satisfacer, sino á costa de muchos dias y aun de muchos años de penosas privaciones y austeridades.

«En cuanto á la participacion que tambien se nos concede de las obras buenas de toda la Iglesia militante y de cada uno de sus miembros, bastará observar que por este privilegio adquirimos un derecho de entrar á la parte en el fruto de todas las oraciones y demás buenas obras de los justos, las cuales, prescindiendo del mérito personalísimo que por ellas adquieren los que las practican, pueden aprovechar mediante esta concesion apostólica, no solamente á los que están en gracia de Dios y unidos entre sí por los vínculos de la caridad cristiana, sino tambien, aunque de distinto modo, á los que están en pecado, por cuanto las oraciones de los justos tienen virtud y eficacia para interesar la divina Misericordia en favor de los pecadores por quienes se aplican, moviendo á Dios á que les conceda algunos beneficios, y entre ellos tal vez el mas importante de todos, que es su misma conversion.»

VI.

Jam vero ut præfati Christifideles commemoratis sanctis indulgentiis facilius frui possint, concedimus ut ipsi bis (hoc est semel in vita et semel in mortis articulo) valeant sibi eligere presbyterum sæcularem, aut regularem, qui sit confessarius per ordinarium loci approbatus, atque ab eo in foro conscientiæ a quibuscumque peccatis et censuris cuicumque ordinario atque etiam Sedi Apostolicæ reservatis (excepto hæresis crimine, et quoad ecclesiasticos excepta etiam censura, de qua in Constitutione Benedicti XIV: Sacramentum Pœnitentiæ); absolvi possint, imposita semper pœnitentia salutari, aliisque injunctis quæ de jure injungenda sunt. Insuper ut vota simplicia per Christifideles ipsos emissa, exceptis tamen ultramarino, castitatis et religionis, ab eodem confessario in pia alia opera, atque adjunctum his subsidium aliquod executori harum litterarum in supra dictos pios fines transmittendum, rite commutari possint, auctoritate pariter apostolica indulgemus.

VII.

Ad hæc, ut iidem Christifideles, non tantum semel, sed bis singulo ab harum litterarum publicatione anno, supradictam eleemosynam conferre, harum gratiarum Summarium sumere; atque hinc tam pro se, quam per modum suffragii pro animabus in Purgatorio detentis, indulgentias, concessiones, et indulta prædicta consequi eisque intra eumdem annum bis, ut præfertur, uti et potiri, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, in Domino pariter concedimus.

27. Inter cætera omnia indulta et privilegia quæ a Pontifice in Bulla Sanctæ Cruciatæ conceduntur et hactenus explicare conati sumus, non infimum tenet locum privilegium istud quod in his punctis examinandum proponimus.

Ex simplici verborum enuntiatione patet quam ingens sit hoc privilegium

a Pontifice fidelibus Bullam habentibus concessum; at quia, præsertim in puncto sexto, plurima animadversione, discussione et explicatione digna involvuntur: idcirco ea impræsentiarum examini subjicimus, brevitatem semper cum claritate et præcisione præ oculis habentes.

28. Ad hoc ut quis possit eligi Confessarius ad absolvendum a reservatis debet esse approbatus ab Ordinario loci, ubi fit, et excipitur confessio, nec sufficit quod fuerit approbatus in aliis Diœcesibus. Sic pluries declaravit Sacr. Congregat. Concil. et signanter in *Valentina* relata a Rodriguez (1), confirmata a Paulo V die 11 octobr. 1611, et expresse declaravit Innocentius XII, die 19 april. 1700 *Const.* quæ incipit, *Cum sicut non sine gravi* in qua inter cætera hæc leguntur: *Decernimus et declaramus Bullam Cruciatæ Sanctæ nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem confessariorum... adeo ut confessarii, tam sæculares quam regulares, quicumque illi sint, in vi Bullæ Cruciatæ a pœnitentibus ad audiendas eorum sacramentales confessiones electi, nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi diœcesani loci, in quo ipsi pœnitentes degunt et confessarios eligunt, et ad excipiendas confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum et Diœcesum obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum qui Confessarios electos approbassent, subditi forent; confessiones autem aliter et contra earumdem præsentium, aliarumque Apostolicarum Constitutionum formam deinceps faciendas et excipiendas respective præterquam in casu necessitatis, in mortis articulo, nullas fore, irritas et invalidas; et Confessarios ipso jure suspensos esse:* etc. etc.

29. Jam vero Confessarius legitime electus potest virtute hujus privilegii anno durante absolvere pro foro interno ab omnibus casibus et quibuscumque peccatis et censuris tam Episcopo quam Pontifici reservatis, sive commissa fuerint ante vel post receptionem Bullæ, etiamsi in confidentiam Bullæ fuerint commissa (2), cum exceptione in Bulla cit. punct. 6 posita. Cum hac autem intelligentia, quod pars læsa si detur, sit satisfacta vel per se ab ipso pœnitente, vel dato impedimento per suos hæredes aut alios. Tali data cautione, sufficienti arbitrio prudentis Confessarii potest a quacumque censura absolvi *a jure vel ab homine.* Si offensus hanc cautionem nollet admittere, nihil adstaret quominus qui illam dedit, possit absolvi virtute Bullæ *in foro interno;* etiamsi in illo tunc, sicuti semper ac jurisdictionem affectare possit judicis competentis, hortari debet ut pro foro externo se habeat tamquam si absolutus non esset: et ei posset absolutio denegari si rationes essent ad prudenter credendum ita non esse acturum. Animadvertatur hic in hoc diplomate Pontificio, tam de peccatis Sedi Apostolicæ quam Episcopo reservatis, semel tantum *in vita* et semel *in articulo mortis,* aut bis, duplex Summarium sumentes, fideles absolvi posse: minime vero *toties quoties* de reservatis Episcopo sicut concedebatur Brevi Gregorii XIII, et aliorum Pontificum. Bulla enim expresse ita se habet. Attendatur attamen an Episcoporum concessione, ut in aliquibus Diœcesibus ita factum esse mihi certo con-

(1) *Rodriguez* in Bulla Cruciatæ § 9, n. 5. — Vide Ferraris V.° Bulla n. 48.

(2) *Sanch.* t. 1, lib. 4, c. 53 cum aliis quamplurimis.

stat, fideles virtute Bullæ, sicuti antea, *tòties quoties* a casibus Episcopo reservatis valeant absolvi.

30. Ex quibus sequitur *primo:* confessiones factas cum Confessariis non approbatis ab Episcopo Diœcesis in qua fit confessio esse irritas: *secundo:* non sufficere, Regularem esse absolute approbatum in una Diœcesi ut sit eligibilis virtute Bullæ a fidelibus in quacumque Diœcesi ut confessiones audiat, sed insuper desiderari approbationem Episcopi loci in quo exequitur confessio: *tertio:* Sacerdotem ab Ordinario approbatum cum limitatione quoad tempus, locum aut personas, non posse valide ultra tempus, locum et personas suæ limitationis virtute Bullæ Cruciatæ pœnitentiæ sacramentum ministrare.

31. Ille qui per Bullam generaliter ab omnibus peccatis et censuris absolutus fuit et peccatorum reservatorum aut censurarum in quas forte inciderit fuit oblitus, liber manet a reservatione: ita ut pro illorum absolutione amplius Bulla non indigeat, sed a quocumque Confessario absque Bullæ suffragio ab illis absolvi potest. Tum quia Confessarius per Bullam ab omnibus peccatis et censuris pœnitentem absolvens, intendit saltem virtualiter et implicite absolvere illum ab omnibus peccatis et censuris ad quæ absolvenda ratione Bullæ jurisdictionem habebat: id enim significat illa generalis intentio absolvendi ab omnibus peccatis et censuris virtute Bullæ; cum autem ex vi Bullæ insit Confessario jurisdictio absolvendi a censuris et peccatis quorum pœnitens invincibiliter fuit oblitus, consequens est quod illa Confessarius virtute Bullæ saltem virtualiter absolvere intendit, proindeque quod pœnitens ab illis absolutus maneat, liberque ab eorum reservatione. Tum quia si Confessarius non intenderet a peccatis et censuris reservatis in Confessione inculpabiliter prætermissis absolvere, pœnitens privaretur Sacramenti fructu, eo quod a peccatis reservatis absolutus non maneret, et unum peccatum sine alio remitti nequeat, fieretque Sacramentum informe, aut nullum, posita debita dispositione, aut oblivione inculpabili respectu pœnitentis contra id, quod expresse asserit Concilium Tridentinum (1).

32. Pro recta autem hujus assertionis intelligentia, notandum est *primo:* quod ille qui a peccatis et censuris reservatis absolutus manet virtute Bullæ, tametsi a peccatorum et censurarum reservatione liber evadat; tenetur ipsa peccata reservata, et illa, ob quæ censuras incurrit, iterum expresse et directe confessioni subjicere; id enim, in omnium sententia necessarium est omnino in omnibus peccatis, quæ propter oblivionem in confessione omittuntur, ut Confessarius directam illorum absolutionem conferat. Non tamen indiget Bulla ut ab illis possit absolvi, nam cum reservatio per absolutionem virtute Bullæ factam jam fuerit sublata, ut diximus, a quolibet Confessario, etiamsi pœnitens Bullam jam non habeat, absolutio a prædictis peccatis conferri valebit. Notandum *secundo:* quod si quis dum confitetur, censuræ obliviscitur, quæ partis satisfactionem pro illius absolutione exigit; si hæc ab illo adhuc non est exhibita, absolutus ab illa non manet generali abso-

(1) Concil. Trident. sess. 14 cap. 5. — Ita *Nugnus* tom. 2, in 3 part. quæst. 9 art. 2 dub. 4. — *Reginaldus* in praxi Confessarii. — *Diana* 1, part. tract. II, resolut. 19. — *Mendo* disput. 23, cap. 3, num. 25 et alii plures cit. ab App. Salmant. pag. 151.

lutione censurarum virtute Bullæ a Confessario facta; quia non præsumitur Confessarium illicite et contra jus, in præjudiciumque alterius velle absolvere (1).

33. Quando quis virtute Bullæ a reservatis fuit absolutus et confessionem fecit invalidam, si verum animum haberet confitendi, et confessio invalida esset, vel ex defectu doloris, vel quia integritatem debitam in peccatis confitendis non servavit; quamvis teneatur peccata in illa confessione manifestata iterum confiteri, tamen per absolutionem illi virtute Bullæ concessam, tollitur reservatio peccatorum quæ in illa confessione declaravit, et ita a quolibet Confessario absolvi a dictis casibus potest, etiamsi tempus Bullæ jam præterierit, et aliam non sumpserit. Probatur: *primo:* quia finis reservationis nullus alius est, nisi quod pœnitens peccata reservata solum coram eo qui jurisdictionem in illa habet, confiteatur, ipseque de illis judicet, et absolutionem, pro ipsis pœnitentiam debitam imponendo, largiatur. *Secundo:* quoniam peccata reservata quæ Confessario habenti jurisdictionem in illa, ratione Bullæ, pœnitens detegit, et ab illis absolvitur; tametsi quoad culpæ remissionem necessario iterum confessioni subjici debeant, eo quod confessio extitit invalida: nihilominus quoad reservationem jam a legitimo Superiore et Judice judicata sunt, nec ulteriori judicio indigent; ergo jam amplius minime reservata manent (2). Hinc fit potiori jure asserendum esse reservationem peccatorum tolli per absolutionem virtute Bullæ datam illi, qui confessionem fecit validam sed informem. Quia iste verum Sacramentum recepit, vereque a peccatis fuit absolutus, quamvis Sacramenti fructum ob occultum impedimentum inculpabiliter non receperit.

34. Animadvertendum est ut sæpe sæpius dictum est et puncto VII Bullæ constat, fideles posse duplex Summarium sumere et non amplius, ideoque posse bis in vita et bis in articulo mortis a reservatis absolvi. Et notandum quoad mortis articulum, quod etiamsi *in illo casu nulla sit reservatio* (3) et quicumque Sacerdos possit ab omnibus reservatis absolvere: tamen inutile non est tale privilegium in Bulla concessum; quia ille qui absolvitur a peccatis Pontifici reservatis (quibus semper censura est annexa) Bullæ privilegio, liberatur ab obligatione *de comparendo coram Superiore* si non moriatur, quod ita non contingit cum quis absolvitur a Confessario absque tali privilegio. Quod ad absolutionem virtute Bullæ datam attinet non requiritur formula specialis; sed semper exprimendum est virtute illius dari absolutionem.

35. Licet rectius et consultius sit quod censurarum absolutio intra pœnitentiæ Sacramentum recipiatur, hoc tamen necessarium non est, sed extra confessionem conferri valet: eo quod absolutio a censuris cum absolutione a peccatis nullam habeat connexionem. Nec ex eo quod in Bulla requiratur approbatio in Confessario pro absolutione censurarum impendenda, sequitur

(1) *Diana* loc. cit. *Avila* de censuris 2, part. cap. 7, disp. 3, dub. 9. conclus. 2 in fine; *Bonacina* de Censuris disp. 1, quæst. 3, punct. 6, num. 4, et alii.

(2) *Trullench* lib. 1. § 7 cap. 2. dub. 3. num. 9. *Rodriguez* § 9. dub. 4. n. 97. *Diana* 1 part. tract. 11. resolut. 19. *Palaus* tract. 23. disp. unic. punct. 15. § 6. n. 6 et alii quamplurimi.

(3) Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.

debere fieri intra confessionem. Ideo enim Confessarius approbatus exposcitur, ut quando absolutionem impendere valeat, quando satisfactionem partis injungere teneatur, et qua forma et modo id efficere conveniat, optime noscat (1).

36. Absolutio hæc semel in vita et semel in articulo mortis recipienda non intelligitur, ut ab unoquoque casu reservato, si sit diversæ speciei ab alio, semel in vita aut in articulo mortis seorsim et divisive præstari valeat, si forte decursu anni in aliquod ex illis habentem Bullam incedere contingat; sed de unica absolutione intra annum facta pro omnibus casibus reservatis, qui tunc occurrunt, sive sint ejusdem sive diversæ speciei, accipi debet, et hac semel exhibita, ulteriori absolutioni locum non est; quare v. g. qui hoc anno vi Bullæ absolutus est ab excommunicatione ob duellum contracta, non potest absolvi ab excommunicatione ex ingressu in Monialium clausuram, si postea in illam incidat, esto hic casus diversæ sit speciei a primo (2).

37. Regulares et Moniales non possunt vi Bullæ Cruciatæ eligere sibi Confessarium quoad casus reservatos. Sic expresse declararunt plures Summi Pontifices et signanter S. Pius V Const. 132 incip. *Exponi nobis,* Clemens VIII Const. 60 incip. *Romani Pontificis* etc. uti videre est apud Ferraris V. Bulla n. 51, ubi fuse et in medium affert Const. Urban. VIII, 105 incip. *In Specula* etc. Attamen cum licentia tacita vel expressa Superioris, asserit Troncoso (3), posse tali privilegio uti et approbatum Confessarium eligere qui eos absolvat a reservatis; imo quoad peccata non reservata statuit, quamplures AA. sustinere Confessarium eligere posse etiam sine tali licentia, quamvis contrarium, et prudentius et obedientiæ promissæ magis erit consentaneum. In antecedenti prohibitione novitii non comprehenduntur, qui ut diximus regulares *in odiosis* non censentur; bene vero Religiosi Ordinum militarium, cum Bulla Urbani VIII nullam in illorum favorem exceptionem faciat, quæ aliunde comprehendit omnes Regulares.

38. Animadvertatur quod ad absolvendum a censuris vi Bullæ necesse est quod fiat a Confessario approbato et tantummodo fieri posse pro *foro interno:* nihilominus absolutio data pro foro conscientiæ, potest esse valida pro *foro externo*, quando realiter parti fuit satisfactum vel aliqua fuit inter partes conventio, vel quando non fuit offensio nec res ad forum contentiosum pervenit: (cum exceptione percussionis Clerici) et hujus ratio est: quia cum censura vi absolutionis *pro foro interno* fuisset ablata, nec sit scandalum, neque ordini judiciali irrogetur injuria, nihil prohibet quominus dicta absolutio valeat etiam *pro foro externo;* nihilominus qui absolutionem fuit adeptus *pro foro interno* se debet habere tamquam si absolutus non fuisset donec absolutio constet. Attamen in opinione probabili invalidam esse talem absolutionem *pro foro externo*, potest judex illam recusare, si parti non fuisset satisfactum, sicuti potest illam admittere et in illo tunc accusatorem recusare (4). In hujus doctrinæ confirmationem, uti videre est in App. Salm. asseritur S. Pium V in quodam Jubilæo anno 1568 ab ipso concesso, postquam facultatem generalem absolvendi a censuris Confessariis fuerit elargitus, ad-

(1) App. Salmant. Cap. VI punc. III, n. 177.
(2) Cum *Villalob. Mendo* et *Ledesma* cit. App.
(3) Voit Theol. mor. add. Bullæ n. 394.
(4) *Troncoso,* loc. cit. n. 397.

didisse absolutionem ex vi hujus facultatis factam, tantum *pro foro conscientiæ* prodesse non vero *pro foro externo* et contentioso, nisi parti læsæ fuerit satisfactum : in quo satis significatur absolutionem vi illius datam pro foro externo fore profuturam, si illa partis satisfactio aut conventio cum ea præcederet : sed ipse Pius declarationem hanc extendit ad alia indulta præsentia, præterita et futura, sive similia, sive dissimilia Jubilæo a se concesso in quibus Bullam Cruciatæ comprehendi dubium non est (1).

39. Non desunt autem rationes pro opposita sententia. Imo uti videre est in cit. App., pag. 149, ed. Ven. expresse definitum et declaratum fuit ab Urbano VIII in Const. *In specula militantis Ecclesiæ* facultatem in Bulla concessam eligendi Confessarium ut a peccatis et censuris absolvat, tantum esse pro foro interno, non vero pro foro externo deservire. Unde hanc sententiam tuentur *Covarrubias*, *Molina*, *Diana*, *Bardi*, *Tamburinus* et alii quamplurimi.

40. Placet tamen Palaus, dicens : quod si Judici constaret absolutio (potest enim hoc esse per schedulam datam a Confessario, ad pœnitentis petitionem, attestantem absolutionem cum Bulla et satisfacta parte), potest Judex dissimulare et mitigare sententiam, vel pœnam ordinariam, leviori inflicta solum ad satisfaciendum scandalo ; eo quod coram Deo pœnitens liber sit a censura. Hoc enim directe non est Bullam valere pro foro exteriori, sed indirecte, cum forum interius multis casibus exteriori proficere possit (2).

41. AA. communiter sentiunt absolutionem vi Bullæ datam, quin parti satisfiat vel detur cautio sufficiens, esse illicitam, et quamplurimi sentiunt esse invalidam, cum Summus Pontifex talem tribuat facultatem, dicta conditione adjecta. Inde eruitur similem cautionem fideijussoriam seu pignoratitiam ante absolutionem esse præstandam sive parti sive Confessario, præsertim quando datur cum juramento, ut in praxi admissum est (3). Inde est quod absolutus per Bullam, si est publicus excommunicatus non potest in humanis et divinis cum aliis communicare, etiamsi illis nota sit absolutio, et absit scandalum, et pars sit satisfacta : quia Confessario solum, ut judici in foro interiori, conceditur facultas absolvendi. Unde Judex ecclesiasticus posset contra eum procedere, sicut in dispensato a sacra Pœnitentiaria ab occulto impedimento matrimonii, si publicatur impedimentum, potest et debet procedere contra illum, et declarare matrimonium nullum, quia pro solo foro interiori fuit dispensatum impedimentum (4) donec dispensatio sacræ Pœnitentiariæ nota sit Judici.

42. Virtute Bullæ ut dictum est absolvi potest ab omni censura (hæresi mixta excepta), et per consequens etiam a suspensione et interdicto, si excipias, opinione aliquorum AA., interdictum locale et generale, personale et suspensionem contra Communitatem inflictam. Attamen Wigandt vult absolvi posse et a suspensionis *pœna* et ab interdicto rigurose personali, minime vero ab interdicto locali, cessatione a *divinis*, degradatione et Beneficii privatione, quia principaliter sunt pro foro externo et nullo modo habent speciem et modum censuræ, pœnæ privantis hominem bono spirituali.

(1) *Rodriguez*, in Bulla § 9. *Medina* in Instruct. Confess. lib. 1. § 7. *Bobadilla*, *Mendo* et alii.
(2) Troncoso, n. 398. (3) Wigant, loc. cit. n. 49. (4) Wigant ibidem.

43. Bulla facultatem non tribuit absolvendi ab irregularitate, cum ista proprie non sit censura ideoque neque in Bulla comprehensa. Aliqui vero AA. testantur ab illa posse absolvi præsertim quando urget necessitas, nec est facilis ad Superiorem recursus; alii sustinent absolvi posse vi Bullæ tantum ab irregularitate pure pœnali (1). Denique Wigandt (2) sustinet irregularitatem quæ tantum est pœna delicti commissi in administratione vel receptione Sacramentorum, per Bullam posse absolvi; quia est solum pœna ecclesiastica, privans bono spirituali et habens speciem, modum et nomen censuræ, et communiter ita nominatur; minime vero ab irregularitate quæ non est pœna, sed ex defectu lenitatis aut significationis procedit, cum sit mera inhabilitas et impedimentum. Unde absolvi non potest irregularitas ex delicto homicidii, eo quod non solum sit irregularitas ex delicto et hujus pœna, sed etiam secum afferat defectum lenitatis (3).

44. Data absolutione cum promissione parti satisfaciendi, si deinceps pœnitens potens non satisfacit, censura non reviviscit quia de hoc non apparet in Bulla vestigium, et colligitur ex *Cap. Ad reprimend. de for. ordin.* (4).

45. Non potest Confessarius per Bullam absolvere ad reincidentiam; quia ita solum potest absolvere qui potest censuram ponere, nec in Bulla verbum est per quod Confessario facultas detur ad absolvendum ad reincidentiam, sed tantum datur in illa potestas ad absolute et simpliciter absolvendum.

46. Supra facultatem, quam Pontifex in clausula initio VI puncti præfixa elargitus est, ut Confessarius ab Ordinario approbatus et a fidelibus electus ab omnibus peccatis et censuris eos possit absolvere, aliam in fine prædicti puncti addit, scilicet ut idem Confessarius quæcumque fidelium vota simplicia per Christifideles ipsos emissa, exceptis tamen ultramarino, castitatis et religionis, ut in verbis ejusdem clausulæ cernere liquet, possit commutare. Ex quo aperte constat, Confessarium ab Ordinario approbatum et a fidelibus virtute Bullæ electum, posse omnino illorum vota, tribus prædictis exceptis, commutare; non tamen in ipsis, aut in ullo illorum dispensare; tum quia in Bulla nulla facultas ad dispensandum in votis conceditur, sed præcise ad ea commutanda; tum quia ex eo quod in Bulla facultas tribuatur commutandi, non censetur concessa ad dispensandum, utpote quia dispensatio longe majorem potestatem exigat, per illam enim tota obligatio aufertur et extinguitur (5).

47. Ad talem commutationem faciendam sedulo animadvertendum est aliquod esse discrimen a Bulla Pii IX introductum: nam in Brevi antiquo dicebatur talem commutationem fieri *in aliquod subsidium hujus expeditionis:* in præsenti Bulla prævenitur *ut fiat in alia pia opera, atque injunctum his subsidium aliquod:* ita ut nunc, præcipuum in votorum commutatione sunt pia opera, et accessorium, *subsidium aliquod executori* Bullæ Cruciatæ *transmittendum* in supradictos fines.

48. Probabilius est in schola Divi Thomæ non posse vota commutari in materia minori, sed debere esse in materia moraliter æquali, juxta pruden-

(1) Taull. in Bull. L. 1. § 7. c. 2. dub. 17. n. 4, Diana p. 1. tr. 11. res. 27.
(2) Wigant loc. cit. n. 50. (3) V. D. Thom. sup. tract. 14. Ex. 1.
(4) *Avila, Gibat, Mendo* cum aliis. (5) Div. Thom. 2, 2. quæst. 88. art. 2.

tum judicium, quia commutatio dicit æqualitatem rei ad rem, tum etiam quia si in minori materia fieret, in qua parte minor esset, fieret dispensatio quæ uti diximus n.° 46 hic non conceditur.

49. Certum est in commutatione votorum per Bullam aliquod esse exigendum subsidium temporale et pecuniarium, quia ex Bulla constat esse debere *in subsidium in supra dictos fines transmittendum;* tum etiam quia juxta Wigandt pluries Commissarius Generalis ita declaravit, auctoritate Apostolica munitus. *Troncoso* autem censet, quod quando commutationem petens talem eleemosynam elargiri non possit, a Confessario in aliquod opus spirituale, uti orationes, jejunia etc. in favorem expeditionis Cruciatæ substitui possit, adjecta verumtamen aliqua, etsi parva, eleemosyna pecuniaria, ut locum habeat finis et littera concessionis.

50. Vota quæ virtute hujus clausulæ Bullæ commutari possunt, intelligenda sunt etiam juramento firmata, imo eadem juramenta independenter a voto facta, cum enim ab eadem Religionis virtute procedant, dicta de voto, de juramento intelligi possunt. Si vota ac juramenta a persona in cujus favorem facta fuere, acceptata fuissent, non possunt virtute Bullæ commutari; attamen commutari potest pœna pecuniaria quam aliquis sibimet imposuit in voti infractione, cum dicta pœna minor sit quam obligatio voti absolute sumpti.

51. Vota in Bulla supra excepta et Pontifici Maximo reservata, intelligendum esse de votis absolutis, perpetuis, totalibus et perfectis, communis Doctorum sententia tenet. Ratio est quia reservatio et pro ea exceptio est res odiosa, ideoque restringenda ad vota stricte et modo dicto sumpta. Unde cum Wigandt:

52. *Votum ultramarinum* Papæ reservatum et in Bulla exceptum, est solum votum peregrinationis in Hierusalem devotionis causa. Unde vota peregrinationis ad visitanda Limina Apostolorum, aut S. Jacobum in Compostella, licet sint Papæ reservata et nequeant Episcopi dispensare in illis, commutari per Bullam possunt, quia non sunt in ea excepta.

53. *Votum virginitatis* cum intentione solum servandi virginitatem, non vero absolute castitatem, potest commutari, quia non est absolute castitatis, sed servandi integritatem.

54. *Votum assumendi ordinem sacrum* (idem dic de voto vovendi castitatem et promittendi Religionem etc.) potest commutari; quia non est directe castitatis, sed assumendi statum cui est annexa.

55. *Votum disjunctivum* si altera pars non sit reservata, commutari potest, quia pœnitens potest eligere partem non reservatam et commutabilem. Imo juxta *S. Lig.* (1) cum *Salm.* et multis aliis etiamsi pars sit electa, commutari potest, quia etiam post factam electionem semper integrum est voventi iterum eligere alteram voti partem.

56. Etiamsi per Bullam votum castitatis perpetuæ ac perfectæ nequeat commutari, tamen commutari potest: 1.° Votum castitatis conditionalis, etiamsi sit pœnalis ante vel post conditionis complementum (2) dummodo

(1) S. Lig. Hom. Apost. tract. v. n. 46 circa fin.

(2) Diana, Sanch. Trull. Tolet. Mendo et alii.

conditio possibilis sit, alioquin votum absolutum esset, ideoque incommutabile; sicuti pariter incommutabile est quando versatur circa materiam reservatam: 2.° Votum castitatis ad tempus: nisi sit ad tempus quod, attenta voventis ætate, perpetuum intelligendum sit: 3.° Votum castitatis conjugalis, secus si sit solemne et a Sede Apostolica approbatum, ut est votum Ordinum militarium: 4.° Votum emissum ab altero conjuge (matrimonio consummato) et inscio alio, commutari potest durante matrimonio; soluto vero matrimonio teneretur ad castitatem, nisi antea fuerit commutatum, vel postea dispensationem a Summo Pontifice obtineat: 5.° Votum castitatis emissum per metum levem *ab extrinseco* incussum, commutari valde probabiliter etiam potest.

57. Potest etiam commutari votum præstandi aliquid et non petendi dispensationem voti; tum quia non reservatum, tum quia vovens nequit derogare potestati superioris facultatem commutandi dantis: peccavit tamen commutationem petens, quia votum frangit. Idem dic de voto emisso cum intentione reservandi illud Papæ, et faciendi indispensabile et incommutabile, quia voti reservatio pendet a potestate et voluntate reservantis, non vero ab intentione voventis, quæ nec in hoc aliquid facit.

58. Sicuti jam dictum est, votum absolutum ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam commutari non potest; attamen *servatis servandis* commutari potest in casibus et circumstantiis quibus votum castitatis. Pariter commutari potest: votum ingrediendi Religionem animo non profitendi in ea, sed tantum habitum induendi et modum vivendi servandi: votum paupertatis, castitatis et obedientiæ in sæculo emissum, cum non sint proprie religionis vota; votum ingrediendi aliquod Collegium in quo ejus alumni cultui divino dicati vivunt, et in genere commutari possunt per Bullam omnia vota quæ non sint absoluta, perpetua, totalia et perfecta, ut diximus supra n. 52.

59. Omnis et quicumque Confessarius, uti diximus, potest dictam commutationem facere, et in opinione communi *etiam extra Confessionem*.

60. Sub puncto septimo cum facultate duplex sumendi Summarium pro ipso sumente et duplex per modum suffragii pro animabus in purgatorio detentis, continetur privilegium vulgo sub nomine *Bulla defunctorum* a SS. PP. felicis rec. Paulo V et Urbano VIII. Pauca de ipso.

61. Indulgentia quæ in hac Bulla conceditur est plenaria et totalis per quam anima, cui applicatur Bulla, de pœnis purgatorii liberari potest, quia indulgentia plenaria per modum suffragii adæquat omnes pœnas, quas anima in purgatorio luere debebat.

62. Quamvis non sit necesse ut in hac Bulla inscribatur nomen defuncti et ipsam accipientis, tamen praxis invaluit ut in ipsa inscribatur, et ideo in defunctorum Bulla quæ in Hispania expenditur et etiam quæ in Regno Siciliæ, ut testatur *Tamburini*, dicitur *en favor del alma* et locus ubi animæ nomen apponatur relinquitur.

63. Una Bulla non potest applicari pro pluribus animabus sed solum pro una anima; quia ita in Bulla quæ distribuitur expresse dicitur (1). Possunt

(1) *Ferraris* Bibliot. V. Bull. n. 81. cum Tamburini et aliis. Ita etiam *Wigandt* de Bull. Defunct. n. 2.

tamen pro eadem anima sumi singulis annis duæ Bullæ, et valde utile est, ut aliæ aliis annis sumantur, sicuti pro eadem anima utiliter plures indulgentiæ applicantur et Missæ etiam plures offeruntur, neque enim nobis a Deo revelata est ratio, qua divina justitia dijudicat merita uniuscujusque animæ, neque tempus quo eam a pœnis purgatorii debitis omnino solvit: quapropter, ut merito inquit Ferraris, utile est ut fideles plura suffragia pro animabus in purgatorio detentis divinæ justitiæ offerant, et ut singulis annis duas Bullas sumant pro eadem anima, non obstante quod teneatur, indulgentiam hujus Bullæ, sicuti quamcumque aliam plenariam rite concessam et acquisitam certo et infallibiliter prodesse animæ illi cui applicatur.

64. Existens in Regno ubi promulgatur Bulla potest ipsam sumere et applicare animæ defuncti, etiam extra dictum Regnum aut locum Bullæ. Ita *Tamburini* allegans ad id *Ludovicum a Cruce*. Bulla enim pro defunctis non exprimit esse necessarium ad obtinendam indulgentiam, quod quis obierit in loco ubi Bulla promulgatur, sicuti exprimit hoc esse necesse Bulla communis pro vivis. Tum quia, ut ait *Ferraris*, sicut hic quod voluit, expressit, ita hic si voluisset, expressisset; tum quia favores in suffragium animarum ampliari debent quantum possunt.

65. Hæc Bulla (uti de alia dictum est) debet accipi, ut effectum habeat, quem habebit quando eam pro anima applicabit, quodque tutius fiet quando se moraliter judicat esse in gratia qui eam applicat. Unde si prius accipit Bullam et postea applicat, tunc liberatur, quando applicat, quia ultimum requisitum est applicatio (1); et etiamsi Bulla accipiatur credita pecunia, suum effectum habet statim post factam applicationem, absque eo quod expectetur tempus solutionis. Semel facta applicatione pro tali anima non potest amplius variari et fieri applicatio pro alia, quia indulgentia Bullæ per primam applicationem jam habuit totum suum adæquatum effectum.

66. Ut videatur quanta sit obligatio nostra et quantum meritum erga defunctos pro ipsis similem Bullam sumere, et requisita necessaria magna cum sedulitate adimplere, concludamus cum Contenson: *Sicut nihil tam secundum naturam est, quam juvare consortem natura, ut l. de officiis S. Ambrosius scribit: ita nihil tam secundum gratiam et charitatem est, quam calamitosis usque Dei amicis opem, et suppetias offerre; oleum quippe pietatis, et miserationis unguentum quanto copiosius in fraternas necessitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur.* Unde concludit: *Christi adjutor sis, et quæ*, ut loquitur Paulus, desunt passioni Christi, ipse adimpleas. Hoc modo Deum tibi totum devincies. Forsan in his quæ attingimus *egoismi* temporibus altera reflexio quæ opportunissime a Commissario generali fit in ipsa defunctorum Bulla, magis fideles ad hujuscemodi opem animabus curandam moveret; scilicet: *quien por este medio procura el alivio de las almas del purgatorio, no solo trata el negocio de las almas de él, sino tambien el de la suya propia: porque ayudándolas á la mas breve consecucion de su eterno descanso y á la suma felicidad de reinar en Dios, justamente debe esperar de su Divina Majestad la recompensa, mediante la especial intercesion de las almas mismas, que como agradecidas no dejarán de ponerla en favor de los que las socorrieron etc. etc.*

(1) Tamburin. loc. cit. n. 7 vers. *At quandonam.*— Ferraris V. Bulla. n. 89 et 99.

VIII.

Ulterius eidem harum litterarum executori et Commissario generali potestatem facimus, ut super irregularitate cum his, qui Ecclesiasticis censuris ligati, missas et alia divina officia (non tamen in contemptum Clavium) celebraverint, aut alias se divinis immiscuerint, et super alia qualibet irregularitate ex delicto proveniente, dummodo quis in irregularitate hujusmodi per sex menses non insorduerit, et exceptis semper irregularitatibus ex homicidio, aut simonia; vel apostasia a fide, aut hæresi, vel a mala ordinum susceptione, vel ex alio delicto scandalum in populo generante provenientibus dispensare valeat, imposita dispensatis congrua eleemosyna in supradictos pios hujus nostræ concessionis fines impendenda, aliisque injunctis, quæ de jure sunt injungenda: Itemque ut, exceptis dignitatibus cujuscumque generis, et cathedralium aut Majorum Ecclesiarum canonicalibus, nec non beneficiis curam animarum annexam habentibus, convalidare possit titulos aliorum beneficiorum sub hujusmodi irregularitate susceptorum, et super fructibus ex illis interea perceptis compositionem decernere in eosdem pios fines erogandam.

IX.

Eidem facultatem tribuimus permittendi personis nobilibus, aut qualificatis, ut missas per horam ante lucem, ac per horam post meridiem per se ipsos si Presbyteri fuerint celebrare, vel per alium ipsis præsentibus celebrari facere valeant.

X.

Insuper ut viros ecclesiasticos, qui ad restitutionem fructuum beneficiorum simplicium tantum (quæ annexam non habeant animarum curam, nec personalem residentiam requirant) ex omissione recitationis Horarum Canonicarum tenebuntur, ad congruam compositionem super eisdem fructibus erogandam pro medietate Ecclesiis vel aliis locis, quorum ratione horas prædictas recitare debent, et pro altera medietate in supradictos pios fines admittere possit.

XI.

Ad hoc, ut super occulto impedimento affinitatis ex illicita copula provenientis, aliqua in eosdem fines eleemosyna injuncta, dispensare possit cum iis qui matrimonium, altero saltem in bona fide existente, contraxerint, quo illi matrimonium ipsum, renovato secrete inter se consensu, rursus contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant. Atque ut dispensare item valeat ad petendum debtium cum illis, qui ejusmodi affinitatem post matrimonium contraxissent.

XII.

Eidem quoque Commissario potestatem facimus ut pro foro conscientiæ tantum super injuste ablatis, seu acquisitis compositionem competenter decernere possit in prædictos pios fines erogandam, dummodo scilicet domini, quibus restitutio facienda esset, post debitam diligentiam pro iisdem inveniendis adhibitam, reperiri non possint, et præstito a debitoribus juramento de hac diligentia per eos facta, ac dummodo iidem debitores in confidentiam, et sub spe hujusmodi compositionis illa non abstulerint, seu acquisiverint.

67. Præter gratias, privilegia et indulta in hac Bulla fidelibus collata, quæ hactenus breviter explicavimus, Commissario Generali aliquas facul-

tates magni ponderis et momenti SS. Pontifices concessere; tum ut ea quæ ad hujus Bullæ, et eorum quæ ad Cruciatam pertinent expeditionem, absque ullo prorsus impedimento exequi valeat; tum ut in fidelium subsidium gratias aliquas vi Bullæ ejusdem concedere possit. Semper brevitati consulentes non immorabimur in explicando hujusmodi facultates, quæ perspicue in Bulla exprimuntur, ommittendo pariter quæ ex Apostolicis et Regiis decretis Commissario conceduntur, et ad hoc tribunal non expectant, possuntque videri in Lara et Monreali et novissime in egregio opere, cui titulus *Revista católica*, tom. 18, pag. 465. Unam autem facultatem explanere gravitas ipsa materiæ nos cogit, Commissario Generali a Pontifice concessam pro conscientiarum fidelium exoneratione et quiete, facultatem scilicet componendi bona et incerta debita quibus fideles gravantur, vel illa quæ Ecclesiæ aut pauperibus restituere tenentur, media exhibitione eleemosynæ ab ipso Commissario taxatæ. Qua facultate præditus ipse Commissarius in Bulla Hispana, quæ vulgo *Compositionis* nuncupatur, casus in quibus talis compositio locum tenet, assignat, quos ex Bulla desumpsit ex illis verbis *Ac super* illicite habitis etc.

68. Et in primis animadvertatur, facultatem quam antea generalem habebat, super compositione bonorum quæ debebantur ex omissione recitationis horarum canonicarum, in præsenti non extendi nisi in viros ecclesiasticos qui ad talem compositionem teneantur de fructibus *beneficiorum simplicium tantum*, minime vero, de iis *quæ annexam habeant curam animarum vel personalem residentiam requirant* ut legitur punc. X Bullæ.

2.° Facultatem dispensandi super aliquas irregularitates non extendi in eos qui per sex menses in talibus irregularitatibus insorduerint, quæ limitatio in Brevi Gregoriano non reperiebatur.

69. 3.° Quod notatu dignum invenitur, est facultas quam Pontifices Commissario concedebant suspendendi indulgentias *omnes similes vel dissimiles et facultates ab eisdem et Sede Apostolica, vel ejus auctoritate, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis, Universitatibus etc. concessas.* Cui facultati innixi Commissarii generales suspensionem faciebant indulgentiarum et cæterarum Bullæ facultatum; tum etiam et earum revalidationem. Nunc vero cum talis facultas expressa in Bulla non contineatur: nec Commissarius generalis talem suspensionem apposuit in fine Summarii, quam singulis annis apponere solebat. Unde magnam illam controversiam inter Sanctæ Bullæ expositores circa veram hujus facultatis intelligentiam finitam tandem esse judicamus, dummodo enim de tali facultate et suspensione non constet, præsertim quando antea ambæ adeo erant expressæ, tamquam non existentes putandas esse, nostra est quidem sententia. Unde etiam sine Bulla Cruciatæ omnes gratias et indulgentias pontificias possunt lucrari fideles, iis exceptis quæ per Bullam conceduntur.

70. Sit ergo jam de *compositionis* Bulla de qua videri possunt AA. fuso calamo hanc materiam tractantes (1). Nos autem tantum aliqua communia

(1) *Silvest.* restit. 8 quæst. 8, *Sotum* lib. 4 quæst. 7. art. 1. ad 3., *Navarr.* cap. 17. num. 93., *Covar.* reg. peccat. part. 3. § 1. n. 3. Bañez 2 2. quæst. 62. art. 5. dub. 8., *Rodriguez* § *unico*, *Henriquez* lib. 7 de indulg. cap. 33. etc. etc.

et necessaria apponemus, deinde casus aliquos particulares, quorum omnium vel quamplurium explicationem videri potest apud *Trullench* (1) cit. *App. Salmant.* (2) et *Wigandt* (3).

71. Diligentia debita et hic petita pro inveniendo vero domino debet esse prudens et quam quilibet pro sua re invenienda apponeret, et major vel minor juxta majorem vel minorem rei valorem; quia Pontifex non vult privare dominum suo jure; nec contra ejus voluntatem bona ejus etiam pio operi applicare, cum ex voluntate interpretativa domini talem faciat compositionem.

72. Secunda conditio quæ necessario a debitoribus debet apponi et est in Bulla expressa, est juramentum se talem diligentiam præstitisse nec in talis Bullæ confidentiam talia bona, quæ sunt componenda, adquisiisse. Hoc autem juramentum de facta diligentia solum requiritur, quando compositio fit cum Commissario; non vero cum per Bullam fit, quia ita Commissarius ipse explicavit. Item quod Bullam compositionis accipiat, non vero requiritur quod hujusmodi Bulla retineatur et conservetur, quia hæc Bulla statim ac recipitur suum effectum inducit, nullumque a se ipsa decursu temporis producendum relinquit, sicut Bulla vivorum, quæ succesive, et per totius anni tempus suos effectus producit. Requiritur autem, præsertim si conservetur, quod nomen illam recipientis in ea scribatur, cum hic a Commissario nominis inscriptio præscribatur. Denique solvere debet eleemosynam a Commissario taxatam pro unaquaque compositionis Bulla. Si non per Bullas sed directe per Commissarium fit compositio, tunc in eleemosynam, ut ex *Henriquez* refert *Trullench*, decem pro centum pro compositione exposcitur.

73. Cum creditor ita est absens, ut non sit spes eum inveniendi, nec hæredem aut creditorem relinquit; et cum debitor non tenetur propriis expensis rem mittere, aut cum expensæ excedunt valorem rei, tunc potest fieri compositio; quia moraliter idem est non posse fieri restitutionem creditori cognito ac si non esset cognitus (4).

74. Bona ex justitia debita Regi, Reipublicæ, Ecclesiæ, alicui Communitati, Confraternitati, pio loco aut pauperibus componi non possunt, quia tunc Creditor est certus; et bona quæ ex justitia debentur pauperibus vel aliis dictis non possunt componi; sed tantum quæ eis applicari possunt defectu certi creditoris.

75. Stipendia missarum etiamsi ignoretur dominus, componi non possunt: quia ex justitia debentur, et coram Deo ubi fit applicatio, creditor est certus.

76. Hæc Bulla prodest omnibus quibus prodest Bulla vivorum, nisi male habuerint bona in confidentia positiva hujus Bullæ. Unde Italus repertus Hispaniæ potest accipere Bullam compositionis vel se cum Commissario componere. Prodest etiam defuncto, si ipse antequam obiret, jussit suo hæredi aut alteri cuicumque, ut sibi tot Bullas compositionis pro exoneratione suæ conscientiæ sumeret cum sapientum consultatione (5). Quod si defunc-

(1) *Trullench* de Bulla Cruciat. lib. 2. (2) *Appendix* etc. cap. 7 pag. edit. cit. n. 175.
(3) *Wigandt* Tract. 18. Appendix, Exam. II, hoc titulo.
(4) Ita Palaus hic n. 2. (5) *Trullench* lib. II § III dub. hoc loco.

tus non mandavit testamentario, non potest pro testante testamentarius Bullas compositionis accipere, bene tamen pro se ipso etiam pro bonis incertis a testante relictis, servatis legibus compositionis. Prodest etiam amentibus, fatuis, pupillis, cum pro illis sumitur, excommunicatis pariter, Religiosis et Monialibus: minime vero catechumenis ratione quam dedimus supra de Bullæ notionibus generalibus quæs. 4. *Trullench* (1) qui vult catechumenis etiam prodesse Bullam vivorum, compositionis Bullam accipere posse testatur.

77. Qui dubitat an possit componi, dum consulit Theologos, vel Commissarium pro compositione adire parat, non est in malo statu, dummodo habeat animum restituendi, si ad compositionem non admittatur vel Bullam compositionis accipere non possit, sicut non sunt in malo statu qui matrimonium contraxerunt cum impedimento occulto, aut beneficium impetraverunt, si curent dispensationem brevi obtinere. *Trullench.*

78. Post compositionem, domino non comparente, compositus manet in conscientia tutus et eorum bonorum dominus, quia ita a Summo Pontifice bene disponitur: si autem post compositionem compareat dominus rei, debet res permanens illi restitui, vel re consumpta, id in quo factus est ditior (nisi legitima præscriptio jam adsit) deductis tamen compositionis expensis (2).

79. Quantum ad quantitatem compositionis en verba Commissarii..... *Esta restitucion íntegra es á veces muy gravosa, especialmente cuando son demasiado crecidas las cantidades que se deben espender en dichos objetos, sin que por esto sea menos estrecha la obligacion de restituirlas.*

En tal apuro, pues, la Bula nos redime de hacer un desprendimiento tan dispendioso, porque mediante ella y por una especie de transaccion piadosa, nos habilita Su Santidad para que con seguridad de conciencia podamos cubrir estos débitos con solo desembolsar una parte de lo mal habido, tomando uno ó mas Sumarios de Composicion, y dando la limosna que en ellos está señalada para los santos fines de la Cruzada; en la inteligencia de que por cada Sumario de estos que se tome, se descarga cualquiera, teniendo por supuesti la Bula de vivos, de la obligacion de satisfacer hasta en cantidad de dos mil maravedís; y como se permite que cada uno pueda tomar hasta cincuenta Sumarios de esta clase, resulta que se puede obtener composicion hasta en cantidad de cien mil maravedís. Pero si la suma sobre que uno necesita componerse, escediese de esta cantidad, entonces es preciso recurrir al Sr. Comisario General para obtener facultad de componer lo restante. Para hacer este recurso no es necesario que el interesado declare su nombre, podrá valerse de su Confesor ó Párroco, quienes se dirigirán al Sr. Comisario, esponiéndole el caso con todas sus circunstancias, y callando el nombre de la persona.

80. Diximus eum, qui majorem quantitatem supradicta componendam habet, ad Commissarium adire debere; qui autem pro minore quantitate componenda accipit Bullam et postea aliud debitum contraxit, istud jam

(1) *Trullench* loc. cit.

